



H
3

281



- 10

1945-10

| |
|-------|
| 1 |
| H-131 |

| |
|------|
| A |
| 3 |
| 2001 |

Del Off. de la Com. de Tho de Granada B B C
DE PROCVRANDA
SALVTE OMNIVM

GENTIVM, R2541
SCHISMATICORVM, HÆRETICORVM,
Iudæorum, Sarracenorum, cæterorumq; Infidelium

LIBRI XII.


QVIBVS IMPIISSIMARVM SECTARVM,
MAXIME ORIENTALIVM,
Ritus ad HISTORIAE fidem narrantur,

Errores ad VERITATIS lucem confutantur.

Accedit pro laborantibus inter Infideles brevis casuum resolutio, gratiarum ac
privilegiorum compendium, & pro conuersis CATECHISMVS.

Cum indicibus rerum & materiarum copiosissimis.

*Auctore R. P. THOMA à IESV Biatensi, Ordinis Carmelitarum
Discalceatorum in Belgio superiore.*



ANTVERPIÆ,
Sumptibus Viduæ & hæredum Petri Belleri,
sub scuto Burgundiæ. 1613.


Cum gratia & Privilegio.

ILL^{MO} ET REVEREN^{MO}
DOMINO
D. GVIDONI BENTIVOLIO
ARCHIEPISC. RHODIENSI
S. D. N.

*ad Seren^{mos} Belgij & Burgundiæ PRINCIPES
cum potestate Legati à latere*

N V N T I O

F. THOMAS A I E S V
felicitatem atque salutem in D E O
ex animo precatur.

 E G E N T I V M S A L V T E
qualis quantaque & fuerit olim, &
presentibus posterisque esse debeat
cura, Illustris. Domine, ut non
longè petitâ dissertatione asseram; præ reli-
quis, solam hanc Christiano homine dignam
esse,

esse, non vereor affirmare. Si enim operis æstimationem facimus, æternæ gloriæ cæussa suscipitur; si cuius negotium geratur perpendimus, Domini voluntas perficitur. *Omnes enim homines Deus vult saluos fieri.* Hoc desiderium Dei Filium, vt iam morti damnatū hominum genus nascendo eriperet, è cælo descendere; hoc æterni Patris imaginē gloriosam, vt vitæ exules ad filiorum hæreditatē moriendo reuocaret, crucis subire tormētum voluit. At si Christianæ vitæ exemplar Christus est, si æterni Patris ideò sinum reliquerit, vt errātem ouē reduceret; nōne pro imbecillitate nostra, tam arduam nos componere ad imitationem, proximique saluationem ante omnia ponere, debemus? Si iterum omnibus hoc incumbit, quàm singulariter id nos præstare debeamus, qui tanti Imperatoris in verba peculiariter iurauimus, spontaneoque obligamur sacramento, palā constat. Huius ego officij communis memor, atque ad præcipuum Ordinis nostri decretum actionem collineans, Dei viribus
nexus,

nexus, animarum salutē, errantiū directionē, atque adeò infideliū conuersionē alligare præceptis, iuuare remedijs, promouere consilijs ausus sum.

Sed audeo hunc quoque laborem Illustris. nomini tuo inscribere, publicis, priuatisque eū causis commēdare, & quasi de manu in tutelam tradere.

Sine auctoritatis enim sacro robore, in publicum egredi cum scriptionis hæc nouitas nō posset; à nemine potius, quàm à tua Ill.^{ma} D.^{ne} cui totius tamque difficilis Prouinciæ religiosa curatio incūbit, illud peti debuit. Te Opt. Max. in terris Dei Vicarius præsidere hic iussit, tuam Sollicitudinem, Prudētiam, Pietatem in periculosi limitis confinio excubare, & vt sic dicam, prætereundum voluit. Patronum itaq; fidei sanctæ adhibeo, cū potestatis vestræ lateralis subsidium imploro. Sed hoc quā vltro semper Benignitas vestra præstitit? Vix Ordinis nostri, primū in hac vrbe, dein regione, reformatio inter ignotos apparuerat,

cum tua nos beneuolentia suscepit, gratia pro-
duxit, confirmauit munificentia: Dignas fanè stirpe, loco dignissimas virtutes egenti-
bus, sed (absit dicto inuidia) Dei seruis exhibuisti. Non alio censu censemur; solus Christi famulatus, non ad sæculi gloriam, sed futuri temporis nos præparat ad messem.

Insuper priuatim quid Illustriss. D. T. mihi exhibuerit cum expendo, gratitudinis, quia non aliud à me expectari possit, hoc præstari debere officium sentio. Amas me, diligis supra meritum; nec Parentis adfectum negas, cum filij obedientiam libens exhibeam. Denique si studiorum aut huius laboris mei patronum requiro, inuitat (vt non præteream Illustriss. maiorum tuorum memoriam, atque singularem BENTIVOLIÆ familiæ erga studiosos semper adfectum) tua quoque Illustriss. Domine, erga virtutes easdè inclinatio. In te enim illorum Prudentia, Magnanimitas, Munificentia, Æquitas, cæteræque heroicę dotes reuixere. Et ne quicquam de-

efflet;

esset, quam illi in alijs magni fecerunt, Eruditionis egregiam laudem tibi vindicas. Addis iudicij acrimoniam, in agendis rebus dexteritatem, in omnibus moderationem. Talem igitur te magnorum munerum æquissimus dispensator Deus, ad gratiam gloriamque augeat, promoueatque. Talè Ecclesiæ Dei, bonorum studijs, optimorū votis atque animarum multarum saluti diu seruet incolumem. Vale Ill.^{me} & Reu.^{me} D.^{ne} in Christo Iesu, & argumentū quod tui est muneris amanter suscipe, fortiter protege. Perge quoq; quod semper facis, fidei culturā fouere, promouere augmentum.

FACVL-

FACULTAS REVERENDI ADMODVM
 Patris Ferdinandi à S. Maria, Vicarij Generalis Carmelitarum!
 Excalceatorum Congregationis Italiz.

FRater Ferdinandus à Sancta Maria, Vicarius Generalis congregationis Sancti Heliz Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo, librum inscriptum *De conuersione omnium gentium procuranda*, à R. P. F. Thoma à Iesu prædictæ Congregationis Priore Bruxellensi compositum probo vt typis mandetur, cum licentia aliorum Superiorum. Datum Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scaila die 19. Februarij, 1611.

*Frater Ferdinandus à S. Maria,
 Vicarius Generalis.*

FACULTAS REVERENDISSIMI AC
 Illustrissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis.

Librum hunc me vidisse testor, & nihil in eo inuenisse vel fidei orthodoxæ, vel pijs moribus cõtrarium: authorem autem habeo virum doctum & valde pium: quare librum existimo non sine vera utilitate boni publici imprimendum.

Matthias Archiepiscopus Mechliniensis.

Ego Frater Franciscus de Bihero Ordinis Prædicatorum, in Sacra Theologia Præsentatus, vidi, & perlegi librum, cui titulus est . *De Conuersione omnium gentium procuranda*, à Reuerendo admodum Patre Fratre Thoma de Iesu, Priore Bruxellensi Ordinis Carmelitarum excalceatorum compositum, & elaboratum; in quo nihil planè inueni quod fidei orthodoxæ, Ecclesiasticis decretis, vel bonis moribus aduersum, seu suspectum esse videatur: quin potius omnia adeo docta, incorrupta, & pia existimo, vt omnium iudicio magnam auctoris doctrinam, & pietatem, fideique catholicæ augmentum, & zelum perspicuum sit, redolere. vnde non immerito iudico, & approbo opus hoc dignum, vt typis mandetur; existimans Ecclesiæ catholicæ emolumento fore, vtpote ad eius propagationem apprime spectans. Datum in isto Conuentu Sancti dominici Bruxellensis octaua die Martij, 1613.

Frater Franciscus de Bihero.



Ad Christianum Piumque Lectorem
Prologus.



CONVERTENTVR ad Dominum vniuersi fines terra, & ad-
Psalm. 134.
 rabunt in conspectu eius vniuersa familia gentium. Sic diuino plenus spiritu, per vniuersum orbem, futuram Ecclesiæ propagationem prospiciens, Dauid Propheta cecinit: qui maiestatem quoque imperiumque Christi describens dicit. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à* *Psalm. 71.*
flumine vsque ad terminos orbis terrarum: coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Et mox: Replebitur maiestate eius omnis terra, fiat fiat. Eandem Ecclesiæ gloriam, ingentemque dilatationem cum mentis oculis contemplaretur Isaias, quamuis longè positam, sibi tamen propius factam, multis in locis prædixit; quin in ipso statim initio propheticæ visionis, postquam cecinit Iudaicæ Reipublicæ interitum, protinus de Ecclesia subdit: Erit in nouissimis diebus preparatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi dicentes: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Vides, vt ad montem Domini confluant omnes gentes, & ex eis multæ inuitent alias. Montem autem Domini esse Ecclesiam nemo est qui possit iure dubitare.

Neque vllum tempus excipit Isaias, quo hæc Ecclesiæ felicissima propagatio non eueniat: nam sic alibi: *Multiplicabitur, inquit, eius imperium, & pacis non erit finis. De Ecclesia rursus, quæ Christi Domini ante aduentum, quasi terra inaccessa, incultaque erat, ad quam nemini patebat aditus, nullo mitescerat cultu, Latabitur, ait, deserta, & inuia, & exultabit Isaiæ 35.*
solitudo, & florebit quasi lilius, germinans germinabit, & exultabit latibunda, & laudans. Explicat alibi eadem elegantissimè idem Isa. Deserta, scribit, tua, Isaiæ 49.
& solitudines tua, & terra ruina tua nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuae: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi vt habitem. & dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua; & istos quis enutrit? Ego deserta, & sola: & isti vbi erant? Hæc dicit Dominus Deus: Ecce eleuabo ad
 ii gentes

Isaia 45.

gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferam filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Attendite, nam mysticis Prophetarum verbis, hic inest sensus. Quoties Ecclesia accessione noue sobolis spoliatur, toties destituitur, deseritur que: si ad eam adducantur gentes, & populorum noua agmina confluant, tunc quasi læta mater insigni fecunditate ditatur, spatia noua requirit; que tamen, mirum dictu, simul cum ipso propaginis augmento nunquam desunt. Audiamus eundem, qui sic inducit Deum loquentem, & verba facientem ad Ecclesiam quasi virum ad vxorem: *Lauda sterilis, quæ non parit, decant a laudem: & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ magis quam eius quæ habet virum, dicit Dominus: Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Intellectin fore, vt quoties Ecclesia ad sterilitatem adducitur non parit, & deseritur dum magis pariat, amplificetur, dilatetur. Denique sic admirabundus compellit, & excitat ad lætitiã, atque admirationem suis verbis Ecclesiam: Surge, inquit, & illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient, & filia tua de latere surgent, tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Hæc Isaïas, qui multis deinde profæquitur hoc argumentum.

Isaia 60.

Isaïæ alij etiam Prophetæ consonant. Daniel enim ait fore vt lapis ille qui Christum significat, vniuersam terram non modo contegat, sed impleat, fiatque mons magnus, illique detur principatus, honor, regnum, & seruiant ei populi omnes, tribus, & linguæ. Ob id Abacuc: *Deus, inquit, ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra.* Et Sophon. sic Deum facit loquentem: *Tunc reddam populis labium electum, vt innocens omnes nomen Domini, & seruiant ei humero vno. Zachar. autem Christi potentiam enarrans. Potestas eius, ait, à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad finem terre.* Deinde idem sic Deum inducit verba facientem: *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda.*

Abac Sophon.

Zach.

Isaia 42.

Nec solum vicinas orbis partes Ecclesia Dei, sed & loca longinqua, & Insulas procul postas complexura erat. & hinc Isa. *populos à nobis disiectissimos inuitat, exclamans: Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ: qui descendit in mare, & plenitudo eius Insula, & habitationes earum.* Et mox: *Ponens Domino gloriam & laudem eius in Insulis nunciabunt.* Et alibi contemplatus procul aduenientes ad Ecclesiam gentes, admi-

admirationis plenus ait: *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, mat. isa 49. & isti de terra Australi.* Et ob id Christus de seipso verba faciens apud eundem vatem. *Me enim, ait, Insula expectant, & naues maris in principio. Et rursus, Audite Insula, & attendite populi de longè, Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Idem de Apollolis suis loquens in remotissimas oras mittendis. *Et ponam, inquit, in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittas. In Italiam & Graciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam.* Hæc apud Isa. In quibus manifestè prædixit Ecclesiam Dei speciatim in remotissimas Insulas fore propagandam.

Isa. 49.

Psul 72. Psalm. 2.

Isaia 52.

Mat. ult. Act. 1.

Et quidem non vno in loco, sed in quatuor orbis partibus, Occidente, Oriente, Austro, & Aquilone ad terminos soluetur Orbis terrarum. *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Hinc Deus ad eundem Christum: *postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Isa. similiter cap. 52. eadem prædixit his verbis: *Et videbunt omnes fines terræ salutem Dei.* Necessè est igitur vt Christi nomen speciatim colatur etiam in extremis terræ confinibus.

Ecce quomodo Christi Prophetæ in Christi regni dilatactione paulatim ascendunt. Audiamus nunc ipsum Christum enucleatius rem omnem explanantem Marc. vltimo A postolos alloquens: *Prædicate Euangelium omni creatura.* Et alibi: *Eritis mihi testes in omni Iudæa, Hierusalem, & Samaria, & vsque ad extremum terræ.*

Quæ omnia si attente considerentur, nihil magis à Prophetis prædicatum, nihil æquè à Christo quàm animarum cultura commendatum inueniemus. Imo nouissimum mandatum quod Christus ascensus in cælum Discipulis suis reliquit, illud fuit: *Eritis mihi testes; & illud: Prædicate Euangelium omni creatura;* vt magis commendatam, ac animis eorum impressam animarum conuersionem relinqueret: *Quod si hæretibus sunt tam dulcia, tam grata,* (vt in eodem proposito philosophatur Chrysostr. tom. 9. in primam Canon. Ioannis;) *tem magis ponderis verba Patris itari in sepulchram; hæretibus Christi qualia debent esse verba nouissimæ? De quoque August. serm. 6. lib. 7. hom. 1. Teneatur, inquit, vera promissio in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque ad fines terræ. His dicitur, nubes suscepit cum fratre: pro magno auditori solent verba promissa ascendit in cælum. Existimemus Dominum nostrum assumptum scripsisse. Imo & hanc dicitur tempore mortis Christi, Resurrectionis, & in agnis Aulcanionis solam curam, vel saltem precipuam, esse Augustinus in hac & alijs plurimis locis differunt; ubi curam hanc adducendi animas ad quille Christi, non à esse singularè ad veram Christi Ecclesiam discernendam agnoscere.*

Chrysostr. August.

See

Sed quoniam nemo venit ad fidem nisi per Euangelij prædicationem (clamante Apostolo) *Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicatione? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* & postea concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Christi.* ideo in hoc opere illud potissimum curauimus, Catholicorum excitare animos, ardentefque faces in eorum corda immittere, ut huic Infidelium culturae studeant.

Iure quidem Clementissimus Deus, ac Redemptor noster de Christianorum ignauia, & ingrati animi significatione conqueri poterat, quandoquidem salutem aliorum, pro quibus nobilissimus eius sanguis effusus est, adeo negligant, ut vix unquam de illis à Dæmonis tyrannide liberandis serio cogitent.

Et quamuis hic neglectus in alias etiam Orbis Christiani partes permanarit (nemo enim à lege proximi iuuandi excipi potest) tamen in Ecclesiasticis ac Religiosis præsertim, quos Christi charitas acrius urgere deberet, suam magis deformitatem ostendit.

Turpe quippe videtur, viros amore singulari Deo fœderatos, qui facile norunt, quam ardentem ille pro sua immensa bonitate hominum salutem sitiat, cum ad Infidelium conuersionem seipfos gloriose deuouere, ac plurimos populos Ecclesie conciliare possent, ita torpescere, sic operis arduitatem perhorrescere, ut alios quoque bene animatos à tanta Christi gloria dehorentur.

Adeone vili pretio tot hominum millia, quæ in dies singulos Tartarus exorbet, empta sunt, ut delicati Christi milites nullam tantam iacturam curam gerere, sed in medijs Christianorum urbibus eleganter dicendo, populi auram captare debeant?

Quorsum tot, tantique studiorum labores ad doctrinam molliter tradendam exhausti? Quid vexata Christi Ecclesie conferunt innumerum Concionatores ad appositam dicendum enitentes, cum vel modicus hinc vel nullus interdum prouentus existat? Nonne salubrius, gloriosiusque foret Apostolicos viros emulari, & in eas potissimum gentes doctrinam, laboremque conferre, ut felicior salutis, ac Diuinæ gloriæ prouentus referretur? ut sic per vastissima regna, quibus Dæmon potitur, Christiana Religio propagaretur, & ab interitu sempiterno tot homines vindicarentur.

At res tota iacet, & prodigiosum videtur operis tam Deo accepti, ac necessarij meminisse: animas innumeras Infernus deglutit, & nemo miserorum vicem dolet! Sed ut à iustissima querela ad institutum reuertar; non solum in hoc opere Christianorum animos, & præcipue Religiosorum, ad tuendam Christi causam, animarumque salutem

curandam excitare, sed & armatam in his quæ ad doctrinam pro Infidelium errorum confutatione, quam quæ ad prudentiam pro adiuuandis his, atque ad fidem alliciendis, non absque aliquo labore subministrare conabimur.

Et quamuis pro conuincendis omnium infidelium erroribus, ipsique iuuandis, ut fidei Catholicæ lumine illustrati, veritatis viæ insistant, varia sint ab auctoribus conscripta volumina; tamen quia multi, maxime vero illi qui orbem peragraturi missionum studio incumbunt, nec tanta librorum copia, nec otio abundant, ut ex tam varijs auctoribus, tamque prolixis disputationibus breui tempore ea, quibus pro temporum personarumque oportunitate opus habent, possint decerpere; illud certe desiderari videbatur, ut in unum veluti corpus omnia præsidia & arma quæ ad fidem tuendam propugnandamque faciunt, & argumenta ad infidelium sectas extirpandas, aduersariorumque obiectiones refellendo modus denique secure & inoffenso pede inter illos conuersandi, eaque agendi dexteritate & prudentia ut ad fidem amplectendam suauiter alliciantur, accuratè redigerentur. Ex quo huius culturae studiosi, tanquam ex promptuario, sine magni laboris ac sumptus dispendio, quicquid in hunc finem exposci videtur, depromunt. Ego itaque non meo quidem arbitrio, sed superiorum meorum iussu huic operi manum admoui, ut qui Hæreticorum, Schismaticorum, Iudæorum, Mahometanorum, Ethnicorumque salutem moliuntur, in promptu habeant, quicquid ad opus Euangelicum, tam in his, quæ ad fidei doctrinam, quam quæ ad prudentiam agendi, & casuum moralium resolutionem, qui in hac functione offerri possunt, videtur requiri.

Vt autem præsentis operi maiorem lucem, & auctoritatem afferrem, complures Romæ Bibliothecas, fama celebres, sedulo nullis laboribus parcens euolui, Illustrissimi præsertim Domini Cardinalis Sanctæ Seuerinæ, qui animarum conuersioni à Gregorio XIII. & Clemente VII. Sanctissimis Pontificibus Præfectus, eximio salutis animarum zelo exardescens, plurima pro hac functione congescit. Multos insuper ego de Infidelium ad orthodoxæ fidei cognitionem conuersione scriptos manu codices frequenter lectione percurri; inde optimam huius tam ardui muneris methodum conduxi: erroreque, qui hac ætate nostra grassantur, præcipue Schismaticorum, & similiarum qui Catholicæ Ecclesie limites, vel transilierunt, vel penitus deseruerunt, diligenter notari; & quod maius est, cum schismaticis, & alijs in Ecclesie gremium reuertentibus Romæ vberius & sæpius egi, eo sine ut de vniuersis attentius, enucleatius, certius, & commodius instrue-

er; vt de ijs, quæ ad hoc commune Ecclesiæ Catholicæ bonum animarumque salutem promouendam conducere maxime existimabā, certior fierem.

Nec me ab huius argumenti tractatione deterrere debuit, Antoniū Possuinum virum & doctrina, & pietate insignē in sua Bibliotheca idem fere argumentum illustrasse: nulla enim disciplina est, cuius omnes vel pleræque disputationes non sint ab alijs prioris æui auctoribus discussæ: nec propterea, qui illos secuti sunt, in eisdem illustrandis, suum ingenium exercere, & cum præcedentium studijs suas cogitationes, & labores coniungere, inutile iudicarunt. Nunquid (vt S. Hieronymus in præfatione commentarij Epist. ad Ephesios ait) *Aut Tertullianus Beatum Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium à scribendo deterruit? Stamina & fila* (vt idem ait) *nonnumquam ponunt priores, vt postevi vestem inde conficiant.* Diuus quoque Augustinus q. de Trinit. cap. 3. *Vtile est* (inquit) *plures libros à pluribus diuerso stylo etiam de eisdem quæstionibus fieri, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios quidem sic, ad alios autem sic.* Vix autem iudico aliquem posse conqueri de nobis, neminem enim scienter fraudauimus, sed omnium honorifice mentionem fecimus, à quibus aliquid ad nos boni accessit. Fateor, in minutis auctorum interdum nomina, ne ad fastidium ingererentur, suppressa esse. De omnibus æquus & Christianus lector benigniter iudicet, & si quid boni à pijs auctoribus, à nobis hic legerit, id acceptum nobiscum illi referat, à quo omne bonum descendit, cui omnis gloria & honor in æternum.

ORDO ET MATERIES Librorum.

AD maiorem facilioremque scriptionis cognitionem, opus vniuersum in XII. libros distinximus.

In primo de extrema salutis animarum necessitate differitur, & quàm Deo gratum sit salutis animarum studium, tum ex dignitate, tum ex vtilitate, ac huius functionis iucunditate ostenditur: denique ad amplectendum eam omnes quodammodo Christianos obligari non obscure probatur.

In secundo, qui in tres alias partes similiter diuiditur, ostenditur in prima summo Ecclesiæ Pastori onus vocandi, ac trahēdi Infideles ad fidei agnitionem incumbere. Secunda vero & Tertia parte Religiosis omnibus, quantumuis solitudini, & contemplationi vacent,

præ-

præcipuè verò Mendicantibus, valde esse consentaneum, & expedientissimum conatus Ecclesiæ in hac Infidelium cultura iuuare, ipsosque præ alijs huic functioni esse aptissimos: quæ multis demonstrauimus argumentis, & exemplis tum Monachalium, tum Mendicantiū ordinum, ac potissimum ex fructu, quæ Religiosis omnibus in Ecclesiæ arua emanauit.

Tertius liber media ad propagandam fidem & procurandam animarum conuersionem spectantia, & de eligendis, formandisq; ministris huic Diuinæ functioni destinatis formam, & modum præscribit.

In quarto, qui in duas sectiones subdiuiditur, agit primo de ingressu, & progressu Ministrorū inter Infideles, de forma proponendi Euāgelium, & de rationibus quibus fidei nostræ mysteria confirmari debent. Secundo, de Ministrorum cōuersatione cum vitæ integritate coniuncta, de virtutibus, quibus potissimum splendere debent Apostolorum munere fungentes, ac demum de alijs medijs agendi cum Infidelibus, vt ad fidei Christianæ lumen reducantur.

Quintus liber aliqua dubia, quæ Euāgelij Ministris in terris Infidelium laborantibus obuia esse possunt, breuissimè explorat.

Sextus liber vnionem schismaticorum præcipuè Græcorum, & Ruthenorum cum Ecclesia Catholica procurandam suadet, vbi tria præstantur. Primum enim agitur de Græcis, & Ruthenis, quorum præcipuè recensentur, ac confutantur errores. Deinde ostēditur, quæ ratione, & prudentia cum Græcis agendum sit, vt Ecclesiæ Catholicæ vnionem amplectantur. Demum quibus in rebus liceat cum Græcis communicare, & de alijs dubijs, quæ inter schismaticos agentibus occurrere possent, differitur. Quæ tria, nempe errorum confutatio, & modus agendi vt ad fidem alliciantur, cum casuum resolutione quæ speciatim ad illam sectam pertinent, in alijs libris circa alias sectas obseruamus.

In Septimo de reductione schismaticorum Orientalium ad fidem Catholicam late tractauimus, vbi primo de erroribus ac ritibus principalioribus Orientalium, qui nunc inter illas vigent nationes, nempe Armenorum, Iacobitarum, Cophthorum, Abyssinorum, Maronitarum, Nestorianorum, & Georgianorum: tandem de medijs generalibus, & specialibus adiuuandi Orientales nationes, & cum illis agendi, differitur.

Octauo libro de reductione Hæreticorum ad fidem Catholicam, & præcipue de notis Ecclesiæ Catholicæ, quibus ostēditur Ecclesiā Romanam veram esse Dei Ecclesiam, Christi sanguine comparatam; deinde de modo agendi, & conuersandi inter Hæreticos, ac demum quibus

quibus casibus liceat cum eis communicare, & de alijs, quæ huic proposito conducunt, disputatur.

Nono de induratis Iudæorum cordibus emolliendis, & ad fidei alliciendis plenissime disputatur. Ac primo de Iudæorum erroribus & eorum confutatione, secundo modus illos iuuandi, & cū ipsis conuersandi traditur. Tertio quibus in casibus interdicta sit Christianis cum Iudæis communicatio, & e contrario, qui huic inferuiunt studio, latissime aperitur.

Decimus Saracenorum conuersionis modum & formam ostendit. Primo loco præcipui Mahometicæ sectæ errores, & confictæ fabulæ asseruntur, earumque proponitur confutatio; deinde collatione facta inter Mahometi sectam, & Christi Euangelium, huius præstantia ex multis capitibus ostenditur. Secundo modus agendi, & iuuandi Saracenos, ac præsertim quantum Arabicæ linguæ peritia pro hac re conferat, declaratur. Tertio denique, quibus in rebus cum eis liceat communicare, breuiter demonstratur.

Vndecimus liber ad Gentium siue Paganorum conuersionem Christi Athletas vocat. In quo primum erroribus eorum confutatis, quantum à veritate alieni sint, ipsa natura duce ostenditur. Neque vero prætermisimus tam ex Lactantio Firmiano quam ex alijs conuincendi Paganos efficacissima argumenta; vbi & modum pariter ac formam iuuandi gentes præfiximus, & tandem quamnam permissa essent agentibus inter illos, tradidimus.

Libro Duodecimo, summorum Pontificum amplissima priuilegia recensentur, quibus facilius Religiosi adducantur ad hanc felicissimam animarum culturam suscipiendam.

Coronidis loco generalem Catechismum pro omnibus & singulis cuiuscunque sectæ Catechuminis instituendis adiecimus.

*Omnia sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritati, Doctorumque
censuræ subiecta sunt.*

DE



DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCURANDA.

LIBER PRIMVS.

Pro iuuandis Infidelibus, vbi de necessitate, dignitate, & vtilitate huius præstantissimæ functionis agitur.



PRIORI igitur hac parte, ostensa totius Orbis facie, simul & extrema animarum salutis necessitas detegitur. Deinde quam gratum sit Deo ipsi studiū ac labor pro iuuandis animabus, maximè Infidelium, quantaque honestatis eminentia, & dignitas in eo resplendeant, ostenditur, tum ex ipsius animæ rationalis nobilitate ac præstantia, tum ex doctrina & exemplo Christi, & aliorum Sanctorum, tum etiam

inter alia præcipue ex virtutum omnium influxu in hoc opere, ac denique ex eminentia, & præstantia inter alia opera. Differitur deinde de varijs huius functionis vtilitatibus, & quod ad amplectendā eam omnes Christiani, vnusquisque pro captu suo, teneantur.

CAPVT I.

De Extrema fere totius Orbis animarum salutis necessitate.

EA est calamitas Orbis terrarum hac nostra tempestate, vt nemo sit adeò ferus, qui nõ mitescat, si vicem ætatis huius ad mundi occasum &

A

&

& mortem sempiternam inclinare consideret , vt cū innumeras nationes Infernus absorbeat, rarò, rarisque in locis pietas Christiana ita colatur, vt firma spes salutis aeternae existat. Quapropter pios animos precor, sequentem totius orbis geographico more partitione attente considerare, ac ex ipsius consideratione ad misericordiam commoueri, ac simul ad Infidelium conuersionem procurandam excitari. Nam cum inter vniuersas mortalium calamitates ignoratio Christi primū locum obtineat; his, qui pro carnis oculis Catholicę fidei lumine vtuntur, nullū omnino miserę genus luctuosius videri debet, quàm immensa hominū à Christo aberrantium, ac innumerabiliū paruulorū multitudo, qui Euangelico carentes pane, sempiterna morte damnantur. Hoc autem clarius ex proxima diuisione constabit.

Prima igitur Orbis terrarum calamitas, seu extrema animarum salutis necessitas præ foribus penè in tota Europa adest. Nam cū hæc mundi pars fuerit Christiani cultus feracissima, mirū quantā in sterilitate deuenerit. Græcia quippe omnis, cū Insulis, Regionibusque quamplurimis, quæ ritū Græco gaudent; deinde Septentrio ferè totus, eiusque latera in Orientē, & Occidentem patentia, paucis vrbibus exceptis, hæreseos ignibus flagrant. Sunt in hac orbis parte multa Regna, quæ hæreticis Principibus parent, vt Angliæ, Hybernix, Scotiæ, Saxonix, Suetiæ, Daciæ, Dinamarca, & alia, in quibus, vna excepta Anglia, vix vlli verbi Dei inueniantur Ministri. Alia vero sunt hæresibus infecta, quæ Principibus Catholicis obediunt, vt Poloniæ, Germaniæ, Hungariæ, Galliæ, vbi Sætarij cū Catholicis promiscuè versantur: & ob id merito timendum, ne hæresis, quod sincerū est inficiat, & cum veræ fidei detrimento ex prauo Catholicorū, maximè Sacerdotum, ac Ministrorum exemplo, vires acquirat, & hæretici in sua perfidia magis in dies firmentur. In Europa igitur sola Pontificum Sede insignis Italia, ac Hispania diuino munere, ab hæresum, vel schismatum contagio seruatur. Quare cum tot nefarię, ac pestilentes hæreses ab Orco in terrarū Orbem reuocatę, per plurimas totius Europe florentissimas Prouincias, ac Regna grassentur, verè nunc oraculū illud Ioannis impleri cernimus: Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cello cecidisse in terram, & data est ei clavis abyssi, & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aer, de fumo putei. Et de fumo putei exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas sicut habent Scorpiones &c. Hæc enim rectè in hæresibus Luthero inuente in orbem effusis, fortiri effectum docta, & eleganti oratione R. P. Bellarminus iam pridè probauit, & res ipsa loquitur. Etenim Satanicā nouorum hominum in hæresibus recentibus excogitandis, veteribus reuocandis, vtriusque diffeminandis, fucandis, ac propugnandis solertiam, astutiā, audaciā, ac rabiem si intueamur, cælū ab ijs miseri terræ, omnia

sacris

sacris ardere bellis, ac prælijs cruentissimis decertari deprehēdemus: Quæ magnā vidēter habere vim ad viros, qui aliquo Religionis, ac pristinae pietatis tāgūtut sensu, excitandū, vt cōatu simili pro domo Dei in acie cōtra hostes fidei stare, & consilijs, verbis, scriptis pugnare operæpretiū ducāt.

Iā quoque Aphrica, quæ olim Catholica fide claruit, hodie extrema premitur necessitate, nā à freto Herculeo vsque ad Aethiopes Mahumetanis, vel Ethnicis erroribus, aut Schismaticorū proteruie deseruit: cōplectitur enim inter alia Barbariā, Numidiā, Lybiā, Nigritarum Regionem, magnā Imperij Turcici partem versus Aegyptum, & Mauritaniam: Continet etiam Aphrica Aethiopiam interiorem, maximè Presbyteri Ioannis latissimum imperium, quod inter vtrunque Tropicū à mari rubro ad Aethiopicum ferè Oceanum pertingit: & hi quamuis Christiani censeantur, inculti tamen sunt, & nimis rudes, ac erroribus Alexandrini Patriarchæ, cui parent, infecti, in tenebris iacent.

Asia verò, triū Orbis partiū facile maximæ, maior est quàm aliarū indigentia: nam cū hæc latissimè pateat, cōplectaturque quatuor amplissima Imperia, videlicet Turcicū, Persicū, Tartaricum, & Chinicum, ferè omnia miserrima cæcitate Mahumetana, vel Ethnica laborāt. Quod si vel in interiori Continente, vt in Armenia, vel in maritimis locis, quæ hoc sæculo Lusitani Reges in India Orientali obtinuerunt, aliquot Vrbes fidem Christianam colunt, id certè cum vastissimis Regnis Asiaticis comparatū, adeo exiguū est, vt dolorē parū lenire possit, præterquā quod ea loca remotissima tenuiter in Christiano cultu proficiunt, aut fortasse nonnulla deficiūt.

Denique America, quam Orbis quartam partē Geographi constitunt, in extrema calamitate versatur. Nam & quod ad fidem Christianam pertinet, parū culta est: & in Europeis hominibus Indi avaritiæ potius quàm Christiani zeli exempla conspiciunt: suntque præterea tam in Occidentalibus, quam Orientalibus Indijs quamplurimę Prouinciæ, quibus Euāgelium nondum delatum est. Sunt autem hæc regiones vltra fretum Magalanicū in maxima terræ spacia excurrētes, vltra Peruanā Regionē vsque ad fretū Magalanicū ad vtraque ripas maximi fluuij Maragon mille circiter leucarū longitudinis. Campestria quæ adiacent nouo Regno Granateni mille circiter leucarū, estque ibidem Regio illa amplissimis Indorū ciuitatibus celebris Lagnana dicta. Maximus item terrę tractus, quam Floridam vocant, nouus Mexicus. Præterea trecentæ insulæ, quas Lucaias appellant, quarum aliqua Italiæ magnitudine superant, duodecim autem tantū Regi Hispaniarū parēt. Vndecim etiam Insularū Philippinarū millia; ex quibus aliqua tota Hispania maiores sūt, quarū vix triginta Imperio Regis Hispaniarū sunt subiectæ, quarū omnium incolæ facillimo negotio fidei lumine illustrarentur, si proborū pastorū nō tā sua, quā quæ Iesu

Christi sunt, animarumque salutem quaerentium instructionibus, atque integrae vitae exemplis sedulo informarentur.

In Occidentali vero India, quae iam diu Ministrorum cultura gaudet, calamitas haec magis est conspicua: in hac enim cum indifferenter omnes Baptismi lauacro abluti sint, plurimi tamen Idola colunt: idque non tam proprio, quam aliquorum Parochorum vitio, quorum praua cupiditate, ac moribus dissolutis, praefati incolae scandalizati Christianam fidem blasphemant.

Ac denique nostra, & parentum nostrorum aetate, tam magna Orbis pars reperta est, ut merito distare vltimum iudicium videatur, usque dum tot gentibus salutis via aperiatur, ostendatque se Deus fidelem in omnibus verbis suis, dicens. *Matth. 24.* Et praedicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Illud perspicuum est hoc saeculo, ab anno propemodum quingentesimo supra millesimum, plus terrarum, atque hominum esse detectum, in quibus Euangelii lux maxima ex parte desideratur, quam totis mille superioribus annis. Multa praeterea sunt regiones, eaque amplissima, in quibus non est fides Christiana audita, neque proposita, ubi innumerae animae omni etiam salutis spe destituta, in sempiternum pereunt. Profecto tot, & tantae Regionis non sunt frustra repertae, sed Diuina agi prouidentia credendum est, ut primum innotuerint, mox adeantur, & tandem salutis nuntium accipiant.

Hac igitur inspecta breui Orbis terrarum descriptione, quae saxa ipsa emollire deberet, quis adeo durus existat, qui mundum pereuntem suis oculis intueatur, illique non succurrat, cum possit auxilium ferre? Hanc mortalium salutis vniuersalem, ac incredibilem necessitatem, magna ex parte, non tam in tabulis depictam, quam factis ipsis expressam, cum cognouisset vir ille Apostolicus Franciscus Xaverus, in haec verba ad suos in Europa comorantes scripsit. *Mibi vero persape venit in mentem, circum Europae Academiis, ac praecipue Parisiensi, cursare, ac insani ritu passim vociferari, eosque qui doctrinae plus habent quam charitatis, his compellere verbis: Heu quam ingens animarum numerus vestro vitio exclusus caelo deturbatur ad inferos.* Nec mirum, virum piissimum ita tot animarum pereuntem zelo angi, ac stimulari; cum & salus paucorum hominum adeo pretiosa sit Christo, ut si oporteret iterum pro eis pati, id libentissimè faceret: quemadmodum Carpo significauit reuelatione quadam, quam Sanctus Dionysius Areopagita veram existimauit. Cum ergo viri pii, & religiosi, tot millibus opem ferre possint, quomodo in utramque aurem dormientes torpescere possunt in salute proximorum procuranda? Profecto non videntur sententiae Iesu Christi Saluatoris nostri subscribere, qui proximos ab interitu sempiterno,

no, cum possint, & ex fraterna charitate teneantur, non vindicant. Ferant igitur opem quicumque Dei amantes, & hominum salutis studiosi apud benignum Redemptorem haberi volunt, & quibus possunt modis, sacrificiis, lachrymis, tum consilio, opera, sudoribus, & sanguine ipso, si opus sit, charissimam Christo Iesu tot gentium salutem prosequantur. Ferant etiam apud Dominum messis, quem in terris Christus, suum Vicarium pro messe colligenda constituit, illumque deprecantur, ut mittat operarios in messem, sic enim proposita vniuersi Orbis necessitate olim D. Bernard. lib. 2. de Cons. cap. 6. Eugenium Pontif. urgebat, ut messi congregandae sedulo studeret: *Exi inquit in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: Ager est enim mundus, isque creditus tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre, & procurare, vnde exacturus es rationem. Exi dixerim quibusdam tuae passibus intentae sollicitudinis, & sollicitae intentionis. Neque enim ipsi, qui iussi sunt ire in Orbem vniuersum, Orbem circuierunt praesentia corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuae, & vide Regiones, si non sunt magis siccae ad ignem, quam albae ad messem. Nonne si exis, & cernis ista, pudebit otiosam iacere securum?* haec Bernar.

Bern. ad Eugen.

CAPVT II.

De excellentia, & dignitate huius functionis, prouidenda infidelibus.

DE necessitate quidem extrema Euangelicae praedicationis in vniuerso ferè Orbe, vel certè in maiori eius parte, dictum est à nobis toto superiori capite, nunc dignitatem, praestantiam, amplitudinem huius altissimae functionis, iuuandis animabus destinatae, opus est ut attingamus. Omnis quidem virtus cultores suos euehit tam altè, ut reliqui homines eos cum admiratione suspicere, & velut inuiti amare, & colere cogantur, sed hoc multo magis efficiunt praestantes, excellentesque virtutes, & quae sint inter ceteras maximè difficiles, & arduae: ex quo genere cum sine vlla controuersia sit feruens in proximos charitas (maximè verò in Infideles, qui quantò à nobis remotiores, tantò necesse est ut charitatis flamma sit maior) non est dubitandum, quin praeseferat dignitatem, ac splendorem maximum.

Hanc igitur zeli animarum praestantiam, Dei aspirante gratia, ex quatuor capitibus breuiter conuincemus. Primò, ex dignitate ipsius hominis: sicut enim in artibus earum dignitatem ex nobilitate materiae, quam Phi-

Iosophi obiectum appellant, conijcimus, in hac functione, quam artem artium merito Sancti Patres appellarunt, ex materia præstantia, hoc est à nobilitate, & excellentia, à Deo animabus nostris collata, eius nobilitatem, ac splendore expendemus. Secundò, ex imitatione Christi, & Sanctorum. Deinde ex influxu virtutum omnium, qui in altissima hac functione reperitur. Quartò ex præstantia huius studij supra alia virtutes.

CAPVT III.

De dignitate, ac præstantia animæ rationalis

EX omnibus creaturis corporalibus, quæ à Deo conditæ sunt, nullum esse homine dignius opus, aut quod maioribus laudibus, etiã ab Ethnicis celebretur. Sic Cic. primo de Legib. dignitatem hominis considerans; hunc dixit, *animal, prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, præclaraque conditione generatum à supremo Deo, cum quo ait, primam homini rationis esse societatem.* Alij verò appellarunt creaturarum internuntium, superis familiarem, Regem inferiorum, indaginem rationis, lumen intelligentiæ, interpretem naturæ, animal sanctum, liberum, stabile, fluxui æui interstitium, mundi copulam & Hymenæum, ab Angelis paulò diminutum; cui status ab opifice Deo rectus concessus sit, ut mēs eò spectet, ac ratio, quò vultus ipse collineat: cætero quin positum in mundi medio, vt cōmodius omnia circūspiciens, omnium item rerū disquirat causas; animusque virtutibus excultus, atque in Deum rectè tendens, gloria, & honore in perpetuas æternitates coronetur.

At altius Seneca, licet fidei lumine orbatus, sed tamen ex latenti lumine coactus, hominis nobilitatē ex Diuino consortio, his pænè verbis Lucillum alloquens, *Epist. 14. commendauit. Apud te est Deus, tecum est, in te, manet in vnoquoque nostrum sacer quidam spiritus, qui bona opera nostra obseruat, qui nobiscum agit, qua nos cum eo ratione agimus: nec sanè quisquam sine illo potest esse bonus.* Et alibi: *Admiratus es (ait) homines ire ad Deos: admirari potius debes Deum venire ad homines, quodque vicinus est, vt in eis maneat, nec enim sine ipso aliquid est boni.*

Quæ etsi magnam omnino esse hominis dignitatem, ac gloriam declarant, alia tamen sunt argumenta, quæ si rectè perpendantur, tantam esse hominis nobilitatem, ac eminentiam agnoscemus, vt nihil sit eo præstantius. Primum sit, animam à Deo ipso fuisse homini inspiratam; non enim cum materia quasi commixta est, & ex illius gremioeducta, sed extrinsecus adueniens corpori iufusa legitur. Cæteris quidem animantibus præcepit Deus, vt

vt ab aquis producerentur. Producant genus (inquit) aquæ reptile animæ viuientis, & volatile super terram &c. Item. Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Simile quid de homine, aut eius anima minime protulit, sed & quod primum hominem per se efformauerit, & quod eius animam independentem à corpore, & absque villo respectu eius causalitatis creauerit, creatamque; veluti hospitem in idem corpus exceperit, aperte significatur. Et consonat illud Aristotelis 2. li. de generatione animalum cap. 3. hinc, vt videtur, de promouit, mentem videlicet extrinsecus aduenire, diuinamque, & separabile esse.

Arist. Lib. 2. de anim. c. 3.

Secundum nobilitatis animæ rationalis argumentum est, quod quasi ex pectore diuino, intimisque precordiis afflata dicitur Gen. 2. Non quidem quod sit pars aliqua diuinæ essentia (circa quod aliqui turpiter errarunt) ab antiquis Patribus grauissimè reprehensi, sed quod, & genere essendi immortalis, & vi potentiarum, atque operationum spiritualium, intimè, ac reconditè diuinam naturam participet. Vnde diuus Ambrosius de bono mortis citans hunc locum, iure hominem exhortatur, vt cum illo puro, ac perpetuo, & immortalis bono maneat, ipsi adhereat, & cum ipso sit, de quo cognationem ducit; illudque iam olim à D. Paulo *act. 17. inculcatum repetit;* Cuius & genus sumus. Et D. Bernardus *Serm. 2. de Natiuitate Domini. Spiritus sane, inquit, non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce, o homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ &c.*

Act. 17

Bern. serm. 2. de Natiuitate Domini.

Tertium est. Quod anima rationalis verè spiritus sit, ab omni concrezione materiæ immunis, quamuis eam informet, ita vt vnus homo ex spiritu & materia simul constans, omnia corpora, omnes animas rationales, omnesque spiritus completos, Angelicos videlicet, veluti clausula omnium operum Diuinæ creationis in se contineat; idcirco & spiraculum dicitur anima rationalis, & à Deo inspirata, vt aliqui ex Patribus adnotarunt.

Quartum autem, & maximum inter cætera nobilitatis huius animæ nostræ illud est argumentum, illam fuisse ad Dei imaginem, & similitudinem conditam, ex qua imagine homini à Deo impressa, facile est videre, quantum honoris, ac dignitatis in ipsum proueniat, ideo enim Deus homini imaginem suam impressit, vt illum ad suam authoritatis, maiestatis, ac Diuinitatis, non solum similitudinè, sed & participationem promoueret; quo igitur dignitas hominis altius ascendere poterit? Sed nunc singula expédamus. Primum fecit Deus hominem ad imaginem suam, vt eum ad summam dignitatem, excellentiamque eueheret, & sic non solum res omnes corporales eum reuererentur, vt qui tam expressam, & illustrem Dei, omnium Conditoris, & Dominatoris imaginem in se gereret. Sic Deus dixit Noè, *Gen. 9. Terror vestrum, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volu-*

8 DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC.

volueres cælis &c. Et ne cæli, atque astra inferuire homini, aut etiam Angeli ministrare ei dedignarentur. Denique ne Dæmones hominem lædere auderent, neque propter hominis rebellionem aduersus Deum omnes creaturæ in ipsum insurgerent, sua hominem imagine Deus insignire, & munire voluit.

Non solum igitur ob hanc causam, sed etiam ut ipse non esset sui iuris, & possessionis, sed potius ut clare agnosceretur hominem esse quid Dei proprium, & peculiare, ob signauit eum sigillo suæ imaginis, tam altè, ac tenaciter impressæ, ut salua hominis natura, signaculum illud auferri nullo modo posset. Homo igitur gestat imaginem Dei, ut filius sui Patris, cui debet amorem, ac pietatem, ut mancipium Domini sui, quem timere, ac reuereri debet; ut miles sui Ducis, & Imperatoris, cui fidè, & obediètiã præstare oportet. Denique ut minister, & dispensator bonorum hæri, & Domini sui, cui rectum vsum creaturarum, quæ dispensationi eius commissæ sunt, exhibere debet.

Deinde quemadmodum, quia nullum animalium simile inueniebatur Adè, cum quo societatem, & amicitiam, ac familiaritatem habere posset; creauit Deus Eua[m] tanquam eius sociam; ita creatis rebus omnibus corporeis, cum nulla esset Dei similis, & cum qua Deus familiaritatem, & societatem inire posset, fecit hominem sibi similem, ut esset quem Deus amaret, & à quo vicissim amaretur amore amicitie. Et de alijs quidem rebus cum eas Deus à se factas cerneret, approbasse eas dicitur. *Vidit Deus* (inquit Scriptura) *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: De homine autè multò aliter locutus est Deus per Salomonem *Prouerb. 8.* dicens. *Delicia meæ esse cum filijs hominum.*

Tertia causa, quare homo factus est ad imaginem Dei, illa est, ut posset esse homo eternitatis, infinitatis, & diuinitatis quodammodo capax, nullumquè esset tantum bonum, ut non id auderet homo petere à Deo, & impetraturum se à Deo speraret. Quemadmodum igitur vas rotunda figura præditum non potest omni ex parte repleti, nisi à corpore similiter rotundo; ita nec animus hominis ad imaginem Dei factus, nisi à solo Deo, cuius similis est, repleti, & satiari potest.

Ac denique quemadmodum Rex condita a se Ciuitate, in medio eius, loco celebri, imaginem suam collocat ex materia quapiam eximia, & pretiosa confectam, ut manifestum sit omnibus eam intuentibus, quis fuerit eius Ciuitatis conditor: ita Deus, fabricato a se mundo, effigiem suam posuit in medio eius, id est in homine, qui est mediũ quoddã inter res a Deo conditas, ut ex eius aspectu dignitate, in aperto, & manifesto sit omnibus, qualis fuerit huius mundi fabricator, & opifex.

Hæc igitur admirans D. Bernardus de interiori domo, *cap. 67.* Animã ipsam

ipsam his verbis alloquitur. *Intellige dignitatem tuam nobilis creatura, quoniam non solum insignita es Dei imagine, verum etiam decorata similitudine.* Et infra. *Quid maius his tibi facere potuit, quam ut ad similitudinem suam cõderet factor tuus. Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & veneranda Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce.* In quo verò præcipuè hæc hominis ad Deũ imago consistat, luculenter, *cap. 67.* ut supra declarat idem Bern. *Considera, inquit, nobilitatem tuam, quod sicut Deus ubique est totus, omnia viuificans, omnia mouens, & gubernans: & sicut Deus est, viuit, & sapit; ita tu secundum modum tuum, es, viuis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sic tu habes tres vires, scilicet, intellectum, memoriam, & voluntatem,* Hæc Bernard.

Ex quibus illud constitutum, nihil homini excellentius, aut gloriosius contingere posse, quàm hanc Dei imaginem præ se ferre, quæ illum ita euehit, ut omnibus etiam rebus creatis, tanquam paruulis, quidam Deus dominetur.

Hanc igitur hominibus quasi infinitam à Deo collatam dignitatem, et si nos minus intelligere possumus; sufficeret Christi Domini, ac Saluatoris nostri iudicium, qui eam tanti æstimauit. Ut enim homo rusticus in gemmis dignoscendis, videns artificem peritum gemmam aliquam non tam magno pretio emere, quam pro ea comparanda se ipsum etiam vendere, imò vitam profundere paratum esse, meritò iudicat gemmam tanti esse quanti ab illo fit. Sic nos omni quidem re, sed in hac præcipue dijudicanda, nulla alia ratione magis quam illius exemplò moueri debemus, quem scimus esse Sapientiam ipsam: is vero quanto opere animarum salutem æstimauerit, sitiuerit, ac complexus fuerit, res ipsa loquitur: cū quicquid Christus egerit, quicquid dixerit, quicquid molitus est per triginta trium annorum spatium, omnia in hunc finem destinauerit. quæ omnia breuiter, ac veluti in fasciculum colligit D. Bernard. in serm. de quadruplici debito. *Bern. in serm. Primum quidem (ait) illarum infantilium necessitatum: deinde laborum, quos perdidit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in ieiunando: vigiliarum in orando; lachrymarum in compatiendo: insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, conuitorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostrigenis triginta, & tribus annis, operatus & passus est in medio terræ. O quam indebita miseratio: quam gratuita, & sic probata dilectio: quam inopinata dignatio: sic Bernard.*

Vide igitur merito inquit Chrysoft. tom. 3. in oratione de Beato Phylongonio, quam multa propter hunc gregem passus sit Christus, homo factus est, serui 2. in orat de formam assumpsit, consputus est, alapis casus est, postremo ne mortem quidem recusauit, & quidem ignominiosissimam. Quin & ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat omnium illius, publicam quarat vtilitatem

tatem, fratrum suorum saluti prospiciat. Nullum enim officium hoc Deo charius est. Idem, videlicet Chrysof. tom. 1. homil. 3. in Gen. Etenim ipse, cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, & omnia alia humana sustinuit, & crucem quoque suscepit, nisi ut nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Et hoc quoque Paulus clamat dicēs. Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictus. Si igitur ipse, qui Deus est ineffabilis essentia, ob misericordiam ineffabilem, hac omnia propter nos, & salutem nostram suscepit, cur non & nos erga fratres iusti sumus, agnoscentesque eos ut membra nostra, & eripientes ex Diaboli faucibus, in viam veritatis inducimus? ita Chrysof.

2. Corinth. 6. Sed & apertius Paulus 2. Corinth. 6. dignitatem, de qua tractamus, commendauit his verbis: *Empti enim istis pretio magno.* Hoc autem pretium magnum est ipse Christus, totus (vt ait S. Bernardus) *serm. 3. Circuncis. Nobis datus, totus in nostros vsus expensus.* Verè enim nullus vnquam homo ad seruendum traditus, ita illi propius fuit ac verbum illud æternum, pro vniuersis hominib. tributus, concessus, & donatus fuit: Vnde Paul. *ad Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis.* Quare hoc emptionis genus, quo suam Christus dedit animam, & talem animam, suumque corpus, ac insuper Diuinam personam, satis declarant, quanto estimauerit pretio salutem animarum, & quanti fecerit hanc suæ diuinitatis preclaram effigiem.

Siquidem imaginem, quam Deus fecit per creationem, Christus Dominus polit, & ornat, imò & reficit per redemptionem, ac denique absoluit, & consumat per glorificationem. Magna est propterea dignitas animarum, cum tantopere à Deo estimantur, & honorentur.

Bern. Ser. 1. de aduentu. Quæ meritò considerans D. Bernard. *Serm. 1. Aduentus, clamat. Miræ quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsitæ, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tanquam à se ipso, sed quod tanti eum fecerit ipse, à quo creatus est.* Omnes enim diuitia, omnis gloria mundi, & quicquid in eo conspicitur, minus est hac gloria, imò neque est aliquid in comparatione eius. Hæc Bernardus.

Idem cap. 3. Meditat. Idem etiam, nec minus doctè prædictas animæ dignitates complectēs, cap. 3. Meditat. exclamans inquit. *O Anima Dei insignita imagine, decorata similitudine, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne?* Et infra *Totus quidem iste mundus ad vnius animæ pretium estimari non potest: non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit, quam pro anima humana dedit.* Sublimius ergo est animæ pretium, quæ nisi sanguine Christi redimi potuit. Nonne Dei filius cum esset in sinu Patris, à Regalibus sedibus pro ea descendit: ut eam à potestate Diaboli liberaret? Fleuit ipsam, nec solū fleuit, sed etiam morti se obtulit, ut pretiosi sanguinis sui pretio eam redimeret. Aspice mortalis, pro te datur hostia talis. Agnosce homo, quam nobilis est anima tua, & quam græua fuerint eius vulnera &c.

Egregiè etiam Chrysof. in cap. 1. Epist. ad Corinth. *Nihil est enim quod animæ possit æquiparari, nec vniuersus quidem mundus.* Hanc igitur animæ nobilitatem, siue splendorem, sanguine Christi expiatæ, cum semel Catherinæ Senensi datum diuinitus esset animo intuegi, ita exarsit zelo animarum, vt dixerit, *tanta est animarum dignitas, & pulchritudo, vt ad eas lucrandas nullus par labor esse possit,* idque gloriosissimis factis à se in hunc finem gestis, maximisque laboribus, periculisque susceptis ita esse vt dicebat, opere ipso ostendit.

Quare non mirum si Deus ita arctè hominibus proximorum salutis curam commendet, ac in Ecclesia eius sponsa, non ob aliam causam certissimo constat Hyerarchiam vniuersam, vt sunt Sacerdotia, bona, dignitates, neque ad alium finem, quam ad animas Deo, vitæque æternæ lucrandas esse institutam. Neque verò in oculis Domini omnium bonorum temporalium, ac Regnorum euerfionem tanti esse, quanti vnius animæ amissio fit, quæ in deserto errare sinatur; nec omni conatu, omniumque bonorum ac vitæ ipsius dispendio ad ouile reuocetur.

Quod si vnius animæ pretio vniuersus Orbis comparari nequit, ac ex alia parte in tot animarum millia, vt ex typo Orbis terrarum à nobis in præcedenti cap. ostenso constat, oculos conuertamus, quæ luce Evangelica destituta in æternū pereunt (ita vt & meritò Christus cum clamor valido lamentatus sit, quando seminis parabolam prædicauit, in qua ex quatuor diuini seminis partibus tres in Dæmonū prædam cedere vidit.) Quid ergo superest viris Religiosis, nisi vt lachrymas, Christi que conatus imitentur, ac non solum impensissimè Dominum mersis exorent, vt mittat diuinitus operarios in messem suam, sed etiam vt relicta vna oue, quæ Ecclesiæ angustum regnum repræsentat, nonaginta alias in deserto infidelitatis aberrantes sedulo quærant.

CAPVT IV.

Exemplo, & doctrina Christi & elum animarum maximè commendari.

Hactenus eam dignitatem huius ministerij commendauimus, quæ ex animæ nobilitate, & præstantia, tanquam ex nobilissima, prætiosissimaque materia profecta est: nunc verò illa dignitas declaranda est, quæ huic functioni accrescit, tum ex Christi exemplo, eiusque similitudine, tum etiam ex eius doctrina. In qua re duo breuiter erunt attingenda; primum, quanto studio Christus proximorum curam, maximè verò Infidelium verbo commendauerit. Deinde quantum nos suo exemplo ad

fui imitationem instruxerit.

Ioan. 14
Greg. homil.
27. in Euang.
gelia.

Audiamus igitur ipsius veritatis testimonium, ac breuem, diuinam tamē, & dignam ipso Deo sententiam. *Hoc est* (inquit, Io. 15.) *præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*: Quæ verba exponens Greg. Papa homil. 27 in Euangelia. *Cum cuncta sacra eloquia, inquit, plena sint Dominicis præceptis, quid est quod de sola dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: nisi quia omne mandatū de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt? quia quicquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non maneat in radice charitatis. Præcepta ergo Dominica, & multa sunt & vnum: multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis. Sic Gregor.*

Chrysof. tom
in Canonic.
Ioan. tom 9.

Multa his similia commemorari possent, tum ex Sacra Scriptura, tum ex Patribus, sed nō opus est ea, quæ notissima sunt repetere: solum Chrysof. egregium adijciam testimonium: *Nouissima* (inquit in primam Canonicam, Ioan. Tom. 9.) *Verba Christi ituri in cælum sunt ista (nempe hoc est præceptum meum &c.) Considerate languentem in lecto hominem, in domo sua iacentem, & maceratum aegritudine, proximum morti, anhelantem iam animam inter dentes quodammodo habentem, qui fortè sollicitus de aliqua re chara sibi, quam multum diligit, veniat sibi in mentem, & vocet heredes suos, & dicat: Rogo vos facite hoc, teneat quodammodo violenter animam, ne antea exeat quam verba illa formentur, cum illa verba nouissima dicta fuerit efflat animam, tollitur cadaver in sepulchrum, heredes ipsius quomodo meminerunt nouissima verba morientis? quomodo, si quis existat qui dicat eis, nolite facere, quid ergo illi dicant? ergo non facio quod mihi Pater efflans animam nouissimè mandauit? quod vltimum sonuit in aures meas proficiente hinc patre meo? quæuis alia verba aliter possum habere, nouissima verba me plus tenent, non eum vidi amplius, nō audiui loquentem. Fratres cogitate visceribus Christianis, si heredibus sunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis verba patris ituri in sepulchrum: heredibus Christi qualia debent esse verba nouissima?*

Quare nihil est, quo Christus vberius laudare possit Christianam charitatem, quam insinuando se hoc tantum præcipere: Et re etè sanè, quia in charitate non vna aut altera virtus, sed omnium virtutum copia, tanquam in fecundissima radice continentur.

Ioan. 16.

At non solum Christus Dominus hoc generali præcepto contentus est (ne forte Christiani, qui ad omne ignauia genus propensius inclinamur, dilectionem hanc intra Ecclesiæ tantum terminos exhibendam existimaremus) sed & infidelium curam maximè Ecclesiæ commendauit. *Alias* (inquit) *Ioan. 16. oues habeo quas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.*

Imò hanc fuisse tempore mortis Christi, Resurrectionis, ac in cælos Ascensionis curam, hancque solum, vel saltem præcipuam suæ Ecclesiæ qua-

à cæte

à cæteris profanis, & vanis conuenticulis Hæreticorum discerneretur, notam esse voluit, vt disertè Augustinus plurimis in locis disseruit. Illud verò inter omnia illustrius est testimonium, quod reddidit sermone 6. lib. 17. Homil. Vbi curam adducendi animas ad ouile Christi præcipuam, ad veram Christi Ecclesiam discernendam notam esse agnouit. Explicans enim illa verba, Act. 2. *Eritis mihi testes in Hierusalem &c. apostoli* (inquit) *querunt tempus iudicij, & Dominus respondet locū & Ecclesiæ. Non respondit quod quaerunt, sed non iudicij, sed dolores. Eritis, inquit, mihi testes in Hierusalem. Parum est, non pro hoc tantum pretium dedisti vt hoc solum emereres in Hierusalem. Dic adhuc & vsque in fines terræ. Venisti ad fines. Quare cōtentiones non finis? Nemo mihi dicat iā: Ecce hic est, nō, sed, Ecce hic est. Sileat humana præsumptio, audiatur Diuina prædicatio. Teneatur vera promissio in Hierusalē & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque ad fines terræ. His dictis nubes suscepit eū: tā nō opus erat vt aliquid adleretur, ne aliunde cogitaretur. Fratres pro magno audiri solent verba nouissima ascendenti in cælum. Existimemus Dominum nostrum Testamentum scripsisse, & in testamento suo nouissima verba posuisse, præuidit enim malorum filiorum futura litigia, præuidit homines partes sibi facere conantes de possessione aliena. (Et infra, postquam commendauit charitatē Dei, & proximi, demonstrans veræ Ecclesiæ signa, addit.) *Videte ergo fratres, quid maximè diligatis, quid fortiter teneatis. Glorificatus Dominus resurgendo commendat Ecclesiam, Spiritum sanctum mittens de cælis commendat Ecclesiam. Resurgens enim quid dicit Discipulis suis? Hæc dicebam vobis cum essem apud vos, quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & Phropetis, & Psalmis de me; Et tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Vbi est Ecclesiæ commendatio? Et prædicare in nomine eius penitentiam, & remissionem peccatorum? & hoc vbi? per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem, hac resurrectione glorificatus. Quid ascensione glorificandus? quod audistis: eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in fines terræ. Quid ipso aduentu Spiritus sancti? Venit Spiritus sanctus, quos primum impleuit linguis omnium gentium loquebantur. Vnusquisque homo loquens omnibus linguis, quid aliud significauit, quam vnitatem in omnibus linguis? hoc tenentes, in hoc firmati, in hoc reborati, in hoc inconcussa charitate desixi. Laudemus pueri Dominum, & dicamus halleluia. Sed in vna parte? & vnde & quousque? A solis Ortū, vsque ad Occasum laudabile nomen Domini. Hæc August.**

Deinde, si ad Christi Domini Saluatoris nostri exemplum, ad cuius formam, & exemplar omnes Christianorum actiones, omnia studia, & exercitationes sunt dirigendæ, maxime elucet in omni eius vita, operatione, & doctrina hic animarum zelus, quo eius viscera transfigendæ prædixerūt Prophete. Quanta verò fuerint in Christo domino charitatis indicia, quanta erga proximorum salutem curandam sollicitudo, nemo est qui dignè possit explicare: zelo animarū ita exarsit, vt coarctaretur, vt ipse ait, do-

B 3 nec

nec Baptismo sanguinis pro earum salute ablutus, seipsum Patri hostiam viuentem immolaret, passionem, & mortem probrosissimam obiuit sponte, libensque & gaudens sustinuit, quod optauit ardentem, vt opprobria exprobratum Deo in ipsum reciderent omnia, fieretque vnus pro omnium gloria opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quam vero constanter in amore ingratisima, & pessima gentis perseuerauerit, quam ardentem nec amatus, & capitalissimo odio habitus, ab inimicis, ciuibus, & populis suis, inimicos ipse dilexerit, quam facilis ad ignoscendum fuerit iuismet hostibus, & interfectoibus immanissimis, efferatissimis in ipso feruore tanti sceleris mortis suae, locupletissimè testatur vel vna eius oratio illa, Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt. Et nos breuiter praecedenti cap. nonnulla attigimus.

Quare cum summa dignitas Christiani sit se quam simillimum Christo efficere, illumque imitari, merito Patres Christianos omnes ad hanc animarum functionem proposito Christi exemplo, veluti earum actionum mensura perfectissima, vrgent vt iam non sibi suisque commodis, & utilitatibus, sed proximorum saluti viuant. D. Ioa. Chrysof. tom. 4. homil.

Chrysof. in 25. in cap. 19. epist. 1. ad Corinth. in illa verba. Imitatores mei estote, sicut & epist. ad Cor. ego Christi. Hæc perfectæ & charitatis regula est, hic certissimus terminus, hoc supremum cap. 19. hom. 25 omnium cacumen, quæ re, quæ communem omnium comprehendant utilitatem, quod ipse significans addidit, sicut ego Christi. Nihil enim potest nos ad eum imitatores Christi facere vt proximorum cura.

Idem homil. 24 in Matt. bonum sit cum salute nostra & alios lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem. Qui educit prætiosum à vili quasi os meum erit. Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili humano me imitatur.

Denique D. August. proposito Christi exemplo ad charitatis vincula fidelium excitat animos; explicans enim locum Ioan. *Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum, ait. Accipere calicem salutarem, & inuocare nomen Domini, hoc est satiari charitate, & ita satiari vt non solum non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre. Hanc charitatem docuit Christus in cruce moriens. Hanc didicit Paulus dicens: Ego libentissimè impendar pro animabus vestris: Hanc imitatus est Stephanus, orans pro lapidantibus ipsum: propter eos volebat Paulus viuere pro quibus paratus erat mori. Et Petro dixit Christus post resurrectionem: Petre amas me? Pasce oues meas: quasi dicat, hæc est perfecta mei dilectio, vt pro fratribus facias, quod ego pro te feci. Qui non diligit fratrem suum, non est ex Deo. Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios diaboli. Hæc Augustinus.*

Cumque nihil homini excellentius, aut gloriosius contingere possit, quam ad hanc Christi imitationem, & similitudinè pertingere, ac omnes præ

præterea Christianos imitatores Christi esse oporteat, idque eos & professio, & nomen ipsum monet; multò vero exactius strictiorique vinculo ad hoc astricti tenentur Religiosi, quorum instituta ita ex Christi vita desumpta sunt vt pictores solent cum vultum ex vultu exprimunt. Quare si horum paupertas ideo perfecta, quia eius paupertatem imitantur qui non habuit vbi caput reclinaret, & castitas illius castitatem, qui fuit cador lucis æternæ, & obedientia quoque, quia ab illo deprompta est qui factus est obediens vsque ad mortem; non dubium horum charitatem tantò fore perfectiorem, quantò plus ad illius exemplar accesserit, qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos venit in mundum vt peccatores saluos faceret.

CAPVT V.

Exempla Sanctorum, qui ardenti animarum zelo flagrarunt.

Tanta est insignium sanctitate virorum multitudo. qui hoc ardentissimo animarum zelo ad imitatione sui capitis exarserunt, vt & sola eorum autoritas satis esse possit ad permouendos Religiosorum, aliorumque Christianorum pios animos ad eam ardentem indefessè sequentendam.

Illud certè præ aliis huius studii in procuranda fidelium, siue infidelium salute perfectionem maximè commendat, quod hoc studiù, siue functionis genus, Apostolica vita à Sanctis Patribus appelleretur, & re vera fit, ac perinde ea summum perfectionis fastigiù attingat necesse est. Neque enim dubitari potest quin Apostoli, qui in Euangelica perfectione principem locum obtinuerunt, vt potè qui primitias Spiritus sancti acceperunt, vt prædicat Paulus ad Rom. 8. quod à Christo Domino fuerint electi in eum finè, ac in totius Orbis regiones pro fide propaganda missi. Omnes igitur huic animarum zelo mancipati Apostolos Duces habent, eorumque professioni nomina dederunt. Rom. 6.

Aliorum etiam Sanctorum tam veteris, quam noui Testamenti proferamus exempla. Nam & amor zelusque animarum frequens, ac ardens fuit in viris sanctis vtriusque Testamenti. D. Chrysof. tom. 4. homil. 25. in cap. 10. Epist. prima ad Corinth. vberimè tractat hoc argumentum. *Antiquis (inquit) magnis & generosis illis viris, hæc maxima cura erat, vt summa cum diligentia aliorum vitam disquirerent, & manifestè cognosces nullum eorum vnquam ad propriam respexisse utilitatem, sed proximi vnumquemque. Quamobrem maiorem in modum claruerunt. Etenim Moyses multa & magna operatus est miracula, sed ni-* Chrysof. 1 ad Corinth. cap. 10. homil. 25. tom. 4.

hil tam magnum eum fecit, ut beata illa vox, quam ad Deum habuit, cum inquit. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo. Huiusmodi erat & Dauid; idcirco dicebat: Ego Pastor peccavi, & ego male feci, & hi qui Ovis sunt quid fecerunt? fiat manus tua super me, & super domum patris mei. Eodem modo Abraham non suam, sed mulierum quasi utilitatem, ideo se periculis exposebat, & Deum pro his, qui nihil ipsi conferebant, deprecabatur. Illi quidem tantopere claruerunt: qui autem sibi tantum consulunt, considera quantum acceperint detrimentum. Fratris igitur filius, cum audiuit si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, optione accepta suam quasi utilitatem, quam non modo non inuenit, sed ipsa quoque regio est incensa, qua autem Abraham obtigit, incolumis servata est. Ad haec Ionas non alius, sed sibi ipsi prospiciens, penes periclitatus est & Civitas conservata, ipse vero agitatus, iactatus, & obrutus est fluctibus, sed cum multitudini salutis inuigilavit, suam inuenit. Ita & Iacob in ouibus proprium non quarens lucrum plurimas lucratus est, Ioseph autem fratrum studens utilitati suam est consequutus. Qui missus a Patre non dixit. Quid? non audisti quod pro visionibus & somniis discernere me aggrediebantur, & somniorum, & amoris erga me tui poenas dabam? quid non contra me molientur cum in eorum eropoteestate? Nihil huiusmodi causatus est, nec cogitavit quidem, sed rebus omnibus fratrum salutem praeposuit: idcirco omnia postmodum bona adeptus est, quae eum clarissimum, gloriosissimumque reddiderunt.

Præterea Moyses, nihil enim prohibet iterum eius meminisse & contemplari, quomodo res suas contempsit, & alienas persecutus est. Moyses inquam in Regia domo educatus, cum Christi opprobrium maiores Aegyptiis thesauris diuitias arbitraretur, omnibus abiectis cum Hebraeis malorum particeps esse non recusavit. Quamobrem ipse non solum non servavit, sed & ipsas a servitute liberavit. Magna quidem haec, & Angelo digna vita. Verum Paulus maxime in hoc excelluit. Alij namque omnes suis omisis bonis proximorum malis communicare non recusarunt, Paulus autem longe maiora aggressus est. Non enim simpliciter voluit aliorum calamitatibus participare, sed maximas ipse subiit, ut ceteri bene haberent.

Diuus Hieronymus Epistola. 12. quae est ad Gaudentium, Tom. 1. de hoc ardenti zelo ita scriptum. Legimus Aaron Pontificem, isse obuiam furentibus flammis, & accenso thuribulo, Dei iram cohibuisse: Stetit inter mortem, & vitam Sacerdos magnus, nec ultra vestigia eius procedere ignis ausus est. Moyse loquitur Deus: Dimitte me, & delebo populum istum. Quis nunc in terra est, qui obuiare flammis velit, & cum Apostolo Roman. 9. dicere: Optabam ego anathema esse pro fratribus meis? Pereunt cum Pastoribus greges, quia sicut populum, sic Sacerdos. Moyses compassionis loquebatur affectu: Si dimittis populo huic, dimitte, sin autem, dele me de libro vitae: Vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est, gloria quippe Regis multitudo populi.

Idem sic habet Epistola quadragesima sexta ad Rusticum, tomo primo. Quod ignotus ad ignotum audeo scribere, sanctae ancillae Christi Hedibia fecit deprecatio, quia nequaquam propria salute contenta, tuam & ante quasi in patria, & nunc

in Sanctis locis querit, imitari cupiens Andrea, & Philippi Apostolorum benevolentiam, quorum vterque inuentus a Christo fratrem Simeonem, & amicum Nathanael inuenire desiderat. Optauerat, & quondam Lothcum filiabus saluare coniugem suam, & de incendio Sodomae penes semiuultus erumpens educere, eam, quae pristinis vitis tenebatur astricta, & ardens fides pro vna muliere perdita, totam Segor liberat civitatem. Et Ioseph fratres passit in Aegypto: sponsusque audit a sponsa, ubi pascis, ubi cubas in meridie. Samuel quondam plangebat Saulem, quia peccati vulnera non curabat. Et Paulus lugebat Corinthios, qui fornicationis maculas lachrymis delere nolebant: Unde & Ezechiel 2. librum deuorat scriptumintus, & foris carmine, & planctu, & v. 2. carmine super laude iustorum, planctu super poenitentibus, v. 4. super his, de quibus scriptum est Prouerb. 16. Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit, in quibus omnibus in Andrea, & Philippo, in Loth, Ioseph, & Samuele, & Ezechiele contemplatur Hieronymus dilectionem Sanctorum erga proximos suos quos imitata est Hedibia deprecans Hieronymum, vi Rusticum conetur educere a peccato suo.

Gregorius Papa exponens locum Iob, qui habetur in cap. 30. ipsius lib. 20. Moral. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt, ait. Haec sunt verba sancti viri Iob, omniumque perfectorum, & in virtute fortium, qui dum infirmi ad iniquitatem prosiliunt, illi zeli sui igne cruciantur.

D. Augustinus libro 2. contra Gaudentium Donatist. Torquet Diabolus homines iustos sceleribus impiorum hominum. Hanc persecutionem Loth iustus patiebatur in Sodomis, cum Angeli hospites eius, cum homines putarentur, a Sodomitis appetrentur ad stuprum, etiam antequam domum iusti ingrederentur, quod sine magno cordis cruciatu videre non poterat, unde inter suas persecutiones inter hanc commemorat Apostolus, cum dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Unde quanto maior in nobis est charitas, tanto maiori cum dolore animi nos videmus separari homines a membris Christi. Unde quanto vos Donatistae haeretici in hoc vestro errore vitam finitis, multo amarior nos dolemus, dici non potest, quanto nos merore cruciatis, plus quippe impius Absalon Patrem suum Dauid extinctus, quam rebellis afflixit; vinum namque eum comprehendere cupiebat, ut qui malitia grassabatur, poenitentia sanaretur. Erat ergo ille persecutor Patri, non solum contra legitimam patri Regnum arma capiendo, atque bellando, sed multo amplius persecutus est cor parentum in illa impietate moriendo, unde si Catholicorum domus Donatistae non diripiissent, si Catholicorum membra non praecidissent, si denique Catholicos crudeliter non occidissent, hanc solam nos a vobis grauissimam persecutionem perpeti verissime dicemus, quia videmus vos offensatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & vrimur: quia perditos, & lugemus: haec mala vestra, quae vos in aeternum interitum mittunt, amari nos persequitur; quae illa quae a vobis nostris corporibus inferuntur, denique in illa persecutione, quae in nos sauitis, cum laude gaudemus; in hac autem, quae vos perit, si gauisi fuerimus, vobiscum perimus. Haec Augustinus. Et Diuus Bernardus in sermone 7. quadragesimae, cui titulus est de peregrini.

Hieron. epist.
12. ad Gaud.
tom. 1.

Exod. 32.

Rom 9.

Exod. 32.

Cant. 2.

Ezech. 2.

Prouerb. 16.

Gregorius
Iob 30.

Aug. contra
Gauden.

2. Corint. 11

Bern. in ser.
7. quadrag.

regrino mortuo, & crucifixo, inter varias expositiones, quas adhibet illi loco Pauli ad Gal. 6. *Mibi absit gloriari &c. per quem mihi mundus crucifixus est &c.* Hæc est vna, vt mundus crucifixus dicatur Apostolo, & ipse mundo, quia crucifixum mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compansionis affectum. Crucifixus Paulo mundus est reputatione, ipse vero mundo crucifixus est cōpansione: itaque tāta propiciens flagitia, & mala in mundo, illis tam dire cruciatur, & torquetur, ac si cruci, & patibulo affixus esset, in quo amor ingens Pauli ad proximos indicatur. Idem etiam Bernardus inter alias expositiones, quas sermone 28. adhibet illi loco Canticorum: Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol: hæc est vna, vt nigredinem se contraxisse sponsa fateatur, propter animarum zelum, videns eas legem Dei præuaricari, ob earum amorem sit à Sole decolorata, exemplo illius, qui dicebat *Psal. 68.* Zelus domus tuæ comedit me, & illud: Tabescere me fecit zelus meus. Et item *Psal. 118.* Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Vel, decolorari à Sole est ignoscere charitate fraternam, flere cum flentibus, cum infirmantibus infirmari, vri ad scandala singulorum. Sic Bernardus.

Psal. 68.
Psal. 118.

Chryf. homi.
16. in epist.
ad Rom.

Ac denique Sanctus Chrysoft. qui pluribus locis, cum de S. Pauli charitate aduersus proximos loquitur, ita efferuescit spiritu, adeò alta admiratione tantæ charitatis suspenditur, & arripitur animo, vt vix apud se sit, vix seipsum capiat, præfertim cum illud explicat: *Optabam anathema esse a Christo* (hoc est, inquit, carcere æterna remuneracione, & Christi præfenti conspectu) *pro fratribus meis, qui sunt Israëlitiæ*, sic exponit homilia 16. in Commentarijs Epistolæ ad Romanos, & alibi: Optabat, inquit, in gehennam mitti, & iudicium subire perpetuum pro eorum salute, à quibus fuerat sæpè lapidatus, qui eum interficere contenderant, vt hi tantarum ei authores afflictionum per fidem corpori Christi iungerentur. Quis ita dilexit Christum? Si tamen hac dilectione, & amore maius est aliquid nuncupandum. Sed & verba ipsius Chrysoctomi audiamus, Homil. enim 16. in Epist. ad Romanos, cap. 9. Tomo 4. in illa verba, *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Quid aut, d. Paule? à Christo, illo inquam Christo, qui a te desideratur? à quo te nec cælorum regnum, nec gehenna separabat, neque ea, quæ cogitari possunt? nec alia totidem: ab hoc nunc precaris anathema esse? quid accidit? num desiderium illud excusasti, ac deposuisti? haud quaquam (inquit) sed pro fratribus meis, nec id utcumque volo, sed opto, multumque desidero, vt fratres mei salui fiant, optarim anathema esse: ergo ipse, ipse ego, qui omnium magister sum effectus, qui meritum infinitum cœgri, qui coronas infinitas expecto, qui sic illum amo, vt meus erga illum amor mihi sit rebus omnibus antiquior, qui quotidie propter illum vrro, unum enim per omnia considerabat, nempe quomodo pulchrum hunc amorem expleret.

Idem

Idem explicans caput primum ipsius, sermone quarto in Epist. ad Philip. 1. vbi multa de dilectione proximorum docet Apostolus, qualia sunt: *Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi, coartor autem, edubius desiderium habens dissolui, & esse cū Christo; multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos, & hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.* quæ verba exponens Chrysoft. ait. Quid dicis Paule? cum hinc abiens in ipsum cælum migraturus sis, atque cū Christo futurus? ignoras quid eligere debeas? & non solum istud, sed quod huius est vita, eligis, nempe vt in carne maneat: quamobrem? non acerbam vitam ducas in vigilijs, in naufragijs, in fame, ac siti, ac nuditate, in curis, & sollicitudinibus? Cum infirmis eras: in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditioibus, in ieiunijs, quinque quadragenas plagas vna minus accepisti, ter virgis es casus, semel lapidatus (2. Corinth. 6.) noctem, ac diem in profundo maris egisti, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in falsis fratribus, & adhuc infelicem hanc vitam desideras? si namque nihil tibi horum obtigisset, sed quicquid agebas, cum voluptate etiam, & libere patraesses, nunquid oportebat incertitudinem futuri euentus metuentem ad portum quendam confugere? quis mercator nauem habens multis rerum copijs plenam, cum liceat ad portum iam appellare, tutoque quiescere, adhuc tamē in mari nauigare mallet? quis athleta cupiet amplius certare, cum iam liceat coronari? quis pugilum eliget denuo certamen ingressus de suo ipsius capite periclitari, cum iam si vellet, coronam possit accipere? quis est ille miles, qui cum liceat iam cum celebritate, & trophæis à bello liberari, cumque Rege requiescere in ipsis regijs palatijs, sustineat adhuc in bello & sudare, & in aciem collocari? quomodo ergo cupis & in hac vita consistere, qui dicebas, 1. Corinth. 2. timeo ne dum alijs predicauero, ipse reprobus efficiar? et si ob nullam aliam causam, ob hanc certè liberationem desiderare oportebat. Papa? quis est hic Apostoli animus? nihil par illi vnquam, vel fuit, vel erit: futura metiris, innumeris malis obnoxius es, & apud Christum esse non vis? nō (inquit) quia quos lucrifeci, seruos expeditiones opto constituere & solidiores, & vt agricolacionem illam, quam plantaui frugiferam reddam, à Christo volo exulare; non audisti me, non quod mihi est vrile, sed quæ sunt proximorum querentem? qui anathema esse volui à Christo pro fratribus, quomodo non multo amplius istud eligam, cum mihi ipsi libenter ex mora, ac dilatione dānum inferam, quo aliqua possit illis obtingere salus. Ac denique Homil. 3. de Laudibus Pauli tom. 3. idem Pater varias charitatis formas, ac veluti personas in Apostolo recenset dicens: Nemo ita dilexit inimicos, nemo erga insidiosos suos tam beneficus fuit, nullus pro afflictioribus suis tanta perpeffus est, vt enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesim comprehensum, cuius quanto magis conuictus, ictibusque pulsatur, tāto eum potius miseratur, & deslet. Ita Paulus maiora addebat fomenta pietatis erga eos à quibus affligebatur: vnde pro eis qui eum quinque verberauerunt, qui eum catenis onerauerunt, qui ipsius sitiebant cruorem, testi-

Chrysoft. ser.
4. in epist. ad
Philip. 1.

Chrysofto.
Laudib. Pauli
homil. 3.
tom. 3.

Roman 10. moniam (inquit Roman. 10.) illis perhibeo, quoniam emulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. In quantum poterat, laborabat umbram eis excusationis aliquam obtendere, & quia sermone illis fidem persuadere non poterat ad orationes se conuertebat assiduas, tres (ait ibid.) voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem, quæ utique omnia sunt verba amantis, & valdè eorum utilitatibus providentis. & item: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis & iterum, quoniam Corinthum fornicarium ab Ecclesiæ corpore separabat (ait 2. Corinth. 2.) ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas non ut contristemini, sed ut sciatis, quoniam charitatem habeo abundantius in vos (1. Corinth. 9. Corinth. 9.) factus sum Iudeis tanquàm Iudeus; his qui sine lege erant, factus sum quasi sine lege essem: factus sum infirmis infirmis, quasi vniuersum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in Regnum Dei festinabat inducere docendo, orando, minando, pollicendo, per sermonem, & per discipulos, per se ipsum conabatur erigere laborantes, stantes vero firmare, torpentes animare, humi iacentes attollere &c. Pro vno seruulo Onesimo ad Philemonem integram scribit Epistolam omni affectu plenam, milles se ipsum tradidit in mortem, & ait. Ego autem libentissime impendam, & superimpendam ego ipse pro animabus vestris. (sic 2. Corinth. 2.) Cumque celsus in omni consisteret arte virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Vt enim missum in ignem ferrum totum ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset Pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, ac superabat, & pecunias, & verba & corpus, & animam pro his, quos diligebat, impendens. Sic Chrysostr.

Bernardus Diuus autem Bernardus in sermone Sancti Martini, Domine (inquit) adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem (2. ad Timoth. 4.) Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti, reposita est tibi corona iustitiæ, & adhuc dicis, propter bonum proximi non recuso laborem, fiat voluntas tua. Obtulisti planè Isaac, vnicum illum, quem diligis, quod in te est, iugulasti, immolasti. Singulare gaudium tuum, pia deuotione paratus iterum redire in pericula, innouare certamina, denuo laborem subire, prolongare tentationem propter proximum & à Christo peregrinari diutius ab illa tanta, & tam optata felicitate. Angeli in ministerium mittuntur propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, sed tamen semper curantes bonum proximorum diuinæ assistant præsentia. Hanc paratus est Martinus propter fratres dilatare. Magnum est Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti; sed audio te in monte dicentem: Bonum est nos hic esse, non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem (Psal. 107.) Paratum cor tuum, ò Martine, paratum cor tuum, siue dissolui, & esse cum Christo; siue manere in corpore, mille subditus laboribus, si id amor proximi efflagitat.

Ac demum de s. Ioan. Chrysostr. tanti Magistri nempe S. Pauli Discipulo, aliquid etiam proferamus, vt intelligamus quantus fuerit illius in proximos charitatis ardor; Sic enim de semetipso scribit: Vellem si fieri posset,

set, vestris oculis ostendere, quam in vos habeo charitatem: Nihil enim est mihi vobis inuicidius & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem lux: Milles enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas conuertere, adeo ipsa luce est mihi salus vestra iucundior. Quid enim me iuuant solares radij, quando, quæ propter vos accipitur, animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc est bona, quando apparet in læticia: (& paulo post) Implere gaudium meum liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem, vobis dari salutem, me vero accusari, quod meum munus non impleverim: Non enim curo, vt pro me salui sitis, sed vt salui sitis quacunque ratione.

Et de Sancto Francisco Sanctus Bonauentura in vita Sancti Francisci cap. 5. sic scripsit: Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit: saluti animarum nihil præferendum esse ducebat, eo magis probans, quod vni-genitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere. Bonauentura in vita s. Francisci

Ac denique Beatus Pater Ignatius, (authore Patre Ribdeneyra, libro quinto, cap. secundo de eius vita,) aiebat, se, si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse nudis pedibus, cornibusque onustum per plateas incedere, nullumque recusare habitum, aut ridiculum, ac probrosum vestimenti genus, quod esse vtile hominibus posset, quod re ipsa comprobauit, si quando sese occasio obtulit: Etenim contemptus huius, ac despectiæ rerum omnium, præ animarum lucro, est origo Dei amor, & proximi.

Plenæ etiam sunt sacræ literæ, & historiæ Ecclesiasticæ Apostolicis exemplis innumerabilium hominum, qui & vitam salutis aliorum causa libentissimè profuderunt, & ipsas etiam grauissimæ ignominie notas subierunt, eandem ob causam, vt sine culpa, sic laudabiliter, vt propterea necesse non sit longum facere in ijs recensendis.

CAPVT VI.

In studium in fideles iuuandi omnes fere, ac in heroico gradu influunt Virtutes.

Alterum caput, ex quo huius functionis pro iuuandis Infidelibus perfectio ducitur, est magnitudo, & præstantia earum actionum, quæ hoc studium comitantur, quæ non modo naturæ vires superant, sed etiam tanto interuallo anteuertunt, vt sine vberrima gratiæ copia sustineri, neque adiri possint: quare nihil est, quo vberius laudari possit, quam ex hoc, quod non vna, aut altera virtus, sed omnium planè virtutum agmen,

ac omnes ferè in gradu heroioco, & perfectissimo in eum confluant; Et vt ab ipso limine incipiam, hoc est ab ipsis virtutibus, quæ in primo quasi diuinæ vocationis ad animarum conuersionem conceptu, cum ipsa vocatione in animo a Deo ingenerantur, mirum est quantam in hoc etiam quasi vestibulo, desiderium ipsum Deo cooperandi in hac animarum functione operum segetem, & per se meliorum, & præterea difficiliorum, ac plurimorum offerat sic a Deo vocatis.

Primum enim vocatio ipsa, & multo magis studium animarum executioni mandatum, Apostolicam mentem, animumque efformat intrepidum, omnibusque imbuit virtutibus. Atque vt ab his incipiam, quæ Theologica vocantur, apertum est, Missionum studium constare non posse non solum sine fide, sed sine magna, & excellenti fide: nam quisquis hoc facit, vt propter verbaliorum Domini, ea quæ habet, quæ videt, & quæ diligit, profuturis, nempe patriâ, fratrum carnaliû, consanguineorum, parentum, amicorum, diuitiarum, cæterarumque commoditatum omnium emolumenta commutet, ac ingrediatur vias duras, sine dubio ad maximum, & altissimum fidei gradû peruenit. Magna est deinde fidei firmitas, admiranda, quæ hominem non solum intrepidum, sed alacrem reddit ad quælibet tormenta quamuis immanissima, cruciatus etiam acerbissimos, ad omne denique ignominiosæ mortis genus pro eiusdem fidei confessione obeunda. Ac denique heroicæ, atque Apostolicæ fidei gradus est, pro eadem fide inter gentes propaganda, barbaras, efferasque gentes, vel cum aperto capitis discrimine adire, atque contemptis Oceani fluctibus, piratarum latrocinij, & incommodis alijs ferè infinitæ nauigationis vsque ad vltimas mundi oras pro eiusdem fidei dilatatione penetrare, ac demum pro eadem fide sincera, integraque conseruâda, quam Christum, & Apostoli tradiderunt, eaque facta tecta ab omni periculo, & labe hæreticorum tuenda, quoduis vitæ discrimen subire.

Idem quoque de Spe, siue in Deum fiducia dicere licet; nam cum huius virtutis proprius sit actio, certissima expectatio vitæ æternæ; ideo autem certissima est hæc expectatio, quia fide nititur, & promissioni eius, qui nõ mentitur Dei. Hanc igitur, missionum studium, tam certo repræsentat, & Christi Athletæ ob oculos ponit, ac si manu teneret: quia vt de fide diximus, ob hanc spem contemnunt homines omnia huius vitæ commoda, ac se immensis obijciunt difficultatibus, atque periculis. Ad hoc idem etiam Spei caput referuntur auxilia Dei, quæ nobis calamitate oppressis minimè defutura speramus. At cum inter Infideles omnibus humanis præsidij Evangelici viri destituntur, ac sæpè varijs tribulationibus circumueniuntur, opus est, vt in Deo spem omnem collocent, ac cum Propheta clamēt: Quo

nam

nam tu es Domine spes mea: Nam tribulatio, vt testatur Apostolus, patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem: nam & calamitates, afflictiones, fortunasque aduersas infligit Deus, vt animum terrenis, humanisque subsidijs destitutû, spe viuâ in Deum fulti, ad Diuina auxilia procuranda conuertamus.

Ad hanc etiam virtutem spectat actio illa, quæ tantopere in operarijs huius Euangelicæ functionis reluctet, nempe fiducia in Deum; hac enim armati aduersus barbarorum, infestissimorumque hominum rabiem, ac inter maxima pericula interpidi iucidunt: ac demum hac in Deum fiducia per tot maris, terreque discrimina, per tot gentes, linguis, moribusque dissonas, ad vltimas vniuersi Orbis transeunt Regiones.

Et hæc oratio est tribulationum comes, & diuinæ spei soboles, eam huic functioni coniunctam esse oportet.

Sequitur deinde Charitas, quæ virtus inter omnes prima est, & non tam spectat ad hanc functionem, quàm est ipsissima functio: Quis enim ignorat ipsam intrinsecè ei inesse, & dici charitatem in proximum, quæ sine Dei Charitate consistere nequit. Sed cum & charitatis duplex sit munus, alterum in Deum, in proximos alterum; in Deum quidem, quia cum solus Dei amor animam impellat in arctissimam semitam laboribus, periculis, ac immensis penè incommodis refertam, illû oportet esse maximû. Deinde cum inter omnia charitatis opera maximum, ac præstantissimum sit martyrium, quia malum istud, quod in eo tolleratur, omnium acerbissimum, nempe ipsa mors, & bonum quod relinquitur, quod est ipsa vita, omnium suauissimum, ac negotiatio illa cælestis occasionem martyrio offerat, desideriumque illud sufferèdi animo inferat, & sæpè potius martyrium voluntati, quam voluntas martyrio deficiat; (quamuis ex sententiâ Theologorum ad martyrij rationem mors ipsa necessaria sit) hæc tamen perfectio Tyranno deficiente non deficit: nam & incommoditates corporis, animique cruciatus assidui, non vnum tantum martyrium, sed plura in hac functione inueniuntur; neque in solo martyrij desiderio charitatis resplendet amplitudo, sed & quotidiana huius functionis exercitia omnia nihil aliud spectant, nisi vt hunc Dei amorem assiduis incrementis prouehant.

Ab hoc fonte charitatis erga Deum in proximos amor emanat, quo salutem proximorum non solum precibus, & desiderijs promouent, qui iuuantis Infidelibus vacant, sed omnia huius functionis studia in hunc finem diriguntur vt opera ipsa declarant, quæ non tantum ad propriam, sed & ad aliorum vtilitatem referuntur. Ob hanc enim proximi dilectionem ad remotissimas, & ferocissimas nationes belluinis moribus præditas penetrare non dubitant, tot, tantasque difficultates vincunt, vt charitatis gra-

dium

dum supremum attigisse non dubitem: ex quo satis apparet huic functioni, non tam annexam esse charitatem, quam eam esse ipsissimum, ac perfectissimum charitatis actum.

Ex charitate vero Dei etiam ardens orationis studium promanat; est enim, amantis eum, quem amat, aspectu, colloquio, & consuetudine velle semper frui si posset; oratio autem conuersatio est cum Deo. Qua propter sancti viri, quo magis Dei, & proximi amatores, eo studiosiores orationis extiterunt, exemplo Apostolorum, qui in vocatione gentium laborantes, alia alijs omnia demandantes duo tantum sibi sumpserunt, vt orationi, & ministerio verbi instantes essent. His enim duabus functionibus oratione ad Deum, & prædicatione ad homines Apostolica cura definita est: Quare vniuersa Apostolicæ curæ, negotijque gerendi caput Oratio feruens, adfidaque esse debet: quia cum animarum conuersio gratiæ res ita sit, quæ impetrari precibus potest, præueniri meritis non potest, oportet vt nihil magis coniunctum sit cum ministerio animarum, quam orationis studium: ita vt qui velit in hac vinea fructuosè operari, illud nõ intermittendum sibi suadeat, in quo lachrymis, fletibus, ieiunijs, vigilijs crebris, atque omni carnis maceratione Deum sibi propitium reddat, atque ab ipso toto mentis affectu, plenaque fiducia postulet, tum vt ipsum in medio tot periculorum protegat, tum vt Euangelium crescat, atque multiplicetur.

Neque timendum est Sancti Euangelij operarijs per vniuersum Orbè peregrinantibus, qui sæpè in vita actiua, laboriosisque negotijs versantur, ideo orationis studium impediri, quia cum negotia, quæ ab illis geruntur spiritualia sint, & ob Dei & proximi amorè suscepta, non ideo in his occupati à Deo seiunguntur, quin potius ei magis adherent, quoniam & illi Deo, & Deus illis in huiusmodi functione cooperatur. Quinimò huiusmodi peregrinis Deus per Isaiam dulcedinem contemplationis promittit dicens cap. 56. *Filios aduenæ, qui adherent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, & sint ei in seruos; adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in monte orationis meæ, holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo &c.* Qui sunt isti aduenæ, qui colunt nomen Domini, &c. nisi qui pro eius gloria, & sui nominis exaltatione, tanquam peregrini, non habentes hic Ciuitatem permanentem per totum orbem excurrunt?

Cætæræ verò morales virtutes non minus resplendent in salute proximi procuranda: nam si de Iustitia differam, cum huius officium sit vnicuique quod suū est tribuere, ac in primis reddere, quæ Dei sunt, Deo, & quæ proximi, proximo; in hoc vno ferè tota hæc animarum functio perficitur.

Iam verò, quod attinet ad Prudentiam, diuina ea quidem est, qua animi eorum, qui iuuantis infidelibus vacant, mouentur: Nam cum prudentia

sit cognitio rerum appetendarum, & fugiendarum, demonstrans nobis quid agendum, quid vero vitandum sit, vt recta via, & consilio ad finem perueniamus; ea, quæ docet mundana despiciere, honores & diuitias contemnere, Deum & proximum tantum quærere, Diuina & non humana prudentia censeretur debet.

Temperantia vero, ac omnium virtutum, quæ illam vt partes ornant, propria sedes est hæc Apostolica functio, in qua & victus tenuis ferè semper est, isque aut præcario quæsitus, aut eleemosynæ nomine vltro oblatus, nec ciborum delectum quærens, sed quæ apponitur, Christo auctore, cum gratiarum actione accipiens. Lectuli deinde molliem non requirit, nam & quicumque locus ad cubandum aptus videtur, ac sæpè nuda humus cubile præbet. Omitto nunc ceteras corporis asperitates spontaneè assumptas: his verò quantum fruentur, ac moderentur libidinis impetus, ac delectationes aliæ, experientia docet, ac perinde quanta occasio sit, vt Castitas etiam in hoc ministerio resplendeat, aperte colligitur.

Humilitas vero, quæ annexa est Temperantiæ, & quæ potissima inter morales virtutes reputatur, luculentissimè etiam in hac functione resplendet: aliud quippe nihil est hoc animarum lucrandarum officium, quàm abdicatio, & contemptus omnium huius mundi vanitatum, in quo quis omnium se seruum constituit, ac humillimis ministerijs exponit, quod prorsus alienum est ab omni famæ, ac nominis celebritate.

Tandem superest Fortitudo, quæ potissimum locum vendicat in hac functione: nam præter eam vim, qua caro ab Apostolicis viris vincitur, proprijs voluntatibus resistitur, & delectatio vitæ præsentis contènitur, aduersa superantur, quæ fortis, & inuicti animi actiones sunt. Aliæ etiam actiones præstantissimæ reputantur, vt sunt aperta vitæ discrimina ad singula penè momenta subire, & sæpè apud homines (ob belluinos ipsorum mores) vix homines dicendos, versari. His igitur, & alijs innumeris periculis, & incommodis, quæ passim obuia sunt, non terreri, sed potius incredibili animi magnitudine obiecta contemnere, & superare, ingentis fortitudinis est argumentum. Vt nunc omittā patientiæ occasiones, quas frequentissimè epus conuersionum Euangelicis Ministris suppeditat, in quibus ingens est meriti, ac præmiorum semen.

Huius verò Patientiæ, cæterarumque virtutum agmen in Beato Apostolo Paulo, qui Apostolicæ vitæ appositisimū fuit exemplar, eleganter descripsit S. Ioan. Chrysost. Homil. 2. de laudibus Pauli: Corinthijs inquit scribens: *Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis. Itaque cum inter medias inimicorū versaretur insidias, quans tamen de omni eorum impugnatione referebat victorias: & vbique casus verberibus, affectus iniurijs, atque maledictis, quasi triumphales pompas ageret, crebra trophæa strueret, orabat, gratiasque referebat Deo, dicens:*

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos. Itaque ad confusiones, & iniurias, quas ob predicandū Christum se sustinebat, magis quam ad honorum oblectamenta preparabat, mortem potius, quam vitam appetens, paupertatem quam opulentiam, & multo amplius laborem desiderans, quam alij requiem post laborem ac marorem magis eligens quam alij voluptatem, studiosius pro inimicis orans, quam alij aduersus inimicos. (Et postea) Non dico quia nihil presentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates, hæc enim ille quasi arenam vilia reputabat: sed ea ipsa penè, quæ promittuntur in cælis & tunc eius ardentem amorem in Christum videbis: hic siquidem præ illius dulcedine non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, neque quicquam horum simile concupiuit. Quod enim erat maius, omnibus Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorum se cunctis putabat, sine hoc autem, neque dominationem, neque principatum socius esse cupiebat, sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos, & honore sublimes: hoc enim erat illi maximum, & singulare tormentum, ab hac charitate discedere, hæc illi erat gehenna, hæc sola pœna, hæc intoleranda supplicia: sicut etiam perfrui charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc presentia, hoc futurum, hoc Regnum, hoc promissio hoc bona videbantur innumera; præter hoc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim, quæ habentur, nihil asperum, nihil etiam suauè reputabat; sic despiciebat vniuersa, quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem vero & cruciatum, & mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum, dum modo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim, tunc amplectebatur libenter, & decorabatur vinculis catenis magis, quam diademate coronatus; etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentius verbera excipiebat, & vulnera, quam alij braua diripiunt, & dolores non minus, quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum. Hæc Sanctus Chrysofostomus.

Quales igitur, quantæque virtutes, & quam hæroicæ, ac diuinissimæ in hac D. Pauli pro animabus legatione resplendent? quibus sine dubio & præditi fuere alij Apostoli Christi, & qui eos postea imitati sunt, iranzumeri viri Apostolici.

Quare cum studium animarum, maximè Infidelium, tot tantisque abundant virtutibus, quid aliud esse dicemus, quam auream coronam ex omni gemmarum, & margaritarum genere compositam; sic enim cuiusmissionum desiderium à Deo inspiratur, eodem ferme tempore hæc eadem corona tot bonis, totque operibus virtutum pretiosissimis ornata capiti imponitur: nam cum ad Dei prouidentiam spectet, eius, cuius excitat mentem, actiones iuuare, mediæque proportionata ad optatum finem consequendum conferre, cum Deus aliquem ad hanc Apostolicam culturam vocat, opus est, vt omnes virtutes, quæ ad perfectè exequentiam

Nam hæc functionem sunt necessaria, imperciatur.

CAPVT VII.

De præstantia huius functionis inter cætera virtutum opera.

Quantum deinde excellant opera charitatis proximis exhibita, alijs quantumuis magnis, inter alios Patres (egregie vt solet) passim docet Chrysofostomus. Tom. 1. homil. 3. in Genes. Nam vt anima (inquit) corpore Chry. tom. 1. ho. 3. in Gen melior est, ita his qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, maioribus præmijs digni sunt hi, qui admonendo, & continue docendo, in viam rectam supinos, & defides inducunt, monstrando eis virtutum diuinarum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam. Hæc omnia cum scimus, præ omnibus alijs huius vitæ curis, de salute animarum loquamur proximi, eandem illis sollicitudinem ingerentes. Magna enim bonitatis est animam, cui hæc continuo intonantur, posse reduci ex abyssu malorum, in quorum medio versamur, & compeisci seditionem, quæ perpetuo animam nostram infestat.

Idem tom. 4. homil. 25. in cap. 10. Epist. 1. ad Corinth. Licet ieiunando, Idem tom. 4. ho. 2. in ep. 1. ad Cor. humi dormiendo corpus maceraueris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe ab huiusmodi abfueris imitatione. Propterea inquit Paulus: Per omnia omnibus placebo. Sive præter legem aliquid, sive laboriosum, sive periculosum facere oporteat, omnia in proximorum utilitatem persequor. Cum igitur omnium diligentia superexis sim, humilitate omnium abiectissimus effectus sum. Etenim nullum valde magnum potest esse officium, quando nullum in proximos lucrum conferatur, quod ostendit, qui totum reddidit talentum, & supplicio affectus est, quoniam id non auxit. Tu igitur mi frater quamuis fame conficiaris, quamuis humi iaceas, quamuis cinerem comedas, quamuis super lachrymis madeas, & nihil cuiquam proficias, nihil magnum facis.

Quantum etiam alijs præstent opera Charitatis in proximos, idem eleganter docuit, Tomo 5. oratione 5. contra Iudeos. Quid huic poterit equiparari? quod neque ieiunium, neque humi peracta cubationes, neque peruigilia, neque aliud quippiam potest efficere, efficit fratris procurata salus. Cogita quam multa tuum os frequenter peccauerit, quam multa verba obscena protulerit, quam multa conuitia, quam multa maledicta euouerit, & omnino suscipies collapsi curam. Nam hoc vno omnem illam delere maculam poteris: Et quid dico delere? facies vt sit os tuum sicut os Dei. Quid huic honori possit equiparari? Non enim ego ista polliceor, ipse Deus hoc dixit: si vnumquempiam eduxeris (inquit) vt os meum erit os tuum, purum sanctumque.

Chryso. 10. 5. orat. 5. contra Iudeos.

Chrystom. 2 ho 78. in ca. 24. Matth. Et tom. 2. homil. 78. in cap. 24. Matth. Ponatur, inquit, quempiam ieiunare & martyrium comprobare, ac cremari, alium vero ad adificationem proximi martyriū differre, nec differre modo, sed etiam absque martyrio discedere: vter igitur post hanc peregrinationem maior erit? non est nobis multis in hoc loco rationibus opus, cum Beatus Paulus magna voce sententiam iam protulerit dicens: Cupio dissolui, & esse cum Christo, melius mihi autem in carne adhuc permanere propter vos.

Idem in c. 2. ep. 2. ad Cor. Et in cap. 1. Epist. 2. ad Corinth. Nihil est enim quod anima possit equiparari, nec vniuersis quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficias si vnam conuerteris animam &c. Magnum sanè, & laudabile est misereri pauperum, sed magis errantem ab errore reuocare.

Idem to. 4 ho mil. 4. Idem tom. 4. homil. 4. anteponit omnibus alijs gratijs. Iam verò vide, vt malum aliquid cum demonstrasset Paulus, quia videlicet præstantius sit anima mereri peccatis emortuæ, quam cadauera excitare rursus ad vitam.

Hom. 23 Et homil. 23. Paulum propterea admiramur, non propter mortuos quos excitauit, nec propter leprosos quos mundauit, sed quoniam dicebat: Quis infirmatur? &c. nam etsi decies millia signa ad hæc adieceris, nihil dices quod ei possis conferre: nam ipse quoque dicit magnam sibi repositam esse mercedem, non quoniam fecit signa, sed quia infirmis fuit tanquam infirmus &c. Et quando se præponit Apostolis, non dicit plura quam ipsi feci signa, sed plusquam ipsi laboraui.

Chrystom. 5 ho 53 Ac denique idem ipse Chrysolost. tom. 5. homil. 53. Siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humi stratum excolat, siue ipsos Angelos virtute præueniat, omnium enim scelestissimus hunc habens defectum, & adultero, lenone, ac latrone, & fure iniquior &c. Orationis enim indiget huiusmodi morbus & plurimæ supplicationis: Nam si fratrem nõ diligens siue pecunias erogat, siue martyrio effulgeat, nihil amplius efficit &c. Et hic gentilibus est peior. Ex his igitur clare constat studium salutis proximorum procurandæ quantum excellat alias etiam heroicas virtutum functiones, ac perinde quantum negligentia in hac re à Deo puniatur.

CAPVT VIII.

De vtilitate huius functionis pro iuuandis Infidelibus.

Cum animarum cura præcipue, quæ in Infidelium procuranda salute versatur, per se tota ad charitatis studium referatur; non dubium quin præter summam dignitatem, & splendorè, de qua hæctenus diximus, ingentes etiam contineat vtilitates: nam cum omnes præ se ferat virtutes, hasque in heroico gradu contineat, non mirum si omnia in hac cultura

labo-

laborantibus præsidia conferat, ac ad omnia perfecta vitæ munera informet, & vt nunc cætera beneficia vtilitatesque prætermittam, quæ in nos manant ex hac Infidelium cura, breuiter tria enumerabo. Primum est, peculiaris Dei cura, & patrocinium in fidei propagatione laborantibus: Nam cum hic sit Dei mos, vt qui maximè humanis destituuntur auxilijs eos præcipue in suam fidem recipiat, eorumque curam suscipiat, cum de eo scriptum sit (Psal. 9.) Tibi derelictus est pauper orphano tu eris adiutor. Et illud Dominus custodit aduenas, pupillos & viduas suscipiet. Hoc igitur eodem nomine peregrinantibus pro Infidelium salute Dei patrocinium non deerit: ipsi enim aduenæ, quia peregrini, & pauperes, quia sacculum, neque perâ portant, pupilli ac orphani qui non modò Patrem, ac matrem dereliquerunt sed etiã res omnes creatas, amicos, hominũ fauores, ac temporalia cõmoda pro animarum dilectione contempserunt, itaque verissimi sunt orphani & omnibus auxilijs humanis destituti: Quare eis maximè conuenit, quod per Dauidem dicitur (Psal. 90.) Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cali commorabitur: & consequenter alijs etiam gaudeat priuilegijs, quæ in illo psalmo commemorantur: nempe vt illos diuina prouidentia scapulis suis obumbret, & scuto suo eos circundet: Nec timeant à timore nocturno, idest à clandestinis inimici insidijs, neque à sagitta volante per diem, hoc est ab eiusdem congressibus manifestis. Ac demum necesse est, vt illius promissionis Christi partem percipiant (Matth. 26) Ecce ego vobiscum usque ad consummationem seculi. quod non solum Apostolis, sed etiam suis successoribus à Domino promissum fuit. Si enim Saluator semper cum eis fore pollicetur omnia vno verbo quæ optari possunt, pollicetur lumè in obscuritate, robur in infirmitate, solatium in mœrore, victoriam in tentationibus, constantiam ac firmitatem animi in periculis. Denique quod bonum & præsidium non habeant qui secum habeant, qui est ipsa omnis potentia, & in quo sunt omnia bona?

Ex hac igitur Diuina protectione promanat singularis sollicitudo & cura, quam Deus gerit primo circa animas pro eius amore laborantes, idque tum promouendo eas ad virtutum opera, simulque cum ipsis cooperando; tum non permittendo tentari supra suas vires, ac in eo ipso quod permittit, præstando eis gratiam vt superiores & victores euadant. Secundo circa corporum curam resplendet etiam hæc diuina protectio, de qua verè dici potest: Nullum vnquam Patremfamilias liberis, quos ipse genuisset alendis & sustentandis tantum sollicitudinis impendisse, quantum Deus alendis Apostolicis viris, necessaria eis vitæ præsidia assidue prouidendo, ita vt illos nullatenus sollicitos esse velit hac de re, sed quod primò quarant Regnum Dei & hæc omnia adiicientur illis. Hæc igitur vtilitas maxima est, siue vt melius dicam, hæc est Apostolica vitæ gloria, vt cum

30 DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROE

Psal. 32.

Gen. 15.

Propheta verè dicere possint eius sectatores: *Anima nostra sustinet Dominum quia adiutor & protector noster est, in eo latabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus.* Et ille vicissim unicuique illorum dicat, quod olim Abraham *Noli timere; ego protector tuus & merces tua magna nimis.* Nam, & horum vtrumque coniunctum est, & vtrumque, si cui alij in hac vita, præcipuè viris Apostolicis conuenit: vt quoniam nullam mercedem, aut nullum bonum expetunt præter Deum, ideo eorum protector, & propugnator sit idem Deus.

Secundò, ex vberiori etiã virtutũ exercitatione in hac functione, miro modo animæ diuitiæ, ac vtilitates augetur: nam cum virtutes labore, studio & ipso vsu acquirantur, status ille earum exercitationi erit vtilior, ac salubrior, qui commodiorem asserat materiam virtutis exercendæ: Hunc autem sine vlla dubitatione tenere possumus esse, hanc Apostolicam functionem, in qua omnes virtutes assiduè vigent & in perpetua fermè actione continentur, vt non obscurè constabit ex his, quæ superius ostendimus, de communi omnium virtutum influxu in hanc vitam. Deinde cum in ea actus virtutum heroicos passim exerceri opus sit, habitus autè virtutum gignatur ex actionibus frequentibus, consurgent etiam in anima virtutes perfectissimæ.

Et hoc deinde virtutum vsu, & exercitatione vberius etiam resultare meritum necesse est, quod inter præcipuas huius vitæ vtilitates primum locum vendicat. Nam cum vnã ob hanc causam huius peregrinationis cursus institutus sit, & ad hoc vnum tota hominum vita dirigatur: vt negotiationem ac mercaturam cœlestium operum exerceant, & vt mercatores huius sæculi omni studio id agunt, vt quam maximè ditescant, ob id relictis alijs studijs, vt venandi, equitandi, aut similibus rerum, nullas lucris occasiones oblatas prætermittunt: imò iucundi eis videntur labores omnes & vigilia, quæ modò rem augeant; ita & multo magis sperandum est in hac spiritali mercatura, cuius fructus sunt æterni & materia, de qua Euangelici Ministri tractant, & in qua quotidie versantur, nihil aliud cõtineat, quàm Dei ipsius & animarum negotium, & dum his procurandis immorantur, Dei causam agant non suam: Immo postquam huic functioni se manciparunt, etiam si nolint, vt ita dicam, coguntur Dei, & animarũ rem procurare, quæ omnia vberiolem apud Deum merendi præbent materiam.

Crescit etiam meritum, ac huius functionis præmium ex nimia difficultate, quàm ex natura sua præferret hæc infidelium cultura: dubitari enim nequit, quin sensibus ipsis primo aspectu, acerbata, aspera, & dura representetur, sed ex hac acerbitate, & difficultate crescit ipsa meriti, & præmij corona. Illud tamen experientia compertum est, quod quid est difficultatis,

cultatis, ita molliri & temperari à Deo, vt appareat quatenus valet ad meritum, non appareat quantum attinet ad laborem: Qua in re ita vtrūque Deus coniunxit, vt res quidem grauissima, maximeque ardua, ita ab eo conditur, & mitigatur, vt eadem sit suauissima, & iucundissima.

Ex varijs etiam alijs vtilitatibus luculenter, vt solet ac frequenter Sanctus Ioannes Chrysostr. charitatem in proximos commendat, præcipuè verò, quia cum ad nostram vtilitatem sit quoddam medium præstantissimum, nunquam ea neglecta, nostram propriam attingemus. In primis tom. 4. homil. 25 in cap. 10. epist. 1. ad Corinth. Ita enim (inquit) *tibi vtilitatem comparabis, si proximi inuigilabis vtilitati.* Itaque si piger in fratris cura fueris intellige nulla te profus ratione salutem consecuturum: Igitur tua ipsius gratia proximi tui rebus adsis: sufficientia itaque sunt, quæ iam diximus, quod persuadeant, nulla alia ratione vtilitatem nos inuenire posse. Quod si hoc à confelsis exemplis cognoscere volueris, considera si quando domum aliquam exuri contingat, inde nonnulli ex vicinis sibi cauentis minime se periculis obijciant, sed domi inclusi timeant nequis ingrediatur qui aliquid ex rebus suis auferat, quantam iacturam facient? et enim ignis quoque eos comprehendet, & omnes eorum comburet facultates. Ita qui cum proximi vtilitatem non respexerunt, suam perdidit. Siquidem Deus cum inuicem omnes colligare vellet, talem rebus vtilitatem imposuit, vt in proximi vtilitate alterius etiam colligata sit, & vniuersus mundus hoc pacto constitutus est. Propterea si in mari tempestate exorta gubernator omnia multorum salutem, suam tantum quereret, & se ipsum, & alios quam primum obrueret: & vniuscuiusque artis, si sua tantum queratur vtilitas, nunquam neque vita constaret, neque ars, quæ sui ipsius quereret vtilitatem: propterea agricola non tantum frumentum seminat, quantum sibi sat sit; nam iam pridè & alios, & se perdidisset, sed quod multis sufficiat, terra mandat: Et miles, non vt sua dumtaxat consulat salutem, se periculis obijcit, sed vt Ciuitates in securitate constituat: Et mercator non eas tantum merces transportat, quæ sibi ipsi satis sint, sed multis alijs. Quod si quis hoc in loco diceret non alterius, sed suam vnumquemque considerare vtilitatem, & idcirco ita facere, vt pecunias sibi, & securitatem, & gloriam comparet, atque ita dum suam querit, proximi quoque querere vtilitatem: Idem ego dico, hoc est, quod iam dudum audire volebam, & hac gratia omnem hunc sermonem fecimus; vt ostenderemus tunc sibi vnumquemque consulere, cum proximo consulit. Nam cum aliter homines proximi commodum non essent curaturi, nisi in hac constituti necessitate, propterea ita Deusea coniunxit, & non permittit, vt in propriam prius quisquam veniat vtilitatem, nisi per alienam transeat. Hoc igitur humanum est, vt hoc pacto proximo vsui simus. Verum oportet non hinc, sed Diuina voluntate ad hoc adduci: siquidem nemo salutem consequi potest, nisi ita se habeat. Sed quamuis summam complectaris Philosophiam, proximi autem iacturam contempseris, nullam apud Deum fiduciam habere poteris: Vnde hoc constat? ex Beati Pauli verbis: *Esti distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habueris;*

Chryst. tom. 4.
hom. 25. in e.
10. epist. 1. ad
Corinth.

1. Corin. 13.

habuero, nihil mihi prodest. Vides quantum à nobis Paulus requirit? At qui pascit, non suam, sed proximi querit utilitatem. Sed non sufficit hoc inquit: Cum charitate hoc fieri vult, & misericordia plurima. Propterea legem hanc statuit Deus, ut nos in vinculum charitatis adduceret. Hæc Chrysof. Cæteras verò utilitates ex testimonijs sequenti capite adducendis colligemus.

CAPVT IX.

Ad omnes Christianos spectat proximorum etiam Infidelium saluti consulere.

Quamquam non omnes fideles fide Christiana præditi, ad alios instituendos sint idonei, multi tamen sunt, qui id commodè possunt, & si uolunt, inducendi sunt, ut pro sua virili parte Ecclesiæ Sanctæ, animarumque saluti deseruiant. Et ut omittam eos, qui ex officij munere, vel ex sua vocatione tenentur huic studio operam dare, quales sunt Pastores, & Religiosi post ipsos, alij profectò sunt, quilibet ad hoc non vocati, idonei tamen sunt, quibus quippe maior fides, & doctrina insit, quàm alijs idiotis, & vulgaribus. Hos Sancti Patres, præcipuè tamen Sanct. Ioan. Chrysof. passim hortatur, ut maiori illa luce præditi, non seipos solum, sed & alios etiam Infideles erudiant, & ad fidem alliciant.

Chryf. hom. 24. in Matt. Homil. 24. in Matt. Omnes Christianos exhortans ait: Scitote quia mercenarij sumus conducti: si ergo mercenarij sumus, cognoscere debemus, quæ sunt opera nostra: mercenarius enim sine opere non potest esse: Opera autem nostra sunt opera iustitiæ, non ut agros nostros colamus, & vineas: non ut diuitias congregemus, & acquiramus honores, sed ut proximis profimus. Et quamuis hæc sine peccato facere possimus tamen non sunt opera nostra, sed diaria nostra. Sicut ergo uero sic conducit mercenarium, ut hoc solum faciat, quod manducet: sic & nos ideo vocati non sumus à Christo, ut hæc sola operemur, quæ ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solū facit, quod manducat, sine causa ambulat in domo: & sic nos si sola hæc fecimus, quæ ad nostram pertinent utilitatem, sine causa viuimus super terram: & sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: & sic nos si mercenarij Christi sumus, primum debemus aspiciere, quæ ad gloriam Dei pertinent, proximique profectum, (quia charitas, & verus amor erga Deum non querunt, quæ sua sunt sed ad libitum amati cuncta desiderant perficere) deinde quæ ad nostram utilitatem.

Idem tom. 1. homil. 3. in Genes. Ne omittamus proponere eis, (hoc est Gentilibus) doctrinas scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati, ad veritatem reducantur, nam licet in erroribus deprehensi sint, cognati tamen nostri sunt, & congruit, ut magnam eorum curam habeamus, nunquam torpescetes, sed sum-

anima diligentia faciente: ea quæ nobis sunt, utilem eis medicinam adhibemus, si forte, vel tardè ad veram sanitatem redeant: nihil enim ita gratum est Deo, & ita cura, ut animarum salus. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum cum nostris, tum fratrum nostrorum curam geramus salutis: nam & hoc nostræ salutis argumentum erit, & occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed & proximo utiles fuerimus, ipsam ad viam veritatis manucentes.

Idem eodem tom. homil. 8. in Genes. Auditores ad Hæreticorum excitat conuersionem dicens: Operam date, ut pia scita in eis (loquitur de Ariano) plantentur, & roborentur: volo enim, & precor omnes vos in Doctorum ordine esse, & non solum auditores nostrorum esse dictorum, sed & alijs doctrinam nostram afferre, piscarique errantes, ut ij redeant in viam veritatis: sicut & Paulus inquit: Vnus alterum edificet, & cum timore, & tremore salutem vestram operemini. Sic Deus nostram multitudinem augebit, & vos vberius superna fruemini gratia, magnam membrorum vestrorum curam gerentes. Neque enim Deus vult, ut Christianus se ipso tantum contentus sit, sed ut alios edificet, non per doctrinam solum, sed & per vitam, & conuersionem.

Et homil. etiam 10. in Genes. tomo primo, fortè prolixius, quam oportebat Chryf. hom. sermonem produximus: verum hoc non absque ratione, neque temere factum est: sed ut absentes ex vobis discant quantum sibi metipsis damni fecerint, ob corporalem cibum, semetipsos à spirituali cibo subducentes. Caterum ne valdè contristentur, fraterna illos benevolentia prosequamini, recensentes eis, quæ à nobis dicta sunt. Hoc enim germane charitatis argumentum: nam si inter magna charitatis indicia habent, qui ita de sensibilibus edulijis hoc faciunt: multo magis, qui in spiritualibus hoc agunt, magnū nostrum præconium celebrant, reditque ad nos quicquid est utilitatis: nam cuius studium est docere proximum, is non tantum illi benefacit, quantum sibi ipsi magnam mercedem parat, dum duplicem percipit mercedem, retributionemque à Deo maiorem assequitur. Denique is, qui fratrem docere tentat, dum illi commemorat, & dicta secum repetit, & melius tenet: igitur cogitantes tantum lucrum vestrum, ne inuideatis fratribus vestris sed à vobis discant, quæ nunc à nobis dicuntur. Ut autem plenius doceantur, ducite illos ad nos, persuadentes ipsis, quod nihil obest spirituali mensæ, si præcedat corporalis cibi sumptio, sed haberi debet omne tempus spirituali sermoni idoneum.

Præcipuè verò tom. 5. oratione 5. in Iudæos, idem pro Iudæorum conuersione profequitur argumentum: Tu quoque imitare Samaritanum illum, qui in Euangelio tantam erga vulneratū præstitit sollicitudinē. Etenim illic præterijt Leuita, præterijt Phariseus, ac neuter deslexit ad iacentē, sed inclementer, crudeliterque relicto seminece abierūt. Samaritanus autē qui spiā, qui nulla ex parte illi coniunctus erat, non prætercurrit, sed misertus est accurrēs, instillauit oleū, & vinū, imposuit asino, duxit ad diuersoriū, pecuniā partim dedit præseē, partim pollicitus est pro eius, qui nihil ad ipsū pertinebat curatione, nec dixit apud sese, Quæ mihi cura est istius? Sa-

maritanus sum, nihil mihi cum illo, procul absumus à Ciuitate; & ille ne ingredi quidem potest. Ne dixeris apud te metipsum: homo sum mundanus, uxorem, & liberos habeo, & ista Sacerdotes sunt, ista Monachorum: Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat, ubi nunc Sacerdotes? Vbi nunc Pharisæi? Vbi Iudæorum Doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem curatione egentem, vel corporis, vel animi, ne dicitis apud te metipsum, Quare ille, & ille eum non curauerunt, sed à morbo libera, ne petas ab illis causam negligentia: si inueneris aurum iacens, non dicitis apud te metipsum, quare ille, aut ille hoc non sustulerunt, sed festinas ante alios rapere: Itidem & de fratribus collapsis cogita, putatioque te thesaurum reperiisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaueris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaueris humanitate, temperantiaque vulneratum si sanaueris, ille te faciet ditiores quous thesauro. Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate, tanquam os meum erit, inquit, ille.

A oratione 3. in Iudæos: Quotque prius rogauimus, idem & nunc rogamus, ut fratres vestros reducat ad salutem, multam sollicitudinem habeatis pro membris neglectis: propter vos enim tantum laborem suscipimus, non ut vulgari more loquamur, neque ut plausum, strepitumque referamus, sed ut auulsos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi est cum eo negotij, vti nam contingat mihi mea ipsius negotia rectè gerere: Nemo suum ipsius negotium rectè gerere potest neglecta proximi salute: propter hoc, & Paulus ait: Nemo quod suum est querat, sed quisque quod alterius, sciens quod sua cuiusque vtilitas in proximi vtilitate sita est. Sanus es tu, sed oculus tuus infirmatur: hoc est, est agrotus. Itaque si verè sollicitus fueris, pro agrotante magis dolebis, & imitaberis in hoc quoque Beatum illum, qui dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, & ego non vror? Etenim si cum duos obolos dederimus, paulumque pecunie insumpserimus in pauperes gaudemus: si poterimus animas seruare, quanto maiorem voluptatis fructum capiemus? Quantum autem in futuro seculo recipiemus gaudiū? nā ibi quoque quoties cōueniemus, multā capiemus voluptatē ex cōgressu reminiscētes beneficiorū, quæ vicissim alij in alios prestauimus. Deinde cum illos conspexerimus ad tribunal illud metuēdū, multā fiducia participes erimus.

Et infra in eodem sermone, non solum homines, & viros huic operi studere, sed & fœminas suadet, dicens: Ut igitur, & fratres seruemus, & nobis ipsis veniam pro peccatis, imo potius multam fiduciam reponamus: Denique curemus & illud, ut à ceteris omnibus nomen Dei glorificetur, cum vxoribus, liberis, & famulis ad hunc venatum, & indaginem egressi extrahamus à Diaboli laqueis captos ab illo, iuxta ipsius voluntatem: nec prius desistamus quam quicquid per nos prestari poterit, prestiterimus, siue pareant, siue non pareant. Quin potius impossibile est, ut Christiani cum sint, non pareant. Sed ne, vel hanc excusationem habeatis, illud dico: si postquam multa verba exhauseris, & quicquid per te prestari poterit expleueris, videris illum non obtemperare, adducto ad Sacerdotes, & omnes per Dei gratiam potentur venatu, totumque tuum erit, qui illum adduxeris. Expedit ut hæc, & vxores dicant viris, &

viris vxoribus, & filij parentibus, & patres filijs, & amici amicis. Discant hæc & Iudæi & ij, qui nobis quidem coniuncti videntur, sed cum illis sentiunt, quod nobis aliquid studium est, ac sollicitudo, vigilantiaque pro fratribus nostris ad illos vltro currentibus. Et omnes ante nos illos corrigent, qui cum nostræ professionis sint, tamen illo commeant. Quin potius nemo posthac ausurus est ad illos confugere, sed erit corpus Ecclesie purum. Deus autem, qui vult omnes homines fieri saluos, & ad agnitionem veritatis peruenire, & vos ad istum venatum corroboret, & illos ab hoc errore liberet. ita Chrysost.

CAPVT X.

De iucunditate, quam ex conuersione animarum Evangelij ministri consequuntur.

Nec vtilitatem solum, aut dignitatem hi, qui animarum lucris se consecrant, sed & iucunditatem, & oblectationem non paruam ex hac functione consequuntur: Nam licet prima specie aspera, & odiosa videatur, solatia tamen, & gaudia passim inueniuntur in ea, ut nullum bonum, nullamque perfectionem ei deesse appareat. Nam, si ut Saluator noster testatus est (Luc. 15.) Gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiā agente, non eadem quoque causa erit lætandi in terris, seu cum hominem ad pœnitentiam conuerti, seu cum totis conatibus ad perfectionem aspirare cernimus? Plurimæ enim sese offerunt lætitiæ rationes: ac in primis Dei honor, proximi salus, quem sicut nos ipsos diligere iubemur: tum etiā maximum, ac gratissimum quoddam indicium diuinæ bonitatis, clementiæ, & patientiæ, in perdita ouicula, nō solū toleranda, sed etiā super humeros reportanda; cuius quidē clemētiæ nos ipsi testes, & spectatores sumus.

Præterea illud quoque accedit, quod tam præclarum doni ac muneris aliqua ex parte nos ipsos etiam participes esse sentiamus, ut cum Paulo dicere, & quodammodo gloriari nobis liceat: (1. Cor. 3.) Ego plantavi. Est autem maxime naturale, ut in eo quisque delectetur, idque diligat, in quod aliquid studij, atque operis impendit, eoque magis, quo ea res præclarior, ac præstantior est. Quid aut maius, aut præclarior, quam alios homines Christianos, ac Beatos efficere, quod non modo est proprium Dei opus, sed & primum inter omnia eius opera locum obtinet? Quemadmodum etiam exultabat Paulus in Philippensibus, Gaudium meum inquit, (ad Phil. 4.) & corona mea. Quo modo in Corinthiis, quos gloriam suam in die Domini appellat? 2. Cor. 1. & 1. ad Thessalonicenses 2. Quæ est, ait, nostra spes, & gaudiū, aut corona gloriæ? nōne vos ante Dominū nostrum Iesū Christū estis in aduētū eius? Vos enim estis gloria nostra, & gaudiū.

Nec minus lætandi occasionem excitant labor, sollicitudo, & cura, quæ sæpè comitari solent huiusmodi fructus, de quo Apostolus, ad Galat. 4. Fi-

10an. 6.

lioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Parturient se comparat mulieri, quod significat moram, & laborem, & etiam cruciatum, qui in eiusmodi opera sapè intercurrit. Itaque dubitandum non est, quin in hunc etiam partum conueniat illud, quod est à Domino dictum, *IOAN. 16.* Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit, iam non meminit pressuræ, quia natus est homo in mundum. Hic vero maior est etiam lætitia, quia non natus est homo in mundum, sed verius in cœlum: vita enim corporis breuis est, ac miseris plena; vita autem animi sempiterna, ac omni ineffabili gaudio referta.

Quæ omnia confirmari possunt ex ipsa Dei natura, & innata bonitate, ac prouidentia: quæ cum tanta fuerit, vt eum è cælo in flagella, in spinas, in crucem impulerit, idque pro animarum salute, ad eius etiam bonitatem, & prouidentiam spectare videtur, vt in hac sibi gratissima functione laborantes solatiis, ac lætitia repleat, vt mediante delectatione opus ipsum perficiatur. Hanc igitur spiritualium gaudiorum abundantiam, Apostolorum exempla testantur: nam simul ac fuerunt verbi Dei ministerio accincti, ibant à conspectu Concilii gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro Christi Iesu nomine contumeliam pati. Legimus & innumera alia, & Martyrum & Confessorum exempla, qui pro fidei confessione, ac propagatione, tormenta ingenti cum gaudio perpessi fuerunt. Nec similia hac nostra ætate desiderantur, Beatus enim Franciscus Xauierus legitur sapissimè in immenso illo Orientis tractu pro animarum salute laborans, solitarius manu pectori admota, oculis in cælum elatis, propter harum cõsolationum abundantiam, huiusmodi voces edere solitus fuisse: Sufficit Domine, sufficit: quasi ipse quoque vt Ephren consolationem diuinam, ferre non posset amplius. Quin etiam cum iter faceret, quod ille semper pedester faciebat, adeò mentem suspensam & in Deum absorptam gerebat, vt sapè de via aberrans in vepres, dumeta, & lapides impingeret, nec aduertès: quam sanè ob causam semper ei plantæ, ac tibix sanguine, & tabo fluebant, cum tamen ille ne sentiret quidem. Et quamuis hæc grandia videantur; sunt etiam alia & communia & quotidiana, quæ ex corde puro ex orationis studio ex virtutum exercitatione, & aliorum reparata salute proueniunt, quæ viris Religiosis sincerè ob Dei honorem, in hac Infidelium cultura laborantibus, certa, & perpetua sunt.

CAPVT XI.

De aliquibus impedimentis remouendis.

Aliqui, qui nondum alte gustarunt quàm suavis sit cibus, pro animabus seruandis labores, & tribulationes magnas, vsque ad sanguinis

guinis effusionem perferre, propriam commoditatè animarum saluti præponentes, multa excogitarunt impedimenta, quibus benè currentium conatus aut retardare, aut penitus impedire, maxime in Infidelium, tam Occidentalium, quàm Orientalium Indiarum conversione conabantur. Quæ ad quatuor præcipuè capita reducuntur a Doctissimo Patre Iosepho Acoستا in tractatu aureo, ac omni eruditione pleno de procuranda Indorù salute, primo ad Diuinæ gratiæ subtractionem, quasi credant, illas gentes occulto Dei iudicio in suis tenebris relictas: secundò ad naturæ, morumque illarum gentium absurditatem, siue incapacitatem: tertio, linguarum illius tractus difficultatem, ac demum locorum atque habitationis incommoda: quibus certè difficultatibus, incommodis, & periculis sapè milites Christi ab incepta vocatione deterrentur. At quoniam apte idem Acoستا horum retundit tela, maxime lib. 1. de procur. Indorum salute; propterea rogo, vt qui sese vocari ad sanctam illam, Deoque gratissimam marium traiectionem senserit, nimirum vt Deo Indos, Aethiopes, seu alias nationes Barbaras vocanti cooperentur, eum attentè versent, ac perlegant. Et quoniam omnia impedimenta reducuntur, vel ad locorum incommoditatem, addiscendæ linguæ laborem, ac ipsorum Barbarorù ineptiam, & stupiditatem: quæ quidem quod non tam à natura ipsis insita, quam educatione, vsuque acquisita sit, præter ea, quæ Iosephus Acoستا in huius rei cõfirmatione affert, legèdus est Thomas Bozius fig. 28. de gêribus efferis ad humanitatè disciplina Christi perductis, & fig. 93. a c. 199. vbi de gentibus Septétrionalibus agens illas olim (ait) ita incredibilis fuisse ferocitatis, vt feræ ipsæ, ac forsân ipsis Indis, Aethiopiibusuè deterioris naturæ videretur.

Deinde isti nimium sibi ipsis indulgentes breuiter exemplo ipsius Iosephi Acoستę cõuincantur: 1. illud, inquit multū mouere nos debet, quod videmus ad gêres profūdi sermones, & ignota linguę homines penetrare lucri spe, nec deterreri barbarie immensa, sed vniuersa mercium causa lustrare, non Aethiopum innumerabiles linguas, nō Synarū, nō Tartarorū, non Brasiliensium, non extremi Oceani littora recusare, & quicquid inter Mendocinum promontorium, & fretum Magalanicum situm est infinitis terræ, ac maris, spatiis, idque vtroque ex latere, & Boreali, & Australi magno studio obire: Denique & si quæ tellus extremo refuso summouet Oceano, vel si quæ extesa plagarū quatuor in medio dirimit plaga solis ini qui, hūc perscrutatur, huius linguæ, vel balbutientes se accommodant, vt aurū, argētū, ligna prætiosa, mercesque exquisitas ad suos euehāt, quæ stūque vndique augeāt, tā lōgā & periculosā peregrinationè auidissimè suscipiūt, vt profectò admirabile sit omnes penè portus Oceani, omnes sinus Orbis terrarū stationibus nauarū Hispaniësiū teneri, omnes Indorū Sarapas cū nostris mercatoribus, & nautis cõmerciū habere. At nos qui pretio-

fissimas merces quærimus, animas, Dei imagine insignes, qui lucra non incerta, aut breuia, sed æterna in cælis speramus; linguæ difficultatem, locorum asperitatem causamus: vt appareat verè prudentiores esse filios huius sæculi in generatione sua filijs lucis. Superest, vt charitas ardens in Christum, industria, & labore perficiat, quod deest naturæ. Quia in re Patris Francisci Xauieri admirabile extat exemplum, qui in perdiscenda Malauarica lingua tantum operæ, & sudoris posuit, tantumdemque in Iaponen. atque alijs longè inter se diuersis, vt si Apostolico dono linguarum præditus esset, non posset maiore gloria Christi nomen in tanto terrarum Orbe vulgare. Certe enim charitas omnia potest, & cum linguæ cessarint, vna charitas pro omnibus est. Hactenus Acoſta.

Igitur vt iam huic primæ parti, in qua necessitatem, dignitatem, ac huius in lucrandis animabus studij vtilitates breuiter exposui, finem imponam, quis tot, ac tanta lucra, tot opes, ac virtutum omnium præstantiam in eo inesse conspiciat, qui non meritò thesaurum illum, in Euangelico agro abscondito illud non iudicet? est enim verissimus thesaurus Euangelicus ardens in proximos dilectio, quæ ingentes diuitias continet, immensamque bonorum abundantiam: non enim vnum, aut alterum bonum, sed omnia simul congesta, & accumulata. Quod si illi, qui mercaturam exercent, vt ditescant, traiectis immensis maribus, peragratis varijs Orbis regionibus, ac hominibus ignotæ linguæ, magno cum labore, & quidem multis iacturis exposito, & longo tempore, diuturno studio, magnaque cõrentione diuitijs inhiant, sæpe etiam in naufragia incidunt, vt vna hora omnia auferat, quæ plures fortassis anni corraſerant: nos, qui thesaurum cælestem in agro animarum reconditum, ac fodinas quærimus animarum, in quibus non chrysoliti, aut vniones, sed veriores gemmæ, & margaritæ, ac multò illis præciosiores congregatæ sunt, quarum vsus non in terra tantum, sed in cælo quoque maximus est, cur torpescere debeamus? Est tamen thesaurus absconditus, quia pauci eum cognoscunt, paucisque conceditur. Vbi autem absconditus? nempe in agro, in hoc inquam remotò à delitijs, & temporalibus commoditatibus, à strepitu ambitionum à negociationibus, à consanguineis, amicis: In agro deinde, qui locus & arari, & feri, & magno denique studio coli solet. Omnia igitur relinquenda, si agrum hunc possidere, ac in eius cultura laborare velimus: ac quod primum est, thesaurus in tam foelici agro abscondito frui.

LIBRI PRIMI FINIS.

39
LIBER SECVNDVS,

AD QVEM POTISSIMUM

Pertineat Infidelium salutem procurare.

PRIMA PARS.

Ad Romanum Pontificem tanquam ad summum Ecclesiæ Pastorem, Petrique in Apostolatu successorem pertinere, Prædicatores pro fide propaganda mittere in vniuersum orbem.

CAPVT I.



EMINI dubium est, modo Catholicè sapiat, Sancti Euangelij Ecclesiæque Christi per totum orbem propagationem, ad Romani summi que Pontificis auctoritatem spectare. Id enim & auctoritas tam scripturæ, quam Patrum, & ratio ipsa, ac demum innumera summorum Pontificum exemplaria testantur.

In primis enim cum Dominus Ioan. vlt. illis verbis *Pasce oues meas*, Petro eiusque successoribus ouile dominicum commiserit, vt Patres omnes fatentur, non solum illi oues iam congregatas illius loci aut temporis pascere sed omnes tam illius quam futuri temporis dispersas ac dissipatas (quin potius nondum oues) quærere vt oues fiant, atque vt intra septa Euangelij cum reliquo grege pascantur euocare commisit, de quibus sane Christus Ioan. 10. affirmavit. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, quas oportet me adducere, & vocem meã audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor.* Quibus sane verbis Dominus locutus est de populo Gentili, & Iudaico nondum ad fidem conuerso, qui etsi secundum præsentem Iustitiam ab Ecclesia sit alienus, secundum tamen æternam electionem ad eandem est vocatus. Cũ igitur has oues etiam cõmisset Petro his verbis, *Pasce oues meas*, & ipse Dominus fateatur oportere illas adduci, constat hoc Petro & eius successoribus

Chrysoſt lib.
2. de Sacer-
dot.

foribus diuinitus fuiſſe commiſſum: Nam vt Chryſoſt. ait lib. 2. de Sacer-
dotio. *Quamobrem ille (ideſt Chriſtus) (Sanguinē ſuū effudit, certē vt errantes oues
in vnum congregaret, quarum curam tum Petro tum eius ſucceſſoribus committebat.*

Accedit quia cum ſint multa Prophetarum vaticinia Eccleſiam Chriſti
Deique ſponſam, ad agnitionem diuinæ veritatis adducturam omnes gē-
tes vt manifeſte Eſaias docuit cap. 4. Vbi introducit Deum ſic loquentem
Eccleſiæ ſuæ. *Dilata locum tentoriij tui, & pelles tabernaculorum extende, ne parcas,
longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida, ad dextram enim & ad leuam pe-
netrabis, & ſemen tuum gentes hereditabit.* Similiter cap. vlt. Eſaiæ prædicitur
fore vt Eccleſia mittat operarios in omnem Regionem, qui Aſiam, Afri-
cam, Europamque percurrant quouſque ad Inſulas vltimas peruenerint,
nullumque ſic hominum genus tam remotum, nec ſit loquela nec ſermo
gentium adeo Barbarus vbi non audiantur & retonent verba eorum;
& *Ponam in eis inquit (diuinus vates) ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fue-
rint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes ſagittam, in Italiam & Gra-
ciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt, & non viderunt gloriam meam gen-
tibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino.* Frequēs
eſt ſermo apud etiam de vocatione gentium ad eccleſiam, apudque alios
Prophetas generale eſt vaticinium. Hæc autem magnifica iam pridē adeo
facta promiſſio de vocatione gentium ad eccleſiam nuſquā re ipſa adim-
pleta eſt vſque ad Euangelij promulgationem, quo opere per Petrum e-
iusque ſucceſſores gentes erant conuocandæ, & ad veri luminis agnitionē
adducendę vt expreſſe demonſtrant ea quæ Lucas actorum 10. narrat, ait
enim Petrum dum commoraretur in Ioppe a ſenſibus abſtractum vidiffe
vas quoddam inſtar magni lintei, è quatuor capitibus cœlitus demitti, in
quo erant omnia quadrupedia terræ, & feræ (ſic eſt in Græco *βηζια*) & ſer-
pentia, & volatilia terræ, dictumque Petro: *maſta & comede, qui reſ-
pondit ſe id nequaquam facturum, quando illa eſſent immunda. Tum di-
uinitus illi dictum, immunda non eſſe quæ Deus effecerit pura. Hoc vero
ter accidit Petro, donec in calum vas eſt receptum. Et quidem vita huius-
modi gentes quæ immundę ab Hæbreis habebantur, ad verum Dei cultum
& Sacra Chriſtiana vocatus eſſe ſcribit ibidem Lucas. Futurum erat nā-
que vt omnes ad Eccleſiam è quatuor mundi partibus (ait Auguſtinus) ve-
nirent: nam Petrus Eccleſiam refert, cuius perſonam ſuſtinent, & adhuc
ſuſtinent eius ſucceſſores. Occidendi que erant & manducandi ab ipſo
Petro, eiusque ſucceſſoribus, occidendi inquam, vt Auguſtinus ipſe inter-
pretatur, id eſt, vt interficerent in eis vitam præteritam, qua non nouerant
Chriſtum, & tranſirent in corpus eius, tanquam in nouam vitam ſocieta-
tis eccleſia ſalutem Gentium eſuriret. Hactenus Auguſtin.*

Hac igitur viſione Petro, eiusque ſucceſſoribus non ſolum fuit de-
monſtratum

monſtratum Gentes ad Eccleſiam eſſe traducendas, ſed & ipſum debere
tanquam ex ſuo officio eas vocare, & adducere, id enim manifeſtè ſig-
nificatur illis verbis: *Surge Petre, occide & māduca.* Nam capitis eſt manduca-
re, & per manducationem trajicere cibum in ſtomachum, & illum ſibi in-
corporare, ſignificans hac metaphora Petro conuenire, vt ipſe tanquā ca-
put Eccleſiæ Infideles conuertat, & efficiat Eccleſiæ membra. Hac igitur
voce Petri ſucceſſores cœlitus quotidie admonentur, et ſi nō exteriori, in-
terna tamen inſpiratione: *Surge, Petre, occide & manduca, hoc, eſt fac vt gen-
tium ritus, idola, & infidelitatis fibræ extirpentur, iſtaque animalia im-
munda per prædicationem Euangelij, ſuſceptamque fidem omnibus erro-
rum ſordibus expurgata, manduca, & in Eccleſiæ ſtomachum, qui anima-
rum ſalutem ſummè famet immitte. Adiungamus his quod cum Eccleſia
debeat crefcere, donec in toto mundo Euangelij lumen reſplendeat, ſint que
vnum ouile & vnus Paſtor; Deusque velit omnes homines ſaluos fieri, &
ad veritatis agnitionem venire, præceptumque ſit Apoſtolis, *Ite prædicate
Euangelium omni creaturæ,* non tantum pro ipſis ſed & pro eorum ſuc-
ceſſoribus, ac deinceps eccleſia Romana ſit, quæ inter alias merito Apoſto-
lica functione gloriatur, & ſummus Pontifex Apoſtolicus, & ſedes eius
Apoſtolica ab omnibus ſimpliciter, & per antonomāſiam vocetur, quia
Apoſtolorum retinet non ſolum doctrinam, ſed etiam in Apoſtolico offi-
cio hereditariā ſucceſſionē; nemo eſt qui dubitare poſſit, ad prouidentiā
diuinā ſpectare, vnū ſeligere, cui onus hoc, nempe adducendi oues ad Euā-
gelij caulas, prædicandi Gentibus fidē, & Apoſtolici muneris functio incū-
beret, & qui propoſito ſibi diuinæ voluntatis & ordinationis ſine, ſelige-
ret animarum ſalutis media. Hic autem non eſt alius niſi ſummus Ponti-
fex eccleſiæ caput, vicarius Chriſti, Petri ſucceſſor, & totius orbis Pater.
Neque enim ob id ſolum Apoſtolicam Romanam ſedem vocari exiſtimā-
dum eſt, quod Apoſtolorum fuerit, nam fuit & Ephēſina, & Hieroſoly-
mitana, & aliæ non paucæ, verum etiam, quia Apoſtolorum munus pro
Chriſto legatione fungendi, & vſque ad vltimos terrę terminos illius fi-
dem immobili firmitate teſtificandi propriè ac præcipuè ad Romanos Pō-
tifices ſpectat; quorum muneris eſt cum ipſis per ſe orbem vniuerſum a-
dire non liceat, eam curam alijs demandare, idoneosque verbi miniſtros
ad ſeminandum ſanctum Euangelium mittere.*

Neque enim aliud Luc. 5. per Dominum intrantem in nauim Simonis
quam Chriſti fidelium eccleſia, cuius magiſter & caput conſtitutus eſt
Petrus, denotatur: vt optime docet D. Ambroſius Ser. 11. *Soli.* (inquit) *Petro
ibidem dicitur duc in altum, & laxate retia in capturam,* vbi Petrus tanquam
ſummus piſcator & Archinauta iubetur alios ad piſcandum ducere. Non
autem de ſimplici piſcium captura ſed myſticè verba hæc intelligenda eſ-

se, testis est ipsemet Dominus apertissime dicens Petro, *Noli timere, ex hoc enim eris capiens homines: & idem fere significatur Io. 21. Vbi dicente Petro, Vado piscari, alij dixerunt venimus & nos tecum. Postea inquit scriptura ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram. Quid igitur aliud his de piscatione Petri parabolicis loquendi formulis demonstratur, quam Petrum eiusque successores esse, qui homines ab erroribus, mundanisque illecebris ad fidem & ecclesiam militantem debent adducere, adductosque bene eos regendo tandem ad triumphantem dirigere, sedulo conari?*

Summum verò Pontificem Petro succedere in hoc piscandi genere quis vnquam potuit dubitare? Nam quid clarius Ecclesia Sancta & Apostolica innuit, cum in die desponsationis sibi vt sp̄sum Pontificem vices Christi gerentem annulum piscatoris ipsi præbēs, matrimonio spiritali cōiungit, nisi vt sedulo perpendat se Petri piscatoris non piscium, sed animarum, sedem vicesque representare? Piscatoris enim & Apostoli officium ex Euāgelij mente vnum idemque reputatur: quod etiam luce clarius ex illis Christi Domini verbis colligere est, ex hoc enim *eris homines capiens: nec minus ex illis Matth. c. 4. cum Dominus eundem Petrum & Andream vocauit dicens: Venite post me faciam vos fieri piscatores hominum. Id est Apostolos, quorum sit, Euangelicam veritatem gentibus disseminare, retiaque in capturā animarum lauare: vt optime D. Bernard. in epist. 11. ad Eugenium, munus Apostolicum ipsi Pontifici (vt pote successori) incumbere. hac eadē figura piscationis sequentibus verbis demonstraui. Quis mihi det antequā moriar videre Ecclesiam Dei, sicut erat in diebus antiquis: quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum: Quā cupio illius te hereditare vocem cuius adeptus es sedem? Et infra eod. cap. Hoc vehementer expectat, & omnino expetit à te mater tua: hoc filij matris tue pusilli cum maioribus desiderant: hoc suspirant, vt omnis plantatio quam non plantauit Pater celestis tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes & regna, vt euellas & destruas, & adifices, & plantes. Annulus itaque piscatoris idem sonat quod annulus successoris Petri in Apostolatu & piscatione vniuersæ orbis animarum: Ornatur inquam dextera Pontificum in die desponsationis cum Ecclesia, hoc annulo; vt ad summum istum dignitatis gradum euecti, hoc altissimum & Apostolicum munus præ oculis semper versarent. Annulus enim memorię symbolum est, atque ita hoc annulo Ecclesia Christi nomine Pontificem, vt Petri Apostoli successorem commune facit Apostolici muneris esse retia tendere, omniumque gentium salutem procurare: atque vt huius obligationis recordatio semper Pontificum mentibus sit quā firmissimè impressa, ecclesiæ vsu receptum est omnes Bullas annulo piscatoris sigillari.*

Hanc sollicitudinem & curam ad Pontificem summum spectare inter alios

alios Patres oratione vberissima ac disertissima alloquens Eugenium Papam idem D. Bernard. in lib. de consideratione multis in locis docuit: *Recordare inquit lib. 3. cap. 2. illius vocis, sapientibus & insipientibus debitor sum ad Roman. 1. ergo si te agnoscis sapientibus & insipientibus non dominatorem, sed debitorem, curandum summopere tibi, & tota vigilantia considerandum quo modo & qui non sapiant, sapiant, & qui sapiant non desipiant. At nullum genus insipientiæ infidelitate (vt sic loquar) insipientius est. Ergo & infidelibus debitor est, Iudæis, Græcis, & Gentibus. Interest proinde tua dare operam quā possis maximam, vt increduli conuertantur ad fidem, & conuersi non auertantur.*

Et infra: magis ipsius Pontificis hac in re conscientiam stimulat dicēs: *Esto; de Iudæis excusat te tempus: habent terminum suum qui præuenire non poterit: Plenitudo gentium præire oportet, sed de ipsis gentibus quid respondes? Imo quid tua consideratio respondet tibi percunctanti sic? Quid visum est Patribus ponere metā Roman. 11. Euangelio; verbum suspendere fidei donec infidelitas durat? Qua ratione putamus subsistit velociter currens sermo? Quis primus inhibuit hunc salutarem cursum? Et illis causa forte quam nescimus, aut necessitas potuit obfistere. Nobis que dissimulandi est ratio? Quia fiducia qua conscientia Christum vel non offerimus eis qui non habent. An veritatem Dei in iniustitia dei nemus, & quidem quandoque perueniat gentium plenitudo necesse est. Expectamus, vt in eas incidat fides? Cui crederes casu contigit? Quomodo credent sine Prædicante? Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuclum missi sunt. Rom. 11. Rom. 10. Et si exemplum recentius querimus Augustinus à Beato Gregorio destinatus est formam fidei tradere Angelis. Act. 8. 10.*

Idem lib. 2. cap. 5. *Disce sarculo tibi opus esse non scepro vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne & tu inuenias aliquid elaborandum in agro Domini tui? Et plurimum, Non plane totū quiuere emundare Prophetæ: aliquid filijs suis Apostolis quod agerent reliquerunt, aliquid ipsi parentes tui tibi. Sed nec tu ad omne sufficies. Aliquid profecto tuo relicturnus es successori & ille alijs; & alij alijs vsque in finem. Circa undecimam denique horam operarij tui arguuntur, & mittuntur in vineam. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia Messis quidem multa, operarij autem pauci. Paternam tibi vindicatio hereditatem. Nam si filius & heres, vt probes te heredem euigila ad curam; & non otio torpeas, ne & tibi dicatur quid hic stas tota die otiosus?* Luc. 10.

Lib. etiam 2. cap. 6. *Exi in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: Ager est enim mundus isque creditus tibi. Exi in illum, non tanquam Dominus sed tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Exi dixerim quibusdam tue passibus intentæ sollicitudinis & sollicitæ intentionis. Neque enim ipsi qui visi sunt ire in orbem vniuersum, orbem circuiuerunt præsentia corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuæ, & vide Regiones, si non sunt magis sicca ad ignem, quam alba ad messem, Nonne si exis & cernis ista pudebit otiosam iacere securim? pudebit sine causa falcem Apostolicam accepisse?* Marc. 16.

Et lib. 4. cap. 3. *Pastorem te populo huic certe aut nega, aut exhibe. Non negabis necuius sedem tenes, te neget heredem.*

Et infra eod. cap. *Salutare mandatum: si amas me pasce oues meas: nempe in pompa Pontificia non affectada pro debito. Ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Et si purpuratus, et si deauratus incedens: non est tamen quod horreas operam, curamue Pastorem, Pastoris hares: non est quod erubescas Evangelium. Quamquam si volens Euangelizes inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi. Euangelizare pascere est. Fac opus Evangelistæ, & Pastoris opus implesti.*

Et lib. 4. cap. 10. *De cetero te esse considera sanctimonie speculum, assertorem veritatis, fidei defensorum, Doctorem gentium, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, sal terra, orbis lumen, Sacerdotem altissimum, vicarium Christi.* Haec tenus ex D. Bernardo,

Idem etiã ex alijs Patribus probari potest, qui Petro, eiusque successoribus vniuersi orbis curam à Domino fuisse commendatã passim fatentur.

D. Chrysoft. in illa verba Ioan. 10. *Pasce oues meas.* Nam cum magna (ait) Dominus Petro cõmunicasset, orbem terrarũ demandasset. &c. S. Leo Papa Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, de toto mundo inquit, vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis præponatur. Idem Leo Serm. 1. de natali Apostolorum Petri, & Pauli. Idem repetit. Chrysoft. Hom. 11. in Matth.

Cyrillus Hierosolymitanus, Euthymius, S. Prosper, Arator, & alij quã plurimi Patres apud doctissimũ Bellar. Tom. 1. de Rõ. Põtif. lib. 1. ca. 25.

CAPVT II.

Romanorum Pontificum cura Euangelium in vniuersum orbem fuit propagatum.

Hanc curam circa gentium totius orbis conuersionem, ab initio nascentis Ecclesiæ & agnouerunt & præstiterunt Romani Pontifices, vt docte inter alios prosequitur Thomas Bozius lib. 4. de signis Ecclesiæ. signo. 6. in primis D. Petrus præcipuas totius orbis Ecclesias quibus aliæ minores obedirent, fidemque edocerentur (vt ait Tertullianus lib. de præscriptionibus) fundauit. Idcirco ad ortum, Antiochiæ, Euodium Episcopũ creauit, cui totius Orientis Episcopi parebant olim. Ad meridiem Marcũ discipulũ suũ trãsmissit Alexandriã, cuius ciuitatis Episcopus Aegypto, Arabië, Aethiopië, & Africa Cyrenensi præerat. Ad Occasum præcipuas Galliarum, Hispaniarũ, Africae, Italiae, & adiacentiũ Insularum Ecclesias constituit, vt post alios Innocentius primus testatur. Ad Septentrionem primarias in Ponto, Cappadocia, Bithynia, Græcia, Illyrio, Dalmatia, Germania Ecclesias constituit, Romanam verò voluit esse in medio positam,

veluti

Veluti cunctarum principem ac matrem; vt lux veritatis, ait Leo Magnus, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Iam populos (adijcit idem) qui ex circũcisione crediderant, erudierat. Antiochenã Ecclesiã, vbi primũ Christiani nominis dignitas est orta fundauerat. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam legibus Euãgelicæ prædicationis impleuerat: nec vt dubius de prouectu operis aut de spatio tuæ (alloquitur ipsum Petrum) ignarus ætatis trophæum crucis Christi Romanis artibus inferebas, qua te diuinis præordinationibus anteibat, & honor potestatis & gloria passionis. Hæc magnus ille Leo Attilæ terror. Sed vt ordine, & via nostra procedat oratio, recenseamus omnium Gentium singillatim cõuersiones ad Christum à Romanis Pontificibus factas, & incipiamus ab extremis Europæ partibus, cuncta tempora propagatæ Christianæ Religionis percurrentes.

CAPVT III.

Europa à summis Pontificibus ad fidem conuersa.

Ioannes Vassæus, diligentissimus antiquitatis indagator tradit anno 44. Romæ à Petro, & paulo fuisse creatos Episcopos, & in Hispaniã missos Cæcilium ad Elibertinos, Euphrasium ad Illiturgitanos, Secundum ad Abulenses, Indallentium ad Vrcitanos, Ctesiphonem ad Abderitanos, Hesychiũ ad Carthesanos. Similiter sũt qui anno quinquagesimo referat ab eodẽ Petro missum in Hispaniã Saturninũ postea Tholose Episcopũ, qui Pompelonam, siue Pompeiopolim veniens, septem dierum spatio quadraginta hominum millia ad Christum perduxit, in his Firminum Pompelone Episcopum qui anno centesimo quinquagesimo sexto, cum plurimos Christo conciliaffet in Hispanijs & Gallijs, denique ob eundem Christum capite est truncatus.

Conterminæ sunt Hispanijs Gallia, quarũ Episcopi scribes ad Leonem fatentur à Romana sede manasse fontẽ Religionis in Gallijs. Saturninum Tholose Episcopũ supra ostendimus a Petro in Hispanias missum. Et Eusebius Cæsariensis tradit ab eodem Petro Episcopũ Galliarum constitutum fuisse Crescentem atque illuc eade causa missum: eius meminit Paulus in epistola ad Thimotheum, & abijisse in Galatiam dicit. Galatiam vero Galliam intelligit, quod Galatæ a Gallis haberent originem, & ita intelligit Hieronymus & Epiphanius. Tradunt alij Eutropium Petri discipulum passim per Gallias Christi doctrinam disseminasse, missosque ab eodẽ Petro ad Carnuteses Aduentinũ, Sabininũ & Potentianũ, à Cle-

mente auté Dionysium, Rusticum, & Eleutherium. Amplius Baiocensibus Exuperius, Ebroicensibus Taurinus Episcopi à Cleméte Papa dati, à quo & Nicasius missus ad Rotomagenses, & maris Oceani tractus.

At Belgarum, Heluetiorum, Allobrogumque oras à Clemente veritatis lumine illustratas quidam scriptis prodiderunt; eumque dicunt Patrum Clementis Papæ fuisse. Iam Treuirenses, Colonenses, Aquisgranenses, Tungros, Hasbanos, Traiectéses ad Mosam, Eburonéses siue Leodiéses, Namurcumque Christo adiungere maternus, Eucharis, Valeriusque à Petro eo misi. Veluti Metenses Clemens Romanus, qui Romam rediens Cælestinum, Felicem, patienté, ministros ibi reliquit diuinę prædicationis ac magistros. Hi totum illum tractum qui modo Lotharingia dicitur Christo conciliarunt.

Quintius autem Romanus Zenonis Senatoris filius à Marcellino Papa baptizatus vna cū piatone, Dionysio, Ruffino, Valerio, Eugenio, Crispino, Crispiniano, Luciano, Marcello, Regulo, Fusiano, Victorico Religionē Christianam propagauit in Ambianis & Veromáduis. Tullenses auté máuetus S. Petri discipulus: Virdunenses Sanctinus Dionysij ad Christi cultum perduxerunt, scriptisque nonnulli mandarunt Chrisolium Armenum, vna cum piatone ciue Beneuentano Roma profectum Tornaci ad fluuium Lisam prædicasse Christi doctrinam: Demochares hæc tradit. Addit idem posterioribus temporibus Eleutherium creatum Episcopum Tornacensium à Felice tertio.

Gallijs adiacet angusto mari diuisa Britannia: ad hanc dicitur appulisse primus Ioseph ab Arimathia Ciuitate, Christianæque Religionis in ea semina sparsisse. Sed anno centesimo octuagesimo secundo Lucius Britannorum Rex petijt ab Eleutherio Papa, vt mitteret qui plenè insulam totam Christo possent conciliare, misique Fugatius, & Damianus, instituti que tres Archiepiscopi, & Episcopi viginti octo & Christi cultus late disseminatus: ita vt Origines, Tertullianus, & Ireneus scribát suis temporibus Britanniam eiusque incolas Christianos fuisse. Cælestinus deinde Papa misit ad eos Palladium, quod Prosper testatur, vt hæresim Pelagianam profligaret; sed cum succedentibus temporibus Angli in Insulá traiecissent; eamque occupassent, ideoque nomē Christianum in ijs locis fere esset deletum, Gregorius Magnus eò misit Augustinum, qui cunctos ad Christum traduxit.

Veniamus in Germaniam. In Noricis primus dicitur Christi doctrinā docuisse Valentinus autoritate Pontificis Romani: Augustæ auté Vindelicorum Narcissus Episcopus vna cū Felice Diacono. Conon Papa siue Cuno sedit anno sexcetesimo octuagesimo sexto. Is Chilianum misit in Germaniam, qui Herbipoli, dum Christi nomen prædicaret, est obrun-

catus

catus. Odoacre Rege legitur Senerinus inter Germanos Christianę Religionis propagandæ operam dedisse: sed Gregorio secundo sedente, sub annū septingentesimum decimum sextū, certas ac firmas in interiori tota Germania sedes fixit Religio Christiana. Is enim Moguntia Episcopum creauit Bonifaciū, totiusque Germaniæ illi ad veritatis agnitionē perducēdē prouinciam cōmisit. Bonifacius socios asciuit Burchardum, Lullum Villibaldū, Vinibaldū, Wittam, Gregoriūque qui Thuringinis Catistisque Christi cultum tradiderunt. Egbertus similiter, Archiepiscopus Eboracensis misit ea de causa in Germaniā duodecim Monachos VVilibrordū, Switbertum, Accam, VVigherum, VVillibaldum, Vinibaldum, Lebuinū, duos Eualdos, VVerenfridum, Marcellinum; atque ex his aliqui diuersis Germaniæ locis Episcopi cōstituti à Pontifice Romano, vt è vita Switberti constat.

Morauia Christi cultum est cōplexa, misis eo legatis Cyrillo, & Methodio à Nicolao primo. Hi & sacris aquis abluerunt Boriuorium Bohemorum Ducem, primusque Bohemiæ datus præful de consensu Ioannis noni Derthmarus. cui succedens Adelbertus latè Christi cultum disseminauit; & ad prussos siue Prutenos se conferés pro Christi doctrina est occisus. Cyrillus Christo adiunxit Triballos, Morauos, atque vniuersam gentem quæ Vistula, Danubio, & Vago flumine circumdatur.

Non prætermittam Illyrium, & Dalmatiam, & sunt qui opinentur à Tito Euangelium in Dalmatia annunciatum; nam eo concessisse narrat Paulus: sed quando Dalmatia antiquitus parebat Episcopo Aquileiensi, primumque tradunt fuisse Hermogaram à Marco Petri discipulo creatum; inde Christiana Religio necesse est fuerit disseminata. Habemus è Simeone metaphraste Eleutherium virum sanctissimum Illyrij Episcopum ordinatum ab Aniceto Papa, & in eas oras missum: sed cum in Illyrium & Dalmatiam se effudissent Sclauij Christi nomen venerari ceperunt, vna cum Rascijs Bosnensibus, Seruijs, & Croatis industria Cyrilli & Methodij quos à Nicolao primo illuc missos ostendimus.

Apollinaris S. Petri discipulus in Mysia Christi cultum propagauit. Legimus Concilio Niceno interfuisse Episcopos Mysiæ, Daciæ, & Gothiæ.

Stanislaus Orichouius scribit à Ioanne decimotertio missos qui deberent Vandalos, & Lechitas sacra Christiana.

Irruperunt deinde in Mysiam Bulgari, & Gazari qui Christo se dederunt opera Cyrilli & Methodij, quos miserat Nicolaus magnus cuius adhuc extant nonnulla responsa ad consulta Bulgarorum. Sed cum continenter bella cum Constantinopolitanis Imperatoribus gererent: factū est vt ab eis deuicti ritus Græcos sequerentur.

Cumani

Germania
conuersio.

Sur. in vita
Bonif.

Morauia
con.

Bohemia
con.

Syrina tom.
4. 2.

Iul. li. 1. c. 5.

Pannonia
Illyrij con.

Dalmatia
con.

2. Tim. 3.
Elo. Det.

1. lib. 10.

Cron. l. 3.
c. 1.

Rheg. in vita
Caro. Mag.

Mysiæ, Da-
cia con.

Ioan. Dubia.
lib. 2. hist.

Bohemia

Britannie
An glia
Papi. mas-
fo. lib. 2. in
vita Carol.
Simpl.
Polyd. Vir.
lib. 2. hist.
Angli.

Syrina in
vita San-
ctorū tom. 8.
Aug. Bie.
4. c. 5.

Polonia con. Cumani Tartari, iidem videntur cum Chunnis. Ad eos missi anno millesimo ducentesimo vicesimo primo, nonnulli è familia S. Dominici, è quibus ob eam rem duo cęsi, ceteri ad Christum perduxerunt Bathum, & aliquos Tartarorum Duces Ludouicus Hungarię & Polonię Rex eos similiter ad fidem reuocauit. Poloni agnouere Christum, micislao Principe: missusque à Ioanne decimotertio Aegidius Cardinalis Tusculanus, qui Religionem in ijs locis stabiliret, cui dum propagandę operam darent Benedictus, Ioannes, Isacius, & Matthæus, occisi fuerunt anno millesimo centesimo tricesimo, teste Theodorico.

Lithonia con. Crani. lib. 7. c. 13. Arnol. lib. c. 3. hist. Slau. Lithuania cum suo Principe complexa est Christi cultum opera Meinardi, quem Prouincię illius Episcopum creauit Alexander tertius. Ab Innocetio deinde tertio magis est confirmata. Post Meinardum duo Alberti, quorum alter alteri successit, Episcopi, maximè laborarunt in Christi cultu per eas oras propagando.

Noruegia conuersio & Borealiū Regionum. Botthnia, & Philandia valdè Aquilonares, Erico Rege Suetiæ, & Henrico Episcopo Vpsalensi aduentibus, Christi nomen agnouerunt, teste Olao: id verò maximè perfectum laboribus Nicolai Angli, qui creatus Papa, dictus est Hadrianus quartus, à quo Noruegia tota Christo est adiecta.

Græcia con. Nunc pedem referamus ab extremis Boreæ regionibus ad Græciam. Hęc maximè exculpta per Paulum & Andream Apostolos, vt constat ex eorum gestis. An verò hi senserint eadem cum Petro, quid attinet dubitare? An deinde cum Pontificibus Romanis, liquet è Concilio Nicæno, & Sardicensi, quo tempore iam passim Christi nomen in Græcia ab omnibus colebatur. Ex actis Petri, quæ Metaphrastes recitat, euidenter apparet in singulis Græcię primarijs vrbibus à Petro Episcopos primarios, quibus ceteri obedirent, & à quibus, vt ait Tertullianus, fidem mutuarentur, esse constitutos. Id ita esse, fit illud argumento: Paulus diu, multumq; ac sæpe Corinthios: & tamen Dionysius Episcopus Corinthiorum scriptor vetustissimus ait apud Eusebium, scribens ad Romanos: *Petrus & Paulus ambo, cum & nostram Corinthi, & vestram Romę Ecclesiam fundassent, & eiusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos tum vestros imbuisserent, eodem tempore pariter martyrium subierunt.* Testis est Irenæus, & Eusebius, nutantes in fide Corinthios literis Clementis Papæ confirmatos. Quod si Petrus Ecclesiam Corinthi fundauit vnà cum Paulo, verisimilius erit multò ceteras, vt Metaphrastes tradit, ab eodem esse fundatas. Denique, vt quod ad Europam spectat finem faciamus, quid in Occidente Petrus egerit, non alijs verbis explicabo, quam Eusebij Cæsariensis: sicigitur ille: *E vestigio sub ipso Claudij imperio benigna & propitia Deitotius huius vniuersitatis Rectoris erga hu-*

manum

manum genu sprouidentia sortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem (nota hæc hæreticè) facile principem Petrum Romam versus ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit: qui quidem vtpote strenuus & generosus Dux, diuinis armis obiectus, munitusq; eximiam & pretiosam tanquam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi ab Oriente ad Occasum vsque deportauit, ipsamq; regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam palam diulgauit. Hęc Eusebius: vt sciamus à Petro Occidentem Europamque Christo primum fuisse conciliatam. Contigisse id volunt nonnulli anno quadragesimo quarto, qui fuit tertius Claudij, & vndecimus à Christo crucifixo, quintus à Pauli conuersione. Atque hæc quidem generatim: speciatim verò liquet ex ijs, quæ suprà ostendimus, nullas Europæ partes splendore Religionis Christianæ illustratas, nisi studio illorum, qui studiosissimi essent Pontificum Romanorum, vel ab ijs ad hanc rem nominatim missi fuissent.

CAPVT IV.

Propagatio sancti Euangelij in Asia à Romanis Pontificibus facta.

NVnc ad Asiam sermonem conuertamus, & inspiciamus an sit verum quod Petrus ipse de se afferuit, se ab antiquis diebus electum cui gentes crederent, & audirent, & ab Ecclesia nostra cunctos populos (vt cecinit Isaias & Michæas) ad montem Domini, domumque Iacob inuitatos, & perductos tentoriaque diuinæ Religionis in omnibus orbis regionibus explicata.

Diximus porrò à Petro fuisse Antiochię Episcopum constitutum Euodidum, teste Eusebio, qui id anno quadragesimo quarto contigisse in Analibus tradit. Idcirco Ignatius Ecclesię Antiochenę primordia refert ad Petrum & Paulum. Iam verò Episcopus Antiochenus Orienti toti præerat, vt scribit Hieronymus aduersus Ioannem Hierosolymitanum, & Theodoretus in historia sua. Quod adeò est verum, vt ipsa Hierosolyma, & Episcopus eius subesser Episcopo Cæsariensi, vt idem Hieronymus eodem loco scribit, & apparet è Concilio Nicæno, cui primas deberi ante Hierosolymitanum manifestè habetur in eodem Concilio. Cæsareæ autem fuit Episcopus à Petro constitutus Cornelius Centurio, vt omnes norunt. Igitur opera Petri & Episcoporum, qui ab ipso originem ducunt,

G Religio

*Antiochia
Metropolis
Orientis.
Lib. 5. c. 11.*

Euseb. lib. 2. c. 24. hist. Eccles. Iren. lib. 2.

Lib. 2. c. 23.

CAPVT V.

Indiæ Orientalis maxima pars summorum Pontificum
cura ad fidem reducta.

Qvis verò ignorat in Indijs Orientalibus quanti fiant indies singulos rei Christianæ progressus per nostros? Infiniti laboris esset, & à præfenti instituto alienissimum, cunctas vrbes, Regiones, ac populos, in quibus quotidie amplissima capit incrementa Christi pietas, enumerare. Indias namque Orientales latissimas esse nemo ignorat. Aliquid tamen adferamus. Et quamuis plurimi operæ plurimum posuerint, vt Christi nomen ab omnibus per ea loca agnosceretur & coleretur, in quibus Henricus postea Septensis Episcopus, magnæ sanctimonie vir, cum socijs quinque ex Ordine S. Francisci: præcipua tamen laus omnium consensu Francisco Xauerio Societatis IESV debetur. Is enim à Paulo III. Legatus à Latere constitutus, ab eodem in regionem illam Orientalem destinatus, soluens Vlyssipona anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo, cunctas oras, quas Oceanus ab Indico mari vsque ad extremos Chinas (id est totius orbis ambitus dimidium) circumfluit, Euangelij prædicatione illustrauit, ac repleuit, obiitque anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, Indiæ peregrinationis vndecimo, in Insula Santiano Chinis adiacente.

Insula Iaponis est nobilissima & maxima: distat eius extremum littus ad Austrum spectans ad æquinoctiali gradibus triginta quinque, & initio longitudinis recta ducto ab Insulis Canarijs abest gradibus centum & octuaginta, soluentibus verò ab Vlyssiponæ portu leucis omnino sex mille. In hac insula Franciscus ille Xauerius altissima Religionis Catholice fundamenta iecit anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono. Vidimus nos ipsi anno superiore magna nostra latitia Legatos illinc missos Romam à Francisco Bungi Rege potentissimo, & à Rege Fuinghæ Mancium, à Protasio Rege Arimæ, & Bartholomeo Rege Omuræ Michaellem, qui nomine illorum Regum Pontifici Romano obedientiam præstarent. Maxima verò in illis locis quotidie Christiana Religio per Catholicos incrementa capit, plurimique Principes, & innumera hominum multitudo Ecclesiæ Christianæ in dies singulos aggregatur. Ob eam rem Pontifex Romanus tria Seminaria instituit in diuersis insulæ locis & annuos sex mille aureos adiuuenes Christiana disciplina informandos

DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC:

Religio Christiana in Oriëte propagata. In Asia verò minore ab ipso Petro Christi cultû propagatû, creatosque suis locis Episcopus Metaphrastes latè describit: quod esse verum colligimus ex Epistola ipsius prima data ad aduenas Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ, cum Romæ esset vnâ cum Marco discipulo suo, per Siluanum, vt apparet ex Epistole sine. Neque suspicetur aliquis illam ad Iudæos dumtaxat scriptam, quod opinati sunt nonnulli: manifestè namque dicit in illa, eos aliquando fuisse non populum Dei, & multis in locis è gentibus fuisse illos ait, & idolis ad dictos. Quo verò sensu aduenas vocauerit, explicat idem, cum dicit: *Obsecro vos tãquam aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs.* Ideo Epistola secunda, quam se ad eosdem mittere capite tertio profiteretur, ad omnes generatim datur. In prima autem Episcopus in primis alloqui palam fit ex vltimo capite, in quo longius quàm ceteros nominatim monet, & obtestatur tanquam Episcopus & Compresbyter, siue consenior, per principem Pastorum, vt ait, Christum. Quocirca siue spectes Asiam, quæ magis ad meridiem, siue quæ magis ad Septentrionem, siue quæ magis ad occasum vergit, à Petro omnes Episcopi primarij primarijs vrbibus olim dati, Pontus, & Asia minor maximè ad Boream; Antiochia magis ad Austrum, Cæsarea verò ad Occasum spectat.

Cobila deinde sextus Imperator missis ad Clementem quartum Legatis, petijt vt mitterentur qui sacra eum mysteria docerent: Quod petijt, impetrauit. Quod autem diximus ad Clementem quartum missos ab Imperatore Tartarorum Legatos, sciendum à Clemente quinto fuisse ordinatum Ioannem à Monte Coruino è familia Minorum Archiepiscopum Cambulésen in Oriente, nouemque ex eadem familia fratres Episcopos, vt vocant suffraganeos fuisse consecratos, palliumque datum, cautumque qui succederet illi morienti propter distantiam loci. Rursus Ioannes vigesimus secundus quemdam ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopum Sultonensem creauit, adiecitque ex eodem Ordine septem suffraganeos Episcopos. Imperante similiter Constantino magno Armenij Christo se adiunxerunt vnâ cum Teridate eorum Rege: id est perfectum studio & innocentia Gregorij, qui postea Episcopus est illis datus.

In persia post Apostolos, Cyriacus Diaconus Romanus Christum prædicans, Saporem Regem, cum pluribus alijs Principibus ad Christi cultum perduxit; missus autem fuit ad illum Regem Roma à Marcello Papa.

attribui iussit. Atque hoc anno, qui est millesimus quingentesimus octuagesimus octauus, Sixtus Quintus primum Bungo Episcopum dedit.

CAPVT VI.

In Indijs Occidentibus summorum Pontificum iussu
Euangelium promulgatum.

A NNO millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo Christophorus Columbus natione Genuensis, diuino, vt exitus ostendit, impulsu afflatus, acceptis à Regibus Hispaniæ Ferdinando & Isabella nauibus tribus, Hispali soluens, post longam multorum mensium nauigationem tandem peruenit ad insulam quandam, quam quod Sancti Dominici die festo inuenissent, eiusdem nomine nobilitarunt. Inde aditus patefactus ad amplissimas regiones, quæ procul dubio conficiunt tertiam totius orbis partem, in quibus longè lateque varijs temporibus per nostros Christi cultus est disseminatus, & hodie maxime viget, floret, & vberimos fruges producit. Primus Euangelij præfuit Buil Catalanus ex Ordine Sancti Benedicti, quem Papa Alexander Sacerdotibus duodecim præfecit, suafque in ijs regionibus illi partes mandauit.

CAPVT VII.

De Africae ad fidem conuersione.

*Alexandria
Metropolis
à Petro con-
stituta,
1. Pet. 5.*

PERVAGATI sumus orbem ferè totum. Reliqua est Africa sola: percurramus & ipsam, & videamus per quosnam fuerit Euangelij lumine illustrata. Diximus Marcum Petri discipulum fixisse Alexandriae sedem, quæ secunda erat antiquitus à Romano, vt nemo qui legerit historias sacras ignorat. Illi parebat Ægyptus, Arabia, Æthiopia, Libya, Cyrenensis. Igitur hoc Marcus petri filius: ita namque ab ipso Petro appellatur. Africae reliquum obediebat Episcopo Carthaginensi. Hic Simeon Metaphrastes narrat à Petro Episcopum fuisse constitutum Crescentem. Ob id Cyprianus ecclesiam Romanam vocat non modò Africanam, sed Catholicam radicem ac matricem. Hactenus Bozius.

Igitur

Igitur cum Pontifici Romanæ onus hoc incumbat, iure optimo, ipsum adire solent Reges aut nationes Infidelium ad fidem conuerti cupientes, tanquam ad Ecclesiæ solem, ac limpidissimum doctrinæ fontem ab ipso illuminari, ac veritatis diuinæ radijs illustrari poscentes. Sic enim olim ad Symmachum Papam Orientales literas dedisse constat. Quotidie etiam hoc tempore varij gentium Legati ad Romanam sedem accedunt S. Euangelij ministros idoneos postulaturi. Vidit nuper Roma & exhilarata est tempore Sanctissimi Domini nostri Pauli. V. in vrbe Legatum à Rege Congi hanc ob rem à longissima regione missum.

CAPVT VIII.

Cura & sollicitudo conuersionis Infidelium spectat etiã ad
Principes Christianos tam seculares quàm
Ecclesiasticos.

AD Principes omnes Christianos etsi non ita arctè, vt ad Pontificem summum, spectat vt quoad possint Ecclesiæ regnum amplificent, & non solum conatibus vniuersis euitantur, vt Religionis cultus vbi coaluit altas mittat radices, sed & vt protendatur eò, quò forte antea nunquam pertigerat, ac deinde vt suo labore & industria his qui iacent in vmbra mortis, candidissimum fidei Catholicæ lumen perferatur. Profecto Hispaniæ Reges, pij ac magnanimi ea potissimum de causa à Deo prosperis successibus foueri videntur, quod Religionis ardore non regnum dumtaxat suum quo potiebantur mirificè excoluerunt, sed & victis Oceani fluctibus ad extremos Indos tam Orientales quàm Occidentales Christi nomen, culturamque perduxerunt, nec non ad Iaponias, ac Chinas felici ausu aditum aperuerunt. Emanuelli Christianissimo Lusitanæ Regi, Ioanni que eius filio debetur hæc laus, vt Christi Euangelio ad remotissimas illas oras & antiquis inuias tutus ac facillimus fuerit aditus apertus, ita vt Christiana in amplissimis illis regionibus Religio longè lateque potuerit disseminari. Ferdinandi vero Catholicissimi Regis, & Isabellæ Reginæ industria & labore aditus est patefactus ad vastissimas Occidentalium Indiarum prouincias, in quibus Euangelium, Christi que nomen mirificè est propagatum. Quare non immerito Catholicorum nomine Hispani Reges gloriantur, vt pote qui pijsimum hoc & plane Apostolicum munus ex summorum Pontificum commissione exercent, & non modò propagandæ fidei zelus omnes Principes in rem hanc deberet impellere, sed & ipsamet politica

ratio, quæ vniuersos orbis principes mouet ad suam ditionem tuendam, vrgere deberet viros Christianos ad infidelium conuersionem. Quomodo enim constabit integritas fidei, aut Catholicorum modicus numerus, si à tot Infidelibus impugnetur, ac minuat? Certe fatendum est (vt luctuosus constat historijs) plurimos Christiana cultura destitutos in Indijs, Aethiopia, & Europa, ipsa à fide Catholica vel sponte deficere, vel ab alijs ad eam defectionem peruerti. Tantundem ergo diminuitur populus Christianus, quantum hostes augentur. Atque idcirco politicè quoque agendo, nisi in conuersionem Infidelium Catholici principes incumbant, iusto Dei iudicio eorum potentia viresque minuentur. Sane ante annos circiter centum, Septentrionalia Regna aliarque Prouinciæ, vel vrbes Italiæ finitimæ, nondum à castris Ecclesiæ defecerant. Cur ergo timendum non sit, ne serpent errores, & quod reliquum est inficiant?

Sed & principes Christiani ad opus conuersionem incendi deberent quamuis nullos Infidelium paterentur incurfus. Omnes quippe principes non modo suos Principatus tueri, sed amplificare conantur, vt plures populos habeant vel subditos, vel fœderatos. Cum ergo iesu Christi regnum esse debeat omnium amplissimum, quomodo Redemptoris nostri defiderio satisfiet, si ij quibus regni sui administrationem commisit, non studeant Catholicam fidem, per quam ille regnaturus est, infidelibus nuntiare? Et quidem vis rationis huius efficacissima est, si Christi gloria spectetur: verum etsi illa non adeo purè spectaretur, pòdus immensus haberet. Interest enim Principum Ecclesiasticorum, & secularium in vltimis terrarum oris, & Reges & nationes multas tributarias vel confœderatas habere: quod certè bonum multiplex fidei prædicationem subsequitur. Etsi omnes principes caritate imperante, idque alijs poscentibus titulis, huic conuersionum operi accingi oporteret, Hispaniæ tamen Reges, non caritatis tantum, sed & Iustitiæ obligatione tenentur nihil prætermittere, quod ad Indos Christo lucrandos, fidemque in illis vastissimis regionibus promulgandam pertineat. Nam & summi Pontifices Catholicis Hispaniæ Regibus noui orbis gentes adire, easque ad fidem conuertere curam detulere: vt hoc tanquã proprium & peculiare munus agnosceret & curarent. Cum enim classibus vsque adeo crebris, & magnis, apparatu quoque ingenti opus sit, propter immensam Oceani nauigationem, & terrarum regiones plerumque incommodas, & egentes, non potuit villo modo nisi Regiæ potentia res tanta committi. Cur verò Hispaniæ Regibus potius aut solis, (si modò absit inuidia) non est ab æquitate alienum, cum & illorum auspicijs, atque ope primum inuenta vrtaque India sit, & nauigationi Oceani oportunissima Hispania sit. Denique primi illi eam prouinciam & petiuerunt, & studiose curarunt. Neque est cur de Summorum

Ponti-

Pontificum voluntate conqueratur quispiam, si onus vt reuera est, idque grauissimè premens, cogitur. Eiusmodi prædicationem consequitur, vt quæ ex Infidelibus barbaris, Christianam Religionem profiteri velint, ad curam Principum Christianorum, tutelamque pertineant. Id cum literæ Alexandri VI. copiosè doceant, quarum concessione ad hunc modum rectè viri doctissimi intelligunt, non est, cur in hac causâ diutius hæreamus. Neque enim posset aliter Fides in tot populis recens, & tenera permanere ac crescere, nisi Christianorum Principum patrocinio, fide, potètia aduersus inimicorum Christi defenderetur iniurias. Barbari naturâ efferati & insolentes fœdera, atque amicitias parum curare soliti, rationem facile contemnent, quoniam modo frænari, tenerique possint, nisi nostrorum vim pertimescant? Quare Hispanorum Principum est Indos tueri, eorumque æternam salutem idoneis ministris procurare, atque eos ad Euangelij gratiam prouocare, de fide instruere, instructos moribus informare, ac denique nihil prætermittere, quod ad illos lucrificandos pertineat, & quod officij sui hanc esse propriam obligationem agnoscant.

Maximè verò omnes Christiani principes tenentur siue Ecclesiastici siue seculares sint, quorumcunque Infidelium, qui ad ipsos quoquomodo pertineant, curam in Spiritualibus gerere, ac prædicatores mittere, à quibus ad verè fidei agnitionem perducantur; potissimam autem cura hæc exercenda est circa Infideles, qui in eorum terris Christianis commiscuntur. Negligentiam verò Prælatorum hac in re adeò sentit D. Gregorius, vt ad Ianuarii Episcopum scribat his verbis: *Rusticos, quos habet Ecclesia tua, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestra permisit. Et quid vos admoneo, vt extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Vnde necesse esse, vos per omnia in eorum conuersionem vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia Insula paganorum rusticum inuenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam vero si rusticus tanta fuerit perfidia & obstinationis inuentus vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis sua pena compellatur ad reuersionem festinare.* Ex qua sanè tanti Patris auctoritate, & diligentiam discimus conuersioni infidelium adhibendam, & modum, si se duriores præbuerint, rusticitate magis animi quam electione rationis, cuiusmodi barbari penè omnes sunt, iudicij vix sententiam sequentes, sed impetu aut consuetudine impulsus, vt hi certè seueritate quadam salutari compellantur intrare.

Neque solis Episcopis hanc curam exercere ex officio incumbit, sed & alios principes siue nobiles seculares tangit: vt optimè idè Pontifex lib. 3. Registri Epif. 23. scribit in hunc modum: *Cognoui panè omnes vos rusticos in vestris possessionibus idolatriæ deditos habere, & valde hac de re contristatus sum.* Et post pauca: *Vnde magnifici filij exhortor, vt omni cura omni que sollicitudine animarum ve-*

strarum

strarum zelum habere debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo de subiectis reddituri estis afficiate. Ad hoc quippe illi vobis commisi sunt, quatenus & ipsi vestra utilitati valeant ad terrena deservire, & vos per vestram providentiam eorum animabusea, quae sunt aeterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non solvitis quod debetis? id est, ut assidue illos magnitudo vestra commoneat, ab idolatria errore compestat, quatenus eis ad fidem ductis omnipotentem Dominum erga se placabilem faciat. Hæc Gregorius.

An verò possit Princeps siue secularis siue Ecclesiasticus subditos sibi infideles cogere, ut fidem recipiant, an verò tantum ut Euangelium audiant, dicemus infra suo loco. Nunc verò ut omnes agnoscant ab Alex. diuisionem factam inter Reges Lusitaniae, & Hispaniae, quibus Oriëntales & Occidentales Indias partitus est non sine diuino consilio, ac Spiritus Sancti afflatu factam fuisse: ac ob hanc causam tum in regnis ipsis vberimos fructus, tum ipsis Regibus diuitias magnas Imperijsque dilatatione incredibile attulisse; ex eo maxime probat Thomas Bozius de signis Ecclesie; Nam cum Galli, qui in Indijs occidentalibus, nouas Gallias siue Fraciam nouam sibi armis pararunt; nihil inde profecerunt. Angli quoque, qui nescio in quas terras earundem Indiarum appulerunt, nihil promouerunt: non enim adfuit illis Pontificis Romani benedictio, nec liberalitas, ex quo factum credo, ut quamuis armis & opibus in his navigationibus non essent inferiores Hispanis, nihil tamen profecerint. Non etiam adfuerunt illis auxilia Monachorum Religiosorumque hominum sanctitate per excellentium, qui missiones Apostolicæ sedis decreto exequerentur. Hæc Bozius.

Sed ut curæ quam Reges Hispaniæ & Lusitaniæ in Indorum conuersione præstiterunt, ac eorum successores in hac re præstare tenentur, vestigia aliqua ostendamus, libuit hic Ioannis Lusitani Reges Epistolam ad Castrum Orientalis Indiæ Prætorum ex Mapheo lib. 1. referre.

Ioannes Rex, Ioanni Castrum Indiæ Prætori amico salutem.

Quod non ignoras, Idololatria tam graue piaculum est, ut ea in meis regnis ferenda villo pacto non sit. Delatum est autem ad nos, in Ioannis finibus tum publicè, tum priuatim coli sacella Idolorum: præterea ludos ritusque ethnicos celebrari palam. Ac proinde tibi etiam atque etiam mando ac planè iubeo idola omnia per idoneos administratos inuestigata & vndique sublata comminuas, comburasque, & cum grauibus edicis minui, ne cui prorsus vllum eiusmodi simulacrum aut signum ex are, ligno, agilla, gypso, aliove metallo, materia, massa fundere, ducere, sculperè, fingere, exprimere, figurare, aut aliunde importatum habere, seu sacra, ludosue ethnico more facere aut Brachmanas Cociuatores magistrosue, teterrimos Christi aduersarios, vlla ope iuuare, vel tecto recipere liceat. Qui secus faxit penis in edicto propositis nulla remissione multator. Et qui gentes ad legitimum vnus Dei cultum, non modò spe futurae beatitudinis, sed etiam præsep-

presentibus interdum premijs inuitanda sunt; curabis enim, ut redempturæ vestigalium, curationes publicæ, & alia munera quæstiuosa, in homines ethnicos in hunc diem conferri solita, in ipsos Christi Neophytos primo quoque tempore transferantur. Ad classes meas delucendas audio promiscuum cogi vulgus Indorum. Placet excipi Christianos. Quod si necessitas eorum quoque operas interdum exegerit; videbis omnino post hæc, uti quotidiana illis merces ac iusta solvatur. Atque hoc toto de genere Michaëlis Vasæ sententiã exquires: quæ nos virum & publicæ rei bene peritum, & Christianæ Religionis apprime studiosum animaduertimus. Ad hæc, certis auctoribus magno mihi meo dolore cõpertum est, ab Lusitanis hominibus vili pretio cõempta mancipia, quæ apud Christianos dominos per facili negotio ad baptismum adduci possint, Mahometanis ac barbaris mercatoribus, ad non dubium animorum interitum, vberioris quæstus causa venudari. Ad piaculum ne admittatur in posterum, neu seruitia vlla nisi Christiano emptori aut licitatori addicantur, item graui canebis edicto. Feneratorum licentiã, quã certo capite Ganarum legum ali deditimus, fac Imperio atque auctoritate coerceas: idque caput de Legum serie quã primùm expungas. In oppido Bazanio templum diuo Iosepho extruitor, idoneumque stipendium alendo vicario, & beneficiarijs aliquot, de meo assignator. Annua porro tria pardaum millia in impuras Mithumetis ædes, & nefarium cultum, ab eius sectatoribus impendi ante hæc solita; Euangelij præconibus & conuersionis adiutoribus in posterum numerantur. In agro Cialensi Neophytis à Michaële Vasæ institutis, & si qui præterea ad Christum accesserint in meis vestigalibus trecenti quotannis oryxæ molli ab Antistite diuiduntur. Ages etiam cum ipso Cocini Rege, uti ritus quosdam Ethnicos ab ipsis auguribus in piperis venditione adhiberi solitos (quando quidem nihil ipsius ea res interest) de nostro commercio tolli permittat. Ab eodem Rege aiunt Indos ex eius ditione, qui relictijs Idolis Christiana suscipiunt sacra, fortunis omnibus illic spoliarum: Ab eiusmodi immanitate & tu omnibus nervis amicam Regem niteris auertere: & nos ipsi quoque in eandem sententiã ad ipsum literas dabimus.

Qui ex Ethnicis ad Christum sese conuertunt, eos audio tanquam sceleratos & sacros à parentibus, cognatis, amicisque tecto eijci, bonis eueri, ac summa protinus in solitudine atque egestate versari. Horum tu inopia subleuanda, communicata cum Vasæ re, annuam de meis redditibus pecuniæ summã decernes distribuendam a Sacerdote qui eiusmodi Neophytorum instructioni præfuerit. Ceilano insula, regius, uti fertur, adolescentulus, impijs auuncle an parentius? effugiens manus, Goã Baptismi gratia se contulit. Huius in persona quanto ad aliorum conuersionem haud leue momentum est, tibi operam uti doctrina quidem ac moribus in Diui Pauli Collegio cum alumnis ceteris imbuetur: quod verò a victum cultumque attinet, lauto separatim hospitio, mea impensa copiose ac liberaliter habeatur. Significauit is ipse mihi per litteras ad Ceilani regnum sibi ius actionemque competere: videbis quidnam hoc sit: totamque rem probe exploratam & cognitam ad me perscribes. Quod autem Tyrannus in suos populares, qui Euangelio credidere tam crudeliter seuit, seras quidem illas, verum amen-

debitas, tanto sceleri pœnas ab eo per te quam primùm exigi volo: & grauem audaciã mercedem statui: quo intelligant omnes nihil esse mihi antiquius, quam vt omni ex parte integri incolumesque seruentur, qui à dæmonum castris ad Christiana transferrint. Ab Ethnicis artificibus, Christi domini, virginis Matris, & Sanctorum imagines pingi, atque adeo circumferri venales, minimè decorum est nomini Christiano. Tu ergò cum proscriptionis aut virgarũ minis edices, ne cui profano tabulas eiusmodi pingere, aut vendere quoquomodo in posterum liceat. Paroeciale Cocini templum, itemque Colani, dudum inchoata, patere imbribus putrifacienda, turpissimum est. Vtrumque tu architectis ac fabris adhibitis, quamprimum tegendum ac perficiendum curabis. Placet etiam in vico Noroa templum Diuo Thomæ Apostolo fieri, Calapore cœptam Sanctæ Crucis adẽm absolui; Itemque in Ciorano Insula templum excitari. Præterea, locis idoneis auditoria, scholas institui, ad quæ statis diebus non Christiana modò plebs Catechismi causa, verum etiam Ethnici ad audiendum Euangelium vel inuiti conueniant. Quando quidem in ista mea ditione mihi primum omnium & maximum est obsequiũ Dei & Christianæ Religionis amplificatio, cupio vehementer è Talsctanis quoque & Bardejs finibus, quibus mihi nuper Idalcæ cessit, idolorum cultum, ac profanas gentium superstitiones prorsus euelli. Id quod citra tumultum ac vim hoc præsertim initio fiat. Expedi, rationibus ac disputationibus quam lenissimè populos edoceri, quanto in errore, ac veritatis ignoratione versentur: quamque vel peruersum vel impium sit, cultum vni debitum Deo, simulacris lapidibusque ab homine tribui. Porro ad eas pellendas tenebras cum alios viros adhibebis virtute & eruditione præstantes, tum verò tu ipse primarios gentis euocare, alloqui, monere non desines, atque omni ratione ad Christum allicere. Qui sese dederint, hosce, in fidem receptos, non tueberis modo, sed etiam pro suo quemque captu fouebis ornabisque. Hæc omnia scito maiorem in modum nobis esse cordi: quæ singula te pro tua industria & probitate sedulo curaturum esse credidimus. Almerini 8. Idus Martias. M. D. XLVI.

DE

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM LIBRI II.

PARS SECVNDA.

Religiosorum omnium instituto congruere, pro Hæreticis, aut Infidelibus iuuandis studium.



Religiosis Ordinibus, quantumuis solitudini, ac contemplationi vacent (exceptis forsã illis, qui Eremiticam vitam profitentur) valde esse consentaneum, immo expeditissimum, Ecclesiæ conatus in animarum conversione adiuuare, ostenditur tam ex regulis ac institutis Religiosorum omnium, in quibus animarum studia non interdiciuntur, quam ex multis alijs argumentis. Immo verò Religiosos omnes præ alijs huic functioni esse aptissimos, tum ex fructu à Religiosis Ordinibus in Ecclesia Dei percepto, tum ex alijs capitibus plenissimè comprobatur.

CAPVT I.

Religiosis omnibus cuiuscunque Ordinis sint, valde consentaneum esse proximorum saluti, ac peculiariter Infidelium conversioni studere.

Quamuis ad Petrum, eiusque Successores, quibus vniuersalis Ecclesia à Christo commissa est, singulari quadam ratione, & debito pertineat, ex non ouibus oues facere, vt ouile vnum in Ecclesia confurgat; quia tamen Romani Pontifices per seipsos id præstare non possunt, decre-

uerunt viros idoneos sibi coadiutores eligere, qui ipsorum auctoritate officium hoc prædicandi gentibus Euangelium obirent: nam etsi Episcoporum, qui hac in parte Apostolis successerunt, munus hoc esse videatur; tamen neque Episcopi omnia præstare possunt, & ipsi etiam suarum dioceseon limitibus conclusi sunt. Quare Religiosos Ordines Pontifices sibi in hac functione tanti oneris socios assumpserunt, qui Apostolica auctoritate freti, totum terrarum orbem doctrinæ luce illustrarent, ac vitæ pietate, & ardore inflammarent. Et quamuis in Ecclesia olim fuerit concertatio maxima, an Religiosis etiam Mendicantibus munus prædicandi, Sacramentaque administrandi competeret: surrexit enim Guilielmus quidam oppidi Amatoris, eique amentia, & scelere pares alij Doctores Parisienses, qui tum in voce, tum iustis voluminibus editis, necliteris studere, nec ad populum concionari, nec penitentium confessiones excipere, licitum esse Religiosis affirmarunt; eaque potissimum ratione ducti, quia Monachis potius plangendi, ac contemplandi, quam docendi officia competere. Repugnarunt tamen acerrimè his, qui Dei gloriæ, animarumque saluti aduersabantur, duo vtriusque illius temporis lumina, B. Thomas, & D. Bonaventura: & hic quidem pauperum Apologiam, ille verò opusculum edidit contra impugnantes Religionem.

Sed antequam D. Thomæ argumenta proponam, illud est præclarum inter alia, ac primo loco ad horum impietatem improbandam præmittendum, quod, etiam olim, antequam Monachi Sacerdotum munere fungerentur, ipsorum illa erant propria, iugis scilicet oratio, psalmodia, vigilia, ieiunia, & aliæ exercitationes, diuinorum contemplatio, atque ipsa viuendi ratio victu, vestitu, & loco à reliquorum hominum communione, iuxta nominis etymologiam distincta: Monachi enim appellati sunt ab indiuidua illa, & singulari vita, & à rebus alijs separata, quæ profitebantur. Vnde apud Dionys. Areopag. vniuersus ille consecrationis ritus, quem ipse c. 6. Ecclesiast. Hierarchiæ affert, secessionem hanc, & separationem, ac transformationem, in vitam vnificam, & Dei contemplatiuam designat. Extant hac de re plurima Patrum decreta apud Gratianum, & apud Iuonem. Ex Concilio quidem Nicæno Canone sexagesimo primo inter Arabicos legitur, vt Monachorum conuersatio iuxta eorum nomen à reliquis sit discreta. In Chalcedonensi autè c. 4. Monachorum vita, oratione, ieiunio, quiete, & clausura definitur. Hieronymus verò ad Riparium, ad Paulinum, ad Heliodorum, ad Rusticum, & ad Desiderium, solitudinem, orationem sine intermissione, vigiliis, laborem manuum, Diuinorum contemplationem, ac vitam penitentem ex Apostolico instituto prorsus ab alijs seiunctam, & pro illorum nominis ratione

singularem.

singularem, propria illorum esse docet: ac proinde omnes ferè Monachi olim solitariam, & eremiticam vitam ducebant.

At verò postquam Monachi ad Presbyterorum, ac Sacerdotum gradum ascenderunt, iam ipsorum Religiosorum Sacerdotum illa propria officia sunt, ex ipsa Christi institutione, vt saluti hominum procuranda, tanquam coadiutores Dei incumbant, disciplina morum, & doctrina fidei alios edificent, verbi ministerio, Sacramentorum administratione, vita exemplari, & oratione populo profint. Denique (sicut à Dionysio traditum est) vt purgent, illuminent, & perficiant alios, quæ actiones propriæ sunt Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quam Christus secundum exemplaris sui cœlestis formam in terris instituit, hoc est, vt legatione inter homines pro Christo fungerentur. & opus illud promouerent, quod Christi atque Apostolorum est; quodque solum toti Ecclesiasticæ Hierarchiæ fuit demandatum, quam institutam à Christo Domino accepimus, ad retinendam doctrinæ ab eo traditæ puritatem, atque ad excitandos, & iuuandos homines, vt æternam salutem consequantur. Quæ cuncta adhuc clariora sunt ex Euangelicis, & Apostolicis libris, atque ex ipsa Patrum canonica institutione, vno ordine dicentium, ordinem vniuersum Sacerdotum vni huic operi consecratum fuisse, vt ab omnibus alijs curis liberum, & immune esset, ne qua re impediri, vel retardari posset ab eo ministerio, quod principem locum in Ecclesia Dei tenet, vt grauissimè, & eleganter multi Patres affirmarunt. In primis S. Greg. Nazian. in Apolog. Presbyteri (inquit) officium, cœlestem quandam vitam requirit, primo purgari, deinde purgare; sapientia instrui, & sic alios sapientes reddere; lumen fieri, & alios illustrare; accedere ad Deum; & alios adducere; sanctificari, & alijs sanctitatem adferre. Sanctus Ioan. Chrysof. Hom. 11. in Marcum: Sacerdotalis officij est posse docere populum. S. Hieronymus ad Rusticum Monachum, epist. 4. sic (inquit) viue in monasterio, vt Clericus esse merearis. & infra: Multo tempore disce, quæ postmodum doceas. Quod si populus, vel Episcopus in Clericum te elegerit, age ea, quæ Clerici sunt. Sic Hieronymus; quibus clarè innuit Monachos Clericos omnia Ecclesiastica munera Clericorum propria debere exercere. Quis verò primus fuerit, qui in Occidente Monachismo inseruerit Clericatum, prædicatur à S. Ambrosio libro 10. epist. 82. S. Eusebius Episc. Vercellensis: quod & ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonensis transevit in Gallias; & S. Augustinus in Africam, & ante ipsos in Orientem Basilus Magnus, qui omnes admirabili quadam connexionem duo hæc perfectissimæ vitæ genera, Clericorum, & Monachorum, eorumque functiones in vnum pariter coniungentes, tanquam splendidissimis luminaribus sibi ipsis, aliisque lucentibus Christi Ecclesiam exornarunt. Ex quibus, aliisque innumeris Patrum testimonijs, quid addat Presbyterium ad Monachum,

num, quæ, & quales virtutes requirantur in eo, qui tractaturus est de æterna animarum salute, non obscurè constat: ob quam causam Religionis Institutores monastico instituto Sacerdotalis officij dignitatem, ac curâ adiungere, atque ex eo proximorum salutis procurandæ, quasi quodâ debito se astrinxerunt.

Quare Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri ad Basilium, ex hoc maximè Basilium commendat, quod pietatis Gymnasia, siue Monasteria extruxerit, ut & Monachi contemplationi, & aliorum salutis iugiter studeant. Hoc igitur Basilij studium & inceptum in posteriorum Religionum institutione magnos progressus fecit. Nam Monasticæ disciplinæ, & sacerdotij virtutes, & utilitates ita vnus vitæ cõmunionem permixtæ sunt, ut verè illius solidæ virtutes, atque utilitates Sacerdotij ministerijs, & exercitatione extra umbram, & solitudinem positæ illustriores fiant, & quàm maximè fructuosæ. Quippe Sacerdotij ministeria Religiosis virtutibus adiuta tranquillitatem animi, & puritatem non impediunt, sed potius perficiunt, & oratione, ac diuinorum contemplatione quasi accensa feruentius, & cum vberiori animarum fructu exercentur. Vnde item fit, ut aliorum utilitas cum propria utilitate coniuncta semper sit; nam in omni ministerio, & actione ad renouationem spiritus perpetua veteris hominis mortificatione, ad augmenta virtutum, ad maiorem Dei gloriam, Religiosorum Ordinum auctores, & Duces semper aspirarunt.

Nam postquam Basilij sanctissimis legibus Religiosos, tam in ordine ad propriam salutem tuendam, quàm ad proximorum iuuandam, procurandamque Euangelica lux in Occidentem illata, caliginem Europæ discussit, surrexit almificus Monachorum Pater Benedictus, cuius Regulas plurimi sunt amplexi. Bernardus quoque ac ceteri Ordines, præcipuè verò illi quatuor, qui Mendicantium vocantur, illuxere mundo, minantemque ruinam Ecclesiam indefesso labore sustentarunt, instaurarunt, atque in varias nationes propagarunt; idemque alij Ordines executi sunt, qui veluti nouæ cohortes prodierunt in campum, animasque, quam plurimas à laqueis Diaboli in Euangelij lucem, ac libertatem reuocarunt, ut latius frequentibus exemplis demonstrabitur.

Conuenientissimè igitur Religiosi, postquam Sacerdotales functiones Monachati sunt annexæ, prædicandi, ac docendi munus exercent. Quare merito sententiam Guilielmi D. Thom. Opusc. 19. cap. 4. in primis censet erroneam, & in proœmio eiusdem Opusc. asserit Diabolum inuidum Diuinæ gloriæ & humanæ salutis per ministros suos (loquitur de Guilielmo, eiusque complicibus) gloriam Dei, & animarum salutem niti impedire. Et Secunda Secunda Quæst. 187. art. 1. Stultam, inquit, esse opinionem dicentium,

dicentium, quod status Religionis impedimentum adferat talia exsequendi. Ecce, qua ratione D. Thomas errorem, & stultitiam censet asserere, Religionis alicui esse contrarium salutis proximorum prædicationem verbi Dei, aut confessionum auditionem consulere: loquitur autem D. Tho. ut luce clarius constat ex contextu, de omnibus Religionibus, tam de ijs, quæ sunt institutæ ad vacandum contemplationi, ut sunt Monachales omnes, quam de illis, quæ actioni & contemplationi vacant, ut ipse docet in cap. primo eiusdem Opusc.

Hanc verò sententiam tribus inter alia conuincit argumentis. Primum affert, illudque egregium 2. 2. q. 187. art. 1. vbi quærens D. Tho. an liceat Religiosis prædicare, & docere: Respondet, non solum non impediri ratione status Religiosos ab hoc munere, sed potius esse magis idoneos exercitio sanctitatis, quod assumpserunt: *Stultum autem est dicere, ut per hoc, quod quis in sanctitate magis promoueat, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quod ipse status Religionis impedimentum adferat talia exsequendi, quorum errorem excludit Bonifacius Papa in cap. sunt nonnulli. 16. 1. vbi sic dicitur: Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes, Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potentia indignos: sed omnino labuntur quod ostendit; primo quidem, quia non contrariatur Regula: subdit quippe, Neque enim D. Benedictus Monachorum Præceptor almificus huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor: & similiter nec in alijs Regulis hoc prohibetur. Secundo, prædictum errorem improbat ex idoneitate Monachorum, cum in fine capituli subdit: Quanto quisque excellentior est, tanto illis, scilicet spiritualibus operibus, potentior. Hactenus D. Thomas. Vbi clarissimè probat, non solum non repugnare instituto Religionum prædicare, & docere, sed etiam Religionem, quâto sanctiores, eò aptiores animarum salutis procurandæ. Sed ut perfectius vis huius rationis à Diuo Thoma adductæ expendatur, ante omnia animaduertere oportet, D. Thomam prædicto art. 1. quærere, An liceat Religiosis prædicare, & docere? & affirmantem partem, damnata contraria sententia, ut stulta, & erronea, sequitur; eo fundamèto Bonifacij Papæ potissimum ductus, quia Religiosi sunt capaces dignitatis Sacerdotalis, cui annexa est potestas, prædicta munera exercendi, ut iam dixi, ac proinde non solum apti ad prædicandum, sed quâto sanctiores alijs, tantò aptiores huic sacræ functioni, maximè cum à nulla Regula Religionis prohibeatur id ipsum. Præterea secundo, dicto Opusc. 19. art. 2. id egregiè confirmat D. Thom. quia consilium non potest esse (inquit) de eo, quod contrariatur consilio, vel præcepto: sed docere cadit sub præcepto, vel consilio, ut patet Matth. vii. Euntes docete omnes gentes, & c. Gal. 6. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, non ergo de non docendo potest esse consilium. Et confir-*

1. Cor. 7.

mat D. Thom. *Consilia, quæ Dominus proposuit, immediatè ab Apostolis seruari voluit, vt eorum exemplo alij ad obeunda consilia prouocarentur: vnde Paulus 1. Corint. 7. consilium de virginitate proponens (dixit) Volo omnes homines esse sicut me ipsum: sed observatio huius, quod dicunt Consilium scilicet abstinere à docendo, ad Apostolos non pertinebat, cum ipsi ad docendum in vniuersum Orbem mitterentur: non ergo abstinere à docendo sub Consilio cadit.* Hactenus D. Thomas. Igitur maioris perfectionis esse non potest, abstinere à doctrina, & prædicatione: tū etiā si non potest esse consilium, neque præceptum de non prædicando, aut docendo, non poterit doctrina, aut prædicatione verbi Dei esse contraria alicui instituto.

Et quanquam Doctor Angelicus scriptis ipsis, Deus autem multò grauius, & acerbius factis illorum temeritatem, qui animarum saluti aduersabantur, patefecit. Guilielmus enim ab Alex. I V. Rom. Pontif. Romam euocatus, in publico Cardinalium confesso conuictus, damnatusq. est, atque non solum eius liber igni traditus, sed & ipse quoque eius auctor Canonice, ac redditibus Ecclesiasticis exurus, atque insuper à Ludouico Rege à tota Gallia relegatus. Stant hodie in compendio priuilegiiorum Ordinis Prædicatorum antiquo, varia Alexandri IV. cōtra Guilielmum, eiusq. librum, & sectatores decreta, quæ etiam habentur in Conuentibus Parisiensibus authentica.

CAPVT II.

Religiosi omnes præ alijs aptissimi sunt animarum conuersioni procurandæ

Illud inter cetera maximè pios Religiosorum animos ad opus conuersionis suscipiendum mouere debet, quod eorum status, vitæ & instituti ratio præ omnibus alijs magis idoneus, & aptior huic animarum cultura censetur, idq. propter multas rationes, siue causas, quarum aliquas adducit Angelicus Pater D. Thomas Opusc. 19. c. 2. ex quibus tres præcipuas desumemus: *Prima, quia conuenientissimè doctrinam Euangelicam docet, qui non solum præcepta, sed etiam consilia seruat: secundum illud: Cæpit Iesus facere, & docere: huiusmodi sunt omnes Religiosi, conuenientissimè igitur omnes prædicant.* *Secunda: Illi maximè sunt idonei ad docendum, qui maximè diuina per contemplationem capere possunt: vnde Gregorius in 6. Moral. Quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos refundant loquentes: sed ad vacandum contemplationi præcipuè Religiosi sunt deputati: ergo per hoc quod sunt Religiosi redduntur magis apti*
ad do-

ad docendum. Sic D. Thom. vt suprâ, qui etiam Secunda Secundæ, Quæstione 187. articulo primo, tertiam non contemnendam adiungit rationem: *quia quantum aliquis est sanctior, tantò est aptior prædicationi verbi Dei, nisi aliunde prohibeatur; sed prædicare, & docere, neque interdicitur in Regula Sancti Benedicti, neque in alijs Religionum Regulis, vt determinat Bonifacius Papa in c. nonnulli sunt, 16. quæst. 1.* Concludit igitur eò quempiam magis esse idoneum, ac alijs aptiorem animarum profectibus, quantum ille vitæ sanctitate fuerit sublimior.

Accedunt tres aliæ causæ, quæ statum Religiosum ministerio conuersionum aptissimè efficiunt, quas fufus Hieronymus Platus vir aliàs pius, & doctus in libro de bono status Religio. prosequitur. Prima ducitur ex ipsa Dei natura, & more: si quis enim Dei rationem, atque ordinem in hominum salute propaganda ab ipso Ecclesiæ ortu attentius inspexerit, facile inueniet, hoc semper fuisse eius consilium, vt ad tantum hoc opus eos maximè ministros, adiutoresq. adhiberet, qui essent maximè humanis omnibus præsidijs destituti, vt non gloriatur omnis caro, id est, ne tanta rei perfectæ laus, euacuata Christi Cruce, in hominum sapientiam, aut potentiam transferretur: quare non sapientes, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit: non igitur putandum est mutatum esse Deum, eiusus sapientiam, ac aliam nunc in hominum conuersione formulam, quam antea secuturum. Quare nunc etiam quærit Deus operarios pauperes, humiles, ac terrenis rebus omnibus vacuos (quales sunt Religiosi) qui vineam Domini in siti, fame, frigore, & nuditate, sicut olim Apostoli, excolant.

Secunda causa: quia cum ad cohortandum multò maius pondus habeant exempla, quam verba, nulli dubium est, quin multò certius, faciliusque credituri sint homines illi, quem non verbis tantum, sed factis ipsis viderint res humanas contempsisse. Nam cum maior hominum pars voluptatibus, ceterisque terrenis bonis rapiatur, quem viderint hæc despexisse, seipsum vincere, ac suas cupiditates rationi subigere, magni æstimant, ac rerum hæc despicientia admirabilitatem tantam præsefert, vt nihil sit ad persuadendum aptius, nihil grauius ad voluntates commouendas. Quare Religiosi, qui hanc paupertatem, rerum abrenuntiationem profitentur, aptissimi sunt huiusmodi ministerio.

Tertia, & vltima causa ab ipsis operarijs ducta sit: Nemini dubiū, quin ad hoc opus multò melius parati sint, qui nihil omnino in hoc mundo possident; primum: quia liberi sunt, expediti, & alacres ad currendū, quocumque eos spiritus Domini impulerit; propterea quod non liberorum, non agrorum, non rei familiaris procuratione eorum cogitationes illigantur: ex quibus duo magna damna consequi solent, nam & tempus eri-

piūt, quod in alijs melioribus studijs vtilius impenderetur, & ipse animus frequenter rebus ipsis, quas tractat, nimium adhærescit; quod vtrumque Euāgelico operario, & indignum, ac turpe, & maximè etiam incommo- dum est. Itaque benè, & sapienter Ambrosius in Lucam: *Qualis, inquit, debeat esse, qui euangelizat regnum Dei, praeceptis Euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidij secularis adminicula non requirens, fideque tutus, putet sibi, quo minus ea requirat, magis posse sup- petere.*

Iudith 15.

Restant etiam duo alia in Religiosis, quæ ad hunc fructum in anima- rum conuersione assequendum maximè conferunt. Primum professio ip- sa castitatis, quæ ita Deo placet, vt eius possessores Deus mira efficacia, & fortitudine contra demones muniat; vt optimè prædicauit summus Sa- cerdos Ioachim (*Iudith 15.*) qui in communi gratulatione post tantam vi- ctoriam à Iudith contra Holofernè reportatam, sic eam celebrauit: *ed quod castitatem amaueris; ideo manus Domini confortauit te, & eris benedicta in aeternū.* Sed de castimoniam in sancti Euangelij Ministris, necessitate, & fructibus alibi dicturi, nunc breuitatis causa sermonem ad alteram partem, quæ Religiosos ad hoc conuersionum opus maximè iuuat, transferamus. Ea est caritas, & coniunctio animorum inter seipsos: nam cum orbis ad Deum conuersio difficillimi negotij sit, ac perspicuum sit, nullam rem mag- nam effici sine multorum adiumentis, cum nemo solus omnia habere possit; fit vt in animarum conuersione, ex Religiosorum coniunctione, ac mutua caritate vberissimi eliciantur fructus. Nam, vt præclare dictum est à Sancto Basilio, *Constit. Mon. cap. 19. Veluti milites testudine, quam vo- cant, facta, sese inuicem ita muniunt, vt sint impenetrabiles, sic ipsi propter coniunctio- nem qua nexi sunt, sese mutuo (vt ipse ait) conspiciant, & inter se protegant;* ex quo non solum fit, vt inimicorum ictus repellant, sed etiam inimicos ipsos faci- lè fundere, & fugare etiam ab alijs possint. Quod si hoc verissimum est, nullum hominum genus reperiri ita huic animarum functioni aptū, & idoneum, esseque huiusmodi ministerium Monachorum instituto cō- sentaneum, restat, vt sit etiam hæc functio illis facilior, & iucundior. Id enim perpetuū est in omnibus rebus, vt quæque res eo maximè gaudeat, quod eius natura est maximè aptum, ac proinde quantò impedimenta sunt remotiora, eò maiori facilitate sit prædita, quæ omnia Religiosorū animos in opus Missionum maximè deberent inflammare, præcipuè si experientia ipsa clamante fructus in Ecclesia Dei, ex Religiosis Ordinibus in fidei propagatione considerentur: ad quorum enarrationem iam gra- tum faciamus.

CAPVT III.

Religiosis omnibus conuenientissimum esse animarum salutem, & conuersionem studere, ostenditur ex fructu à Religiosis in fidei propa- gatione facto.

NON leuis momenti, imò grauissimum, validissimumque argumen- tum produci potest, quo & dignitas ministerij huius amplius extol- latur, & conuincantur illi, qui contra institutum Religiosos agere, si in Missionibus occupentur, ausi sunt affirmare, ex fructu, magnaque vtili- tate, quam Religiosi viri omnium ferè Ordinum in Ecclesia Dei, ex quo instituti sunt, verbi Dei prædicatione effecerunt. Ex quo facilè erit con- uincere eos non temerè, aut inordinatè contra suum institutum hoc mu- nus suscepisse, sed potius diuino consilio, ac conuenientissimè egisse. Tū quia ad Ecclesiæ culturam, & propagationem homines sui instituti deser- tores tantopere non contulissent; nec Deus hominum ita deuiantium à suo instituto adiualet actiones, aut mentem excitaret ad similia opera perficienda: tum quia ferè omnes viri fuerunt doctissimi, atque vt pluri- mum sanctissimi, de quibus sine temeritate iudicari, aut suspicio nequit haberi; vel ipsos institutum proprium ignorasse; aut illud scienter non ob- seruasse, & contempsisse. Et quemadmodum Ecclesiam sanctam illud maximè commendat, quod tam multi claræ admirationis viri, strenuissi- mi Martyres, Confessores integerrimi in ea fuerint; sic mihi videtur opti- mum argumentum in studij Missionum commendatione, quod tanta præstantium virorum Religiosorum multitudo illud fuerit amplexa, vt vel sola eorum auctoritas satis esse possit ad illud omni laude commen- dandum. Est autem eiusmodi hæc multitudo, vt si ratiocinando summam eorum deducamus, qui in Religionibus sanctitatis gloria florere, sine vlla dubitatione maximam partem, immo omnem ferè, inueniamus huic animarum scholæ fuisse addictos. Quod si in eis hoc efficit ardens anima- rum zelus, vt tantam sanctitatis excellentiam adipiscantur, quid hoc mi- nisterio melius, aut vtilius Religiosis? hoc enim magnopere Missionum opus commendat, (vt nunc eius alias laudes prætermittam) quod tales, & tanti viri eam viuendi formulam sustinissent, quorum vestigijs insistere non possit non esse rutum, & laudabile: quantacunque enim est eorum auctoritas, ea tota huius ministerij dignitatem extollit. Primum, quia

nunquam hi tale institutum adamasent, nisi merito adamandum cognouissent: Deinde quod ad illius dignitatem, & commendationem, ipsi quoque aliquid splendoris & dignitatis suis exemplis contulerunt.

Et in primis, vt nunc præteream Mendicantium Ordinum tam Religiosos quam fundatores, à Monachalium Religionum institutoribus incipiam, quorum facta tacita est, immo expressa instituti interpretatio, aliorumque subditorum ad sui imitationem cohortatio. De magno illo Monachorum Patre Benedicto, vt latius apud D. Gregor. in eius vita habetur, in Cassino monte simulacra, quæ adhuc à Gentilibus colebantur, cõminuisse, ipsosque oppidanos Christianis præceptis imbuisse legimus. De Basilio Magno Gregorius Nazianzenus in eius vita scripsit, eum sua Monasteria propè ciuitates erigi curasse, vt non sibi tantum vtilis, sed & alijs prodesse possent: *Quamobrem* (inquit Gregorius) *Monachorum Cœnobium haud procul ab his, qui in hominum societate viuunt, edificari iussit, nec omnino separauit, vt & propinquitate, cum opus charitatis exposceret, adesse possent, distantes alioquin proprijs terminis, ne quies illorum, aut pax interrumpi per multitudinem posset, vt & sic, nec ipsi Monachi actionis merito, quod ex impendenda alijs pietate esset, priuarentur; neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur.* Hactenus Gregorius.

Et ipse etiam Basilius in Regulis fusiõibus, q. 7. communem vitam solitariæ præferendam censet: *quod hæc quidem* (vt verbis Basilij vtar) *suorum tantum bonorum procuracionem propositam habet: hoc autem apertè charitatis legi aduersatur, quæ non querit, quæ suæ sunt: quam perfectè obseruasse Apostolum videmus, qui non suam vtilitatem querebat, sed multorum, vt saluifcerent.*

Et paulò post idem Basilius inertem, & infructuosam appellare non veretur eam vitam, in qua scilicet Dei contemplationem nulla actio subsecquatur tuendis hominum commodis directa. Hæc Basilius.

Quis verò D. Bernardi, Claræuallensis instituti auctoris, beneficia, qui non solum concionibus, & scriptis, sed quàm plurimis exemplis proximos, Ecclesiamque adiuuit, poterit referre? Petrum Abailardum in Concilio Senensi, Gilbertum Porretanum in Remensi, Hentricumque, & alios. Hæreticos, qui Galliam vniuersam suis dogmatibus inficiebant, solus ipse conuicit, ac repressit: Franciamque aliqua ex parte prædictis hæresibus iam infectam, ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem reduxit. Quid de peregrinationibus eius, fidei, & sanctæ Matris Ecclesiæ, ac proximorum salutis causa susceptis dicemus? Modò enim ad Galliæ Regem, modò ad Imperatorem, aliosque Principes viros pro arduis Ecclesiæ negotijs, ac rebus publicis, animarumque salutem concernentibus missus est à Summis Pontificibus, ac denique fructus, qui ex eius concionibus ad populum pronenerint, quàm innumerabiles ex vitijs ad frugem se receperint, à Sa-

tanæ faucibus erepti, nec cogitari quidem potest. Vt omittam nunc præclariora, quæ fecit in illo tetra schismate aduersus Petrum Leonem Antipapam pro Innocentio Papa secundo legenda in eius vita. Ecce tres monasticæ vitæ auctores, fontesque clarissimos, à quibus ferè omne institutum Monasticum, tam in Oriente, quàm in Occidente manauit, qui tam exemplis, quàm verbis. Regiisque scriptis Monachorum instituto valdè contentaneum esse decreuerunt animarum salutis conuersionique consulere.

Deinde, quæ à Religiosis Monachis ferè ab Apostolorum tempore gesta sunt in proximorum salute tuenda, & procuranda, immensum esset recensere: qui enim historias consuluerunt, facile compererint maxima, & egregia opera, quæ à Monachis in integris prouincijs, & regnis ipsis, Christo adiungendis patrata sunt, quàm sæpe Euangelij lumen, vbi nullum antea erat, intulerint: vbi obscuratum, instaurarint: quoties fidem, & Religionem, vel iam labefactatam, vel penitus perditam restituerint, ac redintegrarint. Quare ita Monachorum zelus olim in his enituit, vt post Apostolos, & Apostolica illa tempora, in propaganda per singulas prouincias fide, vix aliorum nomen inueniatur, quàm Monachorũ: & quia longum esset omnes percerere, aliquos quasi exempli causa, & per transiennam attingamus.

CAPVT IV.

Exempla Ordinum Monachalium.

ET in primis Carmelitæ Monachi, antequam Mendicantibus annumerarentur, erumpente Euangelij luce, admirabili cum animi magnitudine Euangelium Apostolorum tempore, per Samariam, Palæstinam, aliasque orbis partes propagarunt. Nam a monte Carmeli discedentes, ab Apostolis primum baptizati, postea eorum coadiutores in prædicatione sancti Euangelij effecti sunt, vt Iosephus Antiochenus lib. 12. Speculi perfectæ militiæ primitiue Ecclesiæ scripsit: *Perfectorum* (inquit) *militum Christi* (id est Apostolorum) *coadiutores surrexerunt strenuissimi viri, solitarij, contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Helie, & Elisei imitatores, qui de monte Carmelo descendentes, per Galileam, Samariam, Palæstinamque, fidem Christi constantissimè præserunt.* Hactenus Iosephus.

Idem etiam de Carmelitis post Iosephum docuit Sanctus Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus in lib. de instit. Monach. & c. 27. postquam docuit Carmelitas ab Apostolis esse baptizatos, & in fide instructos, ad-

dit: Denique eorum multi ea, quæ ab Apostolis hauserant, ceteris effundentes, fidenter Christi per Phœniciam, & Palestinam prædicabant, dilatantes dogma fidei, & moribus vitam Monasticam conversationem Ecclesiæ Dei insignissimam demonstrantes. Sic Ioan. Patriar. Hiero.

Nec dissentit ab hac sententia Chronica Romana antiqua apud Speculum Ordinis lib. 5. in fin. in qua scriptum habetur: *Tempore quo beatus Petrus Antiochiæ Cathedræ præsidebat, Carmelitis in circumquaque regione adiacente, diuersis locis Catholicè profite insisterant.*

Quibus subscribit Ricardus Armachanus Archiepiscopus in sermone de Conceptione Beatæ Mariæ, ubi de Carmelitis agens, inquit: *Insuper, ut fide dignè historia referunt, in principio nascentis Ecclesiæ in partibus illis prædicatio Euangelium solidissimè laborarunt.* Hæc, & alia de antiquis Carmelitis reperies apud doctiss. Vbalden. de Sacramentalibus, tit. 9. cap. 89.

Sed si ad alia tempora descendamus, aliorum Monachorum in Ecclesiâ Dei vberissimi fructus conspicientur. Primum enim de Monachis ex S. Benedicti familia (vt auctor est vir grauissimus Trithemius de viris illustribus sui Ordinis, & Hier. Platus, ex quo quæ sequuntur decerpimus) B. Remigius, qui anno ferè 530. Clodoueam Regem, & Franciam vniuersam ab Idolorum cultu ad fidem Christianam traduxit, ab ineunte ætate Monachus fuit, ac postea Remensis Archiepiscopus.

Item Martinus Monachus, anno 540. Sueuos ab Arriano errore sanauit. De Anglia notissimum est, vt ab Augustino informata, quem Gregorius Pontifex cum aliis sex Monachis, nempe Sancto Mellito, S. Petro, S. Iusto, S. Paulino, S. Laurentio, & S. Ioanne eò legarat, ad Deum sese conuerterit, vnà cum Rege Etelberto, anno 603.

Nec præteream ipsum Pontificem Magnum Greg. vt in eius vita lib. 1. refert Io. Diaconus, qui cum Monachus adhuc esset, & Anglicos pueros forma pulcerrimos venales Romæ conspiceret, agnosceretq; illos esse infidelitatis tenebris immerfos, tactus dolore cordis intrinsecus, mox à Benedicto Pontifice vehementer cepit expetere, vt sibi licentiam in illam regionem ad prædicandum Sæctum Euangelium proficiscendi concederet, qua obtenta profectus est: postea verò tota acclamante Roma ab eodem Pontifice post triduum itineris coactus est ad proprium Monasterium reuerti.

Anno autem 622. Lambertus Leodiensis Monachus Taxandriæ Germaniæ Prouinciæ, eodemque tēpore Kilianus Monachus Francorum gentem ad fideiū numerum aggregarunt, atque hic quidem in eo opere etiā martyrium subiit.

V Vilfridus ex Hierpuensi Monasterio in Anglia, postea Eboracensis Episcopus, anno circiter 683. cum Romam peteret, tempestate in Hollandiam

diā, & Frisiam eiectus est; ne hiemem illic infructuosè degeret, aggressus est Euangelium, quod nullus adhuc ibi auditus fuerat prædicare. Idēque in patriam reuersus, cum ab improbo Rege Egfrido in sua sede herere non fineretur, diuertit ad Australes Saxones, adhuc in infidelitatis tenebris iacentes, ijsque fidei lumen importauit, & simul toti insulæ, quæ Vtula dicitur. Ceterum, quod hic opus in Frisia cœperat, id deinde continuauit V Villibrodus, ex Monasterio Ripensi in Anglia, qui Traiectensis Episcopus etiam creatus est.

Eodem tempore Syvitbertus Lindissæ in celebri Cœnobio Angliæ educatus, vnà cum vndecim alijs ad Apostolicum numerum repræsentandum ad Saxones se contulit, ex quibus innumerabiles in Christi fide instituisse fertur: idemque postea Verdensi Ecclesiæ Præpositus fuit, nec tamen à laboribus suis vnquam cessauit.

Insignis quoque in hoc genere fuit Bonifacius, qui adhuc meritò tantquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic patria Scotus, cum adhuc quinquēnis à parentibus ipsis oblatus diū vitam in sacris claustris sanctissimè egisset, à Gregorio Secundo Pontifice in Germaniam missus, Hafsiam Christo adiunxit, anno fermè 717. quam ob causam ad eos, quos docuerat, regendos Moguntino Archiepiscopatu ornatus est: quamquam maius ornamentum etiam postea ex martyrio accepit.

V Villehadus item, & Lugderus ex Monasterio Sancti Villibrodi in Gallia, in Franconiam Germaniæ prouinciam profecti, annum circiter 800. & plurimos illic filios Christo Domino pepererunt, ipsiq; plurimos ea de causa labores pertulerunt. Paulò post etiam, annos videlicet decē, Ansharius cū tribus socijs ex Monasterio Corbeiensi in Gallia Belgica, plures regiones Euangelij causa peragrauerūt, Daciam, Suetiam, Gothiam, Groelandiam, in quibus omnibus vix credi posset, quantum fructus reliquerint.

Ex quo eodem Monasterio prodijt etiam Stephanus, qui primum Anshario in Suetica messe successit. Deinde in Helinguensem Prouinciam se contulit, quam totam ab erroribus ad viam veritatis adduxit, atque ibidem tandem ab impijs quibusdam mactatus, ad martyrij palmam euolauit.

Quò etiam referri debet Abbas Floriacensis Monasterij Albus dictus, quod à Sancto Mauro in pago Flori Comitis ædificatum fertur: is enim in Vasconia Galliæ parte Religionis propagandæ causa strenuè laborauit, vir eloquentia insignis, nec minus sanctitate præstans, ad extremum etiā martyrio gloriosissimus. Vixit autem anno ferè 970. Religiosam vitam diu professus vnà cum Gaudentio fratre, Monacho item Sancti Alexij Romæ, in Pannoniam abiit, ad disseminandam Christi fidem, ybi in Gei-

fam Regem incidit, diuino iam antea oraculo monitum de eius aduentu. Itaque ab illo cum honore exceptus totam eam gentem, antea feram, & duram, Christi cultu imbuit. Mox ad Sarmatas digressus Ruffis, Lituaniis, Moschis, Prussianis, sed plerumq; Polonis, eorumq; Regi Bolislao Euangelium promulgauit. Denique in Prussia, cum ab impijs ad stipitem alligatus, septemque lanceis confixus palpitaret, egisse Deo gratias dicitur, quod se martyrij, quod tam diu iam oprarat, compotem fecisset.

At Bruno ex Ducali familia, nempe Lotharij Saxonie Ducis filius, monasticam vitam Romae professus in Cœnobio Beati Alexij à Ioanne XIX. ad Ruthenos missus annum circiter 1025. multos populos ad salutis viam reuocauit, qua in causa ne quid ad laudem deesset, martyrij quoque gloria ornatus est.

Eodem quoque tempore Bonifacius Romualdi discipulus in Ruffiam profectus, Ruffianum Regem, eiusq; regnum præter fratrem, conuertit, à quo impietate casus, vineam à se plantatam etiam sanguine irrigauit.

Anno vero 1050. Humbertus ex Ordine sancti Benedicti Constanti-nopolim à Pontifice legatus ad Græcorum schisma confutandum, cum Niceta congressus coram Constantino Imperatore, ita eum disputando conuicit, vt librum, quem conscripserat, cõburere coegerit. Otho etiã ex Monasterio Babenbergensi, quæ est Germania ciuitas, anno 1125. à Calisto Secundo in Pomeraniam missus, Barcislauum Principem conuertit cum suis: quin idem etiam loca omnia maritima, Dacia, Poloniaeque finitima, cum magna animarum conuersione peragrauit. Denique complures Saxonie ciuitates obiens, magnos vbiq; ad salutem motus effecit. Huic similis fuit Vicelinus, qui non multo post hunc vnã cum quatuor socijs ex Gallia ad Vandalos profectus, triginta totis annis incredibili labore vniuersam illam regionem, in qua innumeri ferme erant populi, Christianis imbuit præceptis, & inijs insignia complura fundauit Cœnobio.

Ac denique non solum Benedictus Asiam, Africam, ac præcipuè Europam suis seminibus impleuit, regna, & prouincias sua prædicatione cõuertens, verum etiam Americam, nunquam antea cognitam, bonorũ suorum operum radijs illustrauit. Nam, vt refert Genebrard. in Chronol. sua lib. 4. & alij quamplures Historiographi, primus noui orbis Apostolus electus ab Alexandro VI. Summo Pontifice, Beccil Monachus Benedictinus natione Catalanus fuit, qui electis duodecim eiusdẽ familie socijs, Vicarius Generalis Summi Pontificis apud illas nationes fuit designatus, ac benedictione Pontificali accepta, ad hanc nouam Euangelij prædicationem ex Hispania, anno 1495. discessit, illisque prouincijs omnium primus lumen fidei intulit. Multa præterea similia commemorari possent ex

Monachorum

Monachorum Ordine profecta, præcipuè tamen Orientalium Monachorum sub regula Beati Basilij militantium, quorum ope, & doctrina conuersa Græcia, aliæ etiam Orientales nationes in fide, & moribus sustentantur: quibus breuitatis causa omisissis, ad alia exempla efficaciora gradũ faciamus.

CAPVT V.

Exemplis Eremiticam vitam degentium,
idem comprobatur.

ERemi, solitudinisque professores, qui licet procul à negotijs ad spirituale otium confugerint: tamen si proximorum spiritualis utilitas requiratur, contra officium agere, si non, contemplationis studijs relictis, ad proximos iuuandos accurrant, docet Augustinus in Epist. 91. ad Caprariam insulæ Monachos: qua eos hortatur, ne suam quietem necessitatibus Ecclesie præponant, vbi inquit: *Parturienti si nulli boni administrare velent, ne ipsi quidem quomodo nascerentur, inuenturi fuissent.*

Imò, quod magis miror, ipse Chrysostomus acriter inuehitur in sacros Eremitas cultores, si proximorum salutis obliuiscantur, Hom. 6. in primam epist. ad Corinth. tom. 4. *Nonnulli (ait) ciuitates, fora, hominum consuetudines, & aliorum eruditiones reliquerunt, monteque petierunt. Quid si quispiam secessus causam dixerit, inueniet omni carentem vniã excusationem, siquidem ne perire inquit, neue in virtute suã obustior secedo: At quando melius obustior te fieri, alios lucrari, quam morantem in solitudine pereuntes fratres despiciere.* Et in Serm. 3. de B. Philogono, tomo 3. *Neque prorsus alia res est, quæ perinde declares, doceatque, quæ sit fidelis, & amans Christi, quam si fratrum curam agat, & pro illorum salute gerat sollicitudinem. Hæc omnes audiant, & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, &c. quod pro viribus Ecclesiarum Præfectos adiuuent, &c. & quibuscunque possint rationibus auxilientur.* Hæc Chrysost.

Itaque veteres illi tam magni tamque sancti Patres sæpè hac vna de causa solitudinem, quam multis annis coluerant, reliquerunt: & tempore, quo persecutiones Ecclesiam Dei oppugnauerunt, non defuerunt hi quin naufraganti Ecclesie opem ferrent: imo tanquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, & è latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos seruare, ac relicta contemplatiua vita, omnemque quietem, vt athletee insuperabiles à se remouentes, alacriter prodierunt ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicut de magno Antonio memorie proditum

K

est,

est, qui relicta solitudine, Alexandriam veniens breuissimo temporis spatio miram Arianis intulit cladem.

Magnus quoque Athanasius in Epistola ad Dracontium Monachum contentiosè reluctans ad animarum ministerium suscipiendum, his monet post multa: *Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum præfectum. Neque à te ignoratur, quot Monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregre profecti. Fortassis etiam audiisti de Cue in superiori Thebaide. Poteris etiã resciscere de Paulo, qui est apud Latos, & alijs multis, & tamẽ illi Episcopi constituti nõ contradixerunt, sed habentes pro exemplari Eliseũ, & consij quid Elias egerit, & eruditi quid discipuli Christi Apostoliq; fecerint, susceperunt hanc curam, neque ministerium hoc aspernati sunt, neque propterea se ipsis deteriores facti sunt, sed mercedem expectant laboris proficientes ipsi, aliosq; proficere adhortantes. Quot ab Idolis cõuerterũ? Quot à furiosa & demoniaca consuetudine suis admonitionibus cõpescuerunt? Quot adduxerunt Christo seruos? adeo ut qui ista signa conspiciant, admirentur. An quis non ingens signum puellam inducere, ut virgo maneat, & adolescentiorem adhuc ut sit continens, & idololatram, ut cognoscat Dominum?*

Et post pauca, ut prober, quod non sit impedimentum cura Episcopalis monasticæ obseruantix, quædam alia subdit, quæ ego libenter addam; quia si Episcopalis sollicitudo cum obseruantia non pugnat, multò minus simplex Missionum ministerium: Prosequitur igitur magnus Athanasius: *Quapropter cum isiusmodi (inquit) habeas exempla dilectissimi Draconti, ne dicas, nec dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi. Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo, licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, ut Paulus solitus, ita ut secundum illum ieiunans, alios sermonibus nutrias; & sitiens abstinendo à potu, alijs docendo potum præbeas. Ne igitur talia obijciant Consiliarij tui: nouimus enim Episcopos ieiunantes, & Monachos comedentes, &c. Hæc, & alia plura id genus Athanasius ad Dracontium, quem tandem persuasisse constat.*

Abbatem Apollonium, qui Thebaidem olim incolebat, Paladius commendat, (idem etiam refert Nicephorus lib. 9. c. 14.) quod relicta solitudine persecutionis tempore, addens animum Christi Confessoribus multos effecit martyres.

Et ut nunc prætermittam Romualdum Eremiticæ vitæ authorem, quem magno ardore animarum salutis flagrasse eius gesta testantur, Theodoretus in libro eo, quem Religiosam historiam inscripsit, commemorat de Iuliano, cum Arianorum impietas latè serperet, ab Acatio Episcopo his rationibus à spelunca adductum esse, ut relinqueret illam, (verba sunt Theodoreti) *in solitudine versandi rationem, veniret autem, ut ferret auxilium tot militibus, quæ fraude interibant, & rumore sui aduēns flammam extingueret Arianam.*

Cucurrit

Cucurrit diuinus Acacius, & sumpto, ut iussus erat, magno Acacio, accessit ad maximum lumen Ecclesie, & cum eum saluasset, Dic mihi, inquit, ò Pater, quamam de causa totum hũc laborem tam libenter toleras? Cum is autem respondisset, & corpore, & anima, vitæq; & omnibus, quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior. Connor autem quoad eius à me fieri potest, illi à sordè mundum offerre ministerium & ei perpetuo placere. Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem, per quam ei plus quam nunc seruias. Idq; dicam, non sola vtens ratiocinatione, sed qui id ab eius doctrina didicerim. Cum enim Petrum aliquando rogasset, an eum plus quam alij amaret, & didicisset id, quod sciebat vel ante Petri vocem: Tu enim, inquit, nosti Domine, quod amo te, Ostendit quidnam agens enim magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pascue oues meas, & pascue agnos meos. Hoc quoque tibi, ò Pater, est faciendum. Periculum enim est, ne oues à lupis intercant, eas autem valde amat, qui à te valde amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cum sunt, eis, qui amantur, grata sunt. Et alioquin non paruum est periculum, multorumq; & magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati poteris, negligere, tacitus præterire, veritatem quidem grauitè oppugnari. Hoc cum primum audisset senex, quietem quidem valere iubens ad tempus, neque ciuitatis strepitus, quod eis non esset assuetus, refugiens, accurrat Antiochiam.

Eodem quoque modo narrat idem Theodoretus in vita Eusebij, Ammianum Eusebio persuasisse, cum eum monuisset, ut videret, ne plus se ipsum quam Deum diligeret, his verbis: Dic enim mihi, ad illum dicebat, ò optime, Cuiam placere existimans, laboriosam hanc sordidamq; & squallidam vitam es persecutus? Cum autem, ut par est, is vtiq; dixisset, Deo, qui est virtutis legislator & magister. Quoniam ergo eum amas, inquit Ammianus, ego tibi modum ostendam, per quem & amorem magis accendes, & ei, quem amas, seruias. Nam quod omnis tua cura & industria in te ipsum conuertatur, non effugiet, ut sentio, crimen in te nimij amoris. Lex enim Diuina iubet proximum amare, ut te ipsum. Multos autem opum participes sumere, hoc est proprium veri muneris charitatis. Hanc autem D. Paulus appellauit legis plenitudinem. Rursus quoque clamat: *Tota lex & Prophetæ in hoc sermone in summam rediguntur, nempe, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Porro autem Dominus quoque in sacris Euangelijs Petro, qui confessus est eum plus alijs amare, præcepit pascere oues suas. Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens, clamat per Prophetam, ò Pastores, Non se ipsos Pastores pascunt, sed oues. Et idẽ magnum quoque Eliam, qui hanc vitam persequebatur, iussit versari in medio impiorum, & secundum Eliam tantopere celebratum Ioannem, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Iordanis illic baptizare iubens & predicare. Quoniam tu ergo quoque es Dei, qui te fecit, ardens amator, multos quoque tecum alios effice amatores. Hoc enim est valdè gratum communi Domino.*

Optimè autem Aphraates vir sanctissimus, quem scribit idem Theodoretus in Valentis Imperatoris furore aduersus Ecclesiam, eremo, in qua

diu vixerat relicta, tanquam bonum militem ad locum certaminis venisse, seque pugnantis vltro miscuisse. Quin etiam cum aliquando tyranno in via occurrisset, cauillari eum cepisse, quid ageret Monachus inter hominum turbas, illum autem intrepidè sic respondisse: *Dic Imperator, si puella essem, quam pudor in conclauis retineret, vidiissem autem in patris mei domum ignem conijci eamque, conflagrare, num intus sedens otiosè incendia spectare deberem? Atque si hoc facerem me quoque ipsum flamma absumeret, quod statim accurrerem, aquam afferrem, & omni ope igni resisterem, hoc ipsum nunc ago, qui flamma à te in Dei domum, qui vetustissimus est Pater, iniectæ pro mea parte remedium adferre coner.* Hæc tû Aphraates. Neque verò nunc meliora multò sunt tempora, minoresiue pestes vbi que hoc tempore infert Satanas, quam tunc Valens.

Sed verè diuersa sunt tempora, diuersusque Christianorum zelus: nam & antiquitus maiores nostri, cum hæresis aliqua oriretur, causaque fidei ageretur, ita animis omnes commouebantur, vt non sibi satisfacerent, nisi vniuersas Ecclesiæ vires in vnum colligerent, ac tanquam in agmen accincti omnes vnà ad resistendum occurrerent. Et vt hæresim propulserent, Episcopi, relictis regibus, altaribus, sedibus, longè positas regiones non sine magno sumptu & periculo adire non dubitabant. Vnà autem omnium ordinum, & nationum Doctores, nec non & interiorum solitudinum cultores, tam Archimandrita, quam alij, (vt de sancto Antonio contra Arianos, & alijs quam plurimis in Actis Conciliorum Generaliū legitur,) literis & sermonibus tanquam ad commune restinguendum incendium accurrebant. Quod si priscis illis temporibus vnus aliquis error totum Christianum orbem vsque adeò commouebat, vt ab antris deserti, viros solitarios, in communia castra conuenire compelleret; quid nunc facere oporteat, cum non vno aliquo errore, sed ipsa hæresum colluione oppetatur, & exerceatur Ecclesiæ? Quis, qualiscunque sit ille Ecclesiæ Catholicæ filius, qui pia matri tam grauitè laboranti opem ferre recuset? Immo etsi Ecclesiæ tam ingens periculum non immineret, sed tantum vtilitas maior, ac spiritalis profectus animarum expectaretur; iussiceret, vt & Monachi, & solitarij prætermissa contemplatione, ac clausura Ecclesiæ conatus adiuuarent: vt optimè docuit Innocentius Papa in c. licet de Regularibus, his verbis: *Sicut maius bonum minori bono proponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati præferenda est. Et in hoc casu rectè proponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, & labor quieti.* Quæ sententia latius confirmatur à D. Thoma Opusc. 19. c. 4. dicente: *Nec valet quod dicunt aliqui, quod hoc posset fieri, quando necessitas immineret, quæ nunc non apparet; cum magistrorum iam secularium copia habeatur. Quia vtilitas communis non solum debet procurari, vt sit quocunque modo, sed vt sit optimo modo, quo fieri potest.* *Quantò au-*

tem Doctores magis multiplicantur, tanto vtilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis crescit: quia vni manifestatur, quod alteri nondum notum est. Vnde dicitur Sap. 6. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Quo zelo Moses ductus dixit Num. 11. Quis tribuat, vt omnis populus prophetizer? Glo. Sap. 6. Num. 11. Fidelis Predicator optat sifieri valeat, vt veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent. Et infra: Prophetizare omnes voluit, qui bonum, quod habuit, non inuidit.

Quis ergò cum tot exempla Sanctorum, tum illas monasticæ vitæ columnas Basilium, Benedictum, Romualdum, ac Bernardum, & eorū instituti sectatores, sanctissimosque Eremitas, & sacratissimos cultores animarum salutem deditos videat, sine temeritatis nota audeat tot, ac rãtos Patres instituti sui desertores iudicare? aut quis non professioni monasticæ conuenientissimum proximos iuuare pronuntiabit?

CAPVT VI.

Missiones expedientissimæ sunt omnium Religiosorum instituto, illudque mirificè perficiunt.

Religiones ex hoc esse perfectissimas, quòd sine mixto, tam ex contemplatione, quam actione gaudeant manifestum est. Nam cum primò apud nos locum obtinere Deus debeat, qui & summum bonum est, & à quo omnia in nos bona promanarunt: secundo a loco homini homo esse debet, inter quos vna naturæ coniunctio est, qua maior altera affinitas nõ est, atque ideo maxima in terris officia sunt, quæ ad Dei gloriam, hominumque salutem propagandam conferuntur. Quare rectè S. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6. negociosa, & occupata vitæ munera duplici modo distinguit; alia enim sola exteriori functione compleri, cuiusmodi est seruire hospitiibus, vel ægrotis, vel militare, atque hæc quidem non paulò minora esse contemplatione: alia verò esse, quæ quasi fluunt ex abundantia quadam contemplationis, qua videlicet cum mens diuino amore incensa fuerit, agitur in opera externa, vt est concionari, vel docere rudes, & alia similia. Hæc verò maiora, & nobiliora esse non solum illa actione, sed etiam ipsa contemplatione, si sola, ac simplex sit, & si in se tantum ipsa vertatur ac nihil ex ea in alios vtilitatis sequatur. Docuit hoc D. Thomas his verbis: *Omne vitæ actiua aliud est, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina & predicatio, vnde & Gregor. dicit in sua Homil. super Ezechielem: Quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus, dicitur Psalm. 144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt: & hoc præfertur simplici contemplationi: sicut*

sicut enim maius est illuminare quam lucere solum, ita magis est contemplata alij tradere, quam solum contemplari. Sic enim summum gradum in Religionibus tenent, ordinantur ad docendum, & predicandum: secundum autem gradum tenent hi, qui ordinantur ad contemplationem: igitur firmior perfectio est fortiri finem ex contemplatione, & actione temperatum. Quare maior perfectio erit Religiosorum, ac proinde eis magis expediens, in contemplatione, & actione exerceri, quam vel in sola actione, vel contemplatione: quia etsi Religiones quam plurima: ut Monachales, ad solam, veluti ad precipuum scopum, contemplationem destinantur: quia tamen, ut iam supra ostendimus, ex regula propria, à prædicationis functione non arcentur; non poterit obesse, sed prodesse quam plurimum omnium Religiosorum perfectioni, in huius altissimi ministerij studio occupari.

Neque timendum est huic vitæ mixtæ, ne in actionem multiplicem dilabatur, ac iterum reprehendatur à Domino de nimia sollicitudine, & turbatione erga plurima: nam cum interior oratio siue meditatio cū actione exteriori coniungitur, tam benè inter se nectuntur, ut actio à cōtemplatione iuuetur, & contemplatio ab actione non impediatur. Verè enim D. Aug. Epist. 116. animi gaudium, lætitiā ac tranquillitatem non solum in solitudine ac secessu, sed & in actu quoq; humano ait permanere, si ex illo aditu siue contemplatione ad operationē procedatur: ac proinde qui hominibus virtutem suam, & Euangelij lucem communicare instituerunt, non modò de virtutibus nihil perdere videntur, sed & eam potius multum augere: quasi enim quandam necessitatem iniiciūt Deo, ut ipsis primò largiatur, quod per ipsos in alios effundi velit. Quare non potest non esse expedientissimum Religiosis omnibus in iuuandis Infidelibus has duas amplecti sorores.

Rem verò hanc potius practicè quam theoreticè, ac veluti ab experientia ipsa probandam aggrediamur. Ostendamus igitur ad proprii cuiuslibet Religionis instituti obseruantiam Missionum opus esse opportunissimū, expedientissimūque medium, idque in primis hac comparatione. Statuamus in hoc loco Religiosos duos, quorum alter de simplici tantum Regulæ obseruatione, suaque salute cogitet, alter Missiones meditetur. Rogamus igitur (quamuis experientia luce meridiana clarior est) vter ex his duobus chorū ardentius frequentabit? vter mortificationes ex his duobus, increpationes, morbos patientius feret? vter noua patientiæ genera studiosius inquiret? vter labores & tentationes constantius patietur? Resper se perspicua est, & quia non omnes capiunt verbum hoc, rationem discriminis proferamus. Manifestum est eum, qui nil, nisi domesticum cogitat, (vt experimenta quotidiana cōuincunt) ijs ad passionem, mortificationem, & virtutum acquisitionem medijs vti mediocribus, ita

vt raro admodum in eximiam sanctitatem ijs medijs, eo modo, quo exerceri solent, perueniatur. Disciplina quippe domestica nihil arduum post aliquantum temporis representat, ad cuius victoriam animus se solitæ altius erigat: immò cōsuetudine lentescit, & timendum est, ne ijs, quibus præstare consuevit, satis contentus regrediatur, cum progrediendi signa non præferat. Ex hoc efficitur, vt animus vilescat, & satis crebrò cœptæ disciplinæ tenorem languidus omittat, seque ad laxitatem cum aliorum scandalo conuertat; proptereaque illæ Religiones, quæ hanc mediocritatem amplectantur, cum degeneres otio, austeritatem diuturnam sustinere nolint, ad mollia relabuntur, & rixis, ambitionibus, aliisque peccatis, vt plurimum, deformantur: tantumque abest, vt ignaui Religiosi, qui prætexunt reformationem propriam prius quærendam, postmodum proximis vacandum, se ipsos promoueant, vt dolendum sit, quam miserè proprijs passionibus succumbant. Hæc diximus tatione Religiosi illius, qui de Missionibus neutiquam cogitat, at non ij Religiosi, qui Missiones animo pertractant, & suam primo salutem, & mox totius Religionis bonū magnopere promouent. Vt enim actiones, & labores communes proferamus, quam strenuè ad horas Canonicas, ad verbera, ad increpationes, ad nouos labores se offerunt, qui eas actiones tam perfectè obire cogitāt, vt eorum obseruationem in exteris regionibus condere, ac pro ijs si oportuerit, occumbere meditantur? Quis hic non deprehendat quandam animi magnitudinem, quæ communi Monasticæ disciplinæ modo minimè contenta, largiores vigilias, in ediam grauiorem, acriora verbera, seuiore increpationes ferre contendat? Hæc quippe omnia, aliaque grauiora in opere Missionum futura nouit, eoque ipso quod animus ea complexus est, in quibusdam eorum præludijs, domi se exercere cupit, ne ad pugnam imparatus accedat. Hinc longè maior quam sine Missionū studijs totius Religionis profectus existit: si enim Religiosi maiora, & austeriora quærunt, quam quæ regula præcipit, quomodo non facillimè, exactissimeque domesticam disciplinam obseruabunt? Quomodo nō omnia hæc leuia existimabunt, ac perfectiora mortificationum, ac virtutum exercitia quærent, vbi rixæ, vbi prælationum ambitio, vbi cibi intemperantia; ceteraque mala, quæ Religiones labefactāt? profecto ijs, qui Missiones cupiunt, longè alius affectus est, totosque ignominijs, laboribus, ipsique morti constanter ferendæ se ipsos exponunt.

Accedit ad hoc quædam spiritus alacritas, similis affectui, quem Regius vates expressit in hæc verba: *Exultauit vt gigas ad currendam vitam suam.* Omnes enim actus expedite, & celeriter obeunt Religiosi Missionum cupidi, velut ad cursum accincti, quæ regularium actuum insignis perfectio est. Quid hic de fluminis impetu, qui latificat Ciuitatem Dei dicemus?

mus? Deuotionis imperu inquam, qui sepe foras erumpit, ac alios non solum generosos inflammat. Nunquam enim religiosa cœnobîa, tam euidenter flammescere vidimus, ac cum de Missionibus ageretur.

Tamen ne deuotionis sensu, qui à sapientibus non magni aestimatur, niti videamur, si rem Theologico more perpendamus, quis non confideret actus omnes Cœnobiticos ex Missionum cogitatione, ac proposito, insigni meriti argumentum acquirere, ex nobilissimo scilicet diuinę caritatis sine, quem qui de Missionibus non cogitant, vix, aut leuiter attingunt. Sed & Philosophica & Theologica Gymnasia in finem hunc directam eximij meriti seminaria sunt, subest puritas intentionis, quę maior, ac verior elaboratur, & doctrina grauior, sanctior, permanentiorque acquiritur: obuersionatur quippe animo exercendę doctrinę occasiones, quarum qui de Missionibus non agunt, neque meminisci solent, & timendum est, ne vanitas pro pietate subintret: multos enim Religiosos in urbibus clarissimis eleganter dicendo confenscere videmus: quos eò molestissimos studiorum labores intendisse infelicitatis argumentum est. Utinam vniuersi Scholastici, dum studijs vacant, de doctrina cum sanguine pro Christo disseminanda cogitent.

Ab exemplis etiam Sanctorum, tam antiquorum, quam recentium, aliam non contemnendam ponamus rationem. Nam nihil in viris Christianis dignius, quam Sanctorum vestigijs insistere: quorum studium non in eo tantum laudatur, quod salutem ipsi æternam consecuti sunt, sed etiã quod alios eiusdem salutis fecere consortes. Habet enim hoc zelus Dei, vt omnes velit & curet eiusdem Dei esse participes, quod in viris certè laudabile est, ac in feminis etiam non minus commendatur. Quod ex Beatę Theresię Virginis Carmelitarum Discalceatorum fundatricis spiritu satis patere potest. Illa quippe florentem Carmeli reformationem in hereticorum conuersionem peculiari intuitu destinauit. Quantò ergò congruentius sit viros pios, qui per seipsum eam conuersionem Dei auxilio operari possunt, hoc ipsum meditari & exsequi.

Tertia ratio petitur ex Religionum reformatione. Cum enim constet non modò Religiones laxatas, verum & reformatas, quę sibi tantum viuunt, breui tempore in ambitiones & discordias degenerare occasione otij & inertię, quę sunt vitia Religiosorum, nihil Apostolicum cogitantium: profectò ad augendum & conseruandum Religionum spiritum magnopere conducit opus conuersionis Infidelium. Sic enim exercentur ingenia vtilibus studijs, & animi ornantur veris virtutibus, incenduntur desiderio patiendi, & in ipsa claustrum disciplina proficiunt; qui certè fructus feliciter nunc etiam prouenirent, si Religiosi à Principibus Ecclesię de opere Missionum admonerentur.

Denique

Denique recentibus antiquisque constat historijs viros aliquos insignes, qui catalogo Sanctorum digni censentur, in ipsa Infidelium conuersione eximiam vitę sanctimoniam comparasse, vel illustri martyrio, vel præclara laborum plurimorum perpessione, quę legationem Apostolicam miro modo condecorat. Verisimile autem est tantis luminibus Ordines Religiosorum, Ecclesiamque hac ætate carituram fuisse, nisi conuersioni Infidelium viros illos destinasset. Nunc ergò quis non videat ex hoc capite ornamentum perfectissimum, non solum ipsis Ordinibus, sed etiam toti Ecclesię corpori accedere: quod cum sanguine clarissimorum Martyrum fides propageretur, & vincat perfidiam. Quod verò spectat ad viros alios planè sanctissimos, qui martyrio coronati non sunt, subest validissimum argumentum ad Missiones persuadendas, quod in ipsa conuersionis legatione tantos in vitę sanctitate progressus fecerunt, vt numero Sanctorum digni existimentur: quod viris peritis compertum est. Cum itaque Apostolico isto labore Ecclesia mirifice, & Martyribus, & Confessoribus decoretur, profectò à summis Ecclesię Principibus, & ab ipsis Religionum Prælatibus Infidelium conuersione, vt suo conuenientissima instituto, sollicitè debet procurari.

Recenseamus igitur in huius argumenti confirmationem primo loco, breuiter tamen, viros, qui ex Ordinibus Mendicantibus prodierunt, (vt nunc omittam eos, qui in hac spiritali militia sanctissimos Monachales Ordines habuere, quorum aliquos retulimus suprã) Apostolis adnumerandos, ac moribus reuera Apostolicis, & diuinis excellentes, qui prædicatione sancti Euangelij sanctiores effecti, Ecclesię augmentum, suę familię honorem, & præcipuè Deo gloriam, a laudem reportarunt. Enumerabimus deinde Martyres, qui ex eisdem Ordinibus prodierunt. Si enim res ipsa attentè expendatur, omnes ferè sanctitatis excellentissimæ viri, qui in Ordinibus Mendicantibus florere, aut martyrij palmam sunt consecuti, huic animarum lucrandarum studio maximè Infidelium fuerunt addicti. Ex quibus clarissimè conuincitur, eorum instituto expedientissimum esse Missionum frequentem vsum. Et vt nunc omittam D. *Franciscum* in Ægypto peregrinantem, D. *Dominicum* cum Hæreticis assiduò congregientem, S. Patrem nostrum *Angelum* totum penè orbem animarum lucrandarum studio perambulantem: quę ne antiquiora videantur, ad nostra sæcula deueniamus.

In primis *Martinus Valentinus* illustrissimę sanctitatis vir, Ordinis S. *Francisci*, duodecim assumptis socijs, in Indias Occidentales profectus est; illum Indi tanquam Apostolum diuinitus ad ipsos missum coluerunt: summus enim vita functus miraculis coruscavit. Nec minoris sanctitatis fuit vnus è duodecim socijs *Torinius Mitolinia*. Eximie fuit sanctitatis similiter

L & al-

& alter *Ioannes* à *S. Francisco*, qui solis precibus, ac nullo planè studio assensurus est lingue Mexicane cognitionem, aliaque innumera parauit miracula. *Andreas ex Olino*, qui quadraginta trium annorum spatio Indis Christo reconciliandis insumpto, quot. & quanta perpessus fuerit, quæ in quâ, discrimina diuino beneficio superauerit, incredibile est. Item *Franciscus Colmenarius* 35 annos Indis ad ouile Christi perducendis impedit, in quibus nihil non duri, & acerbiter tolerauit, per quem vita functum Deus quam plurima dignatus est miracula operari. *Franciscus Soto*, quæ aliquando concionantem Indi ingenti luce circumfulgentem viderunt. Insuper *Martinus Iesus*, supra cuius sepulcrum sæpè visus est homo maximo splendore circumfusus. Hos igitur paucos ex hac familia retulisse satis erit ex plurimis, qui virtutibus diuinissimis florentes, miraculisque editis clari prodierunt, innumerisque ad Christum populos perduxerunt: de quibus qui plura desiderat, legat historiam *Francisci Gonzagæ* Episcopi *Zephaleni*, & *Marcum Vlisiponensem*, Episcopum *Porti* in *Lusitania*.

Sunt porro ex Ordinibus alijs quamplurimi, vt *D. Augustini*, *Dominici*, *Carmelitarum*, è *Societate Iesu*, qui magno Ecclesiæ emolumento, & proprii instituti perfectione, vitam cælestem degentes in terris mirabilia magna in conuersione animarum patrarunt, vt latius profequitur *Thomas Bosius* tom. 1. de sig. Ecclesiæ, sig. 9. de propag. fidei cap. 2. & 3. & sig. 57. de sanctitate Ecclesiæ cap. 21.

Nullus autem fuit ex hisce Ordinibus, qui Martyres non protulerit, in nostræ fidei, & sanctitatis propriæ confirmationem. Ex sola *Franciscanorum* familia *Franciscus Gonzaga* numerat 114. eorum tantum, qui hoc sæculo floruerunt: quibus si adiungantur alij ad alia sæcula attinentes, de quibus *Bosius* sig. 27. vt supra, numerum 200. excedent. Ex Religione vero *Societatis Iesu*, qui hæctenus ab *Ethnicis*, *Mahumetanis*, & *Hæreticis* pro *Catholica* fide interempti sunt, propè centesimum numerum attingunt. *D.* verò *Benedicti* ad certum numerum non ita facile redigi poterunt. Aliorum autem *Ordinum* nominatim numerum scire penitus impossibile est. Præcipuè tamen *Sancti Dominici*, è quo sanctitate florentissimi viri prodierunt quamplurimi, qui & superioribus sæculis, & nostro durissimam mortem perpessi, martyrij coronam sunt adepti.

Quocirca efficacissimum euidentissimumque argumentum elici potest, *Missiones* omnibus Religionibus expedientissimas esse, cum earum occasione viri egregij, qui tot, ac tanta pericula pro fidei dilatatione adierunt, qui acerbissima, & asperrima sunt pro eadem causa passi, qui vastissima, & squisissima maria transmiserunt, qui regiones incultas, incognitas, & horrentes peragrarunt, & qui inter efferatissimos populos, belluas inhumanitate morum superantes, versati, nullis tecti præsidijs, nisi diuina

ope

ope eisdem populos ad veræ fidei cognitionem perduxere: sic denique, qui pro eiusdem fidei veritate ac propagatione vitæ periculum subire non dubitarunt. Vnde si omnium *Ordinum* viri sanctitate præclari computentur, maiorem eorum excellentioremq; partem animarum salutis, & præcipuè *Infidelium* operâ dedisse inuenietur, aut pro fidei dilatatione martyrij palmam arripuisse. Maxima verò tunc erit huius argumenti vis, si expendamus, in nulla Religione vigesimam Religiosorum partem, in alijs verò, nec ceteris in *Missionibus* occupari, & ex hac minima feminis portione maiores Deo, & Ecclesiæ fructus referri, quam ex alia quantumuis maxima Religiosorum quantitate, & numero regularibus exercitijs occupato. Quæ cum ita se habeant, quam gratos Domino ac *Saluatori* nostro, quam fructuosos, quam salutare proximo, ac toti Ecclesiæ, quam ipsi Domino gloriosos futuros merito speramus, qui huic operi alacriter se accingunt? Quare cum Deus tot, ac tantis signis manifesta-uerit Religiosis omnibus expedientissimum esse huiusmodi operi *Missionum* insudare, id sine magna temeritatis, aut cæcitatibus nota inficiari non possumus.

CAPVT VII.

Occasione contemplationis quantumuis sublimis,
aut strictioris clausuræ Monachos non
excusari à *Missionibus*
a diuandis.

ILLud semper fuit consilium Principis tenebrarum, (qui Dei gloriæ, animarumque salutis aduersatur) eos ministros, quos multis profuturos timet, à tam salubri opere, sub maioris boni, aut saltem sub propriæ quietis, ac pacis interioris, contemplationis, aut strictioris clausuræ prætextu deterere. At contemplationis studium quantumuis ardens, & sublime ad tempus esse ob proximorum salutem prætermittendum: nec hoc prætextu Monachos *Eremitarum* solitudinis sectatores excusari, præter exempla quamplurimis firmata rationibus, hæctenus commemorata, *Sanctorum* etiam *Patrum* proferamus testimonia, in quibus omnes vno ore contemplationem ab actione, hoc est proximorum cura seiunctam, vel sterilem, vel minus fructuosam iudicarunt.

D. enim *Hieronymus* lib. 3. in c. 31. *Prouerb.* tom. 8. in enarratione illorum verborum; *Ei de nocte surrexit, deusque prædam domesticis suis, & cibaria*

L. 2

ancillis

ancillis suis, inquit: Sicut totius labentis seculi cursus perenni diei, ac noctis alteratione variatur, & dies quidem ad operandum, nox ad quiescendum naturaliter condita est, sic totum presentis Ecclesie tempus gemino quodam quietis & operis statudiscernitur. Quasi enim nocte quiescit, cum aliqui si delictum eius intermissa ad tempus solitudine externa, sibi met vacare, sequitur, ipsos spiritualiter incipiunt iuuare, vel lectionibus sacris, vel orationibus, ac lacrymis sese, vel alios huiusmodi studiis secretius exercendo. Surgit autem de nocte, cum in iisdem suis fidelibus ad agenda etiam proximiorum curam se sollicitum accingit. Quod fraternae administrationis opus duobus modis exercere consuevit, quia & eos, qui foris errabant, ad fidei gratiam conuocat, & illos qui fidei sacramentis iam sunt imbuti, ut bonis operibus amplius insistant, excitare non desinit. Vnde bene dicitur: Deditque praedam domesticis suis, cum eos quos ab antiquo hoste eripere potuit docendo, societati illorum, qui in fide praecesserunt, conciliat. Dat & ancillis cibaria, cum humiles quosque & debito timore sua iussa seruantes, ne pio labore flauescant, superna mercedis commemoratione reficit: De nocte surrexit, cum ad operandum se post quietem preparauit: & ideo apte dicitur, quod lucerna sanctae Ecclesiae non extinguatur in nocte, quia & cum negotio quiescit actionis, vacat liberius luci supernae contemplationis.

Sanctus quoque Augustinus in Psal. 119. explicans visionem scale Iacob, in qua Angeli ascendebant, & descendebant, Multi, inquit, Sancti ascendunt ad Deum per contemplationem, & descendunt ad nos bonum nobis procurantes. In quadam altitudine cordis habitabat Paulus cum diceret, Siue enim mente excessimus Deo: Iam quod mente excefferat Deo excefferat. Excedente enim mente, omne humana fragilitatem, omnem seculi temporalitatem, omnia quaecumque nascendo, & nascendo euanescent transiuntia, hic habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione quantum poterat. Et si semper manere vellet in eo quod videbat, & loqui non poterat, te non leuaret, ubi & tu posses videre. Quid autem fecit? Descendit: Ideo enim ait: Siue temperantes sumus vobis (id est) si loquimur, ut capere possitis. In illis scalis ascendentes sunt, & descendentes. Ascendentes sunt, qui proficiunt ad intellectum spiritualium: Descendentes, quis quamuis quantum homines possunt, fruuntur intelligentia spiritualium, tamen descendunt ad paruulos, ut talia eis dicant, qualia possunt capere. Taliter Augustinus.

Item D. Greg. Homil. 5. in c. 18. Ezechi. Cum verò (inquit) ab actiua vita ad contemplatiuam surgimus, quia diu mens stare in contemplatione non valet, sed omne, quod de aeternitate per speculum & in enigmate conspicit, quasi furtim hoc & per transitum videt, ipsa sua infirmitate ab immensitate tantae celsitudinis animi repulsus, in semetipso relabatur, Et necesse est, ut ad actiuam redeat, sequitur ipsum continue in usu bonae operationis exerceat, ut cum mens surgere ad caelestia contemplanda non valet, quaeque potest bona agere non recuset. Sicque fit ut ipsis suis bonis actibus, ad superiora rursus in contemplationem surgat, & amoris partem de pabulo contemplationis veritatis accipiat. In qua, quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest,

ad bona rursus opera rediens, suauitatis Dei memoria pascitur, & foris pijs actibus, intus verò sanctis desiderijs nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suauitatis tuae eructabunt. Ostensa ergo animalia vadunt, & non reuertuntur, atque vadunt, & redeunt, quia sancti viri ab actiua vita, quam apprehenderunt, ad iniquitates non currunt, & à contemplatiua, quam tenere iugiter non possunt, in actiuam relabuntur.

Ac demum D. Bernardus Serm. 41. in Cant. Docemur sanè ex hoc intermittere plerumque dulcia oscula, propter laetentia vera, nec quemquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus, esse viuendum. Vt qui bene de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum, si alia sapientes, humilibus non consentiant. Paueant quod in Prophetis legitur, dicente Domino: Dedi eis aurum meum & argentum meum, ipsi autem de argento & auro meo operati sunt Bzal. Idem quoque Serm. 50. in Cant. Orantem, inquit, hominem cum Deo loqui, quis dubitet? quoties tamen inde caritate inbente abducimur, & euellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquelam? quoties pie cedit negotiorum tumultibus pax quies? quoties bona conscientia ponitur codex, ut operi manuum insudetur? quoties pro administrandis terrenis iustissimè ipsis super sedem celebrandis Missarum solemniss? Ordo praeposterus, sed necessitas non habet legem, Et Serm. 57. super Cant. Hoc vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligit, ut otium contemplationis pro studio predicationis libentissimè intermittat. Et Serm. 9. super illa verba Cant. 1. Meliora sunt vbera tua vino, ait: Quod enim postulas, te quidem delectat, sed vbera quibus paruulos alis, quos & paris, meliora, hoc est necessaria sunt vino contemplationis: aliud siquidem est, quod vnius laetificat cor hominis, & aliud quod laetificat multos. Nam etsi Rachel formosior, sed Lia fecundior est. Noli ergo nimis insistere oculis contemplationis, quia meliora sunt vbera predicationis. Hæc Bernardus.

D. Thom. Opusc. 18. c. 23. Quando contemplatio melior est actione, tanto plus pro Deo videtur facere, qui dilectæ contemplationis detrimentum aliquod patitur, ut salutem proximorum propter Deum intendat: intendere autem salutem proximorum cum aliquo detrimento contemplationis ad Dei amorem, & proximi, ad maiorem perfectionem charitatis videtur pertinere, quam si aliquis in tantum dulcedini contemplationis inheret, quod nullo modo eam deserere vellet, & propter salutem aliorum, propter quam Apostolus non solum prolongationem praesentis vitæ, sed & à contemplatione caelestis patriæ retardari ad tempus voluit, propter proximorum salutem, ut patet per illud quod dicitur ad Philipp. 1. Coarctor nimis desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo enim melius est, permanere autem in carne necessarium propter vos.

Denique si peregrinationes, & acta virorum Religiosorum perpendamus,

mus, quantopere nimirum diuinam gloriam propagarunt, dum gentium remotissimarum salutem paucissimi, paucissimorum annorum spatio, in Indijs Orientalibus, Occidentalibus, & in alijs regionibus Meridionalibus, & Septentrionalibus promouerunt, apertissimè inuenimus plurimos alios viros probos, qui sibi solis etiam diuina contemplantando vixerunt, nec sibi, nec Ecclesiæ tam fructuosam sobolematulisse.

Iam verò si contemplatio, quæ optima, ac sublimior est portio, ad tempus relinquenda sit ob animarum curam, vt Patres censuerunt: quid de materiali clausura erit iudicandum? Sufficiant exempla quæ de Monachis, ac Eremitis attulimus, nam in hoc casu, vt optimè philosophatur Innoc. 3. c. licet de regul. rectè præponitur doctrina silentio, sollicitudo cõtemplationi, & labor quieti: Cuius rei eam rationem reddit D. Thom. Opusc. 19. c. 2. *Quia cum minora bona pro maioribus intermitteri possunt, vt dicit Gloss. super illud. Luc. 9. Tu autem vade, & annuncia Regnum Dei, sed bonum commune præfertur bono priuato. Cum ergo Monachus in claustrò, ordinem suum seruans priuato bono insistat, scilicet tantum suæ salutis, doctrina autem officium, quo plurimi erudiuntur in commune bonum totius Ecclesiæ redundet: non est inconueniens si Monachus extra claustrum viuat, ad doctrinæ effectum assumptus, de licentiâ eius, ad quem spectat. Nec valet quod dicunt, quod hoc posset fieri, quando necessitas immineret, quæ nunc non apparet, cum magistrorum iam secularium copia habeatur; quia utilitas communis, non solum debet procurari, vt sit quocunque modo, sed vt sit optimo modo, quo fieri potest.*

LUC. 9.

DE

87

DE PROCURANDA CONVERSIONE OMNIUM

GENTIVM

LIBRI III.

PARS TERTIA.

Cura Infideles iuuandi præcipuè spectat ad
Ordines Mendicantes.



QVAM QVAM Deus omnipotens, cuius natura bonitas, vt inquit S. Leo, cuius opus misericordia est, vniuersum hominum genus ad eam salutem, cuius causa conditum est, facile per se adducere posset, tamen vt illam suauitatem, qua sua providentia in rebus omnibus delectatur, in hac quoque re, (id est animarum conuersione) omnium maxima, retineret, ministrorum etiam operam adhibere decreuit, qui vt ait Apostolus 1. Cor. 7. adiutores Dei essent.

Hos verò inter alios ad tantam gloriam à Deo electos coadiutores in hac tertia parte ostendere conabimur fuisse Ordines Mendicantes, quod ex duplici capite deducemus; alterum ex antiqua horum Sanctissimorum Ordinum in Ecclesia Dei institutione, alterum ex fructu, qui tanquam ex vberimis fontibus in Ecclesiæ arua emanauit: ac demum Guilielmi harum familiarum acerrimi impugnatoris obiectionibus quibusdam satisficiemus.

CAPVT I.

Ordines mendicantes ex vi suæ institutionis fuisse ab Ecclesia destinatos, vt proximorum, tam Fidelium quam Infidelium spiritali salutis consulere.

In primitiua Ecclesia olim fuit duplex Euangelizantium genus, quod vsque ad nostra tempora productum est. Alij certas plebes moderandas

das instituendaſque cura propria, ac perpetua ſuſcipiebant: qui vel Episcoporum, vel Parochorum munere ſungebantur. hos D. Petrus alloquens 1. Petri 5. *Seniores, inquit, paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, non turpis labori gratia, neque dominantes Clero, &c. Act. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Fuit etiam alterum in Eccleſia Dei miniſtrorum genus, qui non firmas ſedes tenerent, ſed prout temporum opportunitas, & Fratrum neceſſitas poſtularer, duo potiſſimum munera exſequebantur. Primum quod varias Eccleſias obirent, ac in eis proprios Paſtores iuarent, infirmos confirmarent, ab omni ratione rem Chriſti promouerent. Secundum, quod in alienigenarum gentium fines pertranſirent, ac luce Euangelicæ doctrinæ Infideles illuſtrantes, ad ouile Chriſti reducerent. Oportebat enim, vt in hac militia Chriſtianæ ordinatiſſima, ac fortiſſima acie, præter militares copias certa ſede diſpoſitas, quibus nihil æquè curæ eſt, quàm vt locum ſuum non deſerant, eſſent etiam auxiliares copias, leuiſque armaturæ equites, quorum munus ſit, huc illucque diſcurrere, & vbi diſcrimè ſit, promptè ad eſſe, labantemque iam militem confirmare, ac præterea aliquando in hoſtes relictis proprijs cohortibus irruere, illoſque vel occidere, vel vincos & captiuos Duci exercitus tradere. Sic igitur duo hi militum ordines in Eccleſia ab initio ſunt pro eius conſeruatione & propagatione conſtituti; vnus eorum, qui certo loco decerent: alter, qui per omnia diſcurrant, & operam proprijs Catholicorum agminibus deſerant, & aduerſarios, id eſt Infideles, verbi Dei gladio tranſfigentes, captiuos in obſequium fidei trahant. Hoc verò duplici militiæ genere uſi ſunt Apoſtoli. Act. 15. *Paulus, & Barnabas inter ſe dixerunt, reuertentes viſitemus omnes Eccleſias, in quibus prædicauimus.* Ipſi etiam Apoſtoli (quorum Principi Petro dictum eſt, *occide & manduca*) verbi diuini prædicatione, ac virtute miraculorum illam cõfirmantes, vniuerſum ferè orbem captiuum in obſequium Chriſti, ſeu vt melius dicam, à ſeruitute Dæmonum, in libertatè Chriſti traduxerunt. Et quamuis Episcoporum hoc videatur eſſe, vti verè ſucceſſorum Apoſtolorum; Episcopi tamen hæc omnia præſtare nequeunt. Quamobrem ſingulari prouidentia, ac non ſine diuino conſilio à Summis Pontificibus factum eſt, vt Religioſorum Ordines, maximè tamen eorū, qui Mendicantium functione gaudent, ſpecialiter deputarentur, qui Episcoporum, Parochorum, ac præcipuè Sedis Apoſtolicæ conatus in tuenda Catholica fide, & Ethnicorum procuranda ſalute, ipſius Sedis auctoritate ſulti adiuuarent, atque hoc Apoſtolicum munus, tum inter Chriſtianos, tum inter Infideles oppidatim per varia regna, & regiones diſcurrendo obirent. Quare meritò à Gregorio Magno emanauit decretum, vt habetur 16. quaſt. 1. c. ex auctoritate, vbi *Ex auctoritate, inquit, huius decreti*

Sacerdo-

Sacerdotibus, Monachis, Apoſtolorum figuram tenentibus, liceat prædicare. Hæc Gregorius: qui Apoſtolorum munere fungi voluit Monachos, non quia in poteſtate, aut iuriſdictione Apoſtoliſ ſuccedant, hoc enim munus potius ad dignitatè ſpectat Episcoporum: ſed quia ſuis diſcurſibus, & miſſionibus animarum profectibus more Apoſtolorum ſtudent. Vnde Apoſtoli, ac Religioſi, qui his per vniuerſum orbem Miſſionibus illos imitantur, *Nubes* in ſacra ſcriptura meritò appellantur, quia aquas Euangelii portant populis effundendas, vt irrigentur terræ populorum, & de hac cęleſti pluuiã virtutum fruges ſpirituãli operatione multiplicentur.

Quare nulli dubium eſſe poteſt, ſi Catholicè ſapiat, omnibus Religioſibus Mendicantibus non ſolum conforme, ſed & præcipuam eſſe ſui inſtituti partem, ſaluti animarum ſtudere, eſſeque à Sede Apoſtolica in hũc finem ordinatas, à Deo que diuinitus inſtitutas, & vocatas, ad fidei pietatiſque propagationem, morum inſtructionem, ac communis boni conſeruationem. Quare Cõciliũ Viennenſe, vt *reſertur in Clement. dudum. parag. Ceterum de ſepulturis*, Episcoporum coadiutores, ſiue cooperatores in prædicationis officio, ac in alijs ſpirituãlibus functionibus Mendicantes Ordines conſtituit. Quam verò ob cauſam Apoſtolica Sedes Religiones inſtituerit Mendicantes, & quale ſit earum munus aptiſſimè declarat D. Bonauentura in tractatu, *Quare Fratres Minores prædicant*, tom. 1. vbi inſtruit Rectores Eccleſiæ Deũ imitari debere, qui etſi omnia per ſe poſſit, dignatur tamen in quibuſdam operibus ſuis habere coadiutores, & Vicarios, in hoc præbens exemplum Eccleſiæ Reſtoribus ſollicitudinis ſuæ onus impartiendi, ne per ipſorum abſentiam, & inſufficientiam ſalus fidelium negligatur: *Prædictis ergo* (inquit Bonauentura) *de cauſis in his nouiſſimis temporibus, de quibus prædixit Apoſtoliſ 2. Tim. 3. quod inſtabunt tempora periculofa, ex multiplicatione peccatorum, & numeroſitate rudium populorum, & ſeductione hereticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & inſufficientia Prælatorum, & perplexitate caſuum emergentium, & aliorum periculorum Eccleſiæ imminentiũ, ex varijs euentibus prouidit Sedes Apoſtolica, ad obuianũdũ præſatis periculis, remedium quibuſcunque animabus pereuntibus adminiſtrando, quod diuina ordinatione Religioſos quosdam Ordines inſtituit, qui officio Prædicationis, & Confefſionis ſibi commiſſo, ſubueniant indigentia populorum, & inſufficientia Clericorum, & obſiſtant verſus hereticorum, & hoc in ſolatiũ, & ſubleuamẽ onerũ, non in præiudiciũ plebanorum.*

2. Tim. 3.

Et infra: *Temperatiſſimè quippe, ait, ſic diſpoſuit Diuina ſapientia, & inſtituit Sedes Apoſtolica, vt per Ordines prænotatos in Prædicatione, & Confefſione defectus Clericorum ſuppleantur, & anima ſaluentur.*

Et poſt pauca: *Quod autem quandoque Religioſi ad ſaluandos Fideles in Eccleſiã eſſent vocandi, oſtenditur in Euangelio, Luc. 5. Cum Dominus dixit Petro, Duc*

in altum, & laxate retia vestra in capturam: *concluserant autem piscium multitudinem copiosissimam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut veniret, & adiuaarent eos, & implerent ambas nauiculas. Mare est seculum: Nauicula Petri est Ecclesia fidelium: Rete est Euangelica doctrina: per iussum Domini tanta piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam heresibus scindunt. Sed cum Petrus, cum suis trahere non valent, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, & adiuaarent eos, qui Pralati Ecclesie cum Clero non sufficientes, tantam plebis multitudinem trahere ad littus vite perpetue, annuerunt, admittendo sociis Religiosis scilicet, Ioanni & Iacobo, actiuus, & contemplatiuis, ut venirent, compatiendo animarum periculis, & adiuaarent tam eos, qui trahunt, quam qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam releuando.*

Deinde & subdit: *Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi a Sede Apostolica Religiosi, ad officia Prædicationis, & Confessionis, ut nunc, ista fuit ratio: Cum morbus adhuc paruus est, paucioribus indiget remediis & leuioribus, sed cum cepit inualescere, & latius se diffundere, ne desperabiliter ager periclitaretur, necesse est plura, & efficaciora remedia adhiberi: ita etiam cum status mundi modo deterior sit, quam olim, expedit plures nunc esse subleuantes, iuxta illud, Luc. 10. Melsis multa, operarij pauci, (ideonei, & fideles.) Rogate ergo Dominum melsis, vt mittat operarios in vineam suam. Ac demum concludit Seraphicus Doctor: *Cum igitur iam sit Ecclesia quasi nauis tempestate concussa, in qua remigantibus pane rementibus, procellæ tumentes penè operiunt nauem, missi sunt Fratres à summo Governatore, sulti auctoritate Sedis Apostolicæ, vt in nauiculis suis, discurrerent per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes inuenerint, rapiant ex vndis, & ad littus salutis reportent. Hactenus D. Bonauentura.**

Ex qua doctrina colligit D. Bonauentura, in eodem Opusculo, prædictas Religiones astringi ex caritate salutis proximorum subuenire. Et doctissimus Pater Dominicus Bagnez, 2. 2. q. 33. artic. 3. dub. 3. Ordines Mendicantium teneri, sub præcepto habere specialem curam, vt Religiosi se exercent in doctrina, Prædicationibus, & Confessionibus, cuius eam reddit rationem. *Quia finis prædictorum Ordinum est salus animarum: & ideo Pralati tenentur ad media procuranda, nec non & suditi tenentur ex officio, & professione sua disponere se, vt sint idonei ad exercenda potissimum sui Ordinis munia, sub peccato mortali, & ex consequenti tenentur peculiari obligatione, ad studium litterarum, quoniam hæc est dispositio idonea.*

Immo & D. Thom. in Opusc. 18. c. 23. agens de Ordinibus Mendicantibus inquit: *Huiusmodi statum perfectionis magis habent Religiosi, qui ex voto sui Ordinis ad hoc obligantur, quod Episcopis subministrant in his que ad curam animarum pertinent prædicando, & audiendo Confessionem: vbi illa verba (ex voto) idè sonant, ac ex professione, sicut omnes tenentur Mendicantes. Ex quo etiam*

etiam secundo fit, quod cum Religio nostra, inter mendicantes Ordines à Summis Põtificibus fuerit annumerata, vt constat ex innumeris priuilegijs, & ex c. vnic. de Religiosis domibus, nullus restat dubitandi locus, illá esse à prædictis Pontificibus, & maioribus nostris destinatam in adiutorium Episcoporum, vt eorum ministerium in saluandis animabus Religiosi nostri sua doctrina, & exemplo adiuuét. Sed de hoc latius egimus in Stimulo Missionum.

CAPVT II.

Exempla Ordinum Mendicantium, qui in propaganda fide Catholica, miros in Ecclesia Dei fecere progressus.

Multa commemorauimus supra ex Monachorum familia circa animarum culturam præclarissima exempla. Superest, vt ad Mendicantium Ordines deueniamus, quos & Episcoporum, & Apostolicæ Sedis in hac causa cooperatores fuisse præstantissimos à tempore suæ institutionis vsque ad nostra secula, nemo est qui dubitet. Et in primis de Patribus Dominicanis, quantum animarum conuersioni infudauerint, quantumque à suo ortu, & origine totius orbis salutem procurauerint, & in quãtas regiones ob hæc causam fuerint sparsi, facile erit colligere ex Bulla Innocentij IV. & Nicolai IV. Fratribus Prædicatoribus, in conuersione animarum laborantibus concessa, cuius inicio habentur hæc verba: *Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Fratribus de Ordine Prædicatorum, in terras Sarracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopicum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mostelitarum, Tartarorum, Hungarorum, Maioris Hungaria, Christianorum captiuorum, apud Tartaros, aliarumque Infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque aliarum partium proficiscentibus salutem, &c.* Hæc Innoc.

Quos fructus Ordo iste tulerit ex tam copioso, tamq; vniuersali Verbi Dei semine, non facile erit dinumerare. Nam cum aliqui Religiosi ad aliquas prædictarum regionem fuissent destinati, multas peragrarunt Barbarorum provincias, in quibus nulla adhuc Christi notitia erat, idque eo fructu, vt ita scriptum sit, iniri non posse numerum animarum, ad rectam fidem per eos traductarum, præsertim verò in Cumanorum gente. Vnde Benedictus, qui ceteris præerat Fratribus, ad Magistrum Generalem scribens

bens (quæ adhuc extant literæ) narrat multa hominum millia non solum ex plebe, sed etiam ex prima nobilitate Baptismum suscepisse. Quare hoc sufficiat quasi specimen eorum fructuum, quos hic Ordo in Ecclesia tulit, fertque indies, quibus recensendis iusta iam volumina scripta sunt.

Ex Fræsciana autem familia, præter alia anno ferè Domini 1270 missus est Constantinopolim, ad tractandam illius Græcæ Ecclesiæ reconciliationem *Hieronymus Esculus*, is qui postea ad summum Pontificatum euectus, Nicolaus III. est appellatus, & quidè felici successu, quippè qui Imperatori, & genti illi veritatis legem persuaferit, secumque quadraginta ex proceribus, ad Pontificis pedes, & ad Concilium, quod eo tempore Lugduni habebatur, cum magno omnium gaudio perduxerit. Iidem etià ad Tartaros, non semel adierunt, primum ab Innocètio IV. missi anno 1245, quo tempore cum magnus hominum numerus Euangelium admisisset, paulò post multò plures illuc operarii destinati, Monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter prorsus administrata est. Iterum deinde anno 1241. à Benedic. X. Põtfi. duo ex eisdè missi tanquam Apostolici Legati, cum aliis fociis adiunctis, qui item accepta ab Imperatore illo promulgandi Euangelii facultate, multa denuò & templa, & Monasteria, cū diuini cultus propagatione, multaque animarum conuersione, instruxerunt. Anno autem 1332. non parua horum manus in Armeniam ipsam penetrauit, inter quos præcipuum fuisse ferunt *Gonzalum Lauratum* virum doctissimum, qui cum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conuersis, multum profecit. Eodem etiam ferme tempore, & *Paschalem*, inter Medos, & *Gentilem* inter Persas versatos esse accepimus: & illius quidem extat Epistola, qua narrat se, cum munera, & vxores, quas Barbari illi offerebant, aliaque blanditias constanter repulisset, tentatum deinde esse contumeliis, bis etiam lapidatum, faciem & plantas igne adustas, quibus tamen rebus ita se nunquam territum, vt nec habitum deposuerit, nec à prædicando destiterit. Atque etiam circa idem tempus Bosnia, vrbs Dalmatiæ, *Gerardi* Generalis Ministri opera, conuersa est ab heresi, cum illac fortè iter habuisset; qui deinde etiam pluribus eò missis, finitima loca, quæ erant eadem labe infecta, expugnauit, & ad Christi ouilem reduxit.

Odoricus autem *Foroliuensis*, eodem ipse fermè quoque tempore, tum, vt honores fugeret, qui illi ab omnibus habebatur, tum feruenti animarum zelo adductus, impetrata à Superiorib. facultate, cõtulit se inter infideles, vbi per varias excurrens prouincias, versus Orientem, & Meridiem, eo in opere annis septem, & decem positis; viginti millia animarum solus baptizasse, & salutari doctrina instituisse dicitur. At verò circiter annum. 1370. *Guilielmus Petrus* Cataium missus Euangelizandi causa, plures quæ sexaginta

ginta, ex suis adduxit. In Hungaria autem cum Rex ille finitimas quasdam prouincias recenter subiecisset, destinatis eò Franciscanis octo, non pluribus diebus, quam quinquaginta, ducenta hominum millia, ad Christum adduxerunt: quo successu impulsus Rex optimus, ad Ordinis Generalem diligenter scripsit, vt duo millia ad se Fratrum mitteret, quoniam nulli opus esset defuturum: legiturque adhuc huius Generalis Epistola, qua suos ad tam optabiles, & gloriosos labores pie, & feruenter inuitat. Nec tacendus *Ioannes Capistranus*, qui annum circiter 1450. vna excursionem duodecim infidelium millia, & multos præterea schismaticos Ecclesiæ aggregauit.

Quanti verò in Indiis Orientalibus, & Occidentalibus fuerint ab initio, & fiant quotidie fidei Christianæ progressus, per Ordines omnes Mendicantes, immensè laboris esset enumerare. In eis sunt multæ familiæ, ex ordine SS. Augustini, Dominici, Francisci, & Carmelitarum Excalceatorum, quæ huic vni rei Christianæ scilicet fidei propagationi dant operam. Primos omnium, qui ex Mendicantibus tantam hanc prouinciam aggressi sunt, Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis inueniendis, cum antea ne quidem de nomine auditum esset, magnopere contulisse. Cum enim Christophorus Columbus de ea nauigatione instituta, apud Ferdinandum in Hispania Regem ageret, nec ei, vt in re tantam noua atque incerta, multum fidei haberetur; Patres duo Franciscani valdè eum iuuuissent dicuntur, tum ipsum animando, tum etiam Regem impellendo, vt eam occasionem omnino tentaret. Itaque cum impetrata classe Columbus Mexicana regna feliciter aperuisset, atque in Hispaniam, tantam rei nuncius reuersus esset, statim aliquot eius familiæ Patres, ea in loca nauigarunt anno circiter à Christo nato 1493. Atque eodem pænè tempore, ad Orientalem Indiã Emmanuelis Lusitani Regis auspiciis à Vasco Gama patefactam, anno videlicet, 1500. missi sunt Euangelii causa viri octo, ex eadem familia, tum doctrina, tum pietate præstantes. Ab his initiis, hic Ordo per eas regiones diffusus, multiplicatis breui tempore domiciliis, tredecim Prouincias instituit, in quibus magnam Christianæ rei operam nauarunt, & adhuc nauant. Ad eosdem labores paulò post, id est anno 1505. nauigauerunt etiam Dominicani, qui item illic multa præclare gessere, deinde Augustiniani, & Carmelita.

Sed quamuis plurimum Ordines alii, vt Christi nomen ab omnibus in vniuerso orbe colatur, laborauerint, inferior tamen laus Societatis Iesu Religiosis non debetur, quæ tum in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, totoque illo Septemtrionis tractu hæresum peste laborante, impigrè se vbi que offert Catholicis confirmandis, hæreticis reducendis, aut etiam confutandis, tum etiam versus omnes orbis partes, ac præcipue in vtraque India infidelium culturam exercet: ac primum in Orientali India,

Ioannis Lusitani Regis rogatu, per Franciscum Xauerium, Apostolicum sanè virum introducta est, ac in celebri insula, Goa nuncupata, Societas Iesu habet frequentissimū Collegium, in quo morari solēt Socii amplius centum: ibi instituuntur pueri quam plurimi, è diuersis regionibus oriundi, Brachmanes, Persæ, Arabes, Aethiopes, Caffres, Canarii, Cazarates, Baccani, Maluares, Bengalæ, Canaræ, Peguæ, Patanes, Chinguolæ, Iai, Malai Manacarabi, Macazareti, Malucii, Sionii, Mauri, Chinenfes, & alii, qui in terras suas dimissi optimis instructi moribus, ac disciplinis Euangelium longè lateque disseminare solent. Eadem Societas in Occidentali India Euangelium Christi latissimè propagauit, ac in vtraque India innumeros habet operarios.

CAPVT III.

Non sufficere Religiosis Mendicantibus præparationem animi ad iuuandos proximos.

AT non desunt, qui dicant non opus esse ad caritatis perfectionem animarum studium actu suscipi, sed sufficere in affectu, & desiderio habere, vt constat multos viros sanctissimos Eremiti cultores, hac caritatis affectione sine illa actuali, quæ proximis teneur consulere, viros euasissimè perfectissimos; ex quo inferunt sufficere Religiosis etiam Mendicantibus, habere animi promptitudinem, hoc est, paratos esse iuuare Episcopos, vel summum Pontificem tempore instantis necessitatis, vel ipsis requirerentibus, aut præcipientibus.

Et quamuis forsàn, si rem istam subtilius discuteremus, & vt dici solet, in Scholis Metaphysicæ, posset defendi, inter occasiones consulendi proximorum salutem assiduam & grauem, sufficere caritatem in affectu, siue, vt ipsi vocant, in animi præparatione; quemadmodum inter opes, & delicias sanctitas, inter honores humilitas, inter epulas castimonia: illud tamen certissimum est, in praxi similem animi præparationem nec sufficere, neque caritatis metam attingere. Proh dolor, pereunt innumeræ animæ, & cum effectu detruduntur in infernum, & sufficiet caritas in affectu, aut sola animi promptitudo eas adiuuandi?

Quæ rogo fuit causa, cur sancti, & Religiosi viri cum probè intelligerent in quo sita esset caritatis perfectio, tamen ita caritatem proximi in actu sunt amplexati, ac si nihil ea esset quæ in affectu tantum consistebat? Ac deinde illud etiam maximum est in hoc genere, quod cum Christi Domini

mini vita perfectissima fuerit nostræ vitæ, & salutis forma, & ille non sola animi præparatione, sed etiam operibus ipsis, ac toto suæ vitæ cursu nihil aliud, quam animarum salutem curauerit, consequens esse videtur, vt qui in hoc vtroque eius in se effinxerit similitudinem, ei plus laudis debeat, quam qui tantum in altero.

Hæc fuit etiam S. Bernardi sententia in Homil. *Ecce nos reliquimus omnia &c.* afferentis antiquis Patribus satis fuisse spiritum Domini solo spiritu sequi: At inquit, *ubi Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, iam nobis in eo tratita est imago vitæ, & perfectionis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non vltterius cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Neque id dicimus tanquam saluari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit; sed vt gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet.* Hæc Bernardus. Clarius tamen ipse Serm. 50. in Cantica, de hoc duplici caritatis genere edifferens in proximis iuuandis, non sufficere affectualem, sed actualem præquiri his verbis ostendit: *Ordinauit in me charitatem. Quam putas harum? vtramque, sed ordine opposito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis superiora. Etenim in benè affecta mente non dubium (verbi causa) quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectior infirmioribus, cælum terra, aternitas temporis, anima carni. At tamen in benè ordinata actione, sæpè, aut etiam semper ordo oppositus inuenitur. Nam & circa proximi curam, plus vrgemur & pluries occupamur, & infirmioribus Fratribus diligentiori sedulitate assidimus & paci terræ magis, quam gloriæ cæli, iure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curarum, vix aliquid sentire de aternis permittimur, & languoribus nostri corporis, postposita animæ cura, penè continuè inseruimus, & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundantiore honore iuxta sententiam Apostoli circumdamus, pro hoc quodammodo facientes verbum Domini, de quo habes: Erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Orante denique hominem cum Deo loqui, quis dubitet? quoties tamen inde caritate iubente abducimur, & auellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela, quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conscientia ponitur codex, vt operi manuum infudetur? Quoties pro administrandis terrenis, iustissimè ipsis super sedemus celebrandis Martiarum solemnibus? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem. Agit ergo suum actualis caritas ordinem, iuxta Patris familiarum incipiens à nouissimis.* Hæc Bernar. præterea excusatio hæc friuola omnino videtur: nam vel loquitur de præparatione animi, quam debent habere subditi respectu Prælatorum Ordinis, ita vt ipsi non se immisceant Ecclesiasticis functionibus, nisi à Prælati suis ad manus cõcionandi, aut confessiones audiendi, aut alio modo erudiendi populos vocati: & hoc verissimum tutissimumque consilium iudico. Quamuis forsàn sæpè laudabilius erit se ipsos pro infidelibus iuuandis prælati semel, atque

atque iterum offerre, exemplo D. Gregorij, antequam ad Pontificiam ascenderet dignitatem, S. Bonifacij Episcopi, & Martyris Ordinis Camaldulensium; S. Ludouici Beltrandi, qui omnes alioque quam plurimi sanctissimi viri à suis Prælatis ardentissimè efflagitarunt, ac impetrarunt mitti in remotissimas orbis regiones, pro Infidelium salute procuranda: immò nullus ferè Religiosorum Ordinum alumnus à Prælatis, nisi ipsemet postularit, huic altissimo deputatur ministerio. Nec verò si quis presentit se à spiritu diuino, semel atque iterum ad Missiones excitari, trepidandum illi est timore, vbi nulla est timendi occasio, nempe in appetenda foliciteque procuranda illa re, quæ à Christo Domino commendata, ab Apostolis, ac tot sanctissimis viris tanto studio exulta, immò ipso vsu, & experientia Religiosis vtilissima, & iucundissima semper inuenta: si enim nihil aliud, quam Dei gloriam, animarumque salutem sitiamus, nihil trepidandum, quin Dei spiritus, qui nostras mentes excitat, nostras quoque actiones iuuabit. Quod si res optatum exitum non fortiatur, in re tam magna voluisse fat erit.

Verum vt eò quò digressi sumus reuertamur: vel est sermo de preparatione animi respectu Prælatorum Ecclesiasticorum, quales sunt Episcopi, & summus Ecclesiæ Pastor; sic falsum est, Ordinū Mendicantium Prælatis, animi præparationem sufficere, quo ad populorum vel instructionem, vel reductionem, quasi animarum culturæ, nisi requisiti, operam dare non teneantur.

Primò, quia Pontifices, cum Ordines Mendicantes elegerunt, non in eum finem id præstitisse constat, vt coadiutores tantum in animi præparatione essent, sed vt re ipsa, cum animarum necessitas vel vtilitas id postularer, manus operi admouerent.

Secundo, quia expressè D. Thom. 2.2. q. 188. art. 4. ad 2. asserit, subuenire Prælatis in animarum ministerio, huiusmodi Religionū propriū esse.

Tertio quia Mendicantes, vt notū est, instituti sunt varijsque, ab Apostolica Sede condecorati priuilegijs, vt prædicando, docendo, alijque modis conuenientibus spiritualem proximorum salutem procurarent. Quæ igitur ratione animarum salutem consulatur, si dicti Religiosi animi solum præparatione succurrere contendunt, aut quando vnquam aliqua ex his sacris Religionibus, sola animi præparatione in animabus subueniendis contenta fuit? Nunquid D. Dominicus, aut Franciscus, B. Angelus, Ignatius, alijque Mendicantiū Ordinū Patres, & Coryphæi, eorūque sectatores, quorū gloriosa gesta nulla delebit obliuio, pro animarū salute procurandā, animi tantum præparationem sibi præfixere, an verò pro eis lucrandis & instaurandis, labores, sudores, miras vexationes, ac sanguinis ipsius effusionem, non sine magno Ecclesiæ fructu pertulerunt?

Quarto

Quarto: Quia tunc animi promptitudo apud Deum pro facto reputatur, cum quis opus bonum non exsequitur, eò quod non possit, vel occasio desit: vt sunt Anachoretæ, qui in animi promptitudine habent obedientiam, patiétiam, ac misericordiæ opera, quia parati sunt data occasione illa exercere: tamen si ipsis offerretur occasio, nullatenus talis animi promptitudo, nisi facto ipso comprobata, sufficeret. Quomodo ergò Religiosis Mendicantibus, ætate, quæ Ecclesia tot laborat hæresibus, tot impiorum opprimitur afflictionibus; tēpore inquam, quo immensus Infidelium numerus, vt sunt Indi, Æthiopes &c. Euāgelicæ doctrinæ panem exigere conspicitur, mera animi promptitudo sufficere possit?

Quinto: Quia hæc animi promptitudo respectu Summorū Pontificū, ad quos tanquam ad summos Pastores spectat Infidelium curare conuersionem, competere debet, non Religiosis tantum Mendicantibus, Monachalibus, & Clericis, verum omnibus etiam laicis ad Infidelium reductionē aptis: quare ad maiora Mendicantes Ordines ex vi suæ professionis vocatos esse palam sit.

Sexto: Quia ministeria Ecclesiastica, docendi v.g. prædicandi, &c: quæ lucrum temporale præfererūt, etiā exigui momenti, nunquam à Religiosis prætermittuntur, immo sæpius inter eos contētio exoriri solet, & emulatio non modica, quisnam huic vel illi populo concionari debeat, quantumuis non nisi fructus temporalis inde speretur. Quinimo varijs etiam discursibus, neglectā Claufura, sæpius Religiosi vicos & castella peruagantur, vt modicum vini, frumētī, vel paleæ, aliarumque rerum sibi comparant, & in hūc finem velut in scopum, prædicationem, doctrinam, sacramentorumque administrationem, quandoque imprudenter ex his aliqui iaculantur, & pro dolor, cælestia ac diuina, in humana & terrena lucra conuertunt. Cum verò de animarum salute pro quibus Christus Dominus, spinas, flagella, clauos & vulnera, atque adeo ipsam crucem sustinuit, agitur, tunc passim animi præparationem in Euāgelium pacis sufficere contenditur.

N CAPVT

CAPVT IV.

Religiosi Ordinum Mendicantium non solum
Fidelibus, sed & Infidelibus tenentur
opem ferre.

Aliud in super Dæmonis telum, aduersus Fidei propagationem, animarumque salutem aliqui in nos contorquent (quod merito fidei arietem, vel vt clarius dicam, contra fidem appellare possumus) asserentes sufficere Fratribus Mendicantibus, si fidelium tantum saluti consulât, cum in aliquibus villis, aut regionibus inter Christianos adhuc commorentur homines fidei Christianæ ignari; ac ipsis etiam ciuitatibus tot esse ciuium inueterata vitia, & mores corruptos, vt Deo forsan inuisum sacrificium videatur, ac præposterus caritatis ordo, domesticis in fidei tenebris relictis, neglectaque spirituali cura domesticorum, eos, qui foris sunt, magno cum labore, ac non sine animarum nostrarum periculo immensis traiectis spaciis quæritare.

Quorsum, inquit, immo clamant, Missiones aggredimini, tantum terræ pelagique immensi ad ignotas terras trajicitis, si Christianorum curam deseritis, & extraneis consulitis, propriis ac domesticis derelictis; cû iniquitas maxima sit, posthabitis domesticis, extraneis vacare, & certos pro incertis relinquere fructus? Hanc frivolum excusationem, fidei propagationi omnino contrariam, de medio tollendam esse duobus, aut tribus propositis argumentis facile conuincemus. Primum erit, Ecclesiã vsque in finem mundi crescere oportere, ac Euangelium pacis incessanter vsque ad sæculi consummationem prædicandum. Secundum, hanc propagandæ Ecclesiæ curam potissimum ad Summum Pontificem pertinere ac proinde Mendicantes Ordines, qui Sedi Apostolicæ sunt auxiliatores, teneri in hac fidei propagandæ cura ad hanc præclarissimam Sedem spectante cooperari. Tertium, Fidei dilatationem non esse huic curæ postponendam, eique semper studendum, etiam domesticis ouibus relictis, dummodo illis auxilia sufficientia conferantur.

Ad rem igitur redeamus. In primis constat Ecclesiam dilatandam esse, donec in toto mûdo Euagelii lumen resplendeat, sintque vnum ouile, & vnus pastor: hoc autem à Domino fuisse præceptum eleganter docet D. Augustinus variis in locis. præcipuè. Epist. 8. ad Hefychiũ, & Epist. 48. ad Vincetium, vbi contra hæreticos quosdam acerrimè pugnat, qui obicem fidei

fidei Christianæ per vniuersum orbem propagationi ponentes, iudicant Euangelium non debere prædicari vltra certos terminos ab ipsis præscriptos. Quatum deinde errêt, qui Euangelicam tubam solum intra Catholicæ Ecclesiæ claustra resonare vellent, pulchrè docuit D. Bernar. in Epist. ad Eugenium. Quare cùm præceptum sit Domini non tantum Apostolis, sed etiam eorum successoribus, operarios pro excolenda vinea incessanter mittere, nemini dubium esse debet, hoc onus efformandi, mittendique ministros Summis Pontificibus incumbere, quibus vniuersalis Ecclesia commissa est: vnde cû Mendicantes Ordines, etiã suo modo Apostolis successerint, vt in princ. huius 2. partis ex decreto Gregorii Papæ commemorauimus, sintque in hac parte Apostolica Sedi coadiutores idonei, pro virili tenentur in gentium procuranda salute Summorum Pontificum conatus adiuuare, vsque dum ouile vnum in Ecclesia confluat.

Præterea Christi Domini, ac Sãctorum omnium exemplo facile edocemur normam in Missionibus seruandam. Nam in primis Saluator noster, ac Dominus Iesus Christus, cum Iudæa ferè tota tempore mortis suæ, ac in cœlos ascensionis esset inculta, ac sceleribus immanissimis obruta, vno tantum Apostolo, B. nimirum Iacobo relicto, ceteros in vniuersum terrarum orbem ire præcepit dicens: *Eritis mihi testes in omni Iudæa, & Hierusalem, & vsque ad extremum terra.* Nonne Apostoli, omiã etiam inculta maxima plebis portione, relictis ibi discipulis, ad alia regna migrabant? Nunquid non Petrus Antiochiam deseruit, & Paulus Orientales prouincias, vt Romam venirent? Illis in locis Petri aut Pauli doctrina opus non erat? vel tunc infideles omnes ad fidem conuersi, ac moribus perfecti, in regrique erant, cum ab illis prouinciis præclarissimi Apostoli Romam profecti sunt; aut ab inclita vrbe Romana, cum Apostolorum Princeps discipulos, versus omnes orbis partes Euangelii disseminandi gratia emisit, Christo nomen collumque subdiderat? Ac denique, vt nunc aliorum Apostolorum similia præteream exempla, cum D. Benedictus ab Italia Maurum in Galliam; ac D. Franciscus in varias mûdi regiones discipulos sparfit; Beatus Ignatius à Roma in nouum orbem, aliasque Septemtrionales partes Xauerium, aliosque discipulos transmisit, num Italia viris illis Apostolicis, pro fidelium instructione, atque ædificatione non indigebat? Quid Summos etiã Ecclesiæ Põtifices damnabimus, qui diuino afflato spiritu, quotidie operarios in remotissimas prouincias, pro infidelium salute curanda transmittunt, cùm non deesset mensis multa tum Romæ, tum in aliis Ecclesiæ regnis?

Demum, nusquam Ecclesia esset propagata, nec Euangelium vniuerso fuisset orbe cognitum. Nam si primum oporteret domesticorum morbos curare, ac rudes omnes Christianos instruere, errantes ad viam veritatis

reducere, cum hoc moraliter sit ferè impossibile, non relinqueretur tempus, neque occasio propagandi Euangelium gentibus. Sufficit igitur, si populo Christiano auxilia ad salutem sufficientia conferantur, ipso verò renuente ad veritatis viam reduci, ad gentes conuerti, quemadmodum Apostoli iudæis prædixerunt: maximè quia domestici fidei nunquam remanēt destituti ministris necessariis: habent enim Episcopos, Parochos, ac Religiosos innumeros, quorum ope facillè possunt veritatis viam edoceri.

Immo modicus fructus, qui ex Christiano populo, quasi ex vinea senescente colligitur, mouere deberet Ecclesiæ Principes, ac Religiosorum Prælatos, vt eò sua studia conuerterent, vnde maiorem prouentum sperarent. Nimis enim exploratum est plurimos verbi Dei, ac Sacramentorum ministros in florentissimis vrbibus Christianis parum proficere, experientia ipsa clamante, integros ferè populos, in eisdem semper vitiis iacere, quantumuis ministris æternæ salutis abundant. Cur ergò non fiat delectus, & numero idoneo relicto, operarii multi destinentur, ad regiones, & nationes Infidelium, vbi feliciter proficiant? Et quidem ratio hæc ipsos potissimum prædicatores, & Sacramentorum Ministros exstimulare debet, ne post labores studiorum, & scientiæ diuinæ acquisitionem, vires consumant, aut eleganter dicendo, aut cum exiguo fructu laborando. Si enim rectè sentiant, prospiciēt profectò in Euangelii prædicatione, quæ apud infideles fit, se Apostolis similiores futuros, cum ibi stimuli multi vanitatis non pugnent, & ipsum Iesum Christum veracius persudores, & labores imitentur.

CAPVT V.

Proponuntur & refelluntur argumenta Guilielmi & aliorum.

Guilielmi argumenta contra Ordines, tam Mendicantes, quàm alios, quibus conabatur ostendere, Monachos non esse idoneos doctrinæ, nec verbi Dei prædicationi, immò hæc eorum instituto esse contraria, latissimè refert D. Thom. Opusc. 19. c. 2. & 4. & 2. 2. q. 187. art. primo: breuiter tamen ea, quæ principaliora sunt, adducemus. Primum erat ex D. Hieronymo: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Secundum ex D. Gregorio: *Nemo potest Ecclesiasticis deseruire Officiis, & in Monastica regula ordinate persistere: sed Monachi tenentur in sua regula ordinate persistere,* ergò

ergò non possunt Ecclesiasticis officiis deseruire, qualia sunt prædicare, & docere. Tertio, Quia est contra doctrinam Apostoli. 2. ad Cor. 10. *Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quæ mensus est nos Deus.* Vnde dicunt, quod quicumque Religiosus vltra illum modum egreditur, qui sibi ab auctore Regulæ suæ est statutus, seipsum superextendit. Quarto, Quia Monachus tenetur Ordinem suum seruare, sed extra claustra, non potest eum commodè seruare, ergò non conuenit ei prædicare, &c. Hæc sunt motiua Guilielmi, iâ pridem à Sede Apostolica, ob ea plurimis decretis damnati.

Ad 1. Respondet D. Thom. dicto. c. 2. ibi Hieronymum solum affirmare, Monacho, in quantum Monachus est, competere pænitentiam agere, non docere, sicut aliqui olim vsurpabant; qui ex hoc ipso, quod Monachi erant, docere volebant. Ad secundum ex Gregorio, quod nemo potest Ecclesiasticis officiis deseruire, respondet D. Thom. vt supra; *Non esse intelligendum de his, quæ ad substantiã Religionis pertinent, vt etiam per apparatus ibi patet, quia hæc bene seruare possunt Ecclesiasticis officiis deseruientes: sed intelligitur, quantum ad alias obseruantias, sicut silentium, & vigiliis, & huiusmodi: quod etiam patet ex hoc, quòd sequitur in prædicto. cap. vt ipse distinctionem Monasterij teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur deseruire. A quibus obseruantijs regularibus non est inconueniens si aliqui abstineant, vt communi vtilitati vacent docendo, sicut patet in illis, qui ad Prælationis officium assumuntur, cum etiam in claustris manentes, in talibus quoque dispensationem accipiant propter aliquam causam. Et propterea aliqui Religiosi sunt, qui in claustris suis manentes, distinctionem Ordinis sui seruantes, scholastico insistent officio, quod ex institutione sui Ordinis habent.*

Ad tertium respondet ibidem his verbis: *Ille se extendit super mensuram suam, vt patet per gloss. ibidem, qui se extendit, vltra quam concedatur ei: Illud autem intelligitur concessum, quod nulla lege prohibitum inuenitur. Vnde si Religiosus aliquid faciat, quod non sit sibi per regulam suam prohibitum, non superextendet se super mensuram, quamuis de illo faciendo in Regula nulla mentio fiat: alias non liceret Religiosis aliquibus, qui habent Regulas latiores, assumere sibi perfectioris vite consuetudines & statuta, quod est contra Apostolum ad Philip. 3. Qui ea quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora se extendebat. Et præterea aliqui Religiosi sunt, qui doctrinam ex institutione sui Ordinis habent, & patet, quod contra eos dicta obiectio non procedit.*

Ad quartum, ex sanctissimi Doctoris doctrina modo allata facillè responderetur: vbi docuimus nõ solum imminente necessitate, sed etiam postulante id animarum communi vtilitate licitè prætermitti Ordinis obseruantiam, maximè illam, quæ non ad instituti substantiam spectat.

Et vt alia, quæ ad Mendicatiũ Ordinũ functiones, & priuilegia spectat, breuiter ex mente D. Thomæ d. opusc. 19. & 2. 2. q. 187. adiiciam, quæro:

cum D. Thoma, cur Mendicantes Religiosi in medijs opidis, ac ciuitatibus sua ferè cœnobìa extruant, ac proinde ciuium tumultibus exposita; cum tamen Monachi longè ab hominum cœtu, & frequentia remoti in agris, montibus, & solitudinibus sua Monasteria exædificauerint? Respondeo cum S. Thoma locis citatis, ideò Mendicantes in ciuitatibus habitare, vt iuuent alios, & ipsi pariter eorum largitionibus adiuuentur, cum Christi causa omnia reliquerint. Monachorum verò non fuit proprium, alios docèdo iuuare; aut se fundis, possessionibus, ac bonis stabilibus in communi abdicare.

Præterea quæritur, Cur Mendicantes viribus alioquin præditi, manibus minimè laborent; cum ex Augustino per totum librum, de opere Monachorum, ex Basili item, & Benedicti Regula, & cap. de præsentium 16. q. 1. manifestè constet, olim Monachos manibus laborare consueuisse? Respondeo cum S. Thom. Opus. 19. c. 5. non idem iuris esse de Mendicantibus, quod de Monachis. Illi enim sunt instituti ad docendum, concionandum, conferendum Sacramenta, & proinde ad diligentem literis operam nauandam. Porrò qui spiritualia seminant, meritò, ait Apostolus, temporalia metunt, & qui altari seruiunt, ex altari viuunt, Monachi vero minimè.

Ac denique, Cur Religiosi Mendicantes in studia literarum incumbant, cum olim Monachi solum quieti, silentio, solitudini, & contemplationi operam dederint? Respondet itidem S. Thomas locis citatis,

& cap. 11. Mendicantium Ordines sese literis applicuisse, cum instituti fuerint, non tanquam Monastici Ordines ad solitariam vitam agendam tantummodo, sed ad salutem animarum procurandam, propagandam, augendam, & conseruandam.

103

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM LIBER TERTIVS.

De eligendis atque efformandis Ministris, & de alijs
medijs ad propagandam fidem animarumque
conuersionem procurandam
spectantibus.



Eto mihi, homini aliàs incscio atque inexperto, veniam dari, vt Superioribus meis magna cū animi demissione possim ea media pro animarum salute suggerere, quæ me vel ex rerum vsu, vel ex colloquio cum sapientissimis viris, aut etiam ex eorum scriptis discere cōtigit. At cum in hoc negotio nonnulla sint, quæ vel praxis, vel ratio ipsa ostendit magis quàm prima facie fortasse videantur fore difficilia, si executioni mandentur; de his solum quæ magnum momentum habitura sint, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, auctoritatemque propagandam, salutemque multorum populorum ac gentium vtiliter, nec magno sumptu, comparandam dicemus.

CAPVT I.

De erigenda Congregatione pro fide propaganda.

Primum itaque illud est, vt Romæ paucorum, sed zelo insignium atque prudentiū virorum Congregatio instituat, in qua seridò diebus statutis agatur de ratione omnium populorum adiuuandorum, hortatorijs, atque consolatorijs Epistolis, libris Orthodoxis, hisque vt breuioribus ac pijs, ita ad disseminationem aptioribus, plurimis libris Catechismi S.

Tridentinæ Synodi: quia iam ut varias in linguas est conuersus, ita in multo plures facile conuerti posset. Ceterum huius Congregationis scopus is esset, qui primarius S. Ecclesiæ, Apostolicique totius muneris fuit, ut populi nutantes roborarentur, versantesque in ipsis hæresibus Catholicam animarentur ad fidem, pietatemque propugnandam, ceterosque deinceps iuuandos. Reliquis autem fidei Catholicæ propugnatoribus, quales sunt Episcopi, Cõcionatores, Parochi, Magistratus, Gymnasiarchæ, & animus adderetur, & instructiones variæ mitterentur. Hæc verò omnia Pontificis Maximi nomine fierent, nulla temporariæ iurisdictionis, aut censuræ mentione, ut cum hoc labore sanctam hanc Sedem nullum se aut imperium, aut lucrum aliud quam animarum aucupari ostenderet, tum magis fortius Catholica Religio vbique stabiliretur.

Hæc enim ratione Summus Pontifex paternum suum & vniuersalem amorem, zelumque lucrandi animas, prisco ritu, circularibus Epistolis testaretur, & misellis ouiculis per vastas gẽtilitatis solitudines, aut hæresum præcipitia errantibus pastoritia voce Pastor optimus ipse met acclamaret. Hæc etiam ratione in ipsis quoque vinculis vsi sunt Apostoli populos assidue, qui vel in medio perfidarum nationum viuerent, de sua salute obnixè monentes. Hæc summi Pontifices, quamuis in summa vniuersæ Ecclesiæ perturbatione, ipsique deportati ad insulas, siue inter compedes, aut Martyrum sepulcra latentes: hæc ceteri, qui pace Ecclesiæ data, illis succedere, quales S. Innocentius, Leo, Gregorius, horum nominum primi, quæ alij Ecclesiæ columnæ, & quasi firmamenta fuerunt sunt vsi. Quod si summus etiam Pontifex Imperatorem, Reges, Principes, Prælatos, maxime verò Religionum Generales, aut Capitula, ad iuuandas conuersiones crebrius hortaretur; haberent hæc non leue pondus ad propagandam Christianam Religionem, restaurandumque diuinum cultum; ac denique hæresibus ostium præcluderetur, cum synceræ caritatis officia potius, quam vllæ aliæ industriæ vel sumptus aut labores humani, amorem & obedientiam in subditis stabilem certissimè operentur.

Huius Congregationis quatuor aut quinque esse possent Secretarij idonei, vel rerum & linguarum vsu, vel doctrina, vel (quod caput est) pietatis affectu præstantes: quorum munus esset cuncta ordine Congregationi proponere, constituta exsequi, Orthodoxos & pios libellos pro ratione vniuscuiusque prouinciæ varijs linguis conscriptos habere; Regesta literarum, Episcoporum etiam, Parochorum, Concionatorum, Familiarum, illustrium Catholicorum siue aliorum, à quibus posset huic negotio aliud quod auxilium adferri, Catalogos asseruare.

Horum alteri Septemtrionalium regionum cura demandari posset, Angliæ,

Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Galliæ, Germaniæ, Daniæ, Suetiæ.

Tertio Dalmatiæ, Bofsinæ, Græciæ, insularumque adiacentium, atque item Thraciæ.

Quarto Cypri, Asiæ minoris, Tripolis, Syriæ, Hierosolymæ, Alexãdriæ, Algerij. Alteri Poloniæ, Lituaniæ, Moscouiæ, Ruscii, Hungariæ, Transilvaniæ.

Quinto Indiarum Occidentalium, & Orientalium. Ad eas enim omnes prouincias iuuandas, fidemque ac pietatem, & libros disseminandos plures aditus patent.

Primò per eorundem Ordinum Generales, quorum in Dalmatia, Bofina, Peræ, Hierosolymæ, & alibi monasteria existant.

Secundò per Episcopos Latinos, qui Cathasi, Epidauri, quique in Creta & Corsica sunt.

Tertio per mercatores, qui varias Orientis merces Venetias, atque ad alios portus transfuehant ex Andro, alijsque Ægei maris insulis, quique in patriam libros Italica etiam lingua cõscriptos referunt, quæ & apud Græcos & frequentioribus Orientis partibus in vsu est.

Quartò per Chij, Andri, atque aliarum insularum viros nobiles, qui adhuc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem amplectuntur ac retinent.

Quintò per Consules mercatorum diuersarum nationum Europæ, quibus in Orientis emporijs Latini Sacerdotes non desunt, in oppido Pera, Tripoli, Syriæ, & Alexandriæ Aegypti.

Sextò per mercatores Genuenses, & Masilienses, qui circiter octingenti prope Algeriam solent coralia piscari.

Septimò per alios mercatores, qui fide publica accepta sæpè ad Orientales, aliove tutò comitant, quique pios libros, sacras imagines ferre, sanctaque Religionem nostram liberè colere permittuntur, dum tributum Turcis pendat, nec de rebus ad regna spectantibus, vel contra Mahometis Legem loquantur, cum interea innumerabiles propè populi, & captiui Christiani caelestis doctrinæ cibum, sacramentaque sitiunt, atque illud morti appropinquantes solatium pernecessarium exoptent, ut de moriendi ratione edocti, ad Deum, propter quem creati redemptique sunt, ex ea captiuitate tandem liberi migrent, quod sacrificij genus sanctissimum atque acceptissimum Deo est.

Inchoato igitur hoc opere, in nomine Domini, ab interiori animarum lucro atque à voluntatum acquisitione, in quibus in primis regnum Dei situm est, certissimum est non irritum fore Domini verbum, qui quæretibus ipsum reliqua omnia semper adiicit, & in Orientis & Occidentis Indijs suæ omnipotentis prouidentiae indicia manifestissima præbuit paucissimis, qui sua studia laboresque, Deo adspirante, eò conuerterunt, in tã

ingenti vinea laborantibus.

Quod si vna Gebennenfis ciuitas disseminandi libros, literasque scriptandi, paucissimorum annorum spatio, regna, orbemque p̄ne ipsum Christianum, Satana vires suppeditante aut infecit erroribus, aut euertit, sanè è contra multò magis sperandum est à dextra Dei, vt si debita huic rei diligentia adhibeatur, multa instaurentur, innumerabiles que animæ ad fidem Orthodoxam reuocentur, reliquæ stent, pro quibus vt Christi sanguis effusus est, atque hæc Apostolica Sedes omnes labores libenter impendit, ita exstantibus tot adhuc Catholicorum reliquijs, præcipua nunc ab hac sancta Sede sollicitudo requiritur, vt quæ iustissimè nomen, ita officium sibi à Deo commissum Catholicæ potestatis ostenderet.

Quod si tot Romæ præclara ingenia sunt, quæ alijs negotijs, causis, litibusque expediendis, totius vitæ tempus minus vtiliter impendunt, cum tamen diuinæ dispositionis in Ecclesiastica Hierarchia scopus hic nō adeò primarius sit, quantò facilius duodecim ex tot millibus hominum, reperientur, qui sanctissimo huic operi, quique sanctæ Sedis Apostolicæ proprius est scopu incumbat: cum post orationē, & reliqua pietatis opera, hac vna ratione ipsi quoque antiqui Pontifices Maximi, quanquam nullo Ecclesiæ patrimonio, aut temporario auxilio, vel Regum ope, suam in toto terrarum orbe auctoritatem vniuersalem conferuarint: cum (sicut antea dictum est) regnum Dei præcipuè in mentibus voluntatibusque hominū consistat; quæ nulla ratione alia quam caritate atque diligentia rectè conciliari aut retineri diutius in officio possunt.

C A P V T II.

De eligendis efformandisque ministris pro fide Catholica propaganda.

Verè enim Apostolicos homines postulat Apostolicum munus, qui crucem Iesu Christi semper in corpore circumferentes, illam verbis & factis annunciet, & in illius obsequium orbem vniuersum redigat: quare tam excellenti oportet verbi Dei ministros præditos esse sanctitate, vt Apostolica verè debeant ornari. Quin & ipse Dominus Apostolos electurus, eosque in orbem missurus, orationem profundam peruigil antè effudit cum Patre rem tantam comunicans. Vocatos præterea ad se quibus verbis, quam grauibis officij admonet? qua disciplina mittit? quibus præceptis imbuit? quanta integritatis, quanta mortificationis, quanta patiē-

tia commendatio? Quid obsecro hoc tali apparatu talis magister agebat aliud, quam vt informaret Ecclesiæ Doctores, & pastores, ne cui manus citò inponerent, ne Euangelicæ prædicationis munus nisi selectissimis & probatissimis committendum putarent? Idem mox à mortuis resurgens non patitur suos illos, quamuis iam feruentes & accensos amore ipsius, quamuis Scripturarum sensu donatos, ad Euangelizandum prodire, sed domi se potius continere iubet, & magna meditatione expectare, donec induantur virtute ex alto. Quin etiam S. Paulus iam ad tertium cælum raptus, & mira operatus, non prius cum Barnaba destinatur ad gentes, quam Sanctis fratribus ieiunantibus & ministrantibus, Spiritus Sanctus eos sibi ad opus hoc segregari iubet. Diuturnam profectò vitæ immaculatæ probationem Apostolicum hocce munus efflagitat.

Tum, quia fidei prædicationis est res magna, ac maior omni æstimatione, p̄ne innumeris plena difficultatibus & periculis, tam animæ, quam corporis, quæ in disseminando verbo Dei occurrunt: semper enim fidei prædicationis fuit difficillima, fructificatio Euangelij laboriosissima: quare exposcit ministros generoso animo, ac virtutibus Apostolicis præditos. Nā, vt nūc alia prætermittā, quæ arduā hanc ostendūt prouinciam, ac impedimenta, quæ illam ferè sepe in superabilem reddunt, profectò generalis ratio doctrinæ Christianæ satis per se ipsam difficultatē hanc manifestat. Etenim ratione omni superiora docet, nec probat: mores ab omni cupiditate & gloria alienos instituit, vitijs omnibus funditus euersis, quibus est humana natura plenissima, & diuturna consuetudine effirmatissima. Præmia pollicetur, quæ non videntur; ea quæ videntur contemnere iubet: sensum hominis ad ea transfert, quæ sentiri nequeunt: vitam non humanam agere homines vult. Quis igitur facile ac suaue putet, belluas in Angelos transformare, idque voluntate ipsorum adnitente, quibus vis ista affertur? Verè opus hoc non hominis, non alterius cuiuspiam quā Dei vnus. Ipse sibi proprium vult: *Hoc est opus Dei, inquit, vt credatis in eum.* Ioan. 6.

Tum præterea, quia animarum conuersio ad Deum, earumque omnis profectus & incrementum à nullo existere potest, nisi à Deo. Sic enim scriptum est: *Gratiam & gloriam dabit dominus.* Et Dominus ipse; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Quid ergò faciunt homines in aliorum hominum conuersione? Hoc vnum, quod à Deo tanquam instrumenta adhibentur, vt calamus solet ad scribendum, serra ad secandum. Itaque vt instrumentum, si se per se mouere velit, nihil efficiet, si verò ab artifice moueatur, omnia efficiet, sic homo in his diuinis & supernaturalibus operibus tantum efficiet, quantum cum Deo coniunctus fuerit, & ab illo mouebitur: quare quantò quis Deo coniunctior, tantò aptior animarum salutis procurandæ. Solet enim Deus per instrumenta

apta, hoc est homines, qui sibi ipsis abnegandis enixius studeant, ut in magnis fidei negotiis, ac per eos breui tempore sapè efficacius agit, finèq; attingit, quam diuturno tempore per plerosque alios homines, qui sibi vel mundo melius alijs sapere videntur. Quod & in Apostolis alijsque multis perspicuum fuit, qui humana sapientia, alijsque mundi dotibus præsidijque destituti, mundum vniuersum Christi fide & agnitione repleuerunt. Magnus quoque Antonius, vir simplex, Alexandriam veniens, breuissimo temporis spatio, magnam Arrianæ hæresi cladem intulit, quã tam fortassè perdocti aut prudentes multi, licet Catholici, longissimo vitæ spatio non intulissent.

Quanta denique per ministros idoneos Deus in animarum conuersione operetur, omisis alijs antiquorum exemplis, duo tantum Apostolicorum virorum exempla, ferè nostra ætate recentia, commemorabo. Ac primus occurrit *S. Vincentius* ex Prædicatorum familia, cuius quidem opera, (vt optimè narrat Hieronymus Platus de bono status Religiosilib. 2. cap. 31.) tam longè lateque peruagata est, vt mirum fuerit, tam multas regiones potuisse vnius hominis passibus percurri, quot ille Euangelizando peragravit. Primum enim in Hispania Valentia regnum, Catalonia, Aragoniam, Nauarram: denique, excepta Galitia, & Lusitania, quibus ob certas causas abstinuit, singulas prouincias, singulas vrbes, singula ferè oppida obiit. Hinc Galliam ingressus, regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normandiam, Prouinciam, Aruerniam, Vasconiam, Britanniam, & Flandriam ipsam, ac totam Sabaudiam; postea in Italiam descendens, Pedemontum, Insubriam, Liguriam, & omnia eius littora adiit postremò etiam ad Balearum insulas nauigauit. Deinde ab Henrico Angliæ Rege humanissimis litteris ac nuncijs, & nauis ad hoc ipsum missa, inuitatus, eam prius insulam totam, mox Scotiam, postremò etiam Hyberniam lustravit, & quidem, vt ante dixi, non metropoles tantum, aut maiores ciuitates, sed vbiq; villas ipsas & ignobiles pagos Christi exemplo circumiens. Itaque quis præter Deum numerare possit, quot ille animas ex vitiorum cæno, ex ipsis inferni portis reuocarit, quæ vitia ex totis ciuitatibus & prouincijs eradicauit, quantum vbiq; lucem diuinarum rerum reliquerit? Illud quidem constat ex Iudæorum secta, contra quorum perfidiam, cum eo tempore abundaret, illius zelus exarserat, supra viginti & quinque millia, Saracenorum octo millia ab eo ad Christum adducta fuisse; Christianorum verò perditorum, qui se ad bonam frugem receperunt, plusquam centum millia. Sic enim scribitur, quocumque is pedem intulisset, statim illic sequi consueuisset generalem penitentiam priorum delictorum, generalemque morum reformationem, aeam, blasphemias, periuriam, aliaque flagitia, immo verò etiam

etiam ineptias, & ludos ita cessare solitos, vt ne eorum quidem esset recordatio: denique tantum fuisse omnium contritionem, religionem, modestiam, nec solum dum ipse adesset, sed aliquamdiu postea, vt prisca illa Apostolorum ætas rediisse videretur. Atque hæc de Vincentio.

Alter qui huic adiungendus visus est, *Franciscus Xauerius*, ex Societate IESV, vir planè Apostolicus, vt eius egregia facta confirmant. Is enim, vt breuiter collegit Petrus de Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis, à Paulo III. Pontifice Maximo, Ioannis III. Lusitanæ Regis rogatu, in orientis Solis Indiam ablegatus est: vbi incredibile est, quos labores tulerit, quas molestias deuorarit, quot populos Euangelij luce perfuderit, quàm multos filios Christo pepererit, quàm turbulentis tempestatibus iactatus, quantis miraculis & viuus & mortuus nobilitatus sit. Goënsi in ciuitate (quæ Regia, & Lusitanici in Oriente caput imperij est) Religionem Christianam, Collegio Societatis exadificato, stabiliuit. In Commorini ora CXL. Ecclesias constituit. Malacam & ad pietatem erudiuit, & precibus tutatus est. Malucas insulas perlustravit. Truculentos Mori insulæ habitatores ac barbaros mansuesecit. In Iaponiam primus cælestis doctrinæ lumen inuexit. Multos Reges idololatras Christi iugum subiicit. Denique in latissimis Chinenfis regni (quod Christi armis expugnare parabat) aditu sanctissimè vitam profudit, secunda die mensis Decembris anno salutis M. D. L. II. ætatis L. V.

His alijsque exemplis, quæ longissimum esset recensere, Prælati ad quos eligendi mittendique ministros munus spectat, erudiuntur expendere, quantum oporteat (immo hanc esse huius negotij summam) vt ministri tales eligantur, qui zelum Dei habeant, ac sua non solum libenter impendant, sed etiam se ipsos superimpendant pro animarum salute, ac qui verè possint dicere, Non vestra sed vos querimus. Quare eorum, qui mittendi sunt, examinanda est doctrinæ, explorandi mores, perspicendus zelus, & desiderium labores pro Christo tolerandi, ac præcipuè vocatio consideranda, an fortuito, an pro libidine, aut etiam avaritia (vt in aliquibus Religiosis Indias petentibus contingere solet,) an vero cælesti vocatione ducantur: nihil enim æquè nocet huic operi, atque mercenariorum & sua quærentium turba. Quid enim in Apostolica functione præstabant homines animales spiritum vix habentes, aut quæ fidei propagatio, quæ morum instructio speranda erit, si Sacerdotes mercedem, non animas quærant? Pauci certe numero, virtute præstantes, spiritu feruentes, parati pro fratribus animas ponere opus Domini potius promouent. Etenim si tales operarij populis nationum diuino dono contingerent; mensis lætissima foret expectanda. Verum obsequendum est diuino præcepto, & assiduis ardentibusque precibus rogandus est Dominus mensis, vt mittat

operarios in messum suam, qui non verbo & lingua tantum diligant, sed opere & veritate se ipsos idoneos noui testamenti ministros præbeant. Atque id quidem, vt pater misericordiarum, & Deus totius consolationis Ecclesiæ Catholicæ largiatur plena fiducia sperandum est, quia sine illo nihil possumus facere, qui quos vult ponit, vt eant, & fructum plurimum permanentemque afferant. Sed quod nostra interest, quales esse oporteat tanti operis ministros, in quo rei bene gerendæ spes omnes sitas esse monstrauimus, ipso Deo nostro adiuuante, accurate deinceps persequemur, maxime lib. 4. Interim verò, qua ratione sint ministri efformandi, ac eorum magna comparanda copia præmittemus.

CAPVT III.

De instituendis Seminarijs pro Ministris efformandis, & accingendis ad fidei propagationem.

Cum ea semper fuerit Sedis Apostolicæ pro salute animarum cura, atque in omnes vniuersi terrarum orbis homines caritas, vt illos, licet longissimis locorum interuallis distantes, ad Catholicæ Religionis cultum alliciendos, & sibi adiungendos perpetuò duxerit: equum existimauit Seminaria pro alendis, instruendis, formandisque Ministris erigere: quorum proprium munus esset, procuratio salutis animarum, ac dispensatio Euangelicæ gratiæ. Hanc enim methodum & rationem iniit diuina sapientia, quæ cælitus descendit, & nostram carnem assumens duobus Seminarijs vniuersam propagauit Ecclesiam: quorum alterum non plus duodecim, alterum septuaginta alumnis constabat: horum autem eam curam Dominus gessit, vt vsque ad mortem illos semper excoluerit, ac deinceps Spiritum sanctum ijs de cælo miserit. Oportet enim, vt qui prædicandi Euangelium gentibus munus suscipere decreuerit, primum præparare animam virtutibus & disciplina scientiarum. Diu disce quod doceas: cum à Salomone præceptum sit: *Præpara foris opus tuum & diligenter exerce agrum tuum, & postea ædifices domum tuam.* Quamobrem ad Apostolos dicitur, vt sedeant in ciuitate quoadusque induatur virtute ex alto, ne quis diuinæ ac cælestis prædicationis maxime inter gentes onus assumere sibi auserit, donec vires roburque conceperit, ad sustinendum illud Spiritus sancti ope atque dono, & sacrarum literarum cognitione: tunc demum præparato in sua domo conuiuio, in publicum procedat, multos inuitet, laxet rotas in capturam, seminet semen suum, & Euangelicæ veritatis sale omnia condiat, sed ta-

A. 2.

men

men calceamenta habeat in pedibus, ne terram attingat, vt tota eius conuersatio in cælis sit.

Igitur vt tales verbi Dei Prædicatores Catholica Ecclesia haberet, à Summis Pontificibus Romæ Collegia quædam siue Seminaria instituta sunt, vbi Ministri pro fide tuenda & propaganda literarum disciplinis, & sacræ scripturæ documētis erudirentur: quibus meritò à Domino diceretur: *Vos estis sal terræ;* & qui condimento vniuerso orbi esse valerēt, quorum etiam doctrina non tantum vniuersis hæresibus, verum ipsi Antichristo resisteret: vt meritò dici possit de illis in laudem Ecclesiæ, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Horum verò Seminariorum auctor maxima ex parte extitit Gregorius XIII. qui maximo ære tria & viginti Collegia siue Seminaria in diuersis orbis partibus extruxit, & annuo redditu locupletauit: Romæ vero pro Infidelium conuersione erexit Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, Maronitarum, eo potissimum fine, vt Ecclesiæ ruinæ restaurentur, hæreses arceantur, ac fides Catholica per vniuersum orbem dilatetur. Ex quibus certè Seminarijs prodijt adolescentium Doctorum & Religiosorum, atque adeò Martyrum haud mediocri numerus, qui Ecclesiæ imperterrito animo inferuierunt, atque in ciuitatibus quamplurimis, prouincijsque hæreticorum ardeanti zelo fidem iam collapsam restaurarunt.

Horum autem Seminariorum pro efformandis Ministris triplex genus esse potest. Primū ex alumnis diuersarum nationum, qualia sunt ferè omnia, quæ Romæ, alijsque Christianitatis partibus erecta sunt: ex quibus vt maior vniuersaliorque fructus percipiatur, aliqua alia oporteret seruari: primum vt non modò pro alumnis Pontificijs recipiantur ijs, qui Ecclesiastici futuri sunt, verum etiam qui apti ad alios status. Indiget enim non modò Ecclesia bonis Clericis, sed etiam egregio politico Magistratu, Consulibus, Consiliarijs Principum, Iurisperitis, Medicis, Ludimoderatoribus, ac probis omnino Patribus familias. Secundo, vt qui recepti sunt, pro vsu Ecclesiæ frequentius applicentur ad curam animarum, quam ad beneficia non curata: illi enim non sibi solum, verum etiam alijs profunt: hi verò vix profunt alijs: immo etiam haud rarò efficiunt sibi ipsis: tantum enim abest, vt vnus atque alter alumnus integrum Capitulum reformet, vt etiam cum vlulantibus lupis vlulare aliorum importunitate cogantur. Tertio, vt hæreticorum filij & cognati procliuius etiam recipiantur, quæ reliqui: sunt enim illi ordinariè ardentioribus animis post conuersionem, & pro defendenda Religione Catholica maiore aguntur zelo. Quarto, ne facile aperiatur locus Catholicorum liberis seu nobilibus seu obscuris, qui alias in scholis Patrum Societatis IESV, vel alijs, proprijs sumptibus, possent erudiri. Sunt enim huiusmodi homines postea ferè minus grati.

grati, & minoris frugis. Nec videtur vlla ratio, cur pauperibus bolus panis ex ore eripatur, & detur ijs, qui tali auxilio opus non habent. Quintò, ne omnes, qui ad Seminarium Romanum pertinent, in ipsa vrbe Roma nutriantur, ob varias causas: vident enim & audiunt aliqua scandala, tam in Ecclesiastica, quam in ciuili vita, quæ omnino ipsis decet esse ignota: atque ad propriam patriam reuersi, reddunt se apud populares peregrinis moribus odiosos: facillè dediscunt patrios mores, assuescunt deinde Italicæ pronunciationi & gestibus, quæ omnia etsi natiuos Italos non decent, Septemtrionalibus gentibus alijsque inuisa sunt: ac proinde primò quidem risum, deinde contemptum mouent, atque abeunt demum in communem fabulam. Estque alicui tali Romanisco (vt vocant) perdifficile amissam semel æstimationem recuperare, etiam si mores ad communem vulgatumque styllum reformare impendio satergerit. Assuescunt etiã potui vini, vt vel ob hoc auersentur propriam patriam. Huc accedit, quod tam longinquo orbis interiectu necesse sit multos ineptos recipi, multos etiam idoneos excludi. Item quod cum Romæ in vmbra scholastica continuò educentur, agrè deinceps assuescant domi suæ perpetuò in palastra versari, multa quidem & subtilissima argumenta vetera gerentes in scriptis, sed recentia ignorantes, quæ etiam à feminis & rusticis proponi solent, & consueuerunt doctissimo cuius negotium faciscere. Sextò, vt ex Collegiorum redditibus aliqui saltem ad tempus transferantur in aliquas Septemtrionales provincias, in quibus maior fructus speratur. Etenim cum totum hæreseos fundamentum sit extremum odium Romani Pontificis, maximopere videtur esse necessarium, vt summus Ecclesiæ pastor suam erga omnes exterarum nationes, quacunque potest ope & ratione, manifestam faciat caritatem, & clementiam, quæ alias tantò est occultior quantò remotior. Septimò, vt ex eisdem redditibus non modò alatur iuuentus, verum etiam subeniatur viris maturis, ad rectam fidem conuersis, vel conuertendis, quales potissimum sunt ministri & pædagogi hæreticorum. Et sanè vnusquispiam talis vir quoniam doctrina sua & exemplo statim prodesse posset Ecclesiæ, maioris fieri debet, quàm multi alij alumni, qui tam in spem quam in metum, ancipiti prorsus cura, enutriuntur, de quibus incertum est, qualesnam futuri sint olim, bonine, an mali.

Tum etiam, quod minores sumptus hoc modo pluitibus sufficerent: nam vni quatuor, alteri tres, vel duo, quibusdam etiam vnus coronatus quouis mense, iuxta cuiusuis qualitatem & necessitatem diuiderentur: adeò vt cum octo millibus aureorum, qui Romæ quinquaginta alumni (vt fertur) vix satis sunt, posset in Germania hac, qua dixi, ratione, ducentis circiter capitibus satis fieri. Vtuntur hac arte (vt ab alijs accipi)

Duces

Duces Saxoniz, qui præter Seminarium à ruderibus monasteriorum excitata, sat magnam alunt copiam huiusmodi, vt ipsi vocant, stipendiariorum, magno cum fructu suæ superstitionis, & metuendo Catholicæ Religionis detrimento.

At dicit quispiam, necesse esse exteros maximè de nouo ad fidem conuersos Romæ commorari, vt discant Romanas cæremonias. Sed hæc obiectio facillè dissoluitur: nam si cæremonia Romanæ à Iesuitis, alijsque discuntur in Germania, & alijs remotissimis locis, cur non ibidem discuntur ab alumnijs Seminariorum?

Secundum genus Seminariorum addi potest, quod & à viris prudentibus, animarumque zelo præstantibus Summis Pontificibus non semel propositum fuit, nempe vt quedam Seminarium diuersorum Religiosorum eligerentur, præcipue illorum Ordinum, qui facilius & fructuosius prosuorum institutorum ratione (quales sunt Mendicantes, maximè obseruantes & reformati) possent in hoc negotium incumbere. Neque enim difficile valde apparet, vt ex duobus tribusue primarijs Religiosorum Ordinibus, triginta, quadragintaue Religiosi Romam euocentur, qui omnes quartum votum emitterent, se per totius vitæ suæ spatium curaturos Infidelium conuersionem, iturosque in vnamquamque orbis partem à Summo Pontifice, vel à suis Prælatibus missos, qui deinde ad iuandas diuersas nationes, rationem hic facilius prope sanctam ipsam Apostolicam Sedem assequantur, modumque tradendæ Christianæ doctrinæ, Catechismi docendi, Sacramenta ministrandi, Confessionum nodos soluendi, breui tempore addiscant, vt deinde vtilliores & suis Ordinibus, vbi alios eiusmodi docere possint, & populis remittantur. Quæ eò dicuntur, quod ad illud tempus, quod versandis scholasticorum libris adhibetur, maximi momenti putetur, si dumtaxat (quantum in hoc negotio temporis impendendum necessarium sit) reliquum ijs rebus, de quibus dictum est, vtillius impendatur.

Ita ex his aliqui non ita multò post mitti in Hungariam possent, vbi Latine præne omnes loquuntur, aut in Bosnam, Peram, & aliò, vbi ipsi Turcæ & eleemosinis alunt, & reuerentur Franciscanorum Ordinis fratres. Ac verò ex iisdem prouincijs maximo cum fructu etiam carentur adulescentes, qui in his Romanis monasterijs non adeò difficili sumptu sine rumore instituerentur, qui deinde edocti, & in pietate diligenter instituti, vberiore suo tempore messem percepturi, Sedis Apostolicæ fideles filij essent.

Tertium genus Seminariorum forsan alijs fructuosius enaderet, si pro singulis nationibus, aut saltem pro præcipuis sectis, singula Seminarium deputarentur, in quibus efformarentur Ministri, qui essent illius sectæ ad

P

fidem

fidē reducēdā deputati, ac illius bonum curarent nō aliter ac patroni, tutores, aut protectores prouinciarum solent. Quare oporteret maximē, vt pro Græcis & Ruthemis schismaticis ad vniōnem fidei perducendis, vnū Seminarium, alterū pro Orientalibus Schismaticis, pro Iudæis, ac Saracenis singula: pro hæreticis & gentilibus varia, secundum locorum, nationum ac temporis oportunitatem instituerentur. Hac etenim via Ecclesia, cuius præcipua cura est operarios idoneos efformandi, & mittendi in vineā, prouideret errantibus ouiculis vigilantissimos Pastores. Quotō verō huiusmodi Seminarium alijs sint præstantiora, ex sequentibus luce clarius constabit. Nam ad hoc munus operarij fideles, & quā fieri poterit maximē idonei cuius nationi, ac conuenientissimi selegentur: verbi gratia, qui Græcicæ nationi deputandi, statim vt sedulam Græcis litteris operam dent curabitur, erroresque scrutentur, ac originem eorum, authores qui contra ipsos scripserunt: gnauiter euoluendo, vt validis confutationibus possint armari, discutient. Præterea Græcorum annales, atque ipsamet cum gente commercia familiaritatemque inibunt: ac demum, quod maximi est ponderis & momenti, pro eiusdem nationis tam spiritualibus, quā temporalibus necessitatibus apud Sedem Apostolicam intercedent: habebuntque Græci Romam venientes tutissimos patronos, qui eos foueant, instruant, ac ceterorum ad ipsos spectantium veluti benigni patres curam gerāt. Operarij verō, qui ex huiusmodi officinis prodierint, in Græcorum vinea iam laborantes, maiori studio ac feruore incepto operi incumbent, dum quotidie auxiliares copias recenter adueniantes, qui manipulos colligant, fructusque conseruent ac tueantur, conspexerint: tum denique, quo nihil maius excogitari potest, habebit Græcia Romæ plures Angelos custodes, qui pro ipsa non solum apud Romanum Pontificem, sed etiam apud ipsum Deum continuas preces in promotionem salutis animarum effundant. Solet Apostolica sedes pro singulis nationibus, aut pro aliquibus saltem Cardinalem protectorem merito designare, qui Angeli custodis munere apud ipsam fungatur. At quantum huic protectioni præferat hæc forma seminarij res ipsa loquitur: quantum præterea excelleret seminarium, quod nunc erectum est pro Græcis adolescentibus, prætermisiss alijs, ex eo maximē constat: nam alumni, qui nunc in seminario Græcorum (& idem etiam fit in alijs) instruuntur ac educantur, non omnes huius vineæ excultores futuri sperantur: multi enim ad Clericatus dignitatem non promouentur, promoti verō non omnes eo animarum zelo feruntur, quem vrgens suæ nationis necessitas exposcit: ac denique cum viros Apostolicos, heroicis virtutibus ornatos, doctrina excellentes, prudentia insignes, animarum studium & cura præsequar, quid conferent adolescentes tãto muneri, viris Religiosis, etate

maturis,

maturis, moribus probatis, zelo ardentibus comparati?

Quod si ratione expensarum res forsitan difficilior appareret, quā reuera sit, non esset de erectione horum Seminariorum desperandum: Nam si singula Seminarium singulis ordinibus à Summo Pontifice commendarentur, dubium non est, quin Religiosorum Ordines singuli partem oneris assumerent, atque inflammari desiderio Apostolicæ sedi, animarumque salutis inferniendi, vnusquisque vnum aut alterum Seminarium pro natione sibi deputata erigeret, proprijs sumptibus aleret, ac demum illarum gentium patrocinium assumeret, sanctaque æmulatione, ordinibus inter se certantibus, ferueret opus, ac zelus cresceret animarum.

Præterea cū in Ecclesia Dei innumere sint Religiones, pro salute proximorum procuranda, instituta, oporteret aliquam de nouo fundari, cuius scopus ac finis particularis, præter orationem & contemplationem, esset fidei per vniuersum orbem propagatio, & infidelium omnium ad Ecclesiæ vnitatem fideique veritatē reductio: nam licet plurimæ sint, quæ animarum conuersioni studeant, diuisa tamen sunt eorum pijsissima studia, ac partim fidelibus, partim verō infidelibus impenduntur. Nulla verō est in Ecclesia Dei hucusque congregatio erecta, quæ solum animarum conuersioni procurandæ destinetur. Quamobrem foret opus Deo longè acceptissimum, si huic functioni Religio aliqua à sancta sede Apostolica, institueretur, quæ vnicè conuersioni infidelium inuigilaret, atque inter ipsos vt plurimum versaretur.

Illud denique in electione huiusmodi Ministrorum occurrit considerandum, viros Religiosos hominibus alijs huic muneri esse aptiores, vt antea lib. 1. plenius disputauimus, tum ratione status ipsorum, qui sanctissimus est, & quod quis sanctior, eò etiam aptior esse iudicatur: tum quia precibus, exemplo, doctrina, opere, ac sexcentis alijs modis ceteros operarios in excolenda vinea Domini antecellunt. Desiderat enim Deus, Euangelio suo diffeminando, pauperes, humanisque omnibus præsidijs destitutos operarios. Deinde homines maiorem his fidem præbent moremque gerunt, qui doctrinam cum vitæ integritate coniungunt. Denique Religiosi alijs sunt expeditiores mutuis inter se auxilijs refocillati: quæ omnia non parum conducunt animarum profectibus. Quare par est, vt per Religiosos viros, qui Christum & animas sitiunt, negotium hoc passim peragatur. Hanc enim teri semitam ita voluit Deus, vt per Religiosas familias, quæ Christiani orbis fuere seminaria ab Apostolorum ferè temporibus, maximè vero hac nostra ætate, vt supra demonstrauimus, ferè totius orbis conuersio procuraretur. Religiosi quippe sunt præcipui, qui hodiernis temporibus, pro animarum profectu, tuendaque Ecclesia, contra demones bella gerunt, qui fidem per vniuersum

orbem usque ad extremos Indos propagarunt. Quæ quidem omnia a-
 pertissimè expressa mihi videntur, in præclara quadam visione, quæ In-
 nocentio III. Pontifici contigit. Cum enim Dei sapientia Franciscani
 Ordinis initia in ipso Francisco, & vndecim Socijs ponere iam cœpisset,
 isque tãtus fetus proximus esset partui, ita diuinitus ostensus esse dicitur
 Innocentio Pontifici, vt videre sibi visus sit Lateranensem Basilicam, quæ
 tum sedes erat Pontificum, conuulsis fundamentis collabentem; pauperè
 verò quendam accurrere, qui eam humeris suppositis sustineret. Quod vi-
 sum, cum paulò post Franciscus illum vna cum suis adijisset, nouam vi-
 tæ regulam approbandam deferens, eo conspecto, eaque regula accura-
 tius expensa, nihil dubitauit Pontifex, quin ad ipsum ipsiusque familiam
 pertineret, idque exitus ipse demonstrauit. Nam non modò ætas illa, quæ
 primùm hic ordo prodijt, mirabiliter eius operã aditã & illuminata est,
 sed totis his trecentis, & septuaginta sex annis, quibus deinceps stetit, hoc
 semper egit, vt Dei Ecclesiam quasi fulciret. Hæc autem laus cum Fran-
 ciscanæ familiæ non falso, nec temere, sed vero ac solido cælestis illius vi-
 sionis testimonio tribuatur: eadem mihi videtur sine vlla dubitatione tri-
 bui posse ac debere Dominicanæ, quæ in hanc eandem curam pari indu-
 striã incubuit: eadem etiam alijs Ordinibus, quos deinceps tanquam vni-
 uersis horis operarios in hanc Dominus vineã misit. Quæ quidem si de sin-
 gulis verè dicuntur, vt ad Ecclesiæ culturam, dignitatem, propagationem,
 tantoperè contulerint, quantò verius de vniuersis simul coniunctis:
 vt nos latius in superioribus sumus profecuti, atque quidem res ita aper-
 ta est, & ante omnium oculos, atque inter manus versata, vt opus non sit
 in ea comprobanda amplius immorari. Vtinam quotaanis ex Religiosis
 Ordinibus sanctiores viri à sede Apostolica seligerentur, qui in vineam
 Domini excolendam mitterentur, reliqui autem ij mercenarij siue Reli-
 giosi siue seculares, qui in exsilium potius, vel ad mercaturam exercendã,
 quam ad lucrificandas animas missi videntur, omnino reuocarentur: cū
 magis destruat vnius, quam plures ædificent. Cum experientia teste con-
 spiciamus paucissimos Religiosos, exiguo annorum spatio, in Indorum
 conuersione magna & mirabilia, Deo adiuuante, præstitisse.

CAPVT IV.

De apparatu faciendo, ad Missiones aggrediendas.

Missionum opus arduum sanè, & quod omnes humanas vires supe-
 rat: quare oportet id ipsum aggressuros paratos instruetosque om-
 nino

nino esse, ad immensos labores sufferendos ac superandos: minus enim ia-
 cula ferunt quæ prouidentur. Et vt optimè Chryso. Orat. 5. in Iudeos
 tom. 5. ferè in principio: *Ne vobis, inquit, mirum videatur, si ante tempus mu-
 nimus & armamus animas vestras. Quandoquidem & inter agrico-
 as, qui vigilantes & industrij sunt, cum habent vicinum torrentem, qui vexat læditq; segetem, non cum
 suo tempore torrens inundat videl. hieme, sed tempus illud præuertentes, & ripas obse-
 piunt, & aggeres erigunt, & fossas agunt, denique modis omnibus sese præparant ad-
 uersus torrentis futuram violentiam: dum enim tranquillus est & stagnans, atque an-
 gustus, facile est illi admolari manus: verum posteaquam increuit, multoq; aquarum
 impetu fertur violentus; non perinde facile est exundantibus obistere. Eoq; multò ante
 tempore præueniunt illius irruptionem, vnde quaque præparantes quicquid agros pos-
 sit tuto reddere. Eundem ad modum & milites, & nautæ, & agricolæ, & messores fa-
 cere consueverunt. Si quidem & milites priusquam veniat pugnandi tempus, & tho-
 racem abstergunt, & scutum siquid desit circumspiciunt, & frenos apparant, & equos
 omni diligentia nutriunt, ceteraq; omnia rectè & diligenter curant. Similiter & nau-
 tæ, priusquàm nauim in portum deirabant, & clauum apparant, & instaurant latera,
 & remos dolant, & vela consarcinant: denique quicquid præterea ad totius nauis ar-
 maturam pertinet, diligenter accurant. Quin & messores consimili modo multis ante
 diebus, & falces acuunt, & aream præparant, boues item & currum, breuiter quic-
 quid ipsi ad messem & trituram conducibile iudicant. Immo videas omnes homines,
 si quid rerum agentum est, prius ad eas apparatus facere, vt cum aduenerit rei agen-
 da tempus, facile consiciant quod est opus: Hòs igitur & nos imitantes præmunimus
 multis ante diebus animas vestras. Hactenus Chryso. Ante omnia igitur oportet
 Ministros attentè considerare quata sit hæc res, quàm ardua, & quàm
 honorifica ipsis Religiosis, vt ipsi ad hoc tam magnum Apostolicum ac
 præclarum munus adhibeantur, & eligantur à Deo. Sæpius item recogit-
 ent barbarorum, atque aliorum Infidelium veram ad fidem conuersionem
 difficilem esse, Euangelijque prædicationem inter infideles fuisse semper
 difficillimam, & eius fructificationem existimatione nostra longè labo-
 riosiore. Verè hoc non opus hominis est, nec alterius cuiusquam quam
 Dei, quod ipse sibi proprium vult, hoc est enim opus Dei vt credatis in eū,
 neminemque venire dicet ad se, nisi cum pater traxerit eum: fidemque
 demum Dei esse, cordaque hominum in manu Domini: quibus tes-
 timonijs Spiritus sanctus certissimos nos esse voluit, neque industriæ,
 neque laboris nostri, aut diligentiz esse vocationem gentium ad Euan-
 gelium, sed tantum solius miserantis & præuenientis Dei.*

Quare sedulus operarius animam assiduis orationibus præparat, atq;
 in his potissimum studiū collocet, spè omnem in cælesti graua fundas, &
 diuinæ misericordiæ fores continè pulsans. Inter omnes verò virtutes
 futuræ Euangelicæ functioni necessarias, præcipuum locum vindicat Hu-
 militas

Ioan. 6.
Ephes. 2.
Prou. 21.

militas Christiana, quæ vt eleganter profequitur Pater Acoſta, in libello illo aureo, de procuranda Indorū ſalute, neq; magna ſapit, neq; ſibi pollicetur illuſtria, neq; labore frangitur, nec fructus etiã tenuiſſimos dedignatur, nec prius de manipulis & horreis cogitat, ſed de ſemente & aratro, hiemē & glaciē non horreſcens, & quamquã fructū deſideratū nō conſequatur, indignè non fert, cogitans vnumquemque ſecundum proprium laborem, mercedem accepturum. Quare Miniſtri humilitate præditi, periculo rei facti, etſi plurimæ difficultates ſeſe præſentēt, nec deſperatione nec labore vincuntur, quamuis frugem vel nullam vel exiguam, ſudores verò magnos & diuturnos ferant. Neque ſuis tantum ſacrificijs & precibus verus humilis quantumuis aſſiduus & feruentibus confidit, ſed aliorum etiam Chriſti ſeruorum preces & auxilia ſtudioſiſſimè efflagitare debet, vt ſic certius orationes exaudiantur: Curet deinde per aliquot dies ſibi ipſi attendere, orationis tantum ſtudio vacans, vt ſic virtutibus orationibusque armatus, ad prælianda bella Domini incedat.

De alijs verò prærequiſitis pro apparatu comparando, quæ propè infinita ſunt, plura poſſemus notare: ſed quia hæc potius pendēt ex qualitate, circumſtantijsque miſſionum, oportebit expendere, an in remotiſſimas regiones, an in vicinas parandum ſit iter; ad quas præterea nationes & ſectas deſtinentur: pro varietate enim tam Regionum, quàm ſectarum componendus eſt apparatus, præparanda ſarcina, aptandaque inſtrumenta, vt ſunt libri, ceteraque omnia, quæ tam ad viaticum ſpectant, quàm alia quæ agentibus iam in terris infidelium conducere queant, quæ potius ex prudentia Miniſtrorum, quàm ex ſcriptis regulis pendent. Illud tamen ſummopere iuuabit, ſi prius illarum gentium, quas Deo lucrari parant, linguę, morum, errorum, & rituum plenam noticiam antea comparauerint.

DE

119

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM LIBER QVARTVS.

De ingreſſu & progreſſu miniſtrorum inter Infideles,
ac de ratione agendi & iuuandi
omnes gentes.



ACTENVS de his, ad quos pertinet ſancti Euangelij propagandi cura, & de medijs, quibus id potiſſimum fieri debeat, de electione miniſtrorum & profectione ad ſancti Euangelij promulgationem plura diximus: nunc de ingreſſu, progreſſu, & modo conuerſandi inter infideles, ac de annunciatione Euangelicæ pacis reſta tractandum. Et quia Euangelici Prædicatoris munus duabus potiſſimum functionibus comprehenditur, nempe & fidei veritatis propoſitione, & eiufdem veritatis confirmatione: quæ quamuis multiplex ſit; ad tria tamen potiſſimum capita referenda erit. Primum, teſtimonia quibus conſtant fidei noſtræ myſteria eſſe euidenter credibilia. Secundum, ſigna & miracula à miniſtris diuina virtute in confirmationem verbi Dei patrandi. Tertium, morum integritas, aſſidua preces, innocentia vitæ, ac virtutum omnium exemplum.

Quare in duas potiſſimum partes præſens tractatus ſiue liber diuidetur. In prima de forma & methodo proponendi Infidelibus Euangelium, & de alijs obſeruandis in ipſo conuerſionum ingreſſu, ac de doctrina in eius confirmationem adducenda, & de ſignis & miraculis diſſeremus. In ſecunda de vitæ puritate ac de miniſtrorum exemplo, quæ ſunt potiſſima fidei noſtrę argumenta, ac de modo iuuandi omnes gentes, vt ad ouile Chriſti adducantur.

EIERE

LIBRI IIII.
PARS PRIMA.

De forma & methodo proponendi S. Euangelium; & testimonijs quibus fidei nostræ mysteria confirmantur.

CAPVT I.

Conueniensne sit in ingressu ad Infidelium conuersionem humanis præsijs pro conuersione Infidelium uti.



Quamuis in Ecclesia facultas nō sit, vi & armis compelli Infideles, ut ad Euangelij receptionem, fideique ipsius veritatem conuertantur; saltem secundum Doctorem sententiam, possent compelli, ut auditum præsentis Euangelio, ut infra Parte III. libri huius dicemus. & quod sine controuersia esse videtur, possunt Ministri, quæ Barbaros versantur, suæ vitæ indemnitati consulere, & præsijs illius defensionis sunt propria, ut sunt præsidia militaria, & alia, quæ Barbari ipsos, quorum natura est maxime inconstans, & infida, in officio tenent ac meru contineat, muniri. Sed an expediat his præsijs expeditionibusque viro Euangelico uti, non paruum continet difficultatem. Nam præmis veterem & Apostolicam Euangelizandi rationem non posse exacte seruari inter Barbaros, ac proinde non esse deferenda humana præsidia affirmat vir alias valde doctus & pius, ac in conuersione animarum voracissimus, conf. Acoſta lib. 2. c. 8. qui quamuis mūns Euangelicum Euangelicè atque Apostolico more prædicandi laudet, alijsque Euangelizandi modis superiorem commendat, tamen hanc Euangelium promulgandi methodum non posse seruari inter Barbaros Principibus Christianis subiectos, nisi ministri humanis præsijs & copijs, quibus seruetur adiuuentur. Probat verò suam sententiam non contemnēdis rationibus, quas placuit hic ex ipso referre. Prima ea est, quia licet instituto isto

stolico, vbi teneri commodè potest, nihil prius, neque melius sit; vbi autè non potest, vt ferè in omni Barbaria fedes habet, non est prudentiæ, specie iustitiæ sanctioris, committere, vt salutem ipse abijcias, & alienam nihilò amplius compares. Quare Apostolica illa regula & norma inter has nationes seruari non potest: idque potissimum duabus de causis: Vna, atque ea quidem satis nota est, quod hæ gentes, sicut bestiarum moribus vtuntur, ita humanitatis parum admittant, sine fœdere, sine misericordia, prout quiduis collibitum est ita temere agentes: in hospites & externos nullum gentium ius seruantes, cum ne inter se quidem naturæ leges sciāt. Quamobrem qui horum se rationi & arbitrio commiserit, poterit is cum apris & crocodilis amicitiam inire. Neque verò ab istis martyrium expectandum est, quæ fortasse spes tantum discrimen leuaret: non enim pro fide, pro Christo, pro Religione moriendum est, sed vt vel suauiores epulas de te præbeas, quod Brasiliensibus, & toti Septemtrionali oræ huius orbis vulgare est, vel spoliū præbeas Barbaris elegans, vel denique quia visus es nunquam, & quid in te liceat sibi experiri iuuat. Apostoli prædicabant Christum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam, alijs sapientiam, alijs signa querentibus: sed vtrique tamen ratione agebant, oderant verò illos propter nomen Christi, atque ita beatos potius faciebat persecutio, per quam etiam miro modo Dei gratia dilatabatur. At Barbari, excepto hoc quod homines simus, nihil cogitant, immo illud quoque diu addubitasse non pauci comperti sunt.

Altera causa in nobis est, cur Apostolica prædicatio institui omnino Apostolicè non possit, quod miraculorum nulla facultas sit, quæ Apostoli plurima perpetrabant: quorum splendore & potentia freti, auctoritatem dicendi apud quosuis quicquid placebat facile vindicabant: habebantur homines dijs similes, atque ita cetera eorum, paupertas, abiectio, ignobilitas, ineruditio secularis, ornamento potius erant quam cōtemptui & fastidio, diuinam eorum vim admirantibus, & prudenter iam inde colligentibus gentibus, quàm essent homines affectibus superioribus, & toti panē caelestes. Quod de sergio Paulo proconsule, viro prudenti, Diuinæ literæ commendandum memoriæ putarunt. At nostri nunc temporis, cum talium operum maiestate sese Barbaris admirandos, & timendos non præbeant, nihil restat, nisi vt reliqua vitæ inopia, impotentia penitus contemnatur, neque à generoso & excelso animo, sed à misera & aduersa fortuna profecta intelligatur, atque adeò cum sordidi illiberalesque isti maxima ex parte sint, omnium rerum penuria nostros consequatur necesse est. Et si enim ob cibum Euangelizare non expedit, at sine cibo tamen Euangelizari non potest. Non solum ergò signorum vis nostris temporibus deest, verum pro eis etiam scelera vbi que feruent: quo grauissimo incommodo

modo interclusa ferè videtur via ad primam illam penitus Apostolicam Euangelizandi rationem: vt maiores societatis nostræ sapieter edixerint, specie Euangelicæ perfectionis non esse temerè Barbarorum arbitrio Prædicatores Euangelij obijciendos. Quam diu enim porcorum & canum socordiam atque impudentiam agnoscimus, nobis quoque à Christo Domino præceptum existimare debemus, Ne pretiosas margaritas frustra mittamus ante eos, qui & eas conculcent pedibus suis, & cõuersi disfrumpant nos. Hætenus Iosep. Acofta.

Matth. 7.

Lucæ. 9. 4.

Matth. 22.

Huic sententiæ aliud non contemnendum adijciam argumentum: quia si diuinam vocationem gentium ad Euangelium, mirabilemque Dei prouidentiam, profundaque iudicia spectes; inuenies trinam legationem Deum ad homines destinasse, vt ad veritatẽ amplectendam adducerentur. Prima qua tantum vocarentur. Secunda qua adducerentur. Tertia qua compellerentur. Sic enim Lucas per similitudinem à Christo dictum refert: ab homine quodam cœnam magnam fuisse aliquando paratam, missumque seruum, vt diceret inuitatis vt venirent, quia iam essent omnia parata. At alius inuitatorum respondit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam; rogo te habe me excusatum. Et aliter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & idèd non possum venire.* Hæc Lucas de primis Legatis, primaque legatione à Christo narratam tradit. Addit Matth. de inuitatis primo loco: *Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, reliqui verò tenuerunt seruos eius (Dei scilicet) & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est; & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorũ succendit.* Prosequitur Lucas, narrans deinde dictum seruo: *Exi cito in plateas, & vicus ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cecos, & claudos introduc huc. Et ait seruus, Domine factum est vt imperasti, & adhuc locus est.* En secunda legatio: & ait dominus, iterũ seruo suo: *Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea:* Atque hæc tertia legatio. Quibus omnibus tria tempora, tria hominum genera, ac tres modi, quibus homines Deus ad suam cœnam admittit, quam se suis in regno cœlesti parare Christus alibi dixit, continentur. Et quidem patet à Christo, tres legationes describi, quarũ quælibet aliam vel sequatur, vel præcedat. Ad primam pertinent homines diuites, qui habitant medijs in ciuitatibus, in suis ædibus, & contemptores aut homicidæ nunciorum, alijque id genus homines: modus quo admittuntur est tantum, vt vocentur. Ad secundam spectant inopes, cæci, claudi, debiles, qui habitant in plateis & vicis ciuitatum, atque hi non vocantur, sed adducuntur. En modus admisionis. Tertia continentur, qui intra vrbes in vijs ac sepibus degunt, in agris scilicet & siluis; modusque quo participes sunt cœnæ est, vt compellantur: atque hæc est similitudo

do posita à Christo. Huius igitur similitudinis explicatio clarissima est: nam prima legatione designatur tempus, quo imperium Romanum florebat, in quo tot Martyrum millia, florente, Romano imperio, sunt trucidata. Ad secundam verò legationem spectantes fuere pagani, qui vocati, in pagis habitantes, (hoc enim sonat nomen paganus) & gentes in Romani imperij cõfinibus, quasi in suburbibus, plateis & vicis apertis degentes. Sed iam ad tertiam legationem accedamus, qua populi omnium maxime barbari & efferi ad Christum, cultumque diuinum vocati sunt, ac non tam beneficijs adducti, quàm veluti quibusdam modis licitis compulsi. At populi hi, qui compelli videntur (vi quidem licita) certè populi barbari designatur, rudes & inculti, habitantes in siluis, ac locis horridis. Quæ profectò legatio cum vltima sit, atque suo modo per vim gentes ad illam spectantes adducendæ sint, manifestè apparet ipsam legationem designare in quibus Euangelicæ prædicationis munus, absque humanis præsidijs, exerceri nequit.

At hisce etiam temporibus apud quascunque nationes quantumuis barbaras eam esse seruandam propagandæ fidei rationem, quam S. Apostoli & primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt, meritò viri docti & pij existimant. Constat enim Apostolos non inferendo Regibus bella, nõ præsidijs militaribus stipatos, non inuadendo Principum ciuitates, non occupando per vim alienas terras, non mortem minitendo, non tormenta inferendo, Ecclesiam plantasse, ac per orbem terrarum longè lateque propagasse, sed obediendo, patiendo supplicia, martyria, mortes tolerando, sanguinem suum fundendo, sancta stabiliaque Ecclesiæ Christi initia dedisse. Christus enim non armis, aut humana virtute, sed humilitate subijcere sibi orbem voluit: hancque vim & efficaciam Deus sanguinè Martyrum, Sanctorumque afflictionibus dedit, vt femina essent multorum bonorum. Et sicut granum frumenti cadens in terram, si mortuum fuerit, multũ fructum afferet: ita ex morte Martyrum magna fementis fiebat nouorum Christianorum copia. Plenæ sunt historiæ ad vnus Martyris mortem multa gentilium millia quandoque in Christianæ Religionis lucem concessisse, atque inter eos credentes aliquando etiam carnifices ipsos fuisse. Persecutionibus namque crescit Ecclesia, non tollitur. Admirabilis pugnandi ratio, & nouum genus potentia, sustinendo cadere hostem: patiendo affligere hostem: moriendo prostertere hostem: iacendo triumphare de hoste.

Tum secundò, quia non est existimandum Deum esse mutatum, Dei que sapientiam aliam nunc formam in hominum conuersione sequi, quam antea sequi solita fuerit: nam neque in Deum cadere potest mutatio, & eadem causa circumstantia que nunc conspiciuntur. At si quis Dei morè

providentiamque, quam semper gessit ab ipsius Ecclesie initio, confideret; facile comperturus est hoc semper fuisse eius consilium, ut ad hoc tantum opus eos maxime coadiutores eligeret, qui maxime praesidijs omnibus humanis essent destituti: *Ne gloriatur*, ut inquit Apostolus, *omnis caro, & sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis*: id est ne rei adeo perfectae laus Christi cruce, ut idem ait, euacuata, in homines, aut hominum vires praesidiaque transferretur, & quod omnino diuinum est, humano auxilio aut potentiae tribuatur. Si ergo Deus sic hominum salutem procurandam decreuit, profecto plane constabit militaria praesidia, quae prudentia, potentia, vel astutia nituntur, aliasve ingeniosas machinationes, fauores Principum muneribus aut alijs vijs aucupandi, Apostolicis moribus parum congruere, ne dicam dissentire.

Tertio, opus conversionis animarum, ac denique Catholicae Ecclesiae fundatio, non solum labores & sudores, mirasque vexationes, verum etiam ipsius sanguinis effusionem ferè semper requisivit. At humana praesidia non solum laboribus, paupertati, sudoribus, vexationibus, sed & potissimum martyrio, quo fideles Deo pro fidei veritate tuenda omnibus Deo acceptissimum offerunt sacrificium, viam praeccludunt.

Quarto, scriptum est: *Mitto vos sicut agnos inter lupos*. Agni autem hoc in loco ij sunt, qui coram tondentibus obmutescunt, qui nullius praesidio fouentur. At quomodo obmutescant, qui armorum strepitu praesidioque ad ipsius praedicationis opus se indigere credunt? Certe agnus Dei dum exueretur, coram tondente se obmutuit. Sed si apertius volumus testimonium, Christi vitam institutionemque perspicimus: Christus enim ad Iudaeos missus sine humanis auxilijs, prorsusque inops, praedicationem S. Euangelij executus est: & exemplo suo & doctrina monstrauit humana praesidia in conversione animarum non requirenda, cum Petro dixit:

Mat. 16. An putas me non posse modò rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum, sed quomodo complebuntur Scripturae? Praedicatione igitur Euangelij militari custodia munita, à Christi schola discrepare videtur: ac proinde incredibile apparet eo praedicationis genere, insignem aliquem prouentum expectari posse, licet fortuito aliqui per insinuationem conuertantur, non enim possunt tunc Ministri Euangelij ea spiritus vi & efficacia pollere, qua in praesidijs Infidelium pugnandum esset, ut sincera fidei veritas, & verbi Dei virtus omni gladio penetrabilior dura Infidelium corda emolliret. Nec huiusmodi praedicatione erit Deo gloriosa, cum in ea functione humana praesidia, verfutiae, hominumque sagacitates adhibita fuerint: quae Diuinæ virtutis splendore potius obumbrant. Quare benè & sapienter dixit Ambros. lib. 6. in Lucam: *Qualis debeat esse qui Euangelizet regnum Dei, praecceptis Euangelicis designat, ut sine virga, sine pera, sine calceamentis,*

mentis, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidij secularis adminicula non requirens, si deus, tutus putet sibi quo minus ea requirat magis posse suppetere. Nihil igitur difficultatis tempestate hac obtendi potest, quò minus Apostolorum vestigijs insistentes, conuincamus non esse impossibile castum & sublime Missionum genus, quod à Christo institutum fuit, dum eo modo se Apostolos mittere pronunciauit, quo ipse à Patre missus fuit, ubi non sacculus, aut pera, non armatura, vel aliud quoduis praesidium, sed sola caelestis gratia euidenter enituit.

Neque obstat, quod Christus Apostolique omnes miraculis orbem flexerint, vel subiugarint, atque nostra cuiusmodi viros non sit adepti: quasi prudentiae genus sit, quod caelesti virtute vacuum est, humanis consilijs explere: non obstat, inquam: nam praeterquam quod maior verarum virtutum quam miraculorum gloria in orbis conuersione resplenduit, compertum est etiam hoc ipso saeculo apertis miraculis Deum praesentissimum non modò viris Apostolicis, verum & militibus fidei Catholicae causam utcumque agentibus affuisse, quemadmodum historiis Occidentiarum Indiarum, & Orientalium nationum consignatum est. Cum ergo nemo possit Apostolicarum virtutum excusationem praetexere, & ubi pro fidei causa opus fuerit, prodigia quoque diuina atate hac nostra in promptu sint; efficitur certè, ut qui aliam Missionum rationem humanis consilijs innitentem exercet, ab institutione Christi palam exorbitet.

Nec similiter obstat, quod contra obijcitur, Missiones inter Barbaros nulla alia ratione posse perfici, nisi coniunctis humanis praesidijs. Nam & Apostoli, talibus suppetiis prorsus destituti, ad barbarissimas nationes, promulgandi Euangelij causa, sunt destinati. Sanctus enim Andreas Scythias praedicauit, ut scribit Origenes in Genes. lib. 3. cap. 1. Sophronius in Catalogo addit non tantum Scythias, sed & Sogdianas, Saccis, atque etiam Aethiopicis verbum Dei praedicausse. Philippus in Asia superiore Scythias, ut Niceph. hist. lib. 2. cap. 39. Metaphr. in actis ipsius Ioannes in Asia, ut Hieron. Chrysost. & ceteri restantur. Parthis etiam Euangelium annuntiausse, vetus illa inscriptio eius epistolae ad Parthos significat: & Indis, ut declarant literae Patrum Societatis I E S V, qui nuper in illis regionibus sacrum Euangelium restituerunt, datæ anno Domini 1555. Thomas Parthis, ut Euseb. hist. lib. 3. cap. 1. Ruffin hist. lib. 1. cap. 9. Medis item, Hircanis, & Brachmanis, ut Chrysost. Homil. in 12. Apost. & alij Patres affirmant. Addit his Indos Hieronym. Osorius Siluensis, grauissimus Indicarum rerum nostri temporis scriptor, lib. 3. Praeterea non tantum Brachmanis, sed & Taprobanæ insulae Euangelium annuntiausse, scribit Niceph. hist. lib. 2. cap. 50. ante eum idem affirmare videtur Theodoretus de legibus, Bartholomaeus Indis, lato secum volumine

mine Euangelij Matthæi prædicauit, teste Euseb. hist. lib. 5. cap. 10. Mattheus Æthiopicibus, vt idem Euseb. hist. lib. 3. c. 1. Socrat. lib. 1. c. 15. & alij retulerunt. Matthiam denique, præter ea quæ de ipso leguntur in Actib. Apostolorum, non tantum in Iudæa, sed & in vltiori Æthiopia Euangelium prædicasse, scribit Sophronius apud Hier. de Script. Ecclesiast.

Agamus igitur de ceteris nationibus, non tantum ab Apostolis, sed ab alijs etiam verbi Dei præconibus, ad fidem conuersis. Nonne maxima fuit quondam barbaries præscorum Germanorum, ac Saxonum antiquorum, de quibus Fortunatus Poëta:

A spera gens Saxo, viuens quasi more ferino.

Quod si descendamus ad alias etiam gentes Septemtrionales, vt fuerunt Sarmatæ, Pannonij, ac Hungari, de quibus antiqui auctores, præcipue Regino sic scribit: *Viuunt Hung. non hominum sed beluarum more: carnibus, vt fama est, crudis vescuntur, sanguinem bibunt, corda hominum, quos capiunt, particulatim diuidentes, veluti pro remedio deuorant, nulla ratione flectuntur aut miseratione afficiuntur.* Quid verò referam de præscis Polonis, de Erulis, Rusianis, alijsque Boræalibus nationibus, quam fuerint atroces, & beluis, simillimi? Qui plura scire desiderat, legat proprios illorum scriptores. Ac denique innumere alia barbarorum regiones, per prædicatores sancti Euangelij humanis præsidijs prorsus destitutos, ad fidem humanitatemque, ac vitæ ciuilibis rationem sunt perductæ. Si verò his nationibus Indorum, aliorumque nostri sæculi barbarorum perfidiam, ac mores feritatemque comparemus, longè sunt illis inferiores: quare in illis ad fidem conuertendis, non videtur recedendum ab antiqua Apostolicaque Missionum forma; sed, reiectis humanis præsidijs, in vno Deo spes tota casto corde erit collocanda.

C A P V T II.

De forma & methodo proponendi Euangelium Infidelibus, ac de munere principali Ministrorum in hac parte.

ALiter fidei mysteria Gëtilibus, aliter Iudæis hæreticisve sunt proponenda: at nec tam his quam illis certa nequit præscribi forma diuina mysteria edocendi. Deinde aliter eū sapientibus, aliter verò cū insipientibus & barbaris agendum: vt vno verbo dicam, methodus ac modus infidelis veritatibus euangelizandis vt plurimum pendet ex circumstantijs temporum

temporum, personarum, nationum, loci, ac proinde hoc ministrorū prudentiæ relinquendum.

Illud tamen frequentius obseruetur, vt prius contrarij errores destruantur, ac postea veritas Catholica statuatur: hoc enim & ordo naturæ postulare videtur, vt prius gramina herbæque infructuosa eradicentur, antequam semina terræ mandentur. Quare etsi in disputationibus contra Infideles de fidei mysterijs non ad hoc conari debeamus, vt fidei veritates rationibus necessarijs & euidētibus demonstremus: hoc enim sublimitati & excellentiæ fidei derogat, quæ non solum humanas mentes, sed etiam Angelicas excedit: possumus tamen duo in disputationibus interdere: vt optimè adnotauit D. Thom. lib. 1. con. gent. c. 9. *Primum contrariorum errores destruere, ac fidem nostram non esse impossibilem nec contra rationem naturalem defendere.* Hoc enim est quod D. Petrus monet, vt simus parati reddere rationem de fide nostra. *Alterum verò est fidei nostræ mysteria ostendere esse euidenter credibilia, & digna, vt eis omnes teneantur, auditis tantis motuis, assensum præbere.*

Illud præterea notatione dignum videtur, dogmata fidei Christianæ ita omnem nostri intellectus capacitatem excedere, vt nulla ratione naturali lumine possint inuestigari: tum ob nostri intellectus debilitatē, tum ob naturæ diuinæ magnitudinem, ac maiestatem: vt sol qui etsi natura sua lucidissimus sit, tamen quia noster aspectus est imbecillis pati non potest solis fulgorem. Conuenienter tamen imò & necessariò vt fide tenenda hominibus proponuntur, vt ea quæ de Deo naturali illustratione consequi non possumus fidei ministerio, Dei ope & beneficio obtineamus. Hanc verò doctrinam D. Thom. 1. cont. gentiles c. 5. hac inter alias ratione demonstrat: *Nullus (inquit) desiderio & studio in aliquid tendit, nisi sit ei præcognitum. Qui ergo ad altius bonum, quàm experiri in presenti vita possit humana fragilitas, homines per diuinam prouidentiam ordinantur, vt in sequentibus inuestigabitur; oportuit mentem euocari in aliquid latius, quàm ratio nostra in presenti possit pertingere, vt sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid, quod totum statum presentis vitæ excedit. Et hæc præcipue Christianæ Religionis competit, quia singulariter bona spiritalia promittit: vnde & in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur. Lex autem vetus quæ temporalia promissa habebat, pauca proposuit, quæ humana rationis inquisitionem excederent. Secundum etiam huiusmodi Philosophis cura fuit, (vt patet 7. & 10. Ethicorum) ad hoc, vt homines a sensibilibus delectationibus ad honestatem perducerent: ostendere esse bona his sensibilibus potiora: quorum gustu multò suauius, qui vacant actiuis vel contemplatiuis virtutibus, delectantur.*

Est etiam necessarium huiusmodi veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem veriorem habendam. Tunc enim solum verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus super omne id, quod de Deo cogitari ab homine possibile est.

est, ed quod naturalem hominis cognitionem diuina substantia excedit, vt supra ostensum est. Per hoc ergo, quod homini de Deo aliqua proponuntur, quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id, quod cogitari potest. Hactenus D. Thom. Quibus illud in confirmationem adiungi potest: quia veritas fidei est maximè nostro intellectui consentanea: & quantumuis eam ratio naturalis non assequatur, non capiat, non demonstrat, conuincitur tamen ad eam credendam hisce rationibus. Prima, qua intellectus noster probè nouit, se esse satis infirmum: at Deum esse substantiam immensam, vt non magis eam possit capere, quàm vniuersam pelagi aquam intra vasculum exiguum concludi liceat.

Quin etiam experimento docemur, plurima fieri, quæ reuera mira esse agnoscimus, admiramur, suspicimus, causam eorum ignoramus, quo pacto fiant nescimus. Item multa sunt in stirpibus, gemmis, metallis, & animantibus vires, & facultates, quæ nostram notitiam effugiunt: quid ergo mirum, si multa diuina sint, quæ nos omnino lateant? Et sicut vires rerum abditas, & occultas credimus, etsi nos fugiunt: sic multa diuina oportet nos credere, licet nostræ mentis captum exsuperent. Atqui licet multa diuina assequamur, intelligimus tamen esse creditu dignissima, atque à ratione non abhorrentia, non absurda, non incommoda. Adde mentem nostram, naturali ratione ductâ, cognoscere Deum esse primam & summam veritatem, quæ nec falli, nec fallere, nec mentiri potest, & omne dictum à Deo esse verissimum, atque certissimum, quamuis homo id intelligendo non consequatur, sed simul etiam intelligit, quæ Christianorû lex de Deo supernaturalia præcepta tradit, ac docet, tametsi naturaliratione non probantur, dignissima esse creditu, esse admodum consona, nihil cum recta ratione pugnare: ergo natura duce mens credit prudenter ac sapièter, credibilia esse, quæ lex Christiana præscribit.

Nemo item est, qui non probè norit, homines non posse viuere, quin multa credant, quamuis ea clarè non videant. Et adeò verum est hoc, vt licet certò experiamur, homines sæpe alios deludere, labi, errare, mentiri, plurima tamen vera esse arbitremur solùm quia ijs, qui ea dixerunt, fidem habemus. Si ergo viuere non possumus, quin multa solo hominum testimonio, & auctoritate credamus, quid mirum si plurima diuina sint, quæ ratione non comprobata, diuino tamen testimonio patefacta credamus? Quare multa sunt, quæ etsi ratio naturalis non prober, conuenienter hominibus credenda proponuntur, quibus ipsi fidem tenentur adhibere, maximè si testimonijs grauissimis confirmentur.

Est autem deinde considerandum, in fide duo esse perpendenda. Primùm est, affectus hominis in ea quæ sunt fidei, & quæ à Deo credenda nobis media prædicatione proponuntur. Secundum ipsa res, siue mysteria fidei propo-

posita. Vt igitur quis assensum præbeat, duo itidem desiderantur: primum doctrina fidei, congruenter exterius proposita, miraculisque visis, vel persuasione hominis congruentibus testimonijs, confirmata. Alterum est, Deus interius hominem per mouens, tam intellectum illustrans, quàm voluntatem alliciens, vt rebus propositis assentiatur: & hæc est potissima causa, & origo nostræ fidei. Nam experientia constat, non sufficere fidei externam prædicationem: videntium enim idem miraculum, & audientium, vel legentium vnam doctrinam quidam credunt, quidam non credunt: quare oportet vt alia causa potentior accedat, Deus scilicet interius mouens. Adhuc tamen sine fidei propositione nihil fit, quomodo enim credent sine prædicante? Quare cum à fidei propositione, & simul à confirmatione, qua ostendatur fidei nostræ credibilitas, pendeat sufficiens fidei propositio, imò & totum negotium conuersionis, quantum est ex parte ministrorum, eorum scopus inter infideles esse debet fidei veritates proponere, easque firmissimis argumentis ornatas corroboratasque demonstrare, ita vt sufficienti propositione omnibus constet, fidei nostræ mysteria esse vera, à Deo reuelata, fide dignissima, & necessariò credenda ad salutem. Nec sufficit infidelibus ostendere, probabilia esse nostræ Religionis mysteria, vt credantur tanquam à Deo reuelata. Vnde D. Tho. 2. 2. quæst. 2. art. 4. neminem putat crediturum prudenter, nisi putet esse euidenter credibile doctrinam fidei: cuius ea ratio reddi potest: quia quado alicui proponitur sermo, si aliàs nõ sit manifestus vt credatur, indiget vt ab eo confirmetur: vnde cum res fidei sint supra humanam rationem, necessarium est adhibere aliqua testimonia, quibus sermo prædicantium confirmetur: manifesteque ostendatur huiusmodi sermonem processisse à Deo. Vnde Dominus discipulos ad prædicandum mittens, dixit: *Instru- Matt. 10. mos curate, mortuos suscite, &c.* Et alibi: *Illi autem prædicauerunt ubiq, Domino Mar. vii. cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Miracula igitur voluit Deus per suos Apostolos, & per alios verbi prædicatores, sæpissimè fieri in confirmationem Euangelij, vt manifestè ostenderetur, huiusmodi doctrinam processisse à Deo, dum prædicantes ea mirabilia præstiterunt, quæ solus potest facere Deus. Vnde Augustinus libro de spiritu & litera c. 34. *Nec enim (inquit) anima rationalis credere potest, si nulla sit vocatio vel sus- D. August. sio cui credat.* Quare non sufficit reuelatio mysteriorum fidei, nisi adsint motiua, quæ moraliter necessaria sunt, vt infideles persuasi de fidei nostræ credibilitate, ei præbeant assensum. Quam ob causam sancti Euangelij ministris maximè entendum est, vt dum fidei mysteria proponunt, tam ex miraculis ià factis, quàm ex alijs grauissimis argumentis, (quæ in præoptu semper habere debent, ad ostendendam euidenter fidei nostræ credibilitatem) ea confirmare nitantur.

CAPVT III.

Fidei Christianæ mysteria esse euidenter credibilia demonstratur tam secundum se, quàm comparata cum alijs sectis.

PRImò se offert considerandum, fidem Christianam esse quasi Solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, vt clarissimè per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas siue testimonia ac signa, quæ eam discernunt ab omni falsa religione Paganorù, Iudæorum, & Hæreticorum. Et licet non efficiant euidenter verum, ipsam esse veram Dei Ecclesiam, tamen efficiunt id euidenter credibile. Nam euidenter verum dicitur, quod vel in se, vel in suis principijs videtur: euidenter verò credibile illud, quod non videtur nec in se, nec in suis principijs, habet tamen tot, & tam graui testimonia, vt quilibet vir sapiens meritò id credere debeat: vt si iudex videat hominem à latrone occidi vel vulnerari letaliter, & postea mori, habet euidentiam clarissimam veritatis, quod ille latro sit homicida: si autem eadem fieri non videat, sed habeat viginti testes, viros grauisimos, qui dicunt se vidisse, habet euidentiam credibilitatis. Dicimus ergò hæc testimonia siue motiua, quæ afferemus, non facere euidentiam veritatis simpliciter: quia alioquin nulli inuenirentur, qui id negarent: sicuti nemo inuenitur, qui neget sententias, quas Mathematici demonstrant veras esse: sed tamen efficiunt euidentiam credibilitatis, iuxta illud: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Apud eos autem, qui admittunt Scripturas diuinas & historias; ac veterum Parrum scripta, faciunt etiam euidentiam veritatis: tamen si enim articuloꝝ fidei veritas non potest nobis esse euidentis absolutè, potest tamen esse euidentis ex hypothesi, id est, supposita veritate Scripturarum: quod enim Scriptura euidenter deducitur, est euidenter verum suppositis Scripturis. Illud denique præmittendum duximus, quod etsi singula argumenta non probent euidenter mysteria fidei esse digna vt credantur, omnia tamen simul, & quasi in agmen redacta, euidentiam faciunt credibilitatis fidei nostræ, vt apertè sequentibus motiuis ostendemus.

Primum motiuum desumitur ex auctore nostræ doctrinæ ac fidei, qui est Christus, quem & exitisse ita certum est, & euidentis, sicut exitisse Augustum Cæsarem, & illum fuisse primum doctorem ipsimet aduersarij concedunt, qui propterea fideles maximè persecuti sunt, quod in cruci-

fixum crediderunt: & non docuisse falsa, vel ex ignorantia, vel ex malitia manifestissimum etiam est ex ipsa doctrina, prædicatione, responsis, & Prophetijs Christi, & ex eius demum vitæ innocentia, cuius testimoniũ, præter testes fide dignissimos, Ioannem Baptistam, cuius sanctitatem nõ negant Iudæi, aut Apostolos, quos incredibile est aut malicia fuisse mentitos, cum nulla spe temporalis commodi aut honoris Christi vitam prædicarint, aut ex ignorantia, cum magna ex parte ea prædicarent, quæ suis oculis viderant, habemus testes ipsos inimicos: vulgatum enim est illud Iosephi lib. 18. Antiquitatum, & Tiberij apud Tertullian. lib. contra Celsum, & Porphyrij lib. de Responsis, vbi ait: *Deos gentium pronunciaſſe Iosephus. Christum fuisse sapientem, & piũ. Tiberius.* Hoc argumento vtuntur Chrysoſtomus Oratione 2. & 3. contra Iudæos, & Augustinus lib. De catechizandis rudibus c. 24.

Secundum motiuum ex Prophetijs: nam hæ non possunt esse nisi à Deo, vt patet tum ex illo Isaia: *Annunciate nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quod dixistis.* Vnde & dæmones ad persuadendam deitatem conati sæpè fuerunt prædicere futura: vnde dabant responsa & oracula, vel manifesta, quando res erant futuræ in causis naturalibus, vel amphilogicè, & æquiocè, quando erant futuræ, & dependentes à causis liberis: Tum ratione, quia nullo modo naturaliter deueniri potest in cognitionem futuri contingentis, consequentis nimirum libertatem humanæ vel diuinæ voluntatis. Non enim ex aliquo obiecto naturali: nam hoc maxime esset ipsamet voluntas, quæ tamen si sit diuina, est nobis inintelligibilis: si humana, vt patet experientia, ipsa ignorat, quid volitura sit. Neque ex ipsa potentia intellectiua, nam huius obiectum naturale est dependens à sensibus & causis naturalibus. Hoc argumento vtuntur Iustinus in Quæstionibus ad orthodoxos q. 2. & 146. Tertullian. in apologetico c. 20. Chrysoſtom. Homil. 18. in Ioan. August. de consensu Euangel. à c. 28. vsque ad finem.

Quod verò de nostra fide & mysterijs sint particulares prophetie, quarum fuit certissimus euentus, patet tum ex veteri, tum ex nouo testamento, nam in illo plures sunt, de Christi incarnatione, natiuitate, morte, &c. in hoc verò sæpè legimus Christum, & Apostolos multa prædixisse de Ecclesiæ propagatione, gentium conuersione, persecutione Christianorum, quæ quotidie videmus impleri, vel implera esse, & quæ nondum sunt impleta. Ex his, quæ iam completa sunt, certò colligere possumus implenda esse, vt asserit August. 12. de Ciuit. c. 10.

Tertium motiuum est ex antiquitate nostræ doctrinæ: quo motiuo vtuntur multi Patres, & præsertim August. Epist. contra fundamentum Manichæi cum ait: *Nam si de fide vnus Dei, quam habemus, loquamur, hæc antiquitate præcedit, & idololatriam, & omnes sectas Philosophorum, atque Gentilium*

vt probant Iustinus in suo adhortatorio ad gentes, Lactantius lib. 2. Diuin. instit. c. 14. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iul. August. 18. de Ciuit. cap. 18.

Si verò loquamur de sacris litteris in quibus habetur hæc fides, quam nos habemus, illæ longè antecesserunt omnia profanorum monumenta, vt ostendunt Iosephus lib. 1. contra Appionem, Iustinus Apologia 2. Tertull. in Apologet. cap. 19. & alij.

Si demum de Christi, & Apostolorum doctrina loquamur, illam apud nos semper, & omnino illæsam permansisse, probatur tum ex continua successione Episcoporum à D. Petro vsque ad nos. Quo argumento fides, & Ecclesiam nostram esse antiquissimam, & Apostolicam, & veram probant Irenæus lib. 3. c. 3. Tertull. lib. de præscript. c. 6. & 11. & Hieron. contra Luciferian. circa finem. Tum ex perpetuo nomine Christi, & Apostolorum, quod sibi retinuit nostra fides, & religio, ita vt licet hæretici tam antiqui quam moderni conati sunt varia nomina Catholicis imponere, nunquam tamè potuerunt illos appellare ex particulari auctore, sed ad summum ex particulari illo dogmate, quod illi impugnabant. Sic Mōtanistæ vocarunt Catholicos Phisicos, idest, animales, eò quod volebant seruare tres quadragesimas, quas illi ieiunabant: & Caluinistæ Papiſtas?

Quartum motiuum est ex sanctitate doctrinæ nostræ. Quo argumento vtuntur Tertulian. in Apologetico c. 39. & Iustin. Apologia 2. Nam fides nostra ea docet, quæ rationi congrua sunt, & ad mores conformandos respectu Dei, proximi, & sui ipsius, & ad rectè vitam instituendam valde conferunt; iuxta illud Psal. *Lex Domini immaculata conuertens animas.*

Quintum motiuum est ex admirabili ac diuino modo promulgandi fidem: qui satis expresse declarat illam non nisi à Deo esse posse. Consistit autem admirabilis ille modus in his. Primò quod fides promulgata est à paucissimis hominibus, ijsque indoctis, & rudibus nulla nobilitate claris, & pauperibus. Secundò quod illi ea docebant, quæ magna ex parte hominum voluntatibus repugnabant, quæque erant ab omnium sensibus remota, & ad intelligendum, & faciendum perdifficilia. Tertio quod adducebant homines ad hanc fidem, non spe alicuius commodi, vel lucri temporalis, sed sola spe bonorum æternorū, quæ non videntur. Quarto quod hanc doctrinam eorum prædicatione plurimi sapientissimi, eloquentissimi, nobilissimi, ac ditissimi, vna veritatis Domino cooperante, victi ac superati, relictis patrijs religionibus, quam libentissimè receperint. Hoc argumento, cuius maximam vim voluit Apostolus à Corinthijs intelligi: *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi sapientes, non multi nobiles &*

Psal. 116.

Corinth. 2.

vtun-

vtuntur Patres Iustinus Apolog. 2. Chrysoſt. Homil. 3. 4. in Matth. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 5. Damasc. c. 4. de fid. c. 4.

Sextum motiuum sumitur ex miraculis: quorum vis fuit maximè inductiua ad recipiendam fidem, vt patet Ioan. 5. vbi Christus Dominus, Ego, inquit, *maius testimonium habeo ipso Ioanne Baptista: opera, quæ ego facio, ipsa perhibent testimonium de me.* Vnde & Nicodemus Ioan. 3. *Scimus, inquit, quia à Deo venisti: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi sit à Deo.* Et propterea Deus, Exod. 4. Moysi dicenti fore vt populus Hebræus non crederet se à Deo profectum fuisse, dedit potestatem miracula faciendi: & vt Ioanni Baptistæ fides adhiberetur in testimonio, quod de Christo Domino præbuit, voluit Deus, vt in eius natiuitate plura miracula contingeret. Et Christus Dominus, præcipiens Apostolis Euangelij prædicationem, subdit dicens: *Euntes predicare & c. signa autem eos qui crediderant hæc sequentur.* Est autem miraculum apertissimum motiuum ad confirmandam fidem, siue illa considerentur per ordinem ad credentes, quia cum naturale sit homini ex effectibus causas inuestigare (hac enim methodo omnes scientiæ traditæ sunt) ex miraculis, tanquam ex effectibus supernaturalibus causæ supernaturales puta veritates fidei colligi possunt; siue consideretur secundum se, quia euident est miraculum à solo Deo fieri posse, & Deum non effecturum illud in confirmationem falsitatis. & c. Ideò hoc argumento præter Patres, Chrysoſtomum tom. 3. in 2. Cor. Tertullian. in Apologetico cap. 27. Arnobium lib. 1. Augustin. 10. de Ciui. cap. 12. lib. 16. 17. vsus est ipse Christus: *Si mihi non vultis credere, operibus credite & c.*

Ioan. 3.

Exod. 4.

Ioan. 10.

Multipliciter autem ex Apostolorū, & Christi miraculis ostendebatur, doctrinam, quam prædicabant, esse à Deo reuelatam. Primò ex multitudine illorum: Secundò ex magnitudine, & varietate: Tertio ex modo operandi: aliquando ex cerimonijs, vt cū visum restituit luti contactu: aliquando ex solo imperio, sine vlla vel cœli & astrorum influenza, vel applicatione actiuorum suis passiuis; quale illud: *Adolescens tibi dico, surge, volo, mundare & imperabat ventis, & c. 4.* Ex circumstantia virtutum moralium: sic Marci. 8. ex misericordia pauit turbam propter gloriam Dei: Ioan. 17. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus super terram.* Similiter in Apostolis videntur quædam & mirabilia: nam sola Petri vmbra sanabat. & c.

Obijcies, miracula, quæ circumferuntur de Christo & Apostolis, verè non fuisse facta, quod historici gentiles eorum temporum nullam illorum fecerint mentionem.

Secundò, dato quod facta fuerint, fuisse præstigiola & falsa, cū similia fieri possint artibus magicis, & facta narrentur à gentilibus, quæ tamè nos negamus à Deo processisse.

Tertio, licet fuerint vera miracula, nihil tamen illa valere ad confirmandam

dam nostrā fidem: nam interdum vera miracula facta etiam fuerunt ab ijs qui falsam fidem profitebantur, vt à gētilibus & hēreticis, vt referunt Valerius Max. lib. 8. Lactan. lib. 2. Sozomenus lib. 1. cap. 14. & Augustinus li. 21. de Ciuit.

Ad primam Respondeo, Christi miracula nō solū narrari à nostris, sed etiam ab alienis, vt à Iosepho, à Lentulo Epistola ad Senatū Romanum, quæ exstat apud Eusebium lib. 2. hist. Et de Christianorum miraculis constat in historijs gentilium, & Annalibus Imperatorum, vbi habetur Imperatores aliquos ob beneficia miraculosè recepta, propter Christianorum orationes, gratos illis fuisse, vt de legione Christianorum, quæ sub M. Aurelio pluuiam, & victoriam miraculosè obtinuit, refert Niceph. lib. 4. cap. 12. Quod si perpauci gentiles de Christo, & Apostolorum miraculis scriperint, id fuit factum, primò instinctu dēmonis. Secundò, quia metuebant Imperatores, qui puniebant Christianos, vt sacrilegos, & eorum fautores. Tertio, quia non intelligebant vim horum miraculorum: nam illa tribuebant artibus magicis. Quarto, non est mirum, quod hostes nostri ea non referunt, quæ faciunt in nostræ fidei confirmationem.

Ad secundam Respondeo cum Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 6. Euseb. lib. 4. & 5. hist. & Tertullian. in Apologetico cap. 22. & 23. Christum verè sufficasse mortuos, illuminasse cæcos, prædixisse futura, & internas animi cogitationes penetrasse, euidentissimum fuisse, vt Pharisei nunquam ausi fuerint obijcere falsitatem, præterquam quod satis constare potest id ex multitudine, magnitudine, & circumstantijs horum miraculorum: nam hæc omnia satis apertè indicant ea non potuisse fieri arte dēmonis.

Ad tertiam Dico primò ex quatuor potissimum differentijs inter miracula gentilium, & hēreticorum, & nostrā, illa reddi suspecta, hæc verò nostrā dignosci quàm verissima. Nam primò illa, vt ait Augustinus libro de vtilitate credendi cap. 16. fiebant ad ostentationē non ad vtilitatē; hæc semper habebant coniunctam vtilitatem, & propterea sibi hominum beneuolentiam conciliabant. Secundò ex eod. 22. de Ciuit. cap. 9. & 10. fiebant opera dēmonum ad inducendos homines, vt adorarent vel ipsos dēmones; at hæc ad adorandum vnum Deum. Tertio illa non potuerunt fieri ad cōfirmationē erroris, licet daremus posse dēmones vera miracula facere: nam spectat ad prouidentiam Dei, non permittere tantum malum; hæc verò fiebant in confirmationē nostræ fidei. Quarto à nostris fiebant miracula per solam inuocationem nominis Iesu, & vbique, aut vbicumque opus erat, & occasione data, & in quacumque re, vt videre est in Vitis Sanctorum ab alijs sanctissimis viris conscriptis. At inter gentiles paucissima leguntur miracula, & casu, & non ad libitum eorum, qui ea faciebant, & multis etiam alijs adhibitis, & requisitis, quæ illa poterant suspecta

suspecta reddere.

Dico secundò plura miracula apud hēreticos, & gentiles ab illis fuisse cōfecta, vt ait Iust. in Oratione Parennet. plura itidē non excessisse virtutē rerum naturalium, ac proinde potuisse arte dēmonis: plura denique fuisse delusiones potius quasdam, quàm vera miracula, ita vt si voluissent homines non temere credere, potuissent aperta falsitatis indicia reperire, quæ tamen permisit Deus fieri apud gentiles. Primò, quia non erant in aliquod præiudicium fidei, cum non fierent in confirmationem erroris. Secundò ad manifestandam Dei prouidentiam. Tertio ad probationem bonorum, & pœnam malorum: nam iustum est, vt qui se dēmonum cultui tradiderūt, permittantur à Deo per hæc à dēmonibus illudi, cū præsertim sufficienter Deus præmunierit suos aduersus hæc, vt patet in miraculis Antichristi, quæ quia magnam habebunt veritatis speciem, præmonuit nos Christus de eorum falsitate, quæ prædictio nos confirmauit in fide.

Dico tertio, quando cunque peruentū est in fidei controuersia ad miracula, semper nostros fuisse victores, vt patet ex cōflictu Moysis & Aaron cū Magis Pharaonis; Eliæ cū Prophetis Baal; D. Petri cū Simone Mago, vt narrat Hegeffippus, Eugenij Episc. Catholici cū Cirola Episc. Arriano, vt asserit Gregorius Turonensis lib. 3. hist. c. 3. Quo factum est, vt nostri sæpè prouocarent gentiles ad huiusmodi miracula, vt asserūt Arnob. lib. 1. & Tertull. in Apolog. c. 23.

Dico quarto, plura fuisse apud gentiles vera miracula virtute diuina facta, quoniam non fiebant in confirmationem erroris, sed vt manifestaretur vel particularis Dei prouidentia, vel innocentia alicuius hominis, vt est illud de Claudia, quæ nauim, quā nemo poterat mouere, suo cingulo traxit, & de virgine Veitali, quæ aquam cribro portauit.

Septimum motiuum, quo vtuntur Chrysofom. Hom. 26. in Matth. Hieron. in c. 9. Matth. Lactantius lib. 3. Instit. diuin. c. 23. sumitur ex efficacia nostræ doctrinæ, tum in dēmonis illius hostis acerrimi viribus frangendis, qui vel in idolis tacebat, vel per ea, & per obsessos vim Euangelicæ veritatis confiteri cogebatur, vt videre est apud Ruffinum lib. 10. cap. 10. & 19. & apud Victorem lib. 1. de persecutione Vandalica: tum in aduersariorum audacia coercenda, quippe in disputationibus illi resistere non poterant: tum denique in rebus difficillimis persuadendis, & audientium animis interius permouendis, vt de Christi Domini sermonibus pluribus in locis testatum habetur. Nam Ioan. 7. ministri à Iudæis missi ad Christū apprehendendum, id facere destiterunt dicentes: *Nunquam sic locutus est Ioan. 7. homo, sicut hic homo.* Et Matt. 15. ac Marc. 8. legimus quod turbæ, relictis domibus, & oblitæ necessarij cibi, integros dies, immo & triduum illum fuisse secutas.

Octauum motiuum est ex constantia ipsius, quæ inter tot aduersa, pura inter persecutiones varias, multiplices, & maximas cum ab hæreticis tum gentilibus excitata, semper illæsa permansit; cum è contra se&ta gentiliū, & idololatria, maximè post Christi aduentum, ferè iam defecerit, & plurimæ hæreses sint iam extinctæ, & paulatim extinguantur: quod est certissimum signum nostræ fidei, doctrinam non nisi à Deo promanasse, vt bonè argumentatur Gamaliel Act. 5. dicens: *Si opus hoc non est ex Deo dissoluetur.* Hoc argumento vtuntur Tertull. contra Scapulam, & Apolog. 3. cap. vltimo Iustinus in Dialogo cum Triphone, Augustinus lib. 22. de Ciuitat. cap. 6.

Nonum motiuum sumitur ex testimonio infinitorum hominum pro confessione fidei ex omni genere, sexu, ætate, qualitate (puta, in doctrina, nobilitate, potentia, sanctitate,) clarissimorum, summa constantia, & patientia morientium, multis signis & miraculis in eorum morte contingentibus, & admirabili conuersione ad nostram fidem ob eorum mortem constanter toleratam, & innumera signa ipsorum sanctitatis tunc visa: tum infinitorum gentiliū, tum eorum, quibus erat cura demandata, Christianos occidendi, nisi fidem desererent. Hoc argumento vtuntur inter alios Iustin. Martyr in Apolog. ad Senatū Romanum, vbi testatur se maximè motum fuisse ad Christi fidem amplectendam, & Lactant. 5. Instit. c. 13. & 14. Quod argumentum optimum est, sumptum cum circumstantijs prædictis: nam constat multos pro tuenda hæresi mortuos esse. Sic Tertullianus lib. de fuga in persecutione & Euseb. lib. 5. hist. c. 18. referunt Montanistas gloriari solitos de numero suorum Martyrum, & idem de Messalianis refert Epiphanius hæresi 80. de Donatistis Augustinus Epistola 68. Verum illi, & pauci fuerunt, si comparentur cum nostris Martyribus, vt ostendunt Victor de persecutione Vandalica, Euseb. lib. 5. & 7. cap. 19. Nec fuere ex omni genere, sexu, & ætate, nec in illis elucebat sanctitas, quæ in nostris, qui pro illis orabant sæpè à quibus torquebantur, & illos conuertebant ad fidem: neque in eorum morte signa & prodigia fiebant: neque demum propterea crescebat numerus eorum, qui hæresim illam se&tauerunt. Cum tamen ob nostrorum Martyrum mortes incredibiliter augetur numerus fidelium. Quod notauit Tertull. in Apol. c. vltimo, dicens sanguinem Martyrum esse semen Christianorum.

Decimū motiuum, ex infelici exitu eorum, qui nostram fidem sunt persecuti, & felici eorum qui illi fauerunt: quod patet multis exemplis, tam gentiliū, quàm hæresiarcharum, quæ legi possunt apud Medinam lib. 2. De recta in Deū fide. Hoc argumento vtuntur Tertull. lib. contra Scapulam, & Chrysostomus Oratione 3. contra Iudeos.

Vndecimum motiuum, ex testimonijs eorum, qui Christi fidem non

rederunt, tum de auctore nostræ fidei, tum de ipsa fide, & ijs qui illam profitentur. Nam Iosephus lib. 18. Antiquitatum testimonium perhibuit de Christo. De eodem etiam Sibyllæ apud Lactantium lib. 1. c. 5. 6. & 7. De Christianis verò refert Iustinus in 2. Apolog. trium Imperatorum in eorū commendationem. Plinius etiam Secundus ex Tertull. in Apolog. c. 2. de ea rescripsit Epistolam ad Traianum Imperatorem. Hoc argumentū asserit Aug. de Ciuit. 4. 7. maximum habere pondus ad nostram Religionem confirmandam.

Duodecimum motiuum, ex fidelium generali prudentia, sapientia, optima gubernatione, sanctitate. Vnde legimus quosdam barbaros, auditis moribus Christianorum, Doctores Christianos postulasse. Ita Socrates lib. 4. c. 27 & Theodoretus lib. 4. c. vlt. Ex admirabili prudentia, in magna differentia graduum, & officiorū, & pulcherrimo ordine totius Religionis Christianæ: cum enim quæ à Deo sunt, ordinata sint, valde credibile est, Religionem nostram, vbi talis ac tātus viget ordo, à Deo esse. De hac re legendus est Nazianzenus Oratione de moderatione in disputationibus habenda.

Decimum tertium motiuum, ex motiuis internis, puta bonis cogitationibus, & illustrationibus, & pijs affectibus ad id, quod honestū est & rationi consentaneum, & internis consolationibus, quas fideles supra naturæ ordinem in se ipsis experiuntur, & varijs demum prouidentia modis, quibus Deus hominem ad fidem conducit: quæ motiua ex D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 6. maius pondus habent, quam cetera motiua.

Ex his motiuis sic possumus vna vel altera demonstratione nostram confirmare Conclusionem. Prior sit hæc: Illa doctrina est euidenter credibilis, cuius auctor est ineffabilis veritatis, & singularis sanctitatis, quæ multo ante fuit à sanctissimis viris prædicta, quæ nihil contra bonos mores, & rectam rationem continet, sed mirabiliter confert ad vitam rectè instituendam, cum sit summæ sanctitatis, integritatis, & efficacis, quæ in sui propagatione diuinitus probata fuit, & innumeris, ac veris miraculis confirmata, quæ mirabiliter inter innumerabiles Gentiliū, Iudæorum, & Hæreticorum persecutiones illæsa permansit, & incredibiliter creuit, pro cuius confessione, ac defensione infinitus hominum numerus cuiuscumque generis, ætatis, sexus, & conditionis, tam alacriter mortem subiit, cuius persecutores, tam grauibus supplicijs multati sunt, cuius sanctitati, & integritati ipsimet aduersarij vel inuiti perhibere testimonium coacti sunt, quam denique qui recipiebant super naturæ ordinem ad illam se varijs illustrationibus affici, & alluci sentiebant, quamque complexi sunt viri sanctitate, sapientia, doctrina, & omni virtutum genere clarissimi; sed doctrina nostræ fidei est huiusmodi, vt patet percurrenti per motiua

tiua prædicta, ergò, & c.

Altera demonstratio, quæ præcedentem confirmat, est desumpta ex diuina prouidentia: nam euidentis est naturaliter Deum habere prouidentiam actionum humanarum, & gubernare homines in ijs præsertim, quæ spectant ad felicitatem æternam, & honestatem morum, & verum Dei cultum, ergò in his rebus grauisimis ad illam pertinet non permittere homines tot signis decipi, & præsertim eos, qui toto corde Deum quærunt, cum res fidei proponantur, vt credèdæ, quia releuatæ, & iustificatæ à Deo, ad cuius bonitatem, veritatem, & sapientiam spectat, non permittere, vt falsa tam manifestè sua auctoritate confirmetur, sed de facto permittit Deus doctrinam Catholicam tantis argumentis confirmari, ergo euidentis est eam esse veram, & à Deo.

Ex his manifestè sequitur quod doctrina nostræ fidei cõparata cū doctrina Gentiliū, Iudæorū, & Hæreticorū omnium maximè est euidenter credibilis, & credenda. Prior pars probatur primo, ijsdem locis Scripturæ. Secundò ratione: Euidèter credibile est, esse aliquam religionem in mūdo: nam est contra Dei prouidentiam permittere totum genus humanum carere vero Dei cultu & cognitione: at si est aliqua religio euidentè credibile est, non esse sectam Gentilium vel Hæreticorū, ergò euidenter credibile est, esse illam, quàm nos profiteamur. Consequentia patet à sufficienti partium enumeratione. Minor verò probatur: quia si comparatur cum sectis Gentilium, hæ continent multa falsa contra rationes, & lumen naturale, quod obseruarunt Iustinus in Adhortatorio ad hæreses, Tertull. in Apolog. August. primis 12. libris de Ciuitate Dei. Præterea continent multa inter se pugnantia, vt patet in Alcorano, vt fusè ostendemus infra: illarumque auctores fuerunt homines improbi: si verò comparatur cum Iudæorum lege, non dubium, quin illam in multis excedat. Primò nonnulla ex signis adductis in hunc finem facta sunt, vt reiecta Iudæorū lege Euangelium induceretur. Secundò licet Iudæorū lex sancta sit, & à Deo tradita, Iudæi tamen post Christi aduentum multa falsa, & absurda docuerunt, vt videre est apud Sixtum Senensem lib. 2. Biblioth. quorū saltè aliqua, vt vrsuræ esse licitæ, omnes amplectuntur. Tertio in prophetijs, quas non negant Iudæi esse à Deo, reperiuntur ea, quæ sunt in nostra doctrina prædicta, quæ non facta videmus, & ipsi vel inuiti experiuntur. Quò argumento vsus est Christus, Ioan. 5. *scrutamini Scripturas*: & Luc. vlt. incipiens à Moyse. Si demū comparatur, cum quacūque secta hæreticorum euidentis est, has esse incredibiles. Nam primò earū auctores fuere viri pessimi, vt patet ex miserrimo & turpissimo eorū exitu. Secundò in qualibet earū est mira doctrinæ incōstantia, instabilitas, & contradictio, quod auctores earum vel pugnantia dicerent, vel quædam docerent, quæ postea

mutabant

mutabant, vel quia paulò post eorum hæreses in plures sectas diuiderentur, ob dissensionem discipulorum, tum inter se, tum à suo præceptore, vt contigit in Ariana hæresi, cuius nouem mutationes breui tempore factas refert Niceph. lib. 12. c. 20. 21.

Tertio, quia nulla est hæresis, quæ non aliquid contra bonos mores, rectam rationem, rectamque existimationem de Deo doceat, vt notarunt Irenæus lib. 1. & 2. contra Hæreses Epiphani. Hæresi 26. 27. & August. lib. de Hæresibus. Et id euidentissimū est in hæresibus nostri temporis, nam negant liberum arbitriū, Deum faciunt auctorem mali, negant iustos obligari præceptis. Quartò nullus hæreticus donum prophetiæ verè habuit, nullus in confirmationem suæ doctrinæ vera miracula edidit, sed cum fingerent se velle ea facere, statim eorum doli detegebantur, quod aperitissimum est signum falsitatis doctrinæ, cum, vt ait Chrysostomus Hom. 14. in Matt. & S. Thom. 2. 2. q. 178. art. 2. ad tertium, vera miracula veram fidem comitentur: contra verò professores Catholicæ fidei quàm plurimi, & viri sanctissimi donum prophetiæ habuerint, & in confessione nostræ doctrinæ multa miracula ediderint. Quintò quælibet hæresum incœpit post prædicationem Apostolorum, multæque ex illis iam extinctæ sunt, vel paulatim extinguuntur, cum tamè vera fides debeat esse perpetua in aliqua saltem hominum congregatione, & ab eo tempore, quo prædicari à Christo & Apostolis cœpta est, vsque ad finem mundi illæsa permanere, qualis est, quàm nos profiteamur, vt patet cum ex perpetua conseruatione eiusdem nominis, tum ex continua successione Episcoporum à D. Petro vsque ad nos. Quò argumento contra hæreticos vruntur Patres citati in tertio motiuo ad probandum fidem & Ecclesiam nostram esse antiquissimam, Apostolicam, & veram.

Obijciunt hæretici, non esse bonum argumentum ex hac successione Episcoporum ab Apostolis: nam licet continuata fuerit vsque ad tempus illorum Patrum, non tamen vsque ad nos. Sed contra, nam eo modo, quo illi Patres vsque ad sua tempora ostenderunt illam continuasse, eodem nos modo vsque ad nostra.

Obijciunt hæretici, neque hinc posse sumi argumentum veræ Religionis: nam licet isti Episcopi sint continuati ab Apostolis, iam diu tamen fidem amiserunt, sicut patet in Ecclesia Græcorum, qui à fide defecerunt.

Respondeo tamen, ex hac successione Episcoporum in Ecclesia præsertim Romana optimè probari conseruationem fidei, & Ecclesiæ: nam Christus promiserit Petro & successoribus, quod non deficiet eius fides, etiam perpetuitatè fidei promisit Ecclesiæ Catholicæ maximè Romanæ, quæ est caput ceterarum. Cum ergò videamus continuari Ecclesiā, quam Christus fundauit, idem dicendum est de fide: & si alicubi dicendum est

veram fidem perseverare, sine dubio dicendum est ibi conservari, ubi non est interrupta posita successio: quo argumento utuntur Hilar. de Trinit. Hieronym. & alij supra citati.

Posterior pars probatur: nam evidens est doctrinam illam, quæ nihil continet rationi contrarium, habetque tot, & tanta motiva suæ credibilitatis, & est ad salutem necessaria, non solum esse credibilem, sed etiam secundum rectam rationem credendam. Sed evidens est illa esse in nostra doctrina, ergo præterea evidens est prudentis esse præsertim posito præcepto de actu fidei, credere id, quod est evidenter credibile: sed mysteria nostræ fidei sunt huiusmodi, ergo. Dixi doctrinam nostræ fidei esse evidenter credibilem, & credendam: nam argumenta posita hoc tantum efficere possunt, non autem necessariò efficiunt, ut actu credantur: nam hoc positum est in voluntate hominis cum diuino auxilio, quod quibus datur misericorditer datur, quibus non datur, iuste negatur, vel non iniuste auferitur, licet semper adit auxilium, quo quis potest credere. Non tamen huiusmodi argumenta sunt superflua. Nam primò suauiter disponunt hominis mentem ad credendum. Secundò per illa refelluntur argumenta contraria. Tertio per illa iuste condemnabuntur, qui illis propositis credere noluerunt, iuxta illud Ioan. 15. *Si non venissem, peccatum non haberent.* Matth. 11. *Veh tibi corozaim, &c.* Secundò sequitur omnes fideles, singulos pro sui ingenij captu, & conditione credibilium, habere evidentiam credibilitatis articulorum fidei. Est S. Thom. 2.2. q. 1. art. 4. ad 2. Et probatur, quia præceptum de actu fidei non obligat, nisi post sufficientem propositionem credibilium: sed hæc non est, qua solum ostenduntur probabilia esse, quæ proponuntur credenda: sed quia evidenter ostenduntur credibilia esse, tamque à Deo releuata, ut supra docui, ergo. Confirmatur: nam in rebus grauissimis, & difficillimis si quis simpliciter crederet absque eo quod haberet sufficiens argumentum, leuiter, & irrationabiliter diceretur credere: at sufficiens argumentum non æstimatur illud, quod tantum ostendit probabilitatem rei, quia semper potest quis rationabiliter de opposito dubitare, ergo erit illud, quod evidenter ostendit credibilitatem rei. Dixi tamen pro conditione credibilium: quia non est in omnibus credendis requirenda eadem evidentia credibilitatis: nam irrationabile est requiri eandem ad credendam rem leuem atque grauem. Dixi pro cuiusque ingenij captu: nam non in omnibus hominibus requiritur eadem evidentia ad rem eandem credendam: nam alia requiruntur in homine simplici, vel in puero perueniente ad usum rationis, alia in homine docto: in isto enim argumenta maiora & fortiora; illis verò sufficientia minora, ut auctoritas parentum, vel prælatorum, vel sapientum hominum, & doctorum consensus vniuersalis Ecclesie, & quod doctrina, quæ præ-

Ioan. 15.

ponitur

ponitur credenda, nihil continet contra rationem, & bonos mores, & alia huiusmodi quæ sunt omnibus communia. Quod si aliquid horum alicui desit, supplet Deus interius per gratiam cum id spectet ad eius prudentiam.

CAPVT IV.

Breuis compendiosa tamen & accurata testimoniorum credibilitatis nostræ fidei collectio, ex D. Tho. 1. contra Gent. cap. 6.

Huiusmodi autem (inquit D. Tho.) veritati, cui ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibentes non leuiter credunt, quasi indoctas fabulas secuti (ut 2. Petri 1. dicitur.) Hæc enim diuinæ sapientiæ secreta ipsa diuina sapientia, quæ omnia plenissimè nouit, dignata est hominibus reuelare, quod sui præsentiam, & doctrinæ & inspirationis veritatem conuenientibus argumentis ostendit: dum ad confirmandum ea, quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quod totius naturæ superat facultatem: videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cælestium corporum mirabili immutatione, & quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione: ut idiotæ & simplices, dono spiritus sancti repleti, summam sapientiam & facundiam instanti consequerentur.

2. Petri 1.

Quibus inspectis, prædictæ probationis efficacia, non armorum violentia, non voluptatum permissione, & quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem, innumerabilis turba non modò simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum, ad fidem Christianam conuocauit. In qua omnè humanum intellectum excedentia prædicantur: voluptates carnis cohibentur: & omnia quæ in mundo sunt, contemptui docentur. Quibus animos mortalium assentire, & maximum miraculum est: & manifestum diuinæ inspirationis opus, ut contemptis visibilibus, solauisibilia cupiantur. Hoc autem non subito neque casu, sed diuina dispositione factum esse manifestum est ex hoc, quod hoc se facturum Deus, multis ante Prophetarum prædixit oraculis: quorum libri penes nos in veneratione habentur: utpote nostræ fidei testimonium adhibentes.

Huius quidem confirmationis modus tangitur Hebr. 2. *Quæ* (scilicet Hebr. 2. humana salus) *cum initium accepisset, enarrari per Dominum: ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & varijs Spiritus sancti distributionibus.*

tributionibus. Hæc autem tam mirabilis mundi conuersio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, vt ea vltèrius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidenter. Etenim omnibus signis mirabilibus, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus: quamuis nõ esset Deus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari.

Hi verò, qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, vt patet in Mahumete, qui carnalibus voluptatibus permisis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta etiam tradidit permisis conformia, voluptati carnali habenas relaxas, in quibus in promptu est à carnalibus hominibus obediri. Documenta quoque veritatis non attulit, nisi quod de facili à quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint: quin potius vera quæ docuit, multis fabulis & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum diuinę inspirationi conueniens testimonium adhibetur: dum operatio visibilis, quę non potest esse nisi diuina, ostendit Doctorem veritatis visibiliter inspiratum: scilicet, dum dixit se in armorum potentia missum, quę signa & latronibus & tyrannis non defunt. Et etiam non aliqui sapientes in rebus diuinis, & humanis rebus exercitati, à principio crediderunt. Sed homines bestiales, in desertis morantes, omnis doctrinę diuinę profus ignari, per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem coëgit. Nulla etiam diuina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent: quin potius quasi omnia & veteris & noui testamenti documenta fabulosa narratione deprauat: vt patet per eius legem inspicienti. Vnde astuto consilio per eos falsitatis argueretur. Et sic patet quod eius dictis fidem adhibentes leuiter credunt. Hactenus D. Thomas.

Tria sunt potissimum fundamenta, si attentè expendantur, quibus D. Thom. nostrę fidei veritates confirmat. Primum, miracula ab Apostolis in fidei confirmationem edita. Secundum, mundi conuersio considerata, & expensa cum mirabilibus circumstantijs, nempe à quibus fuerit facta hæc conuersio, & qui fuerint conuersi, quibus medijs, & quomodo, quibus superatis difficultatibus, & alijs innumeris impedimentis. Tertium desumitur ex prædictionibus Prophetarum.

Verum hæc dicit aliquis valere quidè satis aduersus Iudæos, qui Prophetarum libris & oraculis fidem habent, contra Ethnicos verò Prophetis Hebræorum minimè credentes, infirmã esse & inualida. Sed non ita est:

est: vaticinia enim Prophetarum multis sæculis ante Dominum edita, literisque consignata, cum in Domino nostro perfectè impleta cernantur, veram esse ipsius fidem & doctrinam, apud omnes etiam gentiles apertè demonstrant. Nec potest gentibus ea suspicio incidere, ne forte libri Prophetarum à Christianis suo ipsorum arbitrio, ex vsu suo fuerint conficti, quippe eos Christiani à Iudæis, Christiani nominis infestissimis hostibus, acceperunt: penes quos illi hodieque sunt, & fuere olim per annos plus mille & quingentos ante Christi aduentum. Quin imò ob eam maximè causam diuino consilio factū esse restantur D. Hier. super c. 16. Itaq; Aug. l. 18. de Ciuit. Dei c. 46. Theod. Orat. 10. de Prouidètia, Iudæos per omnes gentes vsquequaque dispersos esse, vt quæ à Christianis prædicantibus Euangelium Prophetarum vaticinia proferrentur, ea gentes in Iudæorū libris legentes, non esse Christianorum vaticinia intelligerent: quin Euangelium tot tamque manifestis antiquorum vatum oraculis confirmatū, proniori assensu studioque amplecterentur. Quapropter mihi quidem vehementer probatur sententia illa D. Augustini, quę est in 46. c. lib. 11. de Ciuit. Dei: *Nihil est (inquit) firmitus ad conuincendos quoslibet alienos, si de Euangelij veritate contenderint, nostrosq; fulciendos, si rectè sapuerint, quàm vt diuina prædicta, de Christo ea proferatur quæ in Iudæorum scripta sunt codicibus, quibus auulsis de proprijs sedibus, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi vsquequaque creuit Ecclesia: Nec verò solos Iudæos testes huius rei habemus, sed etiam idipsum gentes testificantur: Namque annis circiter 300. ante ortum Domini nostri in terris, flagitante Philadelpho, secundo post Alexandrum Magnam Aegypti Regē, (id quod in Iudæorum & Gentium historijs est proditum) ex Hebræo sermone sacri libri veteris testamenti, per duos & sexaginta interpretes Hebræa gentis sapientissimos in Græcum sermonem sunt conuersi: quorum librorum & fama & notitia per omnes gentes peruagata est.*

Obijcies etiam de miraculis, quare nunc miracula non fiant, cum ea sint præcipua nostrę fidei testimonia. Sed de hac re sequenti Cap. dicemus.

CAPVT V.

De confirmatione doctrinæ Euangelicę ex signis & miraculis: & quare nunc miracula non ita frequenter fiant.

Multa fuisse facta signa & miracula & à Prophetis, & ab Apostolis: vt Christiana firmaretur doctrina, nemo est qui dubitat. Atque esse necessaria

necessaria miracula, vt mundus Christianæ prædicationi fidem adhiberet merito censuit D. August. 22. de Ciuitate Dei c. 8. quorum omnium miraculorum finis non alter fuit, quam ad conciliandam auctoritatem ministris, & vt Christianæ doctrinæ fides adhiberetur. Quare prudenter admodum illos omnes fecisse constat, qui propter miracula, quæ à Christo vel Apostolis fieri cernebant, eorum dictis fidem adhibebant. Vnde multi solent querere & admirari, quare cum miracula sint adeo efficacia, nostra ætate in prædicatione S. Euangelij apud infideles miracula non cernantur, quæ Christus suis promississe videtur maximè Euangelij prædicatoribus Marci vlt. *In nomine meo demonia eijcient*, &c. Nulla enim est ita facilis ac certa via, ad conuersionem gentium, quam vitæ innocentia, signorum splendore decorata.

Huius autem dubitationis triplex potest esse solutio. Prima, multa fuisse facta miracula, etiam post tempora Apostolorum, & nostra etiam ætate in nouo orbe quamplurima, etiam per milites, de quibus præclare Thomas Bozius De signis Ecclesiæ lib. 5. fig. 11. c. 2. & lib. 12. fig. 57. vbi miracula à viris sanctissimis hac nostra ætate edita recenset: Inprimis, inquit, cum Christophorus Columbus in Indias Occidentales nobis antea ignotas primùm simul cum suis socijs peruenit, in omnibus earum locis hoc miraculum commune erat. Nam cum passim dæmones ederent responsa; vbi Eucharistiæ Sacramentum per nostros in aliquo loco reponeretur, continuo dæmones obmutescabant: & cum crebris terræ motibus terræ conquassarentur, & frequentibus tempestatibus miserè etiam deformarentur; nunc nostra religione recepta, non ita contingit. Hoc vniuersis his regionibus commune: speciatim verò accidit, vt Christophorus Columbus in insula, quam vocant Hispanolam, siue S. Dominici, altissimam è ligno crucem defigeret. Indigenæ sapius eam prosternere ad terram, & conuellere conati, nihil proficere: contactu illius ac fragmentis morbi passim curabantur.

Nouissimè vero B. Aloysius Bertrandus Ordinis Prædicatorum, maximè nostram Religionem in ijs locis amplificauit, datumque est illi diuinitus, vt mortuos ad vitam reuocaret, & innumeros egrotos restitueret sanitati. Accidit aliquando, vt alicuius vici incolæ ad eum confluerent, nomen Christo dare parati. Interrogati quid eos ad hoc adduceret, responderunt in publico quodam vniuersali que eorum conuentu astirisse dæmonem, quem cuncti specie horribili viderent, ac dixisse. Quid me astantibus duobus Christianis inuocatis? (aderant forte duo ab Aloysio ad Christum perducti:) abripite eos hinc. Vbi hæc dixit, homo quidam, qui se diceret ab Aloysio missum, processit repente in medium conuentum, & in conspectu omnium disputatione inita, dæmona conuicit: quibus actis eu-
nuere

nuere ex oculis astantium. Venit fortè in manus Principis cuiusdam, qui non longè aberat à finibus regni Peruani, effigies Christi crucifixi. Ille acceptam conspuere, ac multis modis irridere cœpit, in conspectu plurimorum. Ibi mirabiliter imago quasi verè spiraret, cœpit ex oculis lumen emittere, caput motare, & aspectu minari, Regem, cunctosque terrere. Quocirca pauore percussi omnes, & tremore correpti, partim cecidere ad terram, partim cum se viderent obrigescere, neque posse loco recedere, exclamare cœperunt, factique penitentes, misericordiam suppliciter implorare: ob id pristino statui protinus restituti, magnum Christianorum Deum palam confiteri altissima voce, rem cunctis enarrare. At Princeps vnà cum multis è numero suorum se Cuzcum contulit, & factum diuulgans Christo se deuouit.

Martinus de Valentia, illustrissimè vir sanctitatis fuit. Hic ex Ordine S. Francisci cum duodecim Socijs venit in Occidentales Indias, anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto, & incredibile est, quot ipse cum suis Indos ad Christi cultum perduxerit. Nemo ex illis duodecim fuit, quin anno millesimo quingentesimo trigesimo primo plusquam centum millia Indorum baptizasset. Hic verò eminentissimè fuit sanctitatis, virtutumque omnium diuinarum sublimissimum culmen est assecutus. Visus est aliquando, cum in Salmaticensi Minorum monasterio diuersaretur, orans extensis in modum crucis brachijs, in aëra sublatus. Cū sæpè è superiori loco verba faceret de Christi passione ad populum, rapièbatur extra omnes sensus, immobilisq; erectus ac rigens diu persistebat. Antonius è Naua, & Ferdinandus Cortesius in Thalmalio oppido, cū cellam, in qua morabatur, de improviso aliquando aperuissent, inuenerunt orantem in aëra sublatus, & à sensibus abstractum. Bernardinus è Sahagunt, cum cuperet hæc proprijs ipse oculis intueri, accessit in Thalmalio ad ea loca, in quæ solitudinem petens precaturus Martinus conferte se solebat, obseruato tempore, quo se in illa iam Sanctus receperat: vbi propior est factus, mirificum splendorem conspicatus, progredi ultra non potuit, quod nimia lux aciem luminum perstrinxisset, mentemque obturbasset. Allatus est aliquando ad virum sanctum puer ægrotans, vt eum baptizaret: verum priusquam perfici id posset, ille vita decessit. Acceptum Sanctus in altari collocauit, supplicationi se dedit, ad vitam paulò post reduxit, baptizauit, ac suis restituit. Tlaxcala præ nimia siccitate cuncta exusta iam conspiciebantur: venere ciues ad virum diuinum, ope petentes: supplicatione indicta, processit ille ad locum quendam, in quo crux fuerat collocata. Vix eò peruenerat in præcibus totus, cum pluuia copiosa cælitus defluxit. Idem rursus contigit in oppido Tlaxcala. Plurimis porro ægrotis sanitatem restituit. Illud autem nullo modo

prætereundum. Ioannes ex Oueto, qui Tecamacalci decessit, Custos in ciuitate Angelorum, cum sensu odoratus esset priuatus, Sanctique cadauer tumulo recluso inspexisset, incredibilem protinus odoris fragrantiam sensit, & ex illo odoratum recepit. Obijt anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto, cum diem mortis prædixisset, genibus in nuda humo in morem supplicantis positus, & in contemplatione cælestium defixus. Corpus eius triginta tres annos integrum incorruptumque omnino permansit, & eius videndi copia pluribus ad illud inuisendum properantibus fiebat. Innumera porrò miracula quotidie ex illo prodibant. Post annum millesimum quingentesimum sexagesimum septimum, cum capsam in qua repositum iacuerat, aperuissent, nihil in illa inuentum. Facta est diligentissima inquisitio, an ab aliquo fuisset asportatum, & subreptum: nihil potuit inueniri, quamuis Apostolicæ literæ in eam rem scriptæ fuerint, anno millesimo quingentesimo octuagesimo. Indi in maxima illum, veluti Apostolum, diuinitus ad ipsos missum, veneratione habuerunt, & quæcumque ad illum spectantia colligere potuerunt, veluti cælestes quasdam reliquias asseruarunt, & coluerunt summo honore; vbi verò morbis aut etiam peste tentati sunt, illa corporibus admovebant, ac sanitatem plerumque mirabiliter protinus eidem recipiebant. Quocirca data fuit opera diligens, vt omnes eius reliquias vestium ceterarumque rerum colligerentur. Collectæ loco decenti sunt repositæ, & miracula innumera ab illis indies emanant.

Deinde Ioannes è S. Francisco, solis precibus, ac nullo profus studio, affectus est lingue Mexicanæ cognitionem, ita vt maximè cunctis fuerit admirationi, cum repente auditus fuit ea lingua innumeris præsentibus concionari. Hic aliquando plurima idola Indorum, multitudine ingentividente, à pueris Christianis confringi iussit. Eadem verò die dæmon apparuit Indo cuidam, qui aberat passibus millibus sexaginta: apparuit autem facie deturpata, membrisque mutilatis, inueniens: En vt à Ioanne male habitus sum, remque, vti gesta erat, explicauit, efflagitans, vt aduersus Ioannem suam contumeliam vlcisceretur, se ipsi opem laturum docuit que rationem, qua flagitium perpetraret. Aggressus est rem Indus, expectatumque Ioannem per insidias adortus, prægrandi fuste percussit, aufugiensque irritò euentu, & à prosequentibus nonnullis comprehensus, rem detexit, & Christo se dedit. Idem Ioannes idolorum sacerdotem baptizauit, cui mox duo dæmones, assumpta parentum ipsius defunctorum effigie, apparuerunt, affirmantes se in amœnissimis deliciarum locis degere, eò deducturos ipsum, si velit sequi & imperata facere. Sequitur ille, perueniunt ad siluam, suadent vt laqueo faucibus iniecto se ex arbore suspēdat, ac præfocet. Aggressuro iam rem misero astitit Ioannes, siue ipse reuer-

uera, siue eius species. Increpat, dolos detegit. Agnito scelere, Indus Dei nomen ex animo implorare cœpit, ac protinus dæmones cum suis spectris euauere. Ipse Mexicum reuersus, Ioannique occurrens, accedit ad pedes, veniam criminis suppliciter petens. Idem Ioannes defunctum filium, diu rogatus à matre, vt id faceret, ad vitam precibus reuocauit: aliaque multa mirabiliter egit, ac prædixit. Obijt anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto.

Hos igitur paucos retulisse sit satis ex ijs plurimis, qui virtutibus diuinissimis florentes, miraculisque editis clari prodierunt ex Ordine S. Francisci, & innumeros ad Christum populos belluinis antea moribus viuentes traduxerunt in latissimis Indiarum occidentalium terris. Illorum verò gesta quædam breuissimis adumbrauimus. Si quis ea latius cognoscere cupit, legat historiam Franciscanam ad finem, quam dedit in lucem Franciscus Gonzaga Episcopus Cephalenus, & illius Ordinis antea summus Prefectus.

Innumera verò etiam sunt, quæ in Indijs item orientalibus per viros Religiosos miracula patrata sunt; ex quibus pauca attingamus. Xauerius in ora Comorinensi duos iam vita functos ad lucem multis præsentibus, quorum precibus ad id est coactus, reuocauit. In insula Iaponis muto cuidam, & pedibus capto vsum linguæ & ingressum, surdo auditum, alteri item surdo mutoque sanitatem diuinitus reddidit. Non est numerus ægrotorum, qui precibus eius quamuis essent à medicis desperati, cōtinuò mirandum in modum sunt liberati, & nunc etiā cadauer ipsius Coæ miracula innumera edit. Plurima dum viueret in publicis etiam concionibus longissimè posita, vti erant, præsignificauit. Plura alia tam ab hoc sanctissimo viro, quam ab alijs verbi Dei præconibus, quæ humanas vires excedunt, patrata præmittamus. Hæc attingisse sufficiat, vt persuasum omnibus sit, si merita, & Apostolicæ virtutes non desint; nec miracula etiam Apostolis digna defutura. Si enim Deus quotidie ad amicorum suorum sanctitatem propalandam mirabilia operari non dedignatur; quid non erit expectandum facturum ad fidem Catholicam confirmandam ac propagandam?

Quod si fortè hodie miracula non ita frequenter, vt olim, fiant, hanc huius rei primò eam reddimus rationem: Quia etsi certum sit per peccatores effici posse miracula, tamen non dubium, quin frequentissimum sit, & veluti lege stabilitum, vt quò quis fide & sanctitate magis excellat, eò aptius instrumentum sit, per quod Spiritus sanctus tam præclara opera perpetret. Quare non mirum si rara illa & admiranda signa non ita frequenter cernantur, vbi caritas refrigescit, vnusquisque quærens quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi. Nec enim dubium, si illa piorum præca si-

des, si pietas, ac denique si spiritus ille Apostolicus rediret, quin etiam opera Apostolorum expectaremus. Præterea de paritate signorum eam reddit causam D. Tho. lib. 1. contra Gent. c. 6. dicens: *Hæc autem tam mirabilis mundi conuersio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidenter, quamuis non cesset Dominus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per sanctos suos miracula operari.* Hactenus D. Thomas: cuius sententiam mirifice confirmat Ioan. Chrysoft. in Epist. 1. Cor. c. 2. demonstrans signa Euangelicę prædicationis patrata, non illo tantum sæculo, sed futuris fidem peperisse: quare fides iam satis fundata, miraculis nouis non indiget confirmari, præcipuè cum vitæ integritas & exemplum, vt infra suo loco dicemus, efficacissimum sit, ad persuadendam fidem argumentum. Tertia huius caritatis signorum causa assignatur à Ios. Acosta viro alias doctissimo lib. 2. de procuranda Indorum salute cap. 9. quod priscis temporibus omnino necessaria fuerint, nostris nõ item: etenim fides mysteriorũ sublimium omnem humanam rationem superantium astruenda tunc erat apud homines maximè ratione sua cuncta metientes, Græcos, in quã, atque Romanos, ceterosque huius sæculi sapientia illa ætate florentes. His quomodo per homines paucos ignobiles & imperitos persuaderi posset doctrina omnibus humani ingenij viribus validissimè obfistens, quã proinde stultitiam Dei Apostolus vocat, nisi diuina quædam ac insuperabilis euicisset auctoritas, cõestãte Deo signis, & prodigijs, & varijs charismatibus? Quod etiã Paulus Apostolus sæpè commendat: *Sermo meus* (inquit) *Heb. 2. 1. Cor. 2. & prædicatio mea non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Et Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri, per quẽ accepimus gratiam, & Apostolatam, ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Ica Christiana Religio, vbi humana præsidia profus aberant, diuinis est fundata miraculis: At nostrorum temporum longè alia ratio est; nam & ij quibus fides annuncietur, omnibus rebus inferiores sunt, ratione, cultu, auctoritate, & ij qui annunciant antiquitate, Religionis suæ, multitudine suorum, ingenio, elegãtia, ceterisque copijs ad persuadendum superiores sunt, & abundant: neque barbarorum ingenia ea sunt, quæ fidei difficultatibus terreantur, cum à maioribus suis obseruent ipsi longè incredibilia. Ac reuera si Christus annuncietur, vt opus est, obsequentes & ad credendum faciles sese exhibent. Denique quid magnis signis opus est, vbi potius desideratur auctior intelligentia, quæ altitudinem doctrinæ nostræ aliqua curiositate disquireret? Vnum illud his gentibus potentissimum & ad fidem efficiacissimum, ac pænè singulare miraculum necessa-

rium

rium est, mores cum fide congruentes: hoc & abunde sufficit, & omnibus concessum est modo velint.

Verum quia hoc est præclarissimum inter alia fidei nostræ testimoniu, de illo in sequentibus agemus: sed prius reddamus rationem, quare tot motiujs & miraculis interuenientibus adhuc, multi in sua perseuerent infidelitate.

CAPVT V.

Rationes aliquæ quare multi fidei veritatibus etiam sufficienter propositis assensum non præbeant.

GVilielmus Parisiensis lib. 1. de Fide cap. 2. septem reddit rationes, cur multi fidei veritatibus alias euidenter credibilibus assensum nõ præbeant. Prima, inquit, est ignorantia mensuræ, & capacitatis intellectus humani. Qui enim intellectum suum omnia capere existimat, credit ex necessitate non esse, quicquid in intellectu suo non inuenit. Quemadmodum si quis crederet intra circulum vel velũ Lunæ esse omnia, necesse haberet credere non esse, quicquid intra ipsum non inueniret. Hæc igitur est causa, propter quam quicquid intellectus eorum non capit, non esse credunt. Tu ergò aduerte hoc & crede intellectum humanum mensuratum, & limitatum in tua capacitate, ab ipso creatore suo Deo, qui posuit ei terminos, quæ, quot & quanta capiat capacitate sua naturali, multa apud se secreta referuans, reuelanda cum voluerit, & quando voluerit. Similis error huic, & similis ignorantia inuenitur in hominibus, qui crederent nullo modo esse posse scientiam de magnitudinibus Solis, & Lunę, atque stellarum, & de similibus: pro eo quod non est in intellectu eorum.

Secundã causa errorum istorum est auersio intellectus ab eis, quæ credenda sunt. Quemadmodum enim, qui auersos habet oculos ab eis, quæ videnda sunt, & conuersos ad alia videnda, videre non potest in ista auersione: sic qui intellectum habent auersum ab eis, quæ credenda sunt, & conuersum ad contraria credenda, credere non possunt in ista auersione. Hi sunt, qui tanto a more amplectuntur opiniones suas & sectas, vt de contrarijs ne quidẽ cogitare velint, tantoq; odio auersi sunt, & contrarij cõtrarijs errorũ suorum, vt ea nec respicere vllatenus velint. Tu autem scias quia idẽ est cogitare, quod corde siue intellectu intueri, atque respicere;

cere, & quia amor conuersio est ad amatū, & odiū auersio est ab eo, quod oditur; quod ipse conuersiones, & auersiones corporales indicant & ostendunt, velut umbræ & similitudines quædam interiorū siue spiritualium conuersionū & auersionum. Manifestum igitur est, propter quid huiusmodi homines ea, quæ credenda sunt, credere, seu videre nō possunt: non enim datum est hominibus videre post tergum suum, neque videre sine intuitu & aspectu.

Tertia causa erroris est, ipsa rerum subtilitas, quæ turbido, & grosso intellectu visibiles non sunt. Quemadmodum enim visus ad eō turbidus & grossus, ut ab eo pilus videri nō possit, est & visus quo pilus & pilo gracilius videri potest: sic & intellectibus hominum similem differentiā & comparisonem esse contingit. Quemadmodum igitur homines grossi & turbidipilum non videntes vbi est, & contendunt & curant ipsum ibi non esse, propter eius subtilitatem & gracilitatem ipsum non vidētes, & ipsum videntibus credere nolentes: sic ea, quæ ex fide, quam diximus, credenda sunt, propter sui subtilitatem, grossities, & turbiditas intellectus vulgariū, & indoctorum hominum non capiens, ea non esse & credit, & contendit & dicitur.

Quarta causa est, remotio, siue distantia, hoc est longinquitas à rebus credendis: & hæc longinquitas est imperitia, & inexercitatio in illis: sicuti dicit Aristoteles, Imperiti veluti longè distantes speculantur. Qui enim in sensibilibus versantur, aut in alijs quæ longè sunt à credēdis, versantur, & commorantur assidue longè sunt indubitanter ab illis, & propter hoc illa videre non possunt, qui nec studio, nec exercitatione ad illa appropinquauerunt.

Quinta verò causa est stultitia, qua volunt intelligere intellectu naturali per se id, quod per se capi nō potest. Quemadmodum si quis visu humano vellet videre, quicquid aquilino visu videri potest, aut altitudinem staturæ suæ longè desuper eminentē cōtingere, & quæ in ea sunt manu capere: sic breuior intellectus credendorum altitudinem non attingit, & intellectus naturalis ad ea, quæ supra ipsum sunt, per se nullatenus extendit se.

Sexta causa est inquisitio probationum; probationes enim velut scalæ sunt quibus attingitur ad probata. Quia verò ad ea quæ fidei sunt scala huiusmodi non pertingit, cum non habent aliquas probationes inde quales vellent; ideo deest illis scala, vel omnino, vel saltem eius altitudinis, quæ huiusmodi res attingat. Hi tanquam deficiente scala altitudine ascendenda incomparabili breuiori, ad ea nullatenus ascendunt, eò quod solas probationes scalam, qua illuc contingat, ascendere opinantur.

Septima causa est peccatum siue negligentia, qua diuinum adiutorium ad

ad ipsa credenda non quæritur, seu quodcunque aliud, quod viam gratiæ obstruit & cōcludit: meritò enim & iustissime fit, quod Dei iudicio, Dei adiutorium non obtinet, qui illud obtinere non curat; meritoque gratiæ lumen diuinæ cor illius ad illustrandum non ingreditur, qui obicem illi ponit peccati, meritò enim radijs Solis domus illius non illuminatur, qui radijs eius fenestras & ostia aliosque introitus omnes claudat & obstruat. Scito etiā quod quemadmodum homines proprijs manibus lumē Solis visibilis ab oculis suis quandoque prohibent & abscondūt: sic peccatores malis operibus suis, Solis inuisibilis radios, hoc est dona gratiarū & virtutum à cordibus suis declinant, & auertunt. Quod enim sunt manus interpositæ inter Solē & oculos ad obtenebrādos eos hæc, sunt opera mala inter solem intelligentiæ, atque iustitiæ & oculos cordis ad eos obstruendos.

Accende autem & alias similitudines, siue exempla, ut melius innotescat tibi erroneorū stultitia. Quia enim sensus humanus in huiusmodi rebus tanquam cæcus est: & omnino inscius, qui eo duce ambulare volunt in his, sibi cæcum ducem eligunt, & propter hoc non est mirum, si in præcipitia & profunda errorum corruunt. Similiter qui ipsum de his rebus cōsulunt, cum horum omnino inscius sit, suum in rebus periculosissimis habent consiliarium. Meritò igitur pernitiōse errant, & pericula errorum non effugiunt. Assimilatur etiam stultitia huiusmodi hominum vesperationibus, qui Solem videre contendunt, & ipsum totis viribus fugiunt, dum neque ortum eius expectant, neque ante occasum euigilant: sic & illi Solem intelligentiæ & iustitiæ Domini ex omni parte effugiunt orienturum, siquidem nec expectant, dum nec miraculis, nec sacrorum eloquiorum testimonijs, nec sacrorum Doctorum suasionibus, quibus omnibus velut quibusdam radijs illucescere possent, eisdem attendere nolunt: immò ab ipsis tanquam à vitijs fugiunt, sicut & omnes aues lucifugæ, quibus & ipsi congruentissima similitudine comparatur. Sol iste luminosissimus, à tempore infidelitatis eis occidit, & propter hoc frustra eum videre cōtendunt præter occasum suum: qui non est nisi casus eorum, donec eis oriatur, cuius tamen ortum, ut diximus, fugiunt.

Amplius, sicut cum terra vel nube vel Luna interposita, inter aspicientē & Solem non contingit aspiciētem ad solem videre, nisi interpositum: sic & omnes huiusmodi erronei, cum inter eos & veritatem salutarē interposita sint infidelitatis suæ mendacia, non est possibile eos videre nisi illa. Interpositis autē prohibentibus, non peruenit aspectus eorū ad ipsam veritatem; sicut dicit Salomon Proverb: 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde eius.* Et quoniam impossibile est ab intellectu materiali atque possibili aliquid videri seu cognosci, nisi irradiatione:

tione sua super illud, & apparitione formæ suæ in illo, quoniam ipse est velut speculum intelligibile ac noscibile formarum intelligibilium, hoc est, in quo resultat, & pingi quodammodo habent omnes formæ intelligibiles resultatione & pictura Soli conuenientibus; manifestum est consequenter, quia nec in quafato intellectu, nec in declinato, nec per interpositionem prohibito, quemadmodum nec in speculo, quod est dispositionum seu comparationum istarum: manifestum est tibi, quia in intellectu hæretico, cum loco terfionis & puritatis habeat crassitudinem & immunditiam, loco directæ oppositionis ad veritatem salutarem habeat declinationem ab ea & auersionem, loco liberæ viæ, seu transitus habeat interpositum, prohibens ab eo irradiationem ab ipsa veritate salutari: manifestum est tibi, inquam, quia impossibile in huiusmodi intellectu fieri descriptionem, seu apparitionem huiusmodi veritatis. Et quoniam non solum Sol in lumine suo, & ex lumine videtur, quod infundit hominibus videntibus, sed etiam omnis res alia, & quantum ad sensus exteriores, & quantum ad intellectum materialem: quanto fortius necesse est, vt Sol intelligentiæ atque iustitiæ non videatur, nisi in lumine, & ex lumine, quod ipse infundit videntibus, & hoc infusione gratuita, ac liberali, non irrationali, seu naturali, qualis est effusio luminis à Sole, & caloris ab igne, quorum potentiæ irrationales, atque seruales nominantur. Irrationales quidem, quia absque discretionem & distinctionem, æquè bonis & malis, & ad bona & ad mala operantur, æquè enim illuminat Sol, æquè fundit lumen suum rapientibus, & occidentibus, ceteraque mala perpetrantibus, vt piè agentibus. Seruales verò, quia nulla non operatur per modum seruiantis; cuius non est vel aliud, vel aliter facere quam acceperit in mandatis. non enim habet ignis in potestate, vt alicubi ab adustione caueat, vel vt nunquam aliquid magis aut minus calefaciat, sed totum facit ex necessitate, nihil autem ex propria libertate. Vtrumque autem ab altissimo Deo longè est in vltimo elongationis, & propter hoc omnia bona, quæ ex ipso nobis sunt, dona sunt largitatis ipsius, & beneficia pietatis. Hactenus Guilielmus Parisiensis.

CAPVT

CAPVT VII.

An oporteat cum Infidelibus Collationibus ac
Disputationibus publicis de rebus
fidei agere?

Res est non parui momenti, ac magna consideratione digna, An cum hæreticis & alijs infidelibus publicis Disputationibus agendum sit, vt eorum confutentur errores, fideique veritas ostendatur, vt sic ipsi conuicti, ad fidem vi rationum & argumentorum compellantur? Res est maximè anceps, & quæ pro vtraque parte non contemnendis nititur fundamentis. Inprimis rem hanc potius priuatis colloquijs, placida institutione, ac præcipuè oratione ad Deum cum morum puritate ac vitæ exemplo coniuncta perficiendam, res ipsæ in Ecclesia gestæ testantur: quibus compertum est eos, qui ab hæreticis ad Catholicam fidem ac Religionem aliquando conuertuntur, potius ex Spiritus sancti tacito instinctu, & mansueta Catholicorum institutione, quàm argutis disputationibus, excitari ac permoueri. Eius rei manifestum exemplum ostendit Deus, in magno Ecclesiæ doctore D. Augustino: qui de sua ex hæresi Manichæorum, ad fidem conuersione, inter alia scripsit, matrem suam Monicam nihil non consilij auxiliijque à Deo & hominibus passim & continuo multisque cum lachrymis flagitasse, vt ipse filius eius, Manichæorum hæresi adherescens, ad Ecclesiæ Catholicæ fidem Religionemque conuerteretur. Tandem quoque sollicitè vehementerque rogasse Episcopum, vt cum ipso filio suo dignaretur colloqui, eiusque errores refellere, & docere eum meliora. *Noluit autem Episcopus (verba sunt D. Augustini) prudenter sanè, quantum sensu postea. Respondit enim me ad huc esse indocilem, ed quod inflatus essem nouitate heresis illius, & nonnullis quasi unculis iam multos peritos agitasset, sicut illa (mater) indicauerat illi. Sed sine illum ibi, addebat Episcopus, & tantum roga pro eo Dominum: ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas. Simul etiam narrauit, se quoque paruulum, à matre sua seducta datum fuisse Manichæis, & omnes panè non legisse tantum, verum etiam scriptitasse libros eorum, sibiq; apparuisse, nullo contradisputante & conuincente, quàm esset illa secta fugienda, itaq; fugisse. Quæ cum ille dixisset, atque illa (mater) nollet acquiescere, sed instaret magis deprecando, & vberim flendo, vt me videret, & mecum dissereret: ille iam stomachans tadio, Vade, inquit, à me, ita viuas: fieri enim non potest, vt filius istarum lachrymarum pereat. Hæc ille.*

Nec minus in hanc rem facit conuersio cuiusdam gentis Philosophi, qui viâ cum alijs ad Nicænum Concilium accesserant, vt Christianorum Religioni illudeter. Nam cum is dicendi arrogantia se inuenerat ostendit, & Sacerdotes petulantius irrideret, gener quodam simplex Spiritum occupatus, ex illustrium Confessorum numero, superbiam eius non tulit. Qui tamen inopia subillians, & praesumptuarum pernicis capere erat, tamen cum eo disputare cepit. At cum hac res petulantibus, qui Confessorum hominem simplicem esse cognoscebant, nihil moueret quidem, & modestis iniiceret timorem, qui verebantur, ne cum viro dicendi peritico congressus haberetur pro ludibrio: tamen cum facultas (cum, olim talis & tam proeclata aetatis esset, pudor erat resistere) data esset, habere quæ vellent loquendi, in nomine Iesu Christi, inquit, Philosophus audito: Vnde est Deus cæli & terræ, & omnium rerum tam oculis subiectarum, quàm eorum aciem fugientium ostendit qui hæc omnia & virtute verbi fabricatus est, & sacro Spiritu sancti afflatu stabilium. Quare hæc verbum, quod nos filium Dei non occupamus, miserum inuenerat carnis, & belluarum viuendi rationis, ex Virgine nasci, cum hominibus viam vestiri, proque nihil mortem oppetere voluit. Et sique iterum venturum, de his rebus quas quisque gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagazione pro certo credimus. Noli ergo in hæc, quæ sicut dumtaxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis, laborem frustra consumere, quæ reque qui ista fieri, vel non fieri possint. Quod si credis, mihi quidem sciscitanti responde.

Quibus obstupescens Philosophus, Credo, inquit, & gratias illi agit, quod ipsum deuicifer, non solum eadem cum tunc ipse sentire, verum etiam consilium dare cepit illis, qui perinde erga eandem Christianam, atque ipse antea, affecterant, vt iam doctrinæ Christianæ assentirentur: atque insurandum adiecit, se non modò non sine munimine dimisso nuntiatum esse, sed etiam vi ac virtute quædam inexplicabili ad Christianam Religionem conuersum. Moxque sermone conuertens ad discipulos suos, vel ad eos qui audiendi gratia aduenerant: Audite, inquit, & eruditi viri: donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subuerti. Vbi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo aduersari potuit Deo. Et idè si quis vestri unum potuit in his quæ dicta sunt sentire, quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus.

Simile est huic quod Alexander Episcopus Constantinopolitanus, vir spectatæ virtutis & dignitatis, à Philosophis prouocatus, vni eorum, cū quo se disputaturum acceperat, dixit: In nomine Iesu Christi precipio tibi ne loquaris. Quod vt primū dixerat, homo è vestigio obstructo ore cōtincit.

Hæc

Hæc & alia olim sic gesta sunt: nec mirum. Nam cū fides in Deum & Christum Dominum nostrum, sit donum Dei, oportet primum Deum in homine infideli aut hæretico operari displicentiam erroris, & desiderium cognoscendæ veritatis, priusquam humana industria erudiendo, suadendoque aliquid efficiat. Vnde Apostolus Paulus Titum suum de hæreticorum conuersione docens, non meminit contentiosarum disputationum: sed ait, hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, cum sit proprio iudicio cōdemnatus.

Præterea non opus est ad horum confirmationem, vt exempla plura longè petantur, cū ferè omnia colloquia & disputationes publicæ, quæ nostra aetate habitæ sunt, absque vlla ferè eorum emendatione & conuersione, quin potius, cum inflato ipsi sint corde, victoriam iactitarunt: id enim hæreticorum superbiam dum taxat cum insigni arrogancia coniunctam redarguit, qua licet maxime victi, non solum victoriam victoribus non tribunt, sed eam quoque sibi arrogare non vereantur. Et quis audiuit vnquam in vlla disputatione aut colloquio, hæreticos, quam diu quidē tales esse non desierunt, ingenuè professos fuisse, se ab Orthodoxis esse cōuictos?

Disputauit cū Pharisæis & Sadducæis Christus, sed ab aduersarijs pro victoriæ laude calumnias & blasphemias reportauit. Ioan. 8. & alibi passim. Certauit cum Simone Mago Petrus, eumque non solum non validissimè conuicit, sed etiam contriuit, at victi tamen vocem victus Simon edidisse nullam legitur. Differuit de fidei mysterijs in Areopago Paulus, Acto. 17. Sed quis victoriam ei celsit, nisi qui in eius etiam sententiam, Acto. 17. deposita infidelitate, concessit Dionysius Areopagita cum paucis? Alij vero cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dicebant, audiemus te de hoc iterum. Disputauit quoque cum Pharisæis cæcus ille, iam non cæcus, sed corpore simul & animo à Christo illustratus, & sanè conuicit. Sed quam ab hostibus palmam reportauit? Tu in peccatis, inquit, natus es totus, & tu doces nos? Ioan. 9. Conuicti sunt vtique in quatuor vniversalibus ac celeberrimis Concilijs hæretici sufficienter: in Nicæno Arrius: in Constantinopolitano Macedonius: in Ephesino Nestorius: in Chalcedonensi Eutyches, cum suis quisque asseclis, sed victos se vsque adeò confessi non sunt, vt contra victores etiam insolentius insurgerent. Disputauit cum Donatistis Augustinus, alijs Catholicis Episcopis associatus, eosque ita conuicit, vt etiā cognitor seu arbiter ab Imperatore designatus, apertè contra Donatistas sententiam protulerit, vt videre est in Breuiculo Collationum cum Donatistis, quem de hoc ipso Colloquio conscripsit Augustinus: sed tantum aberat, vt Donatistæ se conuictos fateantur,

rentur, vt ipsum quoque cognitorem aperta calumnia impetere non sine veriti, quasi verò à Catholicorum parte corruptus, iniuste contra se pro Catholicis sententiam tulerit, vt videre est apud Augustinum ibid. & Epist. 152. Disputauit quoque idem Augustinus cum Felice Manichæo, sed nec iste Augustino prius palmam concessit, quàm à suo errore decessit, vt videre est in actis ab Augustino editis.

Disputauit quoque cum hæresiarcha Chonarum Theodorus Studites, vir sanctissimus & doctissimus: sed finita disputatione, quid de illo aduersarius? Ita putabam, inquit, hunc penitus nil scire: sed & elinguem eum reddidi; vt videre est ex Epistola, quam ipse Theodorus scripsit ad Naucrarium, relata ab Illustrissimo Cardinale Baronio tom. 9. Annalium Eccles.

Collocuti sunt anno 1465. Doctores Catholici (inprimis Decanus Capituli Pragensis) de controuersia illa vnius speciei, cū Rochizanno, & alijs Vicleffitis hæreticis, quos etiam de errore egregiè conuicerunt. Sed quid in fine Colloquij Rochizannus. Tunc Rochizannus locutus est sermonem longissimum, omnia priora replicans, gloriando se victorem esse iam altera vice, contra Ragusium, & iam contra Doctores, &c. vt videre est ex actis eius Colloquij.

Sed quid antiqua memoramus, cum eius rei luculētissima præsens ætas præbeat documenta? Disputauit anno 1519. Lipsiæ cū Luthero & Carolstadio, doctissimus Eckius. Disputauit quoque felicissimo euentu inuitus ille disputator Badæ apud Heluetios, anno 1526. cum Oecolampadio. Disputarunt anno 1546. Ratisbonæ Maluēda & Billikius Theologi Cæsarei, viri doctissimi, cū Bucero & Brentio: ibidemq; anno 1601. Iacobus Gretserus & Adamus Tannerus societ. Iesu Theologi celeberrimi, alijsq; cum Aegidio Hunnio, Iacobo Hailbronnero, ceterisq; Augustanæ confessionis Pseudo-Theologis sunt congressi. Disputauit anno 1589. cum Iacobo Andrea, & Iacobo Heerbrando, Ioannes Pistorius, vir doctissimus & disertissimus. Denique Illustrissimus Cardinalis Perronius, corā Hærico I V. Galliarum Rege, colloquium habuit cum Plesio Mornæo Caluiniano. Omnes isti, inquam, cum aduersarijs & hæreticis nostri temporis, nec nisi conuictis, aut egregiè confusis disputarunt: & quando tamen aduersarij vnquam se conuictos esse confessi sunt? quando victoriam impudenter sibi arrogare non sunt ausi? Cuius fortè causam eam possumus designare, quam Ambrosius lib. 5. in Lucam significauit, dicens: *Aduerte celeste consilium. Non sapientes aliquot, non diuites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit, ne traduxisset potentia, ne redemisset diuitijs, ne potentia nobilitatisq; auctoritate traxisset aliquos ad suam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non disputationis gratia prevaleret.* Hęc Ambrosius.

At q;

At si oculos conuertamus ad initia progressusq; Ecclesiæ nascentis, pro contraria sententia non deerūt grauissima testimonia: nam in primis D. Paulus disputauit in Synagoga publicè cum Iudæis, & in foro per omnes dies ad eos, qui aderant, Actorum 17. & 18. & 20. Idem quoque de B. Stephano, & Apolline ex eisdem Apostolorum actibus accepimus. Publicas etiam disputationes cum hæreticis vel gentilibus plurimos ex antiquis Patribus iniisse, passim eorum gesta & historiæ tradunt. AR. 17.
18.20.

Deinde B. Augustinus, vt Possidonius refert, cū quodā etiam Felice, de numero eorum, quos Electos dicunt idem Manichæi, quiq; Hipponem venerat, eundem seminaturus errorem publicè in Hipponensi Ecclesia Notarijs excipientibus disputauit, populo astante: Et post secundam vel tertiam collationem ille Manichæus, frustrata vanitate & errore illius sectæ, ad nostram conuersus est fides atque Ecclesiam, sicut eadem relecta docere poterit scriptura. Hactenus Possidonius. Imò ipse Augustinus sic ait contra Iul. Pelag. lib. 3. c. 1. *Donatistas ad collationem nobiscum venire per Imperialia iussa compulimus, in qua collatione victi sunt Donatistæ.* D. Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium, publicè in Concilio Ephesino disseruit, illumq; superauit. Gregorius Magnus cum Eutyche Constantinopolis congressus est, eumq; ab errore reuocauit.

Diuus Bernardus publico congressu coram Concilio Remensi disseruit cum Gilberto Porretano, qui de hæresi conuictus Ecclesiæ, decretis adheffit. Idem Bernardus prouocauit Petrum Abaylardum ad publicam disputationem, eumq; ad maximas angustias redegit. Ac denique anno Redemptoris nostri 645. habita est famosa illa ac celeberrima coram Episcopis Africanis inter Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum hæreticum, & Maximum Abbatem eundemq; Martyrem Orthodoxum, ex qua idem Pyrrhus Princeps Monothelitarum hæreticorum conuictus, erroris diu defensi penitens, recantās palinodiam, oblatōq; fidei Catholice libello Theodoro Romano Pontifici, receptus est vnā cum titulo Patriarchatus in Ecclesiam Catholicam. In hac igitur celeberrima disputatione post multiplices Pyrrhi (vt eleganter Cardinalis Baronius tom. 8. anno Domini 645. describit) obiectiones ingestas, & à Maximo quàm disertissimè confutatas, post nexus solutos, & defensiones ac responsiones singulas quoque conuictas, post denique inanes tergiuerfationes elusas, acuminatq; cauillationes retusas, cum deficerent verba, dare manus omni penitus destitutus defensione Pyrrhus compellitur, & credere cogitur veritati. Magnum sanè tunc (vt idem refert Baronius) vidit primum Africa, deinde Roma spectaculum: Africa quidem, dum quem paulò ante aspexerat magnis animis Patriarchali ostentatione insultantem Catholicæ fidei & veritati, pro heresi, ore rotundo in defensores fidei

V. 3.

Catholica

Catholica declamantem, in se ora omnium conuertentem, iamque post se tertiam orbis partem ducere captiuam tentantem, eundem viderit ab extorre monacho appetitum, vt nouum Goliath à puero Dauide, non in hasta vel ense, sed in nomine Domini pugnaturum conuentum, tanta corona Patrum, & magistratum & Africani populi circumdatum, post longam concertationem fateri se superatum, abijcere clypeum, dare manus, & pedes conijcere sponte in compedes illos optabiles sapientia, eiusque vinculis alligari, de quibus Ecclesiasticus: *Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subijce humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloria, (decor enim vita est in illa) & vincula illius alligatura salutaris.* Ita planè, cum & victo Pyrrho, omnes vt Vincenti fuerint adgratulati, eundemque laudibus, ac benedictionibus profecuti, quod reuera cedens veritati, perfidiam superasset, impietatem subegisset, contriuissetque Satanam pedibus suis, qui solus lugeat se esse victum, hæresi debellata, & eius defensorem in offensorem mutato. Hactenus Baronius, qui in fine octauæ tomi meritò hanc Maximi cum Pyrrho disputationem inseruit.

Ecc. 6.

Magna igitur opus est consideratione, ac, vt verius dicam, opus est diuinæ prudentiæ, discernere, quando cum infidelibus publicis colloquijs & collationibus congregandum sit, quando verò abstinendum: inspicendaque sunt personarum merita, studia, sapientia, ac præcipuè morum integritas, ac vitæ sanctitas, quibus viri sapientes diuina ope nixi, promerentur de inimicis palmam reportare.

DE

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCVRANDA.

LIBRI IIII. PARS II.

De Ministrorum progressu ac conuersatione cum
vitæ integritate coniuncta inter infideles, &
ratione agendi cum eis, vt ad fidem
alliciantur.



REGNUM Dei non esse in sermone, sed in virtute docuit Apostolus I. Cor. 4. non quia doctrina opus non sit ad fidei nostræ veritatum ostensionem: quo modo enim credent, vt ipse alibi scripsit sine prædicatione? sed vt ostendat pro infidelium conuersione prodesse plus vitam puram, quam orationem cultam. Mores enim corrupti doctrinam sanam euertunt & immanem reddunt. Sergius quidem Paulus Proconsul, prudentissimè credit, vt Act. 13. legimus, admirans super doctrina Domini, cum verbis vidit facta succedere. Nunc verò cum rarò fiant prodigia, quibus Euangelicæ voces confirmantur (neque verò illis opus est vt iam diximus) quid restat ad plenam Euangelij prædicationem, nisi integritas ac vitæ puritas? Hoc vnum à Ministris munus postulat Apostolicum, hoc præquirat animarum salus, hoc mysteria fidei nostræ credibilia certaque esse hominibus quantumuis barbaris facile demonstrantur. Quare qui ad exterarum nationum pro Christo legatione Apostolica functuri sunt, ea vitæ sanctitate niteant opus est, quæ, (ipsis quoque silentibus) Religionis Christianæ puritatem representent. Nihil enim ad errores & vitia conuellenda efficacius est, quam vitæ inculpatæ sanctitas, quæ genere suo cum diuina sit, omnem intellectum sua luce perstringit, omnia colla, quantumuis erecta domat. Eloquentia omnis euanescit, miracula profunt, sed non adeò prævalent, quod arte dæmonum similia quædam effingi queant. Sola verò sanctitas nequit fati simulari, quod ipsa simulatio veræ sanctitati non tam similis, quam contraria sit. Vera sanctitas illustratissimam totius orbis partem

tem flexit, & potentissimos Reges Christianæ mansuetudinis vim admiratos in sua castra perduxit. Quapropter Euangelici ministri hanc præalij munimentis armaturam exquirant, quæ quamuis vniuersarum virtutum complexione constet, ad opus tamen Missionum selectas quasdam pro rei magnitudine requirit. Igitur cum vitæ innocentia & splendor firmisimum sit fidei testimonium, ac efficacissimum medium ad infideles omnes iuuandos, restat vt in hac secunda huius libri Parte de vitæ ac morum integritate in ministro Euangelico agenti inter infideles prærequisita dicamus, & quam huic instituto necessaria sit demonstremus. Vitæ verò ac morum integritatem appello iustitiam Christianam, quæ omnium virtutum officijs constat. Potissimum verò de illis virtutibus dicemus, quæ magis conferunt, vt quis idoneus sancti Euangelij Minister euadat. Efflagitat enim Apostolicum munus in Euangelij Ministris admirabilem vitæ puritatem ac sanctimoniam, nempe vt caritate ardentibus, benefici, ac misericordes, prudentes in rebus agendis, continentes, paupertatem amantes, benigni ac mansueti, ac inter omnia patientes, & longanimi: aliter verò nec hominibus neque Deo, neque sibi ipsis satisficient; cum animarum conuersio ad Deum, earumque omnis profectus atque incrementum ab ipso etiam proueniat, sic enim scriptum est: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Quid ergò faciunt homines in aliorum hominum conuersione? hoc vnum quod à Deo tanquam instrumenta libera adhibentur: sicut calamus solet ad scribendum, ferra ad secandum. Quare sicut instrumentum, si se ipsum mouere velit, nihil efficiet; si verò cum artifice coniunctum ab eo moueatur, omnia efficiet: sic homo in his diuinis & supernaturalibus operibus tantum præstabit, quantum cum Deo oratione continua, integritate vitæ, strictissimoque caritatis vinculo fuerit coniunctus, ab ipsoque motus. Hanc verò vitæ integritatem, ac prærequisita alia in Ministris Euangelicis, vt muneris suo satisfaciant, ad quatuor capita reducimus, nempe ad orationis præsidium, ad vitæ integritatem, ad morum exemplum, ac denique ad doctrinam & scientiam.

CAPVT

CAPVT I.

De oratione continua & fiducia in Deum.

Quamuis in omni negotio aggrediendo orationis præsidium primū præcipuumque sit: tamen vbi de conuersione animarum agitur, multò magis: tum, quia cum fides donum sit Dei, & corda hominum in manu Domini sint posita, nulliusque industriæ diligentiaque nostræ sit vocatio gentium ad Euangelium, sed solius miserentis & præuenientis Dei; ad orationes & preces assiduas atque feruentes studium omne Ministrorum conuerti debet, spem omnem & fiduciam in cælesti gratia collocantium, & diuinæ misericordiæ fores diutissimè pulsantium: tum quia non de quavis conuersione res est, sed de prima, de maxima, de difficillima, quando vocatur infidelis ad fidem, quando non affectum solū, sed ipsum quoque sensum iubetur exuere, & sese penitus abnegare, vt in obsequium Christi captiuo intellecto eat. Tā est profectò orationis singulare præsidium, vt qui cetera omnia adhibeat, hanc si omittat, nihil acturus sit, in hasta & clypeo veniens, non in Domino fiduciam habes: *Neque enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, Domine, & illuminatio vultus tui, qua complacuisti in eis,* ait Propheeta. Quare in hac re nihil oratione magis necessarium, nihil omnino potentius. Hæc enim vna impetrat gratiam, donaque omnia, si cum fiducia in Deum coniuncta sit. Apostoli, cum de totius orbis conuersione curarent, reiectis ceteris beneficentiæ officijs, *Nos (inquiunt) orationi & ministerio verbi instantes erimus:* ad eò inter se duo illa coherere intelligebant. Nunquam Petrus & Ioannes, nunquam Paulus ante preces ad Deum fufas, de Christo ad populum verba fecerunt. Et rectè Dionysius de Diuinis nominibus c. 3. monet ante omnem actum, Theologiæ præsertim, orationem præire oportere. Ipse mediator Dei & hominum Christus Iesus non ante ad prædicandum Apostolos mittit, quam in oratione peruigil pernoctarit. Neque enim tam sermoneis & diligentia suæ fructum quam orationum expectare debet fidelis Dei minister.

Longè plus sine vlla dubitatione Paulus orationibus egit, quàm concionibus, plus lacrymis & gemitibus, quàm exhortationibus. Similiter Petrus & Ioannes, ceterique militiæ Christianæ duces. Orationi Stephanus Saulum donatum vult Martyr Cyprianus Sermone de bono patientis. Sicut Monicæ matris lacrymis regenerationem suam magis acceptam fert Augustinus lib. Confession. quam Ambrosij concionibus. Ac denique

vir Apostolicus Franciscus Xaverius millia hominum Christo peperisse legitur, non tam humana facundia, quam feruentissimis precibus, lacrymis, gemitibus, & suspirijs, quibus per integras noctes peruigil multo fortius Deum pulsabat. Acque in nouo orbe inuenti sunt ministri, qui simplici quidem sermone, & imperito, spiritu tamen Dei feruentes, plus in conuersione barbarorum effecerint, quam multi praclari magistri. Sed quia immensum esset exempla narrare; vnus Paulus Apostolus pro omnibus esse potest, cuius in orando pro verbi Dei efficacia incredibile studium nullus hominum fide dignum putaret, nisi id aperte ex eius constaret Epistolis: nam ad Rom. I. testem sibi Deum aduocat, quod sine intermissione semper in orationibus suis memoriam eorum faceret. Pro Corinthijs, pro Ephesijs, pro Philippenfibus, Colossensibus, & Thessalonicens. idem etiam demonstrat studium, ita vt omni stupore dignum sit, fidemque omnem propemodum superans, tot Ecclesiarum, tot domorum, tot hominum memoriam perpetuo in vno Paulo hærere, quos semper, quos sine intermissione, quos in cunctis orationibus etiam iurisiurandi religione interposita, sibi scribit esse presentes.

Ac denique, vt ab Apostolorum exemplis non discedam, quis neget, quod etsi Dei gratia factum fuerit, vt ad prædicationem Petri tot millia Iudæorum penitentiam egerint, & in Christum crediderint, & Pauli exhortatione tot millia gentium, idolorum vanitate reiecta, Deum verum coluerint? Id tamen misericordia diuina præueniente, precibus ipsorum Apostolorum, & monitis tribui debet. Videtur enim quodammodo Deus vim pati, & ad benefaciendum sollicitari, pulsari sapè, precesque & sacrificia sibi offerri: & vt minorum misereatur, in quibus non suppetunt merita maiorum, nempe sacerdotum & ministrorum studio prouocari. Neque suis tantum sacrificijs & precibus, quamuis assiduis, quamuis feruentibus contentus esse debet fidelis Dei minister, sed aliorum etiam Christi feruorum auxilia studiosissimè efflagitare, vt ex multarum personarum facierum gratia agantur pro eo, & consensus fratrum super omni re quam petierint in nomine Christi obtineat apud Patrem misericordiarum. Paulus tantorum apud Deum meritorum vir per omnes Epistolas pro se orari obnixè contendit, vt sermo Dei currat, & clarificetur, vt liberetur ab importunis & malis hominibus, vt detur ipsi fiducia in apertione oris sui, vt loquatur Dei verbum, ita vt oportet eum loqui. Atque hæc & alia huius generis cogitans Christi seruus, maximam atque optimam ministerij sui spem, in efficacibus & frequentibus, & suis & suorum orationibus collocabit. Nam, vt optime Augustin. Epist. 97. plus nos proficere alternis & comunibus orationibus, quam singularibus & priuatis credendum est.

His

His igitur duabus functionibus, oratione ad Deum, & oratione ad homines, Apostolica cura definita est, quas si quis seiungat tam fieri nequit, vt optatam fratrum salutem acquirat, quam si longum pelagus enauigare contendens, vel nulla vela suspendat, vel plenis velis nauem statione non soluat. Qui velit igitur in infidelium conuersione fructuosè operari, orandi studium nunquam sibi prætermittendum persuadeat, se ipsum verò iuge sacrificium offerens, lacrymis, ieiunijs, vigilijsque crebris, atque omni corporis maceratione Deum sibi propitium reddat; vt Euangelium crescat, atque fructificet in vniuerso mundo.

Opinor sanè in illo genere dæmoniorum multa versari inter infideles, quæ non nisi ieiunijs & orationibus eiciantur. Inter omnia verò venerabilis illa Agni immaculati victima principem locum obtinet, quam Patri quotidie immolet toto cordis affectu, plenaque fiducia, fidentissimè postulans, vt eos, ad quos legatione fungitur, filij sui cohæredes & concorporales esse dignetur, pro quibus ille sanguis effusus est: fieri non potest, vt tali oblatione tam benè munitæ preces, ab eo, qui diues est in misericordia, & propter nimiam charitatem suam, cum & ipsi essemus mortui conuiuificauit nos Christo, repulsam ferant.

CAPVT II.

De Charitate feruenti erga infidelium conuersionem.

NON vulgaris diuinæ charitatis modus, sed charitas ultra modum exquiritur, vt qui de missionibus cogitant, animis Apostolicis mundum amplectantur vniuersum, more illius, qui cum abesset, aiebat: Os nostrum patet ad vos, O Corinthij, cor nostrum dilatatum est: Nulla enim totius orbis gens, quantumuis fera esse debet, cui non & ora, & corda virorum Apostolicorum Charitatis igne patefacta & velut eliquata dehiscant.

Et quidem cum in eo charitatis lex posita sit, vt æternæ felicitatis consortium ijs, qui eius participes fieri possunt, efficaciter optemus: salus vniuersorum hominum impensissimè à Christi ministris cupienda, & votis ardentissimis efflagitanda est. Qua de re, qui mittendi sunt, sæpissimè, ac ferè admodum cogitare, & se ad opus tam gloriosum frequentissimis actibus excitare, studiorumque laborem eò dirigere debent.

Cum verò ad charitatis mensuram de proximorum interitu mœror & dolor acrescant, funestissimum tot hominū interitum lacrymis prosequantur; & ad maturandam eorum, qui nondum interiere, salutem celer-

rimis desiderijs, & penis vltro susceptis indefesse contendant.

Ex diuinæ charitatis visceribus zelus erumpit: quo Fratres mittendi ad eò flagrare debent, vt ægrè ferat Iesu Christi dulcissimi Dei, ac Redemptoris nostri tot hostes esse, qui cum intemerata eius sponsa, Romana scilicet Ecclesia, bellum perenne gerant. Dolendum est quippe in vniuerso terrarum orbe præter Italiam, & Hispaniam vix vnã vel alteram urbem in vastissimis regionibus diuino munere à communi ethnicismi, hæresis, au schismatis diluuiò præseruatam reperiri. Dolendum præterea in paucissimis ijs regnis, quæ vniuersalis eluuiò non obruit, veros Dei amicos, velut sidera quædam, rarò admodum intermicare: communis enim Christianorum viuendi ratio sic sceleribus deformata est, vt modicam sempiternæ salutis spem generet. Tã lata est via, quæ ducit ad interitum.

Cum ergò veris Dei amicis exploratũ sit, à quot & quàm seuis hostibus pusillus Christi grex obsideatur, ardentissimè optare debent eos hostes non ferro, sed ligno, hac mitissima crucis disciplina, subiugare, & Ecclesiæ fœderatos efficere. Frequens autem rei tantæ meditatio zelum procul dubio excitabit, & tantæ calamitatis, quæ orbem peruasit, sensum auget. Huius ardentis animarum zeli exemplar clarissimum extitit Paulus Apostolus, de quo sic scribit Chrysoströmus. 2. Cor. II. *Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? non dixit, & ego non molestia afficior: sed ego non vror, vrendi verbo, ostendere volens summum dolorem. Et rursus scribens in alia Epistola dicit: Sine nobis regnauiſtis, & vti nam regnauiſsetis. Et rursus: Nunc viuimus si vos statis in Domino; vnde quanto opere studebat vt res fratrum se rectè haberent, qui nec viuere quidem se existimabat, si illi non essent salui. Homo qui fuerat raptus ad tertium cælum & delatus in paradysum, & qui fuit particeps mysteriorum ineffabilium, & tantam apud Deum affecutus erat fiduciam, illorum bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse saluos. Sciebat enim aperitè charitate nihil esse maius, neque quod sit cum ea conferendum, nec ipsum quidem martyrium, quod est summa bonorum. Nam charitas quidem absque martyrio facit Christi discipulos, martyrium autem sine charitate non potest hoc facere.* Hæc S. Chrysoström. qui pluribus locis, cum de S. Pauli charitate aduersus proximos loquitur, ita efferueſcit spiritu, ad eò alta admiratione tantæ charitatis suspenditur, & abripitur animo, vt vix se ipsum capiat: præsertim cum illud explicat. *Optabam anathema fieri, à Christo, (hoc est, inquit, carere aeterna remuneratione, & Christi præſenti conspectu) pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlita:.* Sic exponit in

2. Cor. 11.

Rom. 9.

Commentarijs Epistola ad Romanos: *Optabat in gehennam mitti, & iudicium subire perpetuum, pro eorum salute, à quibus fuit sæpè lapidatus, qui eum interficere contenderant, vt hi tantarum ei auctores afflictionum, per fidem corpori Christi iungerentur. Quis ita dilexit Christum? si tamen hoc dilectione & non amore ma-*

ius est aliquid nuncupandum. Que tamen omnia anathemata optabat Apostolus, modo nulla sua culpa contingerent.

Ad hanc igitur ardentem proximorum charitatem in ministris sancti Euangelij primò maximè spectat, vt eorum animus paratus ac promptus sit, pro animarum salute quælibet aduersa perferendi, exemplo Christi Domini, & plurimorum aliorum Christi militum charitate feruentium, de quibus fusè primo lib. disseruimus.

Secundò huius proximorum charitatis proprium est, progredi in eorum amore, quamuis ipsi non vicem ferant, minusque officio nostro proficiant ij, quos in Domino diligimus, & quorum causa laboramus: exemplo Apostoli, qui sic scribit 2. Cor. 12. *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris licet plus vos diligens minus diligar. Considera,* ait Chrysoſt. *quot gradus commemorat: licebat accipere, ipse autem non accipiebat; ecce primum opus bonum: & quamuis inopia premeretur, ecce secundum: Et illis prædicans; en tertium: Et impendit; ecce quartum: & non simpliciter adiecit, sed cum incremento; ecce quintum: & non solum pecuniam, sed & seipsum; en sextum: & his qui non valde diligebant; ecce septimum: & his qui valde diligebantur, ecce octauum. Hoc sane & nos imitemur.* Hæc S. Pater.

Tertiò ardentis charitatis circa proximos, est eorum commiseratio calamitatis, perinde ac nostri, vt manifestè testimonio illo Pauli supra adducto demonstratur: *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Ac denique omnes iniurias criminaque alterius nobis illata, ex animo condonare, idque non semel aut iterum, sed quotiescunque ille peccauerit in nos.

Hæc sunt perfectæ charitatis proximorum indicia, quibus præditi esse debent Euangelizantes Christum Dominum, in quo hæc & plurima alia multò maiora charitatis signa præclara inuenta sunt: zelo animarum ita exarsit, vt coarctaretur, vt ipse ait, donec baptismo sanguinis sui pro eorum salute ablutus, se ipsum patri hostiam viuentem immolaret. Passionem & mortem probriſsimam obiuit, spontè libensque & gaudens sustinuit, quod optauit ardentem, vt opprobria exprobrantium Deo in ipsum reciderent omnia, fieretque vnus pro omnium gloria; opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quàm verò constanter in amore ingratiſsimæ & pessimæ gentis perseuerauerit, quàm ardentem nec amatus, & capitalissimo odio habitus ab inimicis ciuibus, & popularibus suis, inimicos ipse dilexerit, quàm facilis ad ignoscendum suismet hostibus, & interfectoris immaniſsimis, efferatiſsimis, fuerit in ipso feruore tanti sceleris mortis suæ, locupletissimè testatur vel vna eius oratio: *Pater dimitte illis quia nesciunt quid faciunt.*

CAPVT III.

De beneficentia erga infideles exercenda.

Nihil æquè iuuat ad barbarorum fidem beneuolentiãque conciliãdã, quã erga ipsos beneficentia, quæ à charitate ortũ habet: dici enim non potest, quã sit ad persuadendum efficax charitas, & viscera digna Apostolo, iuncta simul cum beneficentia: beneficentiam enim appello, qua fratrum salutem fortunisque consulimus. Hanc in omni rectore aduersus subditos magnopere necessariam esse eleganter Gregorius ostendit: *Egentis (inquit) mentem doctrinã sermo non penetrat, si hunc apud eum animum manus misericordia non commendat. Tunc autem uerbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas praticantis rigat. Nam quasi iure, ut diximus, à percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidij à Pastore negligatur. Quare si lucra animarum sitimus, compendiaria uia beneficentia est: ea enim facillè animos expugnat ac deuincit, quicquid uult copiose perorat, atque persuadet. Nã ideò Christi Apostolorumque signatam ad fidem astruendam fuisse potentia, quod omnia penè hominum utilitati impenderentur. Inde facillè ac libenter conciliati animi hominum salutis consilia ab optimè de se meritis hauriebant: mortuos, inquit, suscitare, leprosos mundare, infirmos curare, dæmones eijcere, & ad cumulum omnium quod gratis accipistis, gratis date. Hoc extremum si sinceritate Euangelio digna in Dei præconibus gentes cernerent, quamuis barbaræ, quamuis feræ, breui profectò mansuescerent, omnique illa feritate deposita, lenissimo Christi iugo uicta colla submitterent. Et canes, & pisces, & ipsi immanes leones beneficia sentiunt, & ea gratitudinis suæ argumenta historicis conscribenda dederunt, quæ homines nisi flectant, saxeos planè monstrant. Habemus etiam in hoc exemplũ, quod Apostolus Paulus in procurandis proximorum subsidij etiam terrenis edidit: *In carnalibus, ait S. Chryost. Hom. 3. de laudibus Pauli, non in spiritualibus solum plurimã sollicitudinis ac prouidentie suæ documenta præstabat. Audi quomodo pro una muliere ad uniuersum scribat populum: Commendo autem uobis Phæben sororem meam, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchrus, ut eam suscipiatis in Domino dignam sanctis, & assistat is ei, in negotio quocunque uestri indigerit. Et iterum: Notis ait domum Stephanæ, ut & uos subditi sitis huiusmodi. Et rursus. Cognoscite, quæ huiusmodi sunt. Post confirmans idem exemplo Elisæi Prophetæ, addit: nec de piatico illorum quos euocabat curam gerere dedignatus est. Tito scribès ait: Zenam legisperitam, & Apollo sollicitè præmitte, ut nil illis desit, &c.**

Qui

Qui autem pro uno serualo fugituo Onesimo, & qui ex rebus Domini multa subtraxerat, integram omniq; affectu epistolam plenam ad Philem. sine cunctatione composuit, qualis circa alios fuerit perpende. Vnum enim ille pudore dignum putauit, aliquid scilicet pro cuiuslibet salute negligere. Propter hoc agebat omnia, nec omnino quicquam pro his, qui saluandi erant, cunctabat ut impendere, non uerba, non pecunias, non corpus ipsum. Quoniam, inquit, libenter impèdam, & superimpèdam ipse pro animabus uestris. Hæc enim expeditissima ad conciliandos Euãgelio homines uia est. Sentiant Infideles, sentiant Cathecumeni, sentiant Neophyti, patrè & aduocatum. Pro ijs sepè interpellat apud Ducem & Magistratum, hos à militum iniurijs tueatur, horum egestati consulat, uel propria mendicitate. Si quid acerbius designandum erit in aliquem, huius ipse aduocatus non sit. Thesaurizet potius filijs parens, ac non solum sua, sed & se libenter impendat, & superimpendat pro animabus eorum, licet plus diligens minus ipse diligatur, neque datum requirat, sed fructum.

Præterea in Christianis non solum barbarissimæ nationis, sed & Iaponeses, & Chineses nihil ita suspiciunt atque admirantur, quàm beneficentiam, & liberalitatem: præsertim cum eam ad se redundare perspexerint: quia inter illos, maximè uerò inter Indos, stipem uilem, aut pusillum frumenti, qui ultro alteri præbeat uix inuenitur: sunt enim in ægrotos parum misericordes, in senes, & egentes inliberales, in oppressos laboribus & ærumnis, inhumani. In contrarijs igitur ministerijs resplendat Christiana charitas, quæ in beneficentia sita est: quæ excolenda & uerbis & factis à ministro Christi. Quare eius studium in conuersione infidelium inter alia sit, operari bonum ad omnes, neque pigeat Euangelij ministrum ægrotos uisitare, xenio aliquo recreare, famelicum cibario saltem pane pascere, nudum operire, pauperem, cui non est adiutor, à diuitum calumnijs & potentia eripere, pro afflictis Principem Magistratumue conuenire, cælibes matrimonio honestè quæsito collocare, rem familiarem consilio augere, morientibus sedulo & benignè astare, sepulturam curare, eos qui quærentur ad mortem eripere, lites & dissidia componere: omni denique officij genere cumulatae profectò sequi: siquidem certissimè sciat Christo Christianæque Religionis honorem maximum ad spirituales fratrum salutem uiam apertam, sibi præmium copiosum parari: si uerum illud est quod ueritas ipsa dixit Matth. 25. *Quod minimis istis fecistis, mihi fecistis.*

Matth. 25.

CAPVT

CAPVT IV.

Oportere Ministros ante omnia sibi ipsis attendere.

Primum, & ante omnia præ oculis habendum est, ne zelus alios promouendi, siue ad fidem conuertendi, ad eum feruens & ardens sit, vt sui iura à Ministris neglecta alijs existiment se commodè posse consulere: nã & charitas, quæ tanta ac tam præclara virtus est, ordinata esse debet, idque ad eum necessarium esse, vt si ordinata non sit, nec charitas quidem sit, sed aliquis alius effectus charitatem simulans. Ordo autem præcipuus hic est, vt in ijs quæ spiritualia sunt, & quæ ad gratiam Dei, nostramque salutem attinent, prius quisque se ipsum, suamque vtilitatem ac profectum amet & curet, quam proximi vilius. Idque ita præcipit Deus: quod tum Theologi omnes vno consensu docent, tum Beatus Thomas 2. 2. q. 24. hoc etiam argumento solido ac graui confirmat: quoniam, inquit, charitas fundatur in communicatione bonorum spiritualium: atqui post Deum, qui est fundamentum, quisque sibi primus est, qui particeps sit huius boni, proximos autem diligimus, vt socios in tali participatione. Quamobrem sicut vnitas potior est, quam vnio; ita quod homo tali bono fruatur, potior est ratio diligendi, quam quod alius ei socius sit in fruendo. Quo quidemposito, illud etiam verè ac necessariò concluditur, non posse charitatis habitum inclinare, vt pro alijs quicumque sint, etiam ad omne hominum genus saluandum, non dico vel minimum committatur peccatum, sed ne ipsius quidem charitatis vllum detrimentum admittatur, non magis quam ex glacie ignis existat: atque, hoc etiam à Theologis penè omnibus traditur, Habemus etiam de hoc manifestam Saluatoris sententiam Matt. 16. *Quid prodest, inquit, homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Quam sententiam ne quis de lucto temporali intelligendam putet, certè eam S. Bernardus ad huc ipsum spirituales proximorum profectum disertè applicat, 10. de Consideratione: *Si totus* (inquit) *vis esse omnium, inistat illius, qui omnia omnibus factus est, laudo humanitatem; sed si plena sit. Quomodo autem plena te excluso? Et tu homo es, ergo vt integra & plena sit humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit; alioquin quid tibi prodest, iuxta verbum Domini, Si vniuersos lucretis, te vnum perdas? Quare cum omnes te habeant, esto etiã tu ex habentibus vnus. Quid solus fraudaris munere tui? vsquequo vadens spiritus & non rediens? vsquequo non recipis te, & ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus, & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, vir & femina, senex & iuuenis, Clericus & laicus, iustus & impius, omnes pariter*

Matt. 16.

riter participant te: omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu seorsim sitiens stabis? si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? Hæc Bernardus. Eademque ferè reperit lib. 20. In acquisitione, inquit, salutis, nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Quæ autem stultitia est, cum nostro dispendio, aliorum lucris seruire velle? Quare illud potius audiendum & semper ob oculos habendum est spiritus sancti consilium: quo hoc ipsum ita monemur Eccl. 29. Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas, id est, ne cadas ipse; qui namque lapsus sit primum, ipse male habet, deinde ne alios quidem iacentes subleuare potest. Meminisse etiam oportet virginum illarum, quarum ideo ipsius ore Domini laudata est prudentia: quia dum ab alijs virginibus rogarentur, vt de oleo, quod habebant, ipsis impertirentur, responderunt: Ne forte nobis & vobis non sufficiat, ite potius ad vendentes, & emite vobis. sic enim dictum hoc huic ipsi rei, de qua agimus, scitè applicat S. Bernardus in Canticis, ac tum alia multa addit in hanc sententiam Serm. 18. Si sapias, inquit, sacerdos concham te exhibeas, & non canalem: hæc enim penè simul, & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur, expectat, & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contempnibile ducas, audi sapienter me. Stultus, ait Salomon, profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum. Verum canales multos habemus hodie in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ caritatis sunt, per quos nobis ecclesia fluens emanat, vt ante effundere, quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere, quod ipsi non didicerunt, & alijs præesse gestientes, qui se ipsos regere nesciunt.

Eccl. 29.

Matt. 25.

Præter Bernardum verò id docuerunt rectè alij Patres. Greg. Nazianzen. in Apologetico: *Presbyteri officium celestem quandam vitam requirit, primo purgari, deinde purgare; sapientia instrui, & sic alios sapientes reddere; lumen fieri & alios illustrare; accedere ad Deum, & alios adducere; sanctificari, & alijs sanctitatem asferre.* Hoc verò ita certum est, vt ne pluribus quidem confirmari opus sit: tum quia animarum conuersio, eorumque omnis profectus, & incrementum, etsi à Deo tota sit, maximè tamen pender à Ministrorum probitate, vitæque integritate: qua neglecta, necesse est, vt cetera etiam corruant. Tum etiam, quia versantibus inter gètes humana ad virtutem adiumenta sunt rarissima, impedimenta autem & occasiones libidinis, avaritiæque incentiua complurima. Quare oportet eos salutis suæ miuimè esse negligentes, & quotidie spiritum interioremque hominem renouantes, radices altas in virtutibus mittere, vt ingruentium ventorum tempestatu viriliter resistant, memores semper magni Apostoli Pauli, qui cum talis tantusque esset assidue castigabat, tamè & in firmitatem redigebat corpus suum, ne cum alijs prædicasset, ipse reprobos efficeretur. Quam curâ necesse est vt vnusquisque sui ipsius diligentem gerat: ad quam non modicum iuuabit, si orationis mentalis quotidiana exercitia non prætermittat: si conscientiam

tia puritati studeat, cui examen quotidianum valde necessarium, & præsentaneum adiumentum est, simul cum passionum mortificatione, sui ipsius abnegatione, ac rerum humanarum contemptu, Christi virtutum accurata imitatione, feruenti salutis animarum zelo, ac in primis ardenti in Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum amore, eiusque vnius gloriæ purgatissima intentione.

CAPVT V.

De prudentia Ministris sancti Euangelij in
iuuandis infidelibus, & conuersatione
cum illis necessaria.

PRudentia, quam alio nomine sancti Patres discretionem siue virtutum omnium lucernam appellant, rebus agendis modum & formam præscribit, vt recto tramite in suum finem perueniant. Hæc autem virtus præter charitatem, quæ mater est omnium virtutum, in viro Euangelico maxime desideratur. Quare Dominus illa duo in Euangelio copulauit, *fidelis seruus & prudens*, vt rem laudabilem, (vt inquit auctor operis imperfecti Homil. 51.) sed rarissimam proponere, vt quis fidelis inueniatur & prudens, Et infra: quanto ergo rarior inuenitur fidelis & prudens, tanto qui inuentus fuerit beator est.

Ad hanc igitur virtutem in conuersione infidelium exercendam, primum spectat, vt operarij prudentes se gerant in ratione agendi, & conuersandi cum infidelibus: curentque ante omnia scire, quomodo eorum ingenia sint tractanda, secundum vniuscuiusque gentis naturam & mores, vt ad fidei veritatem alluciantur: similiter quomodo vniuscuiusque nationis amorem ac beneuolentiam sibi possit conciliare: quæ vt commodius assequatur, proderunt sequentia.

Primum maxime studeat operarius, vt à Christiana Religione alieni ad eam blandimentis adducantur. Sic docuit magnus Gregorius in Registro lib. 11. in distinct. 6. c. 15. *Qui sincera intentione, ait, extraneos à Christiana Religione ad fidem cupiunt rectam ducere; blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quos reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduersitas.* Ac deinde secundum sacrorum Canonum sanctiones consultius agitur, si pagani ad veritatis cognitionem, & diuinum amorem pijs monitis informando, & prædicando, quam violentiam inferendo à fidelibus inducantur. Et quemadmodum nihil ita fidei susceptioni aduersatur, atque vis

omnis & violentia, (non enim est fides nisi volentium, cum scriptum sit Psal. 3. *Voluntarie sacrificabo tibi*) ita nihil æquè commendatur in Euangelicis viris, ac mansuetudo & suauitas: *Omnem*, inquit Apostolus ad Tit. 3. *ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* Quare cum voluntarium ac liberum sit vnicuique obedire Euangelio credendo, suauiter ac beneuolè ducendus est, non perurgendus auditor. Vnde Dominus Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum*; factumque est Domini virtute ac magnificentia, vt ab agnis lupi superarentur. Quando enim orbis vi Euangelio cederet, tacendo, tollerando, benè merendo, de inimicis triumpharent Christi milites non terrendo, non minitendo. Quod si non receperint Euangelium, iubebunt ne ignem de cælo descendere? *Nescitis*, inquit Dominus Luc. 9. *cuius Spiritus estis? Filius hominis non venit perdere, sed saluare: quod si non receperint vos in ista ciuitate, ite in aliam.* Ecce quam benignè, quam dulciter monet Dominus Euangelium esse seminandum. Nam vt rectè Gregorius in Pastoralibus, *Plerumque agros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua reuocauit: & nonnulla vulnera que curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur: & durus Adamas incisionem ferri minimè recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.*

Neque hic sistit mansuetudo ab operario Christi in infidelium salute exercenda, quin æmula charitatis, cuius filia est, iniuriam ab eis acceptam amore beneficijque compensat: & si aliter non potest, saltem commiseratione, oratione & lacrymis. Sic Moyses, qui vel post mille iniurias, pro populo deprecabatur: sic Paulus, qui cum multis à Iudæis quotidie afflictionibus premeretur, anathema tamen pro ipsorum conuersione esse cupiebat: ac denique Stephanus cum lapidaretur, vt hoc peccatum lapidantibus remitteretur orabat. Hæc igitur animi mansuetudo, morum suauitas, ac beneuolentia infidelibus simul cum beneficentiæ opere exhibita plurimum valet, ad eorum animos conciliandos, allucinandosque ad fidem catholicam amplectendam, præcipuè si exemplo vitæ, ac morum sanctitate confirmantur: vulgatum enim est illud: si vis amari amari, & amoris amor merces. Oportet enim vt omnes veræ charitatis significationes infidelibus ostendantur. Sed & præmijs, & honoribus, ac aliarum rerum temporalium promissionibus, nec non imminutione tributi, onerum ciuiliū, & publicorum immunitate, & exemptione, pensionum & prouisionum promissione, (vt plenius infra disputabimus) ad fidem Christianam inuicari possunt: exemplo sancti Gregorij l. 4. Registr. qui mandauit Cypriano Rectori patrimonij Siciliæ, vt mitteret epistolas ad Iudæos, qui erant in possessionibus dicti patrimonij, quibus promitteret quod quicumque ex ipsis ad verum Dominum Deum nostrum Iesum Christum conuersus fuisset, onus possessionis eius aliqua ex parte imminueretur:

quod ita quoque inquit fieri volo, ut si quis ex eis conuersus fuerit, si solidi pensionem habet. Et raxat portionem minutionis oneris.

Præterea magnæ prudentiæ est, in animarum conuersione tractanda accommodare naturam, & captui eorum quos conuertere nitantur: illiſque in omnibus quæ essentialiter non repugnant æternæ salutis, in principio secundare, ne propter accidētale aliquod, amittant essentialia: qui enim vehementer emungit, elicit sanguinem. Hoc pacto illorum captabunt beneuolentiam & amorem: quo obtento, omnia facili negotio subsequerentur. Cum enim amor vincat omnia, & Christi iugum suaue sit, & amoris plenum, nihil magis necessarium est in conuersione cuiusque, siue peccatoris ad Deum, siue hæretici ad sanctam Ecclesiam, siue Infidelis ad fidem, quàm amor erga Magistrum & Patrem spiritualem. *Fili præbe mihi cor tuum*, hoc est, amorē quo omnia ad me trahā: quicquid enim à te uoluerō, hoc solo obtinebo. Et sic præponens Iesus Christus Redemptor noster D. Petrum suæ sanctæ Ecclesiæ, nihil aliud ab eo petit, nisi solum amorem, & hunc triplici interrogatione (ut ostenderet maximam ipsius necessitatē) *Simon Ioannis diligis me?* qui enim amat, amabitur, quasi diceret: si me amas Petre, & proximū amabis, consequenter quæ ab eo amaberis, & sic omnia ad me trahes, eris quæ bonus Pastor. Hūc D. Paulus uerus Christi imitator, omnibus neruis imprimere cordibus fidelium contendebat, experientiaque doctus, nihil tam sedulō ab ipsis exposcebat uerbis, & operibus, quàm amorem erga seipsum, & alios præpositos. Fortis enim est ut mors dilectio, & sicut nihil morti resistit, sic nec amor. Igitur primum quod requiritur est res gentis ingenio accommodare, & omnium se seruum facere, ut omnes lucrifaciat, cum D. Paulo, qui dicebat: *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, ut eos qui sub lege sunt lucrifacerem: ijs qui sine lege erant, quasi sine lege essem, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem saluos.* Et Apostoli in primordijs Ecclesiæ secundarunt Iudæis præcipientes fidelibus in Gentibus conuersis, in illorum gratiam ut abstinerent à sanguine, & sufficato ut omnes lucrifacerent, quæ postea successu temporis perierunt.

Quare prudentiæ est, mores Infidelium maximè Euangelio non repugnantes in initio permittere: nam cum perdifficile sit dediscere natales, atque consuetudinem inueteratam, atque inde ad mores inuitatos sensui, ac libidini penitus iniucundos traduci, ideo Infideles paulatim disciplina Christiana sunt inuicendi, ac omnes sacrilegæ superstitiones, ritus sensim amputandi, atque si inter illos mores à Religione & iustitia non discrepantes inueniantur, non facile immutandi: sed permittendū ut patrias ac gēcilitias consuetudines retineant: sicuti Indici senatus Re-

gio decreto cauetur. Multa etiam Iudæis legi assuetis, Apostolica Ecclesia condonauit, usque dum prorsus exuti mores, Christum induerent. Multa de Ethnicismo tolerauit antiquitas, in ipsis primæuis Christianis, magna alioquin miracula edentibus. Vix uictimarum cruor elui poterat; ut oportuerit Apostolum sæpius ea de re admonere Corinthios. Scribit Gregorius Papa ad Augustinum primum Anglorum Episcopum, mores gēcilitios, & patrios paulatim debere emendari, & patienter toleranda esse, quæ non possunt ita facillè corrigi. Lectio omnium pēnè rationaliū Conciliorum indicat peculiarem Sactorum Patrum curam in relegadis paulatim ritibus maiorum. In Africa multa usque ad sua tempora perdurasse Augustinus testatur, ut latiori sermone infra ostendemus. Quia in re (ut satis prudenter notauit Iosephus Acoſta. li. 3. c. 24.) ualde peccatur à multis, vel propter ignorantiam municipalium obseruationum, vel ob nimium, & præmaturum communicandi nostra feruorem. Hic non morabor Plutarchi Philosophi ad Traianum in Politica insigne præceptum de gubernanda Republica, apponere. Vertere se ad mores ciuium cognoscendos oportet, atque eorū penitus exploranda atque tractanda ingenia. Etenim statim mores & ingenia conari mutare populi, nouiſque ea legibus moderari exemplo uelle, non modò non facile, uerum ne tutum quidē omnino est, ut res quæ multo tempore, & ingentibus uiribus indiget. Simile ducit ex uino perpulerē, quod initio bibentis arbitrio regitur, mox sensim calefaciens hominem, commutat & uertit ad se. Quamobrē multa dissimulanda sunt, nonnulla etiam laudanda; quæ tenacius hærent, & perniciosius ledūt, ea dexteritate quadam in bona similia commutanda. Cuius rei authorem luculentum habemus Gregorium Magnum libro. Cuiſt. Epist. 71. qui rogatus ab Augustino Anglorum Archiepiscopo in simili causa ita scribit Mellito: *Dicite Augustino Episcopo quod diu mecum de causa Anglorū cogitans, tractaui uidelicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur, ut dum gens, ipsa eadem fana sua non uideri destrui, de corde errore deponat, & Deum uerum cognoscens, & adorans, ad loca quæ consueuit, familiariter recurrat. Et qui boues solent multos sacrificio Dæmonum occidere, debet his etiam de hac re aliqua solemnitas immutari: ut die dedicationis, uel natalitijs Martyrum tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciāt, & religiosis conuiujs solemnitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei, in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate suas gratias agant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius ualeant; nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse, non dubium est, quia is qui locum summum ascendere nititur gradibus, uel passibus, non saltribus eleuatur: cuius etiam documentū exemplum profert in Israëlítico populo à Egyptorum sacrificijs assuesceto, quem Deus ab*

idolorum cultu reuocans, sacrificia vni Deo de pecudibus offerri imperauit. Quæ ed sunt fusius repetita quò magis perspicua res fiat, non solù præcepto Gregorij, verum etiam exemplo de bobus conuiuio mactandis quos idolis suis sacrificare consueuissent. Hactenus Acoſta.

Quartò prudentiam non exiguam postulat Christiana, & ingenioſa quædam industria in proximorù salute procuranda: quod exemplo sancti Gregorij potius quàm verbis in quo ſita ſit hæc diuina prudentia clariùs innotescet. Ponderans S. Gregorius tertia parte Pastoralis exemplum Moyſis Num. 10. cum enim præmiſiſſet B. Pater: persuadere elatis vtilia melius poſſumus, ſi profectum eorum nobis potius, quam illis profuturum dicamus, & eam magis nobis quam illis impendi poſtulamus adiungit: *Vnde Moyſes qui regente ſe Deo deſerti iter aerea columna duce peragebat, cum Obab cognatum ſuum à Gentilitatis conuerſatione vellet educere, & omnipotenti Domino ſubiugare: Proſciſcitur ad locum quem Deus daturus eſt nobis: Veni nobiſcù, & benefaciemus tibi, quia Dominus bona promiſit Iſraëli: cui cù reſpondiſſet ille: Non veniam tecum, ſed reuertar ad terram meam in qua natus ſum; ilico adiunxit: Non nos relinquere, tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris Dux noſter. Neque Moyſi mentem ignorantia itinervis anguſtiabat, quam ad Prophetiæ ſcientiam cognitio diuinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quæ de cunctis interius per conuerſationem cum Deo ſedulam, locutio familiaris inſtruebat: ſed videlicet vir prouidus elato auditori colloquens ſolatium petiuit, vt daret, Ducem eum requirebat in via, vt Dux ei fieri ad vitam potuiſſet.* Hæc ſanctus Gregorius.

Eandem prudentiam exhibuit Dominus cum Samaritanam ad aquæ viuæ fontem traducturus, primus petit: *Mulier da mihi bibere.* Et cum Zachæum ex auaritiæ cordibus diſcipulum Euangelij facere deliberans ait: *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me prandere manere.*

Ac denique ad prudentiam omnium rerum magiſtram ſpectat in congreſſu ſiue conuerſatione cum infidelibus in procuranda eorum ſalute, non tam diſputationibus argumentiſque agere, quàm vitæ exemplo colloquiſſique familiaribus eos allicere, eorumque animos ſibi conciliare, & ad fidei veritatem perducere: vt nos latius infra dicemus.

CAPVT

CAPVT VI.

Quod Miniſter caſtitate reſplendere debeat, & de euitandis occaſionibus.

DVo ſunt inter alia, quæ fidei prædicationi vehementiſſimè obſtant, nempe impudicitia, & auaritia, quorum periculum eſſe ſolet, verfantibus inter infideles commune ac frequens: incontinentiæ propter mirram ſolitudinem ac libertatem, cum perpetua quadam eſca libidinis, ex feminarum aſpectu, & colloquio familiari; maxime inter Indos, & alios barbaros, vbi mira eſt ipſarum feminarum facilitas, & rarus pudor: auaritia verò & quæſtus in ditioribus prouincijs non parua ſe offert occaſio. Et vt ab impudicitia incipiam, nihil eſt viro Euangelico, qui vitam totam ſupra humanam, & penitus cœleſtem ducere debet, ita ignominia ac dedecori quam impudicitia, quæ quantum omnium offendet oculos, quamque reddat virum Eccleſiaſticum infamem & aſpernabilem dici non poteſt: quam ob cauſam etſi ſint alia grauiora crimina, nulla tamen ab antiquis Patribus grauius reprehenſa in homine Eccleſiaſtico: vt qui priſcos Canones legent, merito miretur ob ſemel admiſſum ſtuprum irrecuperabiliter de omni ſacerdotali gradu, & miniſterio Eccleſiaſtico depelli conuiſtum. Ideirco Apoſtolus Paulus, & toties & tantopere diſcipulos Timotheum, & Titum, in quibus Eccleſiæ Magiſtros informat, caſtitiſ cuiuſdam perfectè admonet 1. Tim. 5. *In omni caſtitate,* inquit, *Et ruruſ ibi-* 1. Tim. 5. *dem: Te ipſum caſtum caſtodi.* Et Tit. 2. *Te ipſum præbe exemplum bonorum operum* Tit. 2. *in doctrina, in integritate, in grauitate:* vt enim nihil contemptum ita ingenerat præceptoris, vt turpitudò iſta & fordes: ita nihil eſt quod magis admirabilem reddat, atque perfectà quædam atque omni ſuſpicionè libera pudicitia. *Admirantur,* inquit 1. Pet. 4. *non concurrentibus vobis, in eandem luxuriæ* 1. Petri 4. *confuſionem.* Virtutiſ cuiuſdam cœleſtiſ id eſſe, hominèſ opinantur: quod barbari vbi intuentur, adeo ſuſpiciunt, vt vix credant.

Ad caſtitiſ igitur donum tuendum & conſeruandum præter continuas ad Deum preces, quantum fieri poteſt, fugiendæ ſunt occaſiones, atque vitandæ: tum quia ſepè qui inter barbaros verfantur humanis ad virtutem auxilijs ſunt deſtituti: quia cum ſocietas bonorum magnum præſidium virtuti ſit, ſociuſ enim exemplo ſuo excitat, ſermone recreat, conſilio inſtruit, orationibus adiuuat, authoritate continet, quæ omnia ſolitariè viuenti deſunt. Quare periculo ſerè immenſo, vt optime Acoſta

Num. 10.

Ioan. 4.

Luca 19.

lib. 1. c. 92. obseruauit, expositus est, nisi alias diuinitus magna ope adiue-
mur, qui solitarius inter barbaros versatur: Tum etiam pudicitia ingens
occafio, ubi hominum timor nullus, feminarum mira lasciuia & procaci-
tas, pudor penitus ignotus, & occasio frequentissima. Quare etsi timor
Dei potentissimus sit, ad resistendum peccato: tamen ubi pudore pariter
ac metu destituitur, facillime nostra labetur miseria: maxime cum apud
barbaras feminas, ut Ios. Acosta affirmat, pudor tam deest ut nihil hac
parte à pecude distet: imò verò cum pecudes pudore non superent, libidi-
ne superant.

Quare ut à tantis periculis, & occasione Minister liberentur, danda
est opera, ne minus quam duo simul incedant. Etenim Christus Dominus
discipulos ad predicandum binos misit, cum possent tamen singuli plures
populos obire. Sed præceptor noster tum consolationi, tum cautioni suo-
rum ipsa societate consulendum putauit: tum etiam ædificationi securi-
tatiq; externorum. Quam formam tenuere postea Apostoli, cum Pé-
trum & Ioannem mitterent Actorum 8. cum Barnabam & Paulum: cum
Iudam & Sylam, Actorum 13. & rursus Actorum 15. Barnabam & Mar-
cum, Paulum & Sylam: atque ita pænè perpetuò.

CAPVT VII.

De abdicatione rerum temporalium viro Euan-
gelico necessaria.

Quemadmodum verò impudicitia fæditas despicabilem reddit præ-
dicatorem, ita auaritia fordes faciunt odiosum: nec quicquam ma-
gis audientium animos à verbo Dei auerit, dum pietatem quæstum pu-
tant: & sicut scriptum est Sap. 15. vitæ conuersationem compositam esse
ad lucrum. Quam professionis Euangelicæ pestem Christus Dominus à
prædicaturis discipulis diligentissimè amolitur Matt. 10. *Nolite possidere au-
rum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas
tunicas, neque calceamenta, neque virgam, dignus enim est operarius cibo suo: gratis
accepistis gratis date.* Quà diligenter, quàm expressè, & minutim inculcatum
cibum solum suo Euangelistæ Dominus permittit, & quidem ut prædica-
tionis non sit causa, sed fructus. *Querite primum regnum Dei & iustitiam eius,
& hæc omnia adiiciet vobis.* Mat. 6. Sed ne ipsum quidem cibum paulus ex-
cellētissimus Prædicator admittit 1. Thes. 2. Sed laborat manibus suis, ne
quem grauet, ut sine sumptu ponat Euangelium. Et 1. Cor. 9. gloriæ du-
cit

est quod nemini onerosus sit, cum possit onerios esse, ut Christi Apostolus.
Animaduertebat sapiēs architectus fabricam Euangelij quauis commodi
specie etiam necessarij impediri, vel certè retardari: vnde eligebat potius
mori, quàm gloriam suam, id est, fructum Euangelij copiosum perde-
re. Quare præ omnibus Apostolis non solum amplius laborauit, sed mul-
tò etiam vberius fructificauit. Ingenerat reuera exspoliatio hæc Euan-
gelica animis hominum admirabilem quandam vim amoris, ut quem tuis
commodis infudantem videas, oblitum sui rem propriam negligentem,
hunc totis visceribus complectaris, tanquam sincere & paternè tua cu-
rantem. Quare cupiditatem omnem & turpe lucrum Principes Aposto-
lorum Petrus & Paulus, in Ministeris Ecclesiæ grauissime detestantur
1. Pet. 5. Si qua ergo plaga dolenda est in hac causa, auaritia est.

Denique his duobus, continentia, inquam, & pecuniæ contemptu, ita
debet esse præditus Christi Minister, ut nec de ipso suspicio fingi possit.
Multa quidem alia Apostolis crimina obiecta ab aduersarijs fidei Chry-
sost. dicit; ceterum cupiditatis aut impudicitia, etiam ab inimicis & mé-
dicibus nunquam fuisse incusatos, quod in his omnes vellent, nollent, te-
stimonium veritati dare cogentur: id quod in Christo Rege nostro ad-
uertere est: cū tamè inuidissimè ac iniquissimè oppugnaretur, ac profcin-
deretur ab impijs. Vnde quidam Religiosus in India diutissimè versatus
sapienter dicebat, non solum veritatem in hac parte, sed etiam opinionem
studiosè esse quarendam; ut hypocritam agere interdum minimè pæni-
teat. Ut enim virginalis fama, sic sacerdotale decus sinistra suspicione, fa-
cile violatur. Ita ergo se comportet Minister Euangelij, ut omni mo-
mento spectaculū se esse Deo, & Angelis, & hominibus cogitet.

CAPVT VIII.

De patientia, labore, & longanimitate in conuersione
animarum maximè prærequisitis.

In primis Euangelij Minister sibi persuadeat semper fidei prædicationē
fuisse difficillimam, & fructificationem Euangelij laboriosiore longè
expectatione nostra. Ut enim omittam dicere, quanta præcesserint,
quanta consecuta sint, quæ semen Dei ne fusciperetur vigerent, ne susce-
ptum maturesceret impedirent, profectò generalis ratio doctrinæ Chri-
stianæ fatis per se ipsam verticem formidabilem monstrat. Etenim ratio-
ne omni superiora docet, nec probat: mores ab omni cupiditate, & gloriæ
alienos

alienos instituit, vitij omnibus funditus euersis, quibus est natura humana plenissima, & diuturna consuetudine obfirmatissima. Præmia pollicetur, quæ non videntur, ea quæ videntur continere habet: sensum hominis ad ea transfert, quæ sentiri nequeunt: vitam non humanam agere homines vult. Quisigitur facile ac suaue putet belluas in Angelos transformare, idque voluntate ipsorum adnitente, quibus vis ista auertur? Verè opus hoc non hominis, non alterius cuiusquam, quàm Dei vnus. Ipse sibi propriū vult. *Hoc est opus Dei, inquit Ioan. 6. vt credatis in eum. Et nemo venit ad me, nisi quæ pater traxerit.* Quare huc debent animū aduertere operarij, se non proprium, sed Dei negotium agere, curam omnem Deo ipsi latè ac promptè laborantes, ac rei exitum ipsi animarum saluatori relinquentes. Nihil imprimis aduertant, magnum nihil gloria dignum sine patientia peractum esse. Certè fides vbi nunc firmiores altioresque radices egit, ibi initia habuit longè difficillima. Quare sementis Euangelicæ fruges nõ tantū ex præsentibus metiendi sunt, præsertim cum Dominus dicat Ioannis 4. *Alius est qui seminat alius qui metit:* contingere enim potest vt sementis iaciendi præsens tempus sit, messis verò colligendæ futurum. Quare qui laborant, consolari debent, quamuis pro diligentia seminandi salutis verbum ilicò laborum suorum emolumenta non videant, nec appareant statim fidei ac charitatis fructus assurgere.

Pro consolatione verò & perseuerantia Ministrorum, placuit hic quedam Antonij Possseuini l. 4. Biblioth. documenta ponere, quibus Christi milites admoniti, patienter laborum suorum fructum expectent, nec animo frangantur, si nõ statim omnia pro votis succedant, discant quæ certe vsque ad mortem, difficultates superare, & in rebus aduersis diuino auxilio freti constanter sperare victoriam: est enim hoc seruatorū Dei proprium & quamuis apud se ipsos humiles & abiecti sint, in diuinis tamen negotijs mirè fortes sunt atque constantes, diuinoque auxilio nixi audent alta expectare, ingentia conari, nihilque arduum, nihilque magnum ducetes, immensa quadam magnitudine animi maxima quæque moliantur.

Initia, inquit Possseuinus, bonarū omniū artium, sicuti & semina rerū naturalium solent esse minima. Ex ipsarum enim progressu sensim altitudo diuinæ bonitatis innotescit: ideò enim nec multos nobiles, neque multos potentes, sed infirma mundi elegit.

Secundò rerum quarumlibet arduarum, (vti naturalium quoque) progressui temporis spacium necessarium esse. Ita enim rebus paulatim crescentibus ipsius D. Maiestatis lux, atque cognitio suauius mentibus illabitur. Quam quidem vnico intuitu perfectæ iam rei, complecti animo non possemus, sicut succedentibus sensim crementis noui lucis radij acie oculorum nostrorum commodius illustant: præterquam quod ea, quæ

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Initia bonarum rerum parua. 1. Cor. 10.

Temporis necessitas in rebus arduis. 1. Cor.

ex illius omnipotentis caritatis officina prodeunt, sic illico absoluta proderent, non ipsi Deo, sed alienæ fortassis causæ adscriberemus, *Quasi manus nostra esset excelsa & non Deus faceret hæc omnia.* Hæc verò quia triticum in terra diu later, aut super terram aliquos menses sine spica dumtaxat herbescit, idcirco de maturitate desperamus, alioquin nec parentes plantarēt earum arborum semina, quæ non sibi ipsis sed posteris fructum solent adferre.

Tertiò accedit, quod vt agēs non agit, nisi in passum benè dispositum, ita materia præparanda prius est, quàm introducatur forma. Neque enim penitus medicus esse censetur, qui ante fortiora pharmaca, serapia, & leuiora medicamenta non adhiberet.

Quartò rerum ad conuertendas animas, ac denique ad Ecclesiam vel fundandam, vel (vbi religio concidit) instaurandam spectantium firmitas, non solum diuturni temporis spatium, verum etiam labores, sudores, miras vexationes, & sanguinis ipsius effusionem ferè semper requisit. Nam ita se magis diuina vis exerit dum (quasi ex allisis lapidibus ignis) claritas veritatis erumpit, vt varij aduersarij, atque certamina, varias virtutem amantibus coronas pariant.

Quintò certissimum est ac passim in diuinis Scripturis patet, ^a Dei voluntatem esse, vt homines salui fiant, Deumque nolle aliud ^b quam nostram sanctificationem. Itaque quicquid nobis præter peccatum accidit, ad bonam humanam voluntas cogi nullo modo potest, id nullam habet rationem mali: proinde labores, persecutiones, verbera, reuera malum non sunt: alioquin hæc omnia filius Dei non eligisset. Quamobrem & nos eadem in diuino negotio procurando alacriter sustinere debemus, certissimi Deum manum suppositurum esse, ne vltra id tentemur ^c quod ferè nõ possumus, quin cum tentatione prouentum quoque daturum.

Sextò sacræ literæ docent vt reliquorum, ita proborum & innocentium hominum peculiarem à Deo curam haberi. *Qui vos tetigerit, tetiget pupillam oculi mei.* Et: *Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cali commorabitur.* Hinc fit, vt apud Deum anima vnus eum timentis magis estimetur, quàm mille filij impij. Itaque qui nihil in tota sua vita ageret aliud quàm vt hominem vnus accuratè vias Domini doceret, is sanè tanquam Angelus Dei operam suam vtilissimè poneret. Cum autem aliquis amicus Dei efficitur, nihil non obtinere potest à Deo: *Qui voluntatem timentium se facit.* Qui enim apud Principem aliquem gratiosissimus est, multo plura vnico verbo, & momento ab eodem, quam reliqui plurimi, ne multis quidem supplicibus libellis, ac diuturno studio assequuntur. Notissimum autem est illud exemplū ancillæ Iudææ, cuius vnus opera vti voluit Deus, vt à lepra Naaman Syrus liberaretur, ac Deus verus inter ipsam perfici-

Deut. 32. Nota.

Materia omniem esse præparandam.

1. Tim. 2. 2. Pet. 3. 1. Thess. 4.

1. Cor. 10.

Peculiaris cura Dei erga bonos. Zach. 2. Psal. 91.

Psal. 144.

4. Reg. 5. Luce 4.

diam agnosceretur & coleretur.

Septimò firmisimè quilibet sibi persuadeat, bona & sincera Deo inferuendi desideria nunquam sine diuino numine nobis immitti. Ea verò si sedula caritate foueantur, ad exitum tandem à Deo perducunt, cuius opera cum perfecta sint, is etiam cum dat velle, largietur haud dubiè & perficere.

§. I. Exemplis idem probatur.

Octauò, exépla veteris Testamenti hæc omnia comprobant, illudque ingens fidei & patientiæ Noë, qui centum totos annos arcè ædificandæ, ac tantum octo animabus humanis asseruandis impendit. Vnde postea factū est, vt ex inuicta patientia paucissimæ illæ animæ totum postea terrarum orbem instaurarent. Quare non parum sciat se profecisse, qui paucissimos cum Deo coniugit, eosque in tuto collocat. Trita verò sunt reliqua, sed tamen expendenda, quæ in Moyse, qui greges pascebat; in Abrahamo, in cuius semine benedictæ sunt omnes gentes; & in alijs inter summas quasque difficultates, Deo nunquam suos deserente, euenerunt.

Nondè, Christus Iesus æterna Patris sapientia, totius boni & veritatis fons, se ipsum euidentissimum constituit exemplar, ex quo rationem expectandi, patiendi, & lucradi animas, petere debemus. Spinas certè, flagella, clauos, vulnera, & ipsam crucem ostendit: quibus ipsius regnū fundatum est, vt & nos aliqua ratione tanto exemplo excitemur; & inde præsidium vt precemur, sic assequamur.

Decimò, cum hoc Opus non currentis sit, sed volentis ac miserentis Dei, expectanda ita patris hora est, & temporis plenitudo, vt cum in eius manu omnia sint posita, nos item ipsos in ipsius manu ponamus, diuinæ eius voluntati oratione primum, deinde reliquis rationibus sincerissimè cooperantes, qui maior est corde nostro, vt inquit Apostolus, & idem Euangelista.

Vndecimò, Apostoli & reliqui antiquissimi viri sancti, hanc ipsam Domini semitam in Euangelio enunciando triuerunt. Ac cum S. Iacobus octo solum animas in regno Gallaciæ Christo Domino adiunxisset, utilissimum tamen laborem impedit. Per illos enim denique Gallæcia, magna que pars Hispaniæ conuersa est, & diuinitus factum est, vt cum viuentem Apostolum audire noluisset, ad eius demortui memoriam, & sacrū eius corpus visitandum, voti causa, reliquiaque deinceps è toto terrarū orbe, Compostellam accurreretur; cuius præsidium per tot sæcula implorant, atque adeò etiam nunc implorant. Ita B. Apollinaris duodecim annos in Rauennæ suburbij demoratus, terque ad eā ciuitatem rediens, licet denique martyrium subiit, operi tamen inchoato constantissimam operam

operam nauauit. Quare quod viuens efficere non potuerat, decedens ex hac vita consecutus est. Sic Rauennates per tot sæcula insignem venerantur Doctorem & Patronum, quem non vno supplicio maiores illorum excruciantur. Alij verò, qui varijs & pluribus cruciatibus plures annos fuerunt attriti, sictamen perseuerarunt in orando, vt denique feritate deposita ciuitates patientiam eorum admiratæ, fidem Christi receperint. Quæ quidem omnia possent nostram societatem & veterum excutere, si ij essemus quales esse deberemus, aut adeo haberi volumus. Cum verò in primitiua Ecclesia fundanda Christus Dominus voluerit, vt trecentos ferme annos quicūque Pont. Max. fuere, horum plerique omnes pro eius fide martyriū, aut varias persecutiones subirent; sanè intelligitur non esse ignaui, aut commoda vel studia quærentis propria, salutis animarum procuracionem. Illud autem crebro memoria repetendum est, qui sibi colligendis & abnegandis enixius vacarunt, ijs Deum fuisse vsum in magnis negotijs fidei. Perspicax enim diuinæ maiestatis oculus aptiora instrumenta cognoscit, & deligit, perque eos in momento temporis sæpe efficacius agit, quàm diuturno tempore per plerisque homines, qui vel sibi, vel mundo melius alijs sapere videntur. Quod cum in multis, tum in S. Antonio perspicuum fuit; qui Alexandriam veniens, breuissimo temporis spatio, miram Arianis intulit cladem, quam tam fortassis perdocti, aut prudentes multi (licet Catholici) longissimo vitæ spatio non intulissent.

Duodecimò, qui sibi blandientes existimant, si sibi ipsis à labore temperent, fore, vt & diutius uiuant, & ideo animarum conuersioni diutius operam sint daturi, ij non intelligūt si Apostoli ipsi, quibus pene solis post Dominum Iesum ædificium Ecclesiæ nitebatur, id spectassent, neque sanguinem nec vitam profudissent: quod tamen efficacissimum fuit antidotū perfidiz tollendæ, ac fidei stabilendæ, addo item maiori operariorum numero ad gloriam Dei propagandam excitando.

Decimotertiò, si peregrinationes & acta vitorum Religiosorum cogitemus, quantopere nempe diuinam gloriam propagarunt, dum gētium remotissimarum salutem paucissimi paucissimorum annorum spatio in Indijs Orientalibus, Occidentalibus, Meridionalibus & Septentrionalibus promouerunt; intelligemus plurimos (probos alioquin homines qui sibi diutissimè vixerunt) ne minimā quidem fructus partem, præ illis Ecclesiæ Dei attulisse.

§. 2. Lucra animarum vnde aut impediuntur aut retardantur.

His rationibus atque exemplis vbi erimus præmuniti, declinandæ erūt lucrandarum animarum impedimenta, quæ pene ad sequentia redigūtur.

Pont. Max. fere per 300. annos fuere Martyres.

S. Antonius infert cladem Arianis.

Non esse res sanctam à labore obsequi vite longiora.

Debita magna necesse sunt ad D. adificium.

Desideria
or uiendi
Deo ad exitum
perducuntur.

1. Pet. 3.
2. Pet. 2.

Exod. 13.
Genes. 17.

In Christum
esse respiciendum.

Rom. 9.

Apostolorum
exempla.

S. Iacobus
Apostolus in
Hispania
quid fecerit.

Primum, quod per sapientię diuinę vias nolunt plures incedere, quę omnino vult vt in multa patientia, paupertate, nuditate, quotiescunq; occasio id ferat, caelestia feramus. Cum enim incommodis in Dei obsequiũ tolerandis, aut suorum iudiciorum abnegationi nolunt assuescere, minus amantur à Deo, minus ad eius negotia adhibentur, qui magis semetipfos, quam Deum, ac magis ea, quę sunt priuatę voluntatis, & amoris proprii, quam animarum salutem diligunt.

Secundò, huius potissima causa est, quod nunquam altè gustarunt, quam suavis sit cibus, qui de mensa Crucis Christi Domini, hoc est in multa tribulatione sumptus, in corde coquitur, vbi, &c. ex caritate animę quasi esuriuntur, & manducantur.

Tertiò, aut quoniam proprii nominis honorem (quasi soli magni) sint concionatores, qui frequentiores habent auditores, aut multa verba effundunt) tanquam scopum ac premium suorum laborum stultissime sibi præfixerunt.

Quartò, aut in studijs curiosis, & inutilibus pro eorum curiositate potius quam pro ratione, tempus, quę pretiosissima res est, infumunt. Id interim, quod præ manibus habent, & ad quod missi sunt, fallaci corpore omittentes.

Quintò, aut forsitan quoniam declinantes alias confusiones, indirectè nec sincerè, vel quæsiuerunt, vel saltem amarunt ipsarum missionum occasiones, in quibus dum proprię voluntatis radix virescit, diuina virtus crescit, & Christi Domini voluntati ponitur obex.

Sextò, aut se negotijs sæcularibus, falso boni pretextu, implicantes, nõ intelligunt quid sibi temporis in rebus eiusmodi pereat, vel quantum admoveant obicem spiritualium negotiorum progressui, non cogitantes, quam circumspectè cauendum sit, ne calum cum terra misceant, qui cum se cęlestibus rebus profus addixerint, proni, & præcipites ruunt in mundanas, & terrenas.

Septimò, aut superiorum, & meliorum concilia sic spernunt, vt de suo capite nouam insinuandę fidei, & pietatis rationem inuehere, aut inuectã sequi, vel hæreticis quoque Principibus præstito aliquo iuramento temere, vel callido potius astu, quam prudenti simplicitate docere, quę fidei iunt audent. In operibus autem (vt Basilius inquit) contra præscriptum superiorum factis maius peccatum est, quam bonitas eorumdem operum sit; Quę tamen vix vlla esse potest, dum insinuari fidēs tentatur, alia, quam decet, ratione. Sed & æquum est (ait D. Bernardus) vt qui Deo non obedit, huic inferiori pars, id est caro non obtemperet. Ac nullo alio vicio magis præcipitem Diabolus Monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis consilijs seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique considerare: sicut

sicut Moyfes Abbas monuit apud Cassianum.

Octauò, aut quod ea in corporis parte, in qua positi sunt, manere nolunt; vel præposterè tractant, quę essent ordinatè tradenda; vel denique ea docere alios volunt, quę ipsi nondum perceperunt; nec vero in animam inducunt, eos qui illa rectè nouerunt, cum vera humilitate consulere.

Nondò, aut verentur, quin si quos ad Christum Dominum, & eius Ecclesiam adiunxerint, hi demum Sacerdotes Catholicos non sint habituri, qui eos excolant. Potens autem est Deus suscitare ex lapidibus filios Israël. Quare nec desistere Patres antiqui aliquibus conuertendis operam suam impendere, licet nulla tum spes affulgeret presentium operatorum; qui verò conuersi sunt, ipsi per se diuina tantum gratia nixi à gentiliū erroribus diu abstinerunt, ac non paucos post annos, à Dei bonitate ad illos missi sunt alij Sacerdotes, qui eos iterum Sacramentis muniuerunt.

Decimò, aut quod omiſsa spiritali cura suorum domesticorum salutis, alijs vacant, cum qui eam deserit infideli sit deterior: certos autem pro incertis relinquere, ne ordinatę caritatis, neque synceri iudicij, ac proinde nec diuinę voluntatis est argumentum.

II. Aut suę quieti & commodis priuatis eorum vitam pretextunt, qui sese (nisi ad Cartusianorum, aut similitum institutum vocati sint) contemplationi dedit. Ita enim quoniam in eos, qui proximorum salutem vacant, turbationes plerumque cadunt, studium interioris pacis obtendunt, semetipfos potius quam alios fallentes. Interea verò meditari nolunt eos, qui reuera se totos vitę contemplatiuę addixerunt, omnia mundana reliquisse: sub aliorum obedientia humiliter, ac diu vixisse, incommoda penę incredibilia volenti animo subiisse; omnem quietem, vti athletas insuperabiles, abs se annouisse. Quo verò tempore hæresis, & alia persecutiones Ecclesiam Dei oppugnarunt, non desuisse eos, qui vita contemplatiua relicta cucurrerunt, ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicuti de Aphraate, & Isaaco memorię proditum est. Interim autem, dum orationi vacabant, maximam vitę partem nullo panē cibo traducunt etiam in vinea Domini (oblata occasione) strenuè laborarunt. Quod ipsi quoque Magdalene (meliorem licet partem elegerit) scimus contigisse.

12. Aut quod sese frustra tempus terere existimant, si inter mercatores versantur, quoniam hi ab illicitis commercijs abstinere nolentes, viam sibi salutis præcludunt. Nam & inter tales aliqui reperiuntur, qui pietatis studio incensi, exemplo alijs relinqui possint, multa verò alia peccata queunt impediri, quia his sublati radix vsurarum avaritia ope diuina potest euelli. Ac vt illa euelli non posset, minor certè penã futura est ijs, qui reliqua peccata demiserunt, præterquam quod iustificatur diuina Iustitia, quando misericordię vijs illi noluerunt insistere.

13. Aut

Collat. E.
c. 11.
Præferentia
ordo

Matth. 3.

Suorum
ra præpo
nenda alijs.

Quæsi pro
pria negotia
pro salute
animarum
proponenda.

Lucæ 10.

Ejns à men
sa hoc est
cruce Christi
Hi insuadus.

Implicatio
in secularia
desideria.

Novitas in
fide ac pietate
insinuanda
damnum
effert.

*Peccatum mortale im-
pedis pro-
grejsum fa-
luis anima-
rum.
Invidia
Caritatis
fraternæ
maximam
malum.*

13. Aut quoniam diuinâ gratiâ, qua erant ornatî, cum aliquò mitteren-
tur, aliquo peccato commisso amiserunt: quod nisi celeri contritio-
ne, & Sacramentali confessione (cum primum Sacerdotem legitimum
adire possunt) eluât, cæciores in dies fiunt, & in alia peccata grauiora pro-
labuntur.

14. Aut denique quoniam alijs prosperè negotium diuinum agentibus,
non solum haud congaudent, verum etiam inuidet: quæ fraternæ gratiæ
inuidetia, cum aduersus Spiritum sanctum horribile peccatum sit, sanè
fontem diuinæ gratiæ in illis citissimè exsiccat.

§. 3. *Impedimenta superioris capitis quomodo tollenda.*

Et verò non satis est impediméta hæc nosse, sed quibus rationibus sint
submouenda intelligendum est.

*Peccatorum
nostrorum
consideratio
ingens.*

Primò id autè fit peccatorum propriorum, & pronitatum ad ma-
lum sedula & assidua consideratione, atque amoris proprij diligen-
tissima extirpatione. Vtrumque autem certè assequimur, si nos nihil ex
nobis esse, nos item (vt aiebat S. Catharina Senensis) nunquâ Deum ro-
gasse vt nos crearet meminimus.

Secundò, si ex innumeris tentationibus, quibus à Deo sapientissimè
permittimur oppugnari, cogitemus nos quidem (si possemus) illas liben-
ter à nobis amolituos: at quando hoc efficere non possumus, sanè quid
ipsi simus, facillè cognoscimus.

Tertiò, diuinæ bonitatis accuratissima perpenstone; quam in bonæ vo-
luntatis largitione cognoscimus: atque item quod sepiissime nobis sub-
trahi occasiones, ne ruamus in deteriora peccata; quod beneficiû in finitâ
meditandi & ex animo gratias Deo agendi materiam præbet.

Quartò, contritionis assequendæ vigilantissimo studio, & non dilata
confessione syncerissima peccatorum, cum obfirmato proposito ea relin-
quendi, & fructus penitentæ dignos faciendi; quam ad rem multum facit
id quod in vita B. Catharinæ filix S. Brigittæ de confessione integrè fa-
cienda scriptum est.

*Obediencia
amor.*

Quintò, obedientiæ amore, & obsequio erga eandem obedientiam re
ipsa promptissimè impensio.

Sextò, sedulo studio assequendi idiomatis eorum inter quos versantur,
quod sanè docendo pueros Catechismo facillè fit.

§. 4. *Ecquid præstandum ni lucra animarum successerint.*

Quod si ne his quidem rationibus lucra animarum successerint, tum
cogitandum est nos esse verè indignos, quibus Deus vtatur ad aliorum
animas conuertendas, tum quoniam sepiissime erga nostram ipsorum sa-
lutem

litem frigidissimifuius, tum quod diligentissimè æternum aliorum, &
nostrorum interitum peccando procurauimus.

Deinde nos nisi (tanquam Iosue) possumus triginta & vnum Reges
debellare, posse saltem exploratores esse, aut immittere, qui populo Dei
referant quanta viderint in terra promissionis, vel munus ipsorum ex-
ploratorum à nobis posse præstari, vt alios fortiores excitemus ad prælia
Domini prælianda: quemadmodum Eremita ille siue peregrinus fecit,
qui ex oriente veniens, auctor fuit, vt Pontifex Maximus in Gallia sacrû
bellum ad Hierosolyman recuperandam iudiceret.

*Iosue 12.
Num. 13.
Petrus Ere-
mita auctor
belli sacri.*

Quod si ne exploratores quidem esse possumus, saltem ipsas sarcinas
custodiamus, Dei que operarijs humilem operam præstemus, cum scrip-
tum sit, *quam futuram esse portionem eorum qui ad sarcinas remanent, & eorum
qui ad prælium proficiscuntur.*

1. Reg. 30.

Ita quoque, nisi ob scelera nostra olim patrata idonei simus Dei tem-
plo ædificando, quoniam scilicet (quod David Regi à Deo obiectum est)
etiam ipsi nos sanguinum viri fuimus, saltem aut occasionem præbeamus,
aut materiâ paremus alijs, vt suo tempore per alios id fiat. Qua in re dig-
num illud est, quod perpendatur, quod quidem Paulus Orosius lib. de ar-
bitrij libertate scriptum reliquit; ait autem: *Adificari vo-uit Deus templum
nomini suo, & hoc vt non nisi innocens, & benè immacalatus extrueret. Duo ad hoc
reges cunctis viribus eliguntur, utriusq; ad adiutorium diuina custodia promittitur:
Ad David siquidem dicit Deus: Veritas mea & misericordia mea cum eo. De
Salomone verò testatur: Ipsumelegi mihi in filium, & ego ero ei in Patrem.*

*1. Par. 28.
Psal. 88.
2. Reg. 1.*

Ex his duobus templum Domini vnus preparat alter ædificat: preparat senex, perficit
puer. Dignum est enim, vt sanctum Domini templum sanctus ædificet. Preparat (vt Salomon
dixi) senex, sed quasi postquam peccare cessauit: perficit puer, sed tamen penè, cum
quam David
adhuc peccare non cæperit. Ille autem peccauit, hic postea ille: multû peccado ædificare
non meruit, iste multum peccando, quod ædificauerat dereliquit; & inter hæc mira-
biliter ordinatio sancta disponit, vt inter duas ætates, quod perpetuum in homine esse
non poterat, pro captu temporis inueniret. Hęc ille.

*Cur potius
vt Salomon
dixi
templum
ædificauerit.*

Et verò notandum quod ipse quoque inquit Orosius his verbis: *At si
vis apertius excipere testimonium, quia cum vti que possit Deus, tamen pro ipsa ordi-
natione non faciat; dicit ad Petrum: An putas me modo nõ posse, rogare Patrè
meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? sed
quomodo complebuntur Scripturæ? Quia sic oportet fieri. Vides ergò quia
operator temporis temperat virtutes, & ratio dispositionis miscet potètia patientiam.
Deinde ait Dominus. Reconde gladium in theca: Fieri enim non potest, vt
calicem quem dedit Pater, non bibam. Et tamen Deus nihil non potest: nec est
quicquam, quod non faciat nisi forte quod nolit non oporteat, non proponat.*

*Lib. de libe-
ro arbitrio.*

§. 5. Exemplo, & monitis idem fulcitur.

Ex B. Ignatius fundat.
Soc Iesu
dictum dig-
nissimum.

Atqui cautio, quam B. Ignatius huic negotio adhibebat, magni momenti est. Quærenti enim, unde inter tot difficultates, ardua quæque ipsi succederent, respondit se in difficilioribus quibusque negotiis, ita re totis viribus Deo commendare consuevisse, ac si nulla humana industria, nulla alicuius cooperatio ad ea perficienda præter Deum ipsum esset adhibenda. Cum verò id faceret, tum ita cooperari se solitum ad eadem ad exitum perducenda, ac si nihil Deus in illa conferret: quippe qui sciret Deum imprimis esse cognoscendum auctorem omnis boni, ac sine quo nihil effici possit: & tamen quando diuina sapientia cooperationem exigit suarum creaturarum, in eandem toto pectore esse incumbendum: quam ob rem arduarum quarumcunque rerum ad Dei gloriam spectantium aiebat semper exitum se fuisse consecutum.

Origenes qui
multis causa
salutis fuit
miserè hem
perijt.

Sed & ubi res, è voto successerint, tum tantò magis salutem animarum cum timore operari debemus, memores eorum, quæ de Origene illo doctissimo scribit Nicephorus. Ille enim (ait) cum plures, atque ipsum suum genitorem Martyres præmississet in cælum, summosque labores in conuertendis animabus pertulisset, ita vt è domo in domum, per foramina quædam ad fidem piorum fouendam, inter summa pericula penetraret, tandem quia humilitatem & se ipsum non custodiuit, in multos errores miserimè cecidit. Itaque qui stat videas ne cadat: & qui mittitur caueat ne exeat extra se.

1. Cor. 10.

Applicatio
potentiarum.

Porrò sicut ordinatè, & instanter operari debemus, quæcunque diuino auxilio manus nostra potest efficere, ita applicanda omnes potentiæ sunt ei rei, quæ tanti momenti est, quanti est salus animarum. Quæ de re procurandum serio esset, vt quæ scripta sunt de applicatione potentiarum animæ nostræ in spiritualibus exercitijs, ea altissimè perciperemus. Interea verò non desit humilis, assidua, & fidelis oratio, qua petamus à Deo, vt nostris iniquitatibus parcès, non desistat tamè pro sua ineffabili misericordia, meliores in vineam suam operarios mittere, totque innocentium & puerorum necessitates potius, quam nostra peccata respiciat. Quæ oratio quotidie habita non redibit vacua.

Denique eorum auxilium Sanctorum apud Christum Dominum implorandum est, qui in ijs regionibus, in quibus versamur, fidei fundamenta Deo fauente iecerunt. Quorum Sanctorum vitas meditatè perlegere multum refert: cum quibus in ijs Respubl. & cultus diuinus institutus est, ad eadem initia referenda sit eiusdem instauratio.

Horum autem ea legantur, qui duriora & longiora tormenta perpessi sunt, qualia Clemens Ancyranus pertulit, qui vicies octies martyr fuit, cum viginti

viginti & octo annorum spatio mira perpessus fuerit.

Quod si laboris, sollicitudinis, & periculorum aliquem tædeat, ubi ista susceperit, cogitet, num reuera ctedat ignem purgatorium esse, atque an multa centena annorum horridarum penarum, cum momento laborum huius vite libenter vellet commutare, tunc enim se alacrius operi accinget.

Singulis porrò diebus non cesset illud Apostolicum orare, Domine adauge nobis fidem. Sed imprimis hæc, quæ æterna Patris sapientia pronunciauit, scribantur in corde: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis: Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis: in hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum efferatis, & efficiamini mei discipuli.* Ioan. 15.

Quin & illud huc facit. Mater Dei loquitur (inquit B. Brigitta) Qui concludit operarium ad laborandum, dicendo ei: Porta arenam de littore, & inquire in quolibet onere, si fortè ibi inuenire poteris granam auri, non minor erit merces eius, si nihil inueniret, quam si reperiret multum. Sic etiam est cum illo, qui verbo, & opere ex diuina charitate laborat, ad profectum animarum; non enim erit minor merces illi, si nullos conuerterit, quam si multos: sicut magister dixit exemplum: si inquit bellator, qui ad præceptum Domini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi, rediret fauciat, nullum habens captiuum, non minorem mercedem obtineret, amisso bello propter voluntatem bonam, quam si victoriâ fuisset consecutus: sic est etiam cum amicis Dei: Nam pro quolibet verbo, & opere quod faciunt propter Deum, & vt animæ emendentur, nec non & pro qualibet hora tribulationis, quam patiuntur propter Deum, coronabuntur, siue multi conuertantur, siue nullus. Hactenus Antonius Possesinus.

CAPVT IX.

De exemplo vitæ maximè in prædicatore Evangelico necessario.

IN Evangelico ministerio & orationis præsidium & vitæ innocentiam ac integritatem necessariam esse diximus: restat nunc vt de exemplo vitæ dicamus. Nulla alia maior ad cohortandum vis & efficacia, quam exemplorum

plorum: exempla enim maius pondus habent, quàm verba, & ad faciendâ populis fidem, & ad animos permouédos magis præstant. Quare Christus Dominus, & Apostoli ipsi magnoperè ministri vitæ exemplum commédarunt: *Sic luceat lux vestra corâ hominibus: vt videât opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in celis est.* Diuus Paulus ad Titum scribens c. 2. *In omnibus (inquit) prabe te ipsum exemplū bonorū operū in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et primò in hoc excellit verbis exemplum, quod quasi lumine adhibito, ad virtutem, & fidei nostræ functiones certum iter demonstrat, in quo itinere magna solet esse obscuritas, maximè in rebus spiritualibus, quæ sunt à sensibus remotissimæ: & quas insuper tenebrarum princeps ille tenebris suis perpetuò magis obscurare conatur. Itaque, vt dici solet, picturas atque imagines rudibus hominibus libri instar esse: sic exempla quoque ipsa libri sunt, grandibus quibusdam literis conscripti, quæ in ipsos oculos etiam negligentis incurrere possint. Est præterea ille quoque duplex exemplorum fructus, qui à Seneca Epist. 6. optimè indicatur: *Plus tibi, inquit, viua vox, & conuictus, quàm oratio proderunt: primò, quia homines plus oculis quàm auribus credūt: deinde quia longū iter est per præcepta, breue & efficax per exempla: breue quia sine multa verborum circuitiōne, vt fit in concione, nec definiendo aut diuidendo, virtutis natura operitur, sed potius eam exhibendo, & representando: vt exempli causa, si Casarem dicendo describere velis, longo sermone opus sit, neque eum tam perfectè pingere possis: sin verò ipsum sistas momento temporis, ex ipso conspectu, multò clarius & certius cognoscetur.* Sic enim cum Franciscus leprosum lauabat: cum Catharina Senensis maledicæ mulieri tam constantè famulabatur, haud paulò melius & cōpendiosius docebant, quid amor proximi, quid sui ipsius odium postulet, & quatenus progredi debeat: quomodo humilitas, & patientia exercenda; quàm si longa & accurata oratione hæc omnia declaranda suscepissent: ita vt non immeritò dixerit Magnus Basiliius in Reg. fusior. Interrog. 17. *Ad animum illius, qui ventris libidini seruiat, peruellendum, & ad frugem reuocandum meliorem nullam cuiusuis generis orationem posse excogitari opinor, quæ tantum valeat, quantum vel solum continentis allicuius aspectus.*

Accedit deinde illud etiam, quod idem Seneca addit de hoc doctrinæ genere, vt non solum breue sit, sed etiam efficax: primum enim, & maximum est, quod quicquid sit, cum ab alijs factitari videmus, non adeò arduum esse, & à nobis quoque posse fieri iudicemus: nam quæ libris, vel quæ voce differuntur, profunt illa quidem ad mentem instruendam, sed plerumque difficultas, quam ostendunt rudibus præsertim & non expertis, asperum quiddam & odiosum obijcit: quod cessat, cum eadem alterius exemplo expressa, & in vsum producta spectamus. Sicut si de montis iugo dubitetur, an sit superabile, nihil certiore facit fidem, quàm si multos

multos iam superasse, & in eo iam stare conspiciamus. Docet hæc Gregor. 9. Mor. 35. Qui verba illa Iob: *Instauras testes tuos contra me, ita interpretatur, vt hi testes sint homines iusti, qui ipsa vita Dei præcepta, & eorum præmia contestantur, vt qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis, nil sibi mens nostra difficile æstimet, quod perfectè peragi ab alijs videt.* Quare exemplum non modò difficultatis metum tollit, sed etiam ad ea agenda, occultis quibusdam stimulis incitat: vt præclare S. Leo Serm. de S. Laurentio: *Facilis, inquit, ad exhortandum sit oratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce.* Nam et si exempla omnia, etiam scripta & antiqua multum valent, vt experientia ipsa compertum est: sine vlla dubitatione multò magis poterunt recentia & viua, maximeque domestica, quibus ipsi assiduo interfumus. Manifestum est enim, quàm nos vehementius ea mouent, quæ nos ipsi spectamus, quàm quæ ab alijs audimus: quò acrior est oculorum sensus, quàm aurium: præsertim cum scriptura, vt diserta sit, non ita rem representare, eiusque omnes circumstantias, in quibus præcipuus est animorum motus, exprimere possit.

Habet etiam exemplum robur ad promouendum non vt cunq̄ue, sed & id quidem suauissimè omnino, & placidissimè: & præ se fert quandam auctoritatem, quæ ad animos excitandos maximi est momenti. Nam quemadmodum frustra de rerum omnium contemptu, ac de alijs Evangelicis virtutibus differitur, cum auditor conspicit ipsum concionantem vel diuitijs abundare, vel honoribus, aut externa gloria, ita quis dubitat quin multò certius credit, si hominem illum res humanas contemnere, qui eum contemptum ipsis factis & re ipsa præ se fert, quàm eum, qui si modo ita affectus est, tamen eum contemptum animo inclusum tenet? Est etiam auctoritas quædam in hoc vitæ genere: nam cum maior mortalium pars, tum voluptatibus, quæ sunt quædam blandissimæ dominæ, tum ceteris præsentibus bonis capiantur: quos deinde perspiciunt in vitijs tam facile obsistere, quibus & se ipsos, & alios captiuos teneri sciunt, eos verò suspiciunt, ac tum tacitis cogitationibus tantam præstantiam admirantur, tum etiam apud alios maximis efferunt laudibus, eaque mirifica quædam res multitudini videtur: ac meritò iudicat eos omnino se ipsos, suas cupiditates subegisse, mundum omnem cum suis præmijs despexisse, magno exceltoque animo esse, & in ijs diuinas quædam inesse virtutes, & pro dijs eos habent. Cuius verò vita despicitur, necesse est vt etiam prædicatio contemnatur. Non ergò alijs proderit sine vitæ puritate, & splendore operarius.

Quare cum hæc rerum despicientia, vitæque exemplum Ministrum ita faciat admirabilem, certò statuendum est, hoc esse ad persuadendum om-

nium potentissimum miraculum: nihilque aptius, nihil grauius ad infidelium conuersionem promouendam esse posse. Qui autem hoc non habet, eos planè magno adiumento carere, & vt ita dicam, potissimo instrumeto, ad hunc fructum & ferendum, & demerendum. Vnde Apostolus Timoth. discipulo carissimo, inter alia, exemplum potissimum commendat dicens 1. ad Timot. 2. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.*

1. Tim. 2.

Chrysost.

Ac tandem, quid ad fidei nostræ confirmatione, conciliandosque Euangelio infidelium animos, vitæ integritas, & exemplum profit, ostendit Chrysoit. Homil. 46. in Matth. Qui apertè hanc esse putat causam, cur & Apostolorum tempora tam fructuosa fuissent, & sua iam tempora tam sterilia essent, & infæcunda: *Si homines, inquit, duodecim terrarum orbem conuerterunt, cogita, quanta sit malitia nostra, qui ne subditos. quidem nostros corrigere possimus, cum tamen simus tam multi, vt decem millibus mundis pro fermento sufficere valeamus. Sed dices Apostoli signa habebant, atqui non signa eos mirandos effecere. Multi enim qui demones eiciebant, quia peccatores erant, nihil tale fecerunt, sed puniti sunt. Quid est igitur quod eos magnos ostendit? pecuniarum contemptus, gloria despectus, ab omnibus vitæ huius negotijs ereptio: quæ si non habuissent, etsi mortuos suscitassent, non solum nullos iuuissent, sed etiam seductores asinmati essent. Qui Homil. etiam 6. in 1. Epist. ad Cor. de eadem re agens, inquit: Quod est in presentia signa viderentur, quis tamen persuaderet? quis externorum aures nobis accommodaret, cum tantopere increbrescat malitia? Etenim probata Christianorum vita maiorem apud multos auctoritatem sibi vendicabit quam signa: siquidem hæc apud impudentes, & malos homines, malam concitant opinionem. Vita autem pura etiam ipsum diaboli os maiorem in modum obstruere poterit.* Hęc ille. Quibus ego addiderim, inter Apostolica signa ad subiugandum orbem in obsequium Christi hoc maximum extitisse. *Signa (inquit Paulus) Apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis & prodigijs & virtutibus.* Vide obsecro, qua ratione inter signa Apostolatus primum locum tribuit patientiæ, secundum miraculis & prodigijs. Atque ad Thessal. *Ipsi scitis fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi & contumelijs affecti.* Vbi qualis fuerit vita, qui mores, quam ab avaritia, ab adulatione, à fastu omni remoti: id verò pro certo, & insuperabili veritatis annunciatæ testimonio profert. Sit vita pura & innocens in Christi prædicatore, & hoc signorum omnium vim obtinebit.

2. Cor. 12.

1. Thes. 2.

Nic ph.
Georgiani
ad fidem
conuersi.

Tantumque iuuat vitæ integritas, vt solo vnus mulierculæ captiuæ exemplo Georgianos ad fidem fuisse adductos tradat Nicephor. lib. 8. c. 34. Quæ cum alias semper pudicè, castèque vixerat, tum captiua quoque nihil de pietate, sanctioreque instituto remisit. Nà diu, noctuque pietatis exercitia exhibebat, ieiunijs plurimum vacabat, continueque precationibus

nibus insistebat. Ex quo quidem admirationi barbaris fuit. Quibus suscitantibus, cur tantopere sese affligeret, ita se suum Deum colere respondit, qui Christus esset. Nihil ex hoc amplius admirari barbari, quam nouitate nominis, mulierculam in honore habuerunt. Mos gentis erat paruulos cum ægrotarent per vicinas domos à matribus circumferri remedia exquirentibus. Mater quædam cum puerum aliquandu circumtulisset, nec salutare quicquam inuenisset, captiuam adiens, eius opem petijt. Illa se humani nihil scire testata est, sed Deum quem coleret Christum, desperatam ab hominibus salutem posse conferre. Paruulumque cilicio suo super imponens, & orationem ad Deum fundens, sanum matri reddidit. Impleuit urbem facti rumor, & ad Reginam perlatus est, quæ dolore quodam afflicta, ad captiuam se ferri curauit, cum illa regiam domum ingredi recusasset. Reddita est Regina sanitati, atque admonita, vt in Christum crederet, & eum coleret, qui salutem præbuisset. Rogauit Regina virum, vt Christianus efficeretur: quod quanquam ille promississet, legnis tamen erant, nec sæpius ab vxore commonitus baptizari curabat, non tam fidei hostis, quam dubius. Contigit eum in altissimas siluas ire venatum, quò cum peruenisset, coorta subito tempestate, ita tenebræ cuncta operuere, vt nec ipse comites cerneret, nec cerneretur ab illis. Ignarus quid ageret, promissionis coniugi factæ recordatus est, Christumque rogauit, vt si Deus esset, ex tantis eum periculis reciperet. Nec mora, dies reddita mundo est, & Rex ad urbem incolumis perductus, qui Reginæ, quæ gesta erant, miraculi loco exposuit. Vocatur captiua, audit consilium eius: illa reiicienda idola, & Christum colendum dicit, ei que supplicandum, & Basilicam faciendam. Conuocato populo Rex Euangelium prædicat, & nondum sacris initiatus sit suæ gentis Apostolus. Credunt viri per Regem, femina per Reginam. Constituitur templum magni operis: & eleuato pertinaciter murorum ambitu, columnæ collocantur. Sed prima, ac secunda erecta, tertia nullis machinis erigi potest, nullisque viribus, cum ad noctem usque laboratum esset. Recedentibus cunctis, sola captiua apud templum in oratione perseuerat. Postera die, prima luce redeunte populo columna reperta est supra basim in aëre suspensa, quantum vnus pedis spatium. Magnificauerunt omnes Deum, veramque captiuæ fidem recognouerunt. Quibus mirantibus, ac stupentibus, sensim supra basim suam nullo contingente deposita est, & summa cum libratione descendit. Mox reliquæ columnæ magna facilitate erectæ & collocatæ sunt: perfectum templum: & populi fide confirmata, suadente captiua, totius gentis legatio ad Imperatorem Constantinum mittitur, res gesta exponitur, & sacerdotes petuntur, qui ceptum erga se munus impleant. Ferunt Constantinum non minus hoc nuntio lætatū, quam si gentes Romano imperio incognitas

Eadem prædicandi formula Ministris necessaria.
Ad vitæ denique exemplum valde expedire nemini dubium est, vt qui
in iisdem prouincijs & regnis sunt, etsi diuersorum ordinum professores,
eandem prædicandi formulam, & doctrinæ Christianæ docendæ modum
teneant, ne diuersam fidē & Religionem annunciare videantur: præcipuè
tamē inter se strictissimo charitatis vinculo cōsentiant; quo facile quid-
uis perficietur: contrā tamen nihil ita perturbat, labefactat, euertitque
surgentes messes, ac mutua inter Euangelicos ministros dissensio, atque
contentio. Scriptum est: *Vnus edificans & alter destruens, quid proficit eis nisi la-
bor?* Et rursus: *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et alibi: *Si quis videtur conten-
tiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.* Et vè certè est
illi, qui vnum scandalizauerit, ex his pusillis, qui credunt in Christum. Omnia
ergo in charitate fiât, omnia secundum ordinem, omnia in vinculo pacis:
nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: non quæ sua sunt sin-
guli considerantes, sed ea quæ aliorum.

*Eccle. 34.
1. Cor. 14.
1. Cor. 11.
Matt. 18.*

Itaque sibi mutuò adiumento vt sint, omnibus modis curandum est,
omnes Dei oues pascant, salutem earum quærât, non quærentes quod si-
bi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

C A P V T X.

De scientia in ministerio sancti Euangelij requisita.

Post orationem assiduam, morum integritatem, ac vitæ exemplum, iã
vltimo loco de scientia in ministerio Euangelico requisita dicamus.
Quatenus autem peritum esse oporteat Sacerdotem, satis ex Patrū Ca-
nonibus constat. Nam cum prædicandi verbi Dei fungatur officio, cum
sit hoc proprium Pastorum atque Doctorum, eum esse oportebit, quem
Paulus describit, *Amplectentem sanè eum, qui secū lum doctrinam, & fidelem ser-
monem vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Qui
hæc præstare non potest, temere Doctoris in Ecclesia vsurpat locum; ma-
ius sibi iuxta Iacobum iudicium sumens. Quod cum tantæ magnitudinis,
tãti etiã periculi sit; nemo satis præstare potest, nisi missus à Domino. *Quo-
modo enim, inquit, Rom. 10. prædicabunt nisi mittantur?* Quare nisi ex officio
incumbat, aut maiorum auctoritate imponatur, aut ipsa charitate aperte
perurgente suscipiatur; nemo onus Angelicis humeris formidabile subire
audeat.

Tit. 1.

Iacob. 3.

Rom. 10.

*Quonia in
Ministro
requiritur
sapientia.*

Qualis verò, & quanta debeat esse sapientia Ministri, erit ita facile in
specie

specie determinare, cum præcipuè res pensanda sit, ex qualitatibus natio-
num, & gentium, quibus Ministri destinantur. Alius enim sciētix gradus
in cōuertendis Iudejs, siue Hereticis, aut Schismaticis, alius verò in Gen-
tilibus prærequiritur. Nam ad agēdum cum illis; linguarum peritia, ac in
Theologia & Scriptura sacra, non mediocriter esse versatum requiritur:
quamuis sæpè non tam disputationibus, quàm vitæ integritate, exemplo,
& oratione plus emolumentum, quàm ex disputationū congressu succedat.

In Gentium verò prædicatione panis, qui in Europa abundat, nobis-
que præ copia panè vilescit, admirabiles paruulis illis esurientibus epu-
las præberet, cum apud has gentes non tam scientiarum notitia, quàm
charitatis zelus desideretur. Requiritur tamen, vt primum quis symbol-
um, mysteriaque fidei præcipua norit exponere, pro captu audientium:
mox præcepta diuina qui aut seruientur, aut violentur: tum quæ ad Sacra-
mentorum intelligentiam vsuque pertineant: ac modò probata ille
vitæ laude floreret, nō magnopere ego scholarum apparatus, reconditã-
que illam doctrinam, in eo desiderarem: quippe cuius munus magis pru-
dentia quadam, atque ingenij morumque barbarorum peritia constet,
quàm subtiliori literatura. Vt enim Magistri Nouitiorum in Religiosis
domibus (vt prudenter considerauit P. Acosta lib. 4. c. 10) eliguntur, vir-
tute, prudentiaque præstātes, ipsoque vsu rerum spiritualium: propterea
quod ea ars artium cum sit, non tam paginis euoluendis, quàm internis
spiritus motionibus discernendis paratur: tamen cum fundamentum i-
stud iacitur, vitæ purioris, ac sensus exercitati, ad discretionem boni &
mali, Sanctorum Patrum lectio, vt Gregorij, Basilij, Bernandi, diuinã-
que Scripturæ præsertim meditatio plurimum adiuuet: ita planè in mo-
deratione barbarorum, qui nouitij quidam sunt Religionis Christianæ,
& quidem quibus omnia diuina, & Ecclesiastica valde noua, valde inusi-
tata occurrant; exoptanda esset eximia quædam vitæ sanctitas in Mini-
stro Dei, cum pari prudentiæ ac dexteritatis laude coniuncta. Scientiæ ve-
rò is modus, eaque mensura, quæ communiter oportuna est; vt sciat quæ
forma Catechismi seruanda, quis ordo Sacramentorum tenendus: quan-
tum sibi liceat, in absolutione, quæ sunt reseruata crimina. At barbarorum
ritus, & auitas superstitiones, non nisi longo rerum vsu deijcere potest.

Notandum verò, quod si in plerisque mediocris quædam doctrina
sufficiat, oportere tamen esse inter Ministros aliquos præstātes Theolo-
gos, quos ceteri consulant; & à quibus veluti à fonte veritatis doctrinã
hauriant. Nam & ad veteres pellendos errores, & ad nouam fundandam
tenendamque Ecclesiam Theologiæ doctrina magnopere est necessaria: in
exordijs enim rerum omnium, maxime Religionis, præcipua quadam sa-
pientia, & industria opus est; quemadmodum in nouis plerumque stirpis

*Theologie
necessitas.*

bus videmus accidere, ne error in principio sit quasi originalis, & in ceteros traducatur, maximumque eum in fine esse contingat. Præcipue cum in nouis regionibus nouisque plantationibus, noua negotia, noui mores, leges, contractusque occurrant, alięque magnę difficultates se offerant; quibus nisi sacrę doctrine lux & cognitio adfit, in magnis ignorantie tenebris maximoque periculo salutis eterne homines versentur necesse est.

CAPVT XI.

De peritia linguarum Ministris S. Euangelij
necessaria.

Copiam sermonis, loquendi que facultatem ei, qui docedi partes suscipiat, adesse oportere nemo dubitat: quamobrem Apostolos suos, non ante ad docendas gentes Christus misit, quam gentium linguis Spiritus dono loquerentur. *Fides enim, sine qua saluus esse nemo potest, ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.* Hic ergo sita est salus gentium in verbo Dei: quod sanè ad homines peruenire non potest, nisi vocibus hominum deferatur: quas qui non percipit, verbi Dei vim sentiet nunquam. Qua vna in re vel maxime sudare oportebit seruum Christi, si hominum amet salutem. Quamquam enim duri atque molesti labores sunt alienę linguę discendę, barbaricę præsertim: tamen & gloriosa victoria est, & dulcissimi fructus, & Dei charitatis illustre testimonium.

Igitur si quis salutis animarum studio inflammatus est, vt optimè Iosephus Acoſta prosequitur, sibi is seriò persuadeat, nihil præclarum sperare oportere, nisi sermonis primum callendi indefessa cura sit. Si enim is, qui supplet idiotę locum, ad tuam benedictione, quam non intelligit, nõ potest dicere Amen: quamuis tu benè gratias agas, sed ille nihil edificatur: quonam modo concionanti tibi, quamuis mirabiliter, quamuis diuinè de Christo, populus ignotę linguę, & profundi sermonis respõdebit in corde suo Amen, hoc est, animi præbebit assensum? Quomodo, quamuis tu rectè loquaris, edificabitur ad fidè & dilectione frater, cū voces tantū sparguntur in ventum, ac more Babylonice confusionis, qui sermonibus disidēt, nequaquam sensu, animis que conspirant? Quare nihil cõmodius aut certius est, quam vt homines probati, atque integri, sermonis barbari curam suscipiant, familiarissimam consuetudinem habeant, copiamque ad discendum sibi parent, tum arte, tum exercitatione diuturna. Neque enim

alia via orbis terrarum reliquus ad gratiam Christi peruenit, quam verbi Dei forti instantique prædicatione. Sicut in Actis Apostolorum sepè legimus, & Ecclesiasticę omnes historia tradunt. Neque verò alius aditus, aut alia via infidelibus ad Christum aperienda est, quam assidue, efficacis, ipsique accommodatę prædicationis verbi Dei. Nam præter documenta diuina plurima, eademque grauissima attestatur nobis copiosissimè id ipsum rei experientia. Si enim quem barbari natī fuerunt linguę suę peritum Concionatorem, attentissimè eum audiunt, magnopere delectantur facundia, ipso dicētis impetu rapiuntur, atque ore hiantes, oculis immotis herent suspensi: sibi que inuicem dicunt, nunquam se Christi legem talem cogitasse, aut audiuisse: quidam concionis vi cor ipsum scindi affirmant. Quod si qui populi aliquid vel intelligentiæ, vel probitatis præferunt, præ ceteris inueniuntur sine vlla exceptione, ij esse maxime, qui Sacerdotes aut habuerunt, aut habent veteranos, sermonis sui peritos. Perditissimi verò omnium, qui nouos & imperitos Magistros ab Europa recentes fortiti sunt, quorum infantiam egregiè rident, elinguesque contemnunt.

Itaque elaborandum est Ministris, atque studio & tolerantia sermonis facultas paranda: id enim quamuis difficile ac negotiosum sit, non tamen fieri nequit. Et quamuis linguarum lectiones, siue Grammaticę perutiles sint, verum hæc omnia instar vmbrales pugna, & palæstra potius quam acies. Ad rem ergo veniendum est, & frequenti collocacone cum infidelibus iam agendum, vbi audiendo ac loquendo sermo familiaris fiat. Inde ad conciones progrediendum, vt pudore, metu que deposito, sapè & audacter errandum, vt aliquando non erretur. Initio quidem memoriter & res & verba discenda, mox etiam sequentur verba res ipsas. Ista quidem, dicet opinor aliquis, præcipere in promptu est; exsequi verò perquam remotum. Ita sanè habet, attamen & labor omnia vincit, & laborem facit iucundum propèssio animi. Ac certè nulla in hac causa terribilior difficultas est, quam auersæ voluntates hominum. Quamobrem si Sacerdotes Ministris multum in animarum conuersionibus proficere cupiunt; illud modis omnibus curent, vt recentes ab Europa, antequam feruor ille, & fitis animarum intepescat, nulla alia re occupentur, ac detineatur, quam accuratissimo studio discendę linguę illius gentis, ad quam appulerint, & postquam didicerint, exercendę. Hoc nisi fiat, vix aliquid proficietur, quod experimento competum habemus. Sapienter ergo & religiose, vt refert Ios. Acoſta lib. 4. c. 9. Dominicanę familię Patres in Indijs Occidentibus inuolabili statuto venientibus ab Hispania, totum primum annũ, nihil aliud quam studium sermonis iniungunt. Anno integro exacto, ad fructificandum mittunt: quod vtinam omnes sequeremur exemplum; fie-

ret paucis annis sine dubio plus quam effectum est plurimis.

*Ratio pa-
randa gen-
tium lingua.*

Præterea est perquam necessarium, ut regionis, in qua degunt, sermone loquantur omnes. Sunt enim necessaria omnia ista præsidia, ut facultas paretur verbi diuini gentibus annuntiandi. At si quis vel per occupationes urgentes, vel per minus felicem ingenij sortem, tanta consequi nequeat; non debet continuo sibi ab hoc Dei opere vacandum esse existimare, silentioque vitam agere. Potest enim multis modis facultatis suæ exitum adiuuare. Primum, si doctus ipse cum sit, & virtutis probata, socio utatur sermonis perito, quem ipse sententiam seorsum doceat, & quid, quoque modo dicendum sit, instruat: eumque, ut Moyses Aaron, interpretem habeat: ut per illum potius ipse loquatur. Non quidem ut alter alterius verbis reddendo verba, loquatur interpretis more, (quod frigidum est, tamen si ne id quidem contemnendum) sed summam potius edoctus, ante concionem, oratoris partes impleat, si socius contingat idoneus & fidelis.

Præterea non esset utilitatis exigua, si aliquot ipse Conciones, & breuem aliquam Catechismi expositionem memoriter disceret, atque ea eisdem repeteret apud barbaros. Neque enim verendum est, ne eos repetitione offendant: neque tam isti indigent magnis & exquisitis rationibus, quam quibusdam facilioribus, a commodatis, ipsique sæpius repetitis. Nam & gloriosissimus Dei præco S. Fraciscus, eo modo instituisse Fratres suos simpliciores prædicatione perhibetur. Et B. Franciscus Xauerius apud Indos ea industria multum in conuersione gentium profecit. At id quidem Ministris non difficile, infidelibus autem per commodum foret, ut in missionibus loca subinde mutantur, doctrina verò eadem ubique repetenda sit, ut paruulis lac Euangelij præbeat. Edidit nuper Summus Pontifex Paulus V. pro diligentia in linguarum peritia collocandâ Breue Apostolicum, quod hoc loco inferendum censui.

PAYLVS

PAVLVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

AD perpetuam rei memoriam. Apostolicæ seruitutis onere, infirmitati nostræ à Domino, inscrutabili consilio eius, imposito, assidue admonemur, sapientibus, & insipientibus constitutos nos esse debitores; ut scilicet per ministerium nostri Apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant, qui non sapiunt, sapiant, & qui desipuerunt, respiciant: quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide, & charitate conseruare, infideles ab infidelitatis tenebris educere, & hæreticos, ac peccatores à peruersitate erroris, ac seruitute peccati liberare, aspirante gratia DEI, à quo omnis sapientia, pastoralis sollicitudine procuremus. Cum verò præceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac testimonium eius fidele sapientiam præstet paruulis, omni vigilantia procurare debemus, ut Prædicatores, & Doctores verbi DEI ad opus DEI operandum instructi reddantur in dies magis, & partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius, & utilitatem animarum quotidie melius, & felicius adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat Linguarum cognitionem, Hebraicæ præsertim, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ: hæc enim conuersione Infidelium oportunitissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut Arabicè loquitur, aut intelligit: ac si ynquam reliquarum trium Linguarum notitia in Ecclesia DEI utilis fuit, diebus nostris profectò vtilissima est: hostis enim humani generis Linguarum scientia, singulari dono DEI hominibus tradita, ad ipsius Largitoris contumeliam, & fidei suæ Catholicæ detrimentum, nunc ut cum maximè abutitur. Quamobrem fel. rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigijs insistentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, deque Apostolicæ, nobis attributæ potestatis, plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, ut in cuiuscunque Ordinis, & Instituti Regularium, tam mendicantium, quam non mendicantium, etiã quomodolibet exemptorum, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectorū, studijs omnibus, trium Linguarum huiusmodi, Hebraicæ videlicet, Græcæ, & Latinæ, in maioribus verò, ac celebrioribus etiam Arabicæ Doctores, Regulares quidem, & eiusdem Ordinis, si in illo harum Linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, seculares, aut alterius Or-

dinis Regulares, qui illas actu, & diligenter doceant, habeantur, si studia in Urbibus, & locis existunt, ubi Linguarum prædictarum peritos conducendi facultas est: studijs verò Locorum, ubi huiusmodi Doctores defunt, cum primùm in alijs studijs ubi Linguae huiusmodi docebuntur, Scholares tantùm profecerint, vt docendis alijs idonei sint, de iisdem Scholaribus prouideatur. Quod, vt citius, & facilius fieri possit, & sperati fructus ex Linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus, & singulis Regularium Superioribus sub indignationis nostrae poena eadem auctoritate, tenore præsentium præcipimus, & mandamus, & si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum Regularium apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoribus iniungimus, eorū conscientias desuper onerantes, vt omni cura, & sollicitudine quantò citius prouideant, vt Scholae Linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, ac Doctores prædicti deputentur, earumdemque Linguarum Lectionibus Scholares assignentur, qui illis sedulam, & assiduum operam nauent. Hi verò Scholares vt alacrius huic studio incumbant, volumus, & decernimus, vt in promotione ad Doctoratus gradus, & ad alios sui ordinis honores illi, ceteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium saltem Linguarum prædictarum profecerint, ita, vt ad illas docendas apti sint. Nō obstant. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quibusuis Vniuersitatibus, illarumque Rectoribus, ac Ordinibus prædictis, & illorum Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Sanctionis, statuti, ordinationis, præcepti, mandati, iniunctionis, onerationis, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Romae apud Sanctum Marcum, Prid. Kal. Augusti, Anno Incarnationis Dominicae M. D. C. x. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

CAP. V. XII.

Epilogus de vitæ puritate, exemplo, alijsque prærequisitis in Euangelico operatio.

VT summam omnium ferè, quæ hæcenus ex Ministrorum probitate diximus, quasi ad Epilogum redigamus, placuit hic ex B. Francisco Xauerio, Apostolico viro, quid ipse in prædicatoribus sancti Euangelij desideraret, ex eius vita per Horatium Turfellinum conscripta in memoriam reuocare. Is igitur lib. 6. eius vitæ c. vltimo sic scribit:

Horat. Turfell. in vita B. Xauerij.

Socios Ethnicis conuertendis, Neophytisque erudiendis, operam daturos, non modò lectissimos requirebat, sed huic rei maximè debitos; vt nihil quamuis speciosum ac præclarum tanto præferrent negotio, quo nihil superis gratius, mortalibus vtilius reperiretur. Nec magnificus solum hortator erat, sed etiam auctor, plus rebus ostendens, quàm verbis præcipiens. Namque gentiliū conuersione, atque institutione in omni vita ipsemet nihil habuit antiquius. Quin etiam Socios, qui ex India, aut ex Lusitania ad eum venissent, ita vocabat in diuini huius Ministerij societatem, vt spectatissimo cuique eam prouinciam præmium daret laborum. Primarios quippe viros potissimum tanto munere præficiēbat, auctoritatem sequens Apostolorum, qui *Cum audissent recepisse Samaritanam verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem*, Apostolorū scilicet Principes. Quocirca censebat ad Apostolicum munus deligendos viros egregia diuque spectata fide, virtute, constantia, sanctitate: tum quia tales vtique viros res ipsa postulare, tum verò, quoniam vsu doctus senserat, eam prouinciam esse grauissimis Sathanæ tentationibus, molestijs, ærumnis expositam. Proinde in eiusmodi Dominicae vineæ operarijs prudentiam magis ac sanctitatem, quàm scientiam doctrinamque expetebat, ratus ad tot tantaque difficultates superandas necessariam profectò esse virtutem; ad Ethnicorum autem conuersionem plus momenti sanctimoniam facere quàm doctrinam. Quod si virtutem decoraret eruditio, tum verò aiebat egregios perfectosque Euangelij præcones existere, Iaponia maximè oportunis, ceterisque locis ubi, aëria barbarorum ingenia subtilibus interrogationibus Christianam Religionem solerter explorent. Ceterum in omnibus Ethnicorum cultoribus requirebat ingenium, facultatem, ac studium peregrinae linguae addiscendæ, haud dubius sine sermonis commercio in barbaris ad Christum aggregandis, nouisque Christianis instituendis nihil admodum

B. Franc. Xauerius quales ad gentium conuersionem procurandas requireret.

Act. 18.

Idem sancti Petri quæ doctrinam expetebat.

Notitiam peregrinae linguae requirebat.

admodum profici posse. Itaque Apostolos, priusquam gentes docere aggrederentur, diuinitus imbutos omnium facultate linguarum. Præcipue optabat omnes ingenti animorum seruandorum cupiditate flagrare, nūquā vt eius rei prætermitterent occasionem, sed auide arriperent vrgerētque. In Neophytorum verò salutem atque institutionem strenuè iubebat insisti, infantes baptismo expiari, pueros erudiri Catechismo, & ante omnia baptizandis infantibus incuriam vitari, obliuionemq; percipiens, vt quātum humana ope prouideri posset, nemo prorsus periret sine baptismo, vnico puerilis ætatis auxilio. Suadebat quoque vt verbis, rebusque, Neophytos consiliantes sibi, studerent ab eis parentū loco diligi, colique: sic enim natura comparatum esse, vt amor omnia æqui, bonique consulat, nihilque sit amanti difficile. Quocirca in nouis Christianis excolendis, non fortius, quàm perseuerantius eorum nouerent vitia, infirmitatem sustinerent, frugemque sementis facta, laborumque (quamuis ferè spei) fructum velut boni Christi Domini agricolæ expectarent: haud ignari, *Qui seminant in lacrymis in exultatione messuros.* Quod si talibus initio Christianis non vterentur quales expeterēt, ita se cum eis gererent, vt cū improbis filijs boni parētes. Dei que benignitate freti, qui hominū mentes suo demū tēpore ad bonā perducit frugem, non diffiderent eos aliquando tales fore, quales optarent. Proinde nunquam desinerēt illos omni studio colere, præsertim cū Deus communis omnium parens, quamuis lesus a nobis, benignè tamen omnibus facere non desistat. Iam cū veteribus Christianis mulrum temporis esse conterendum negabat, ne fraudarentur noui. Quod si officiosi illorum congressus vitari nequirent, & sermones inferendos de rebus diuinis, atque ad animarum salutem pertinentibus; vt aut pijs exculti monitis paulatim fierent meliores, aut certè colloquiorum seueritatem auersati, nostrum nos negotium agere sinerent in instituēdis Neophytis. Exiguos verò fructus cū hominū approbatione maximis fructibus cum aliqua vel minima offensioncula potiores ducebat: paruos quippe fructus cum virtutis exemplo perceptos, & diuturnos esse, & semper augeri; contraque ingentes offensione hominum vitiatos paulatim corrumpi atque interire. Itaque eos iubebat aduersus omnes facilitatem ac submissionem adhibere, *Pacem*, vt ait Apostolus, *cum omnibus hominibus habentes*; contentionesque maximè cum Religiosis viris ac Sacerdotibus omni ope vitantes. Et simul præcipiebat, vt facilitatis magis, quàm grauitatis memores hilari lætoque vultu exciperent omnes, neminemque omnino aspernarentur, vt *omnes Christo lucrifacerent.* Dictabat etiam quod boni virtus non pariat, humanas artes haud quaquam parituras sine virtute. Proinde cauerent diligenter, ne peruulgata hominū via dignitatem atque honorem aut expetere viderentur; neu suis dictis,

factisve

factisve, ad humanam potius, quàm ad diuinam tenderēt gratiam. Veram vtique auctoritatem, egregiæ virtutis comitem, non hominū donum esse, sed Dei. Itaque si quando homines ipsi per se humanis artibus (omisso cælesti præsidio, germanaque virtute) quærant auctoritatem; diuino consilio fieri, vt eam parare dum student, funditus perdant: ne scilicet vilia sint hominibus dona cælestia, sed haud secus, quam par est, expectentur è cælo: nam quibus in diuinarum rerum procuratione hominum gratia, quàm Dei potior sit, eos non tam diuinum honorem spectare, quàm suum: verum sacrilegam illam ambitionem demum in ipsorum ignominiam exitiumque erupturam. Itaque sibi quisque prima esset cura, suumque animum summa vi excoleret; deinde in alienorum culturam animorum verteret curas. Neque enim alienæ salutis consulturum, qui suam negligeret: neque memorem fore aliorum, qui obliuisceretur sui. Contraque facile euenire, vt cui sua salus cordi esset, eius cura in aliorum quoque redundaret salutem. Quocirca nullum diem rerum diuinarum meditatione, & conscientiæ examine vacuum sinerent præterire, & quotidie ecquid in diuino obsequio deliquissent, ecqua in re suo officio aut diuinis defuissent conatibus, reputarent: secumque cum suis mentibus circumspicerent, quàm multa per eos Deus ipsorum vitio efficere desineret potius, quàm quid per ipsos efficeret. Alterum enim modestiæ, absolutæque virtutis incitamentum esse, alterum superbiæ, vecordięque, diuina facta sibi vendicantis; qua enim vero non aliam pestem perniciosiorem pijs hominibus reperiri. Puerilis porro ætatis educationem præcipuum opus existimans, monebat, vt Christianam doctrinam puerorum gregibus, quoad eius fieri posset, per se ipsi traderent, nec intermisso tam frugifero opere, neque alijs commisso. Ceterum neminem puerorum offenderent, irritarentve, sed ad veniam faciles in leuioribus noxis coniuerent, *Remittentes minas*, *Ephes. 6.* vt monet Apostolus; quo scilicet timida ætas alacrius salubrem capefceret disciplinā. Aduersus Magistratus Præpositosq; Ecclesiasticos moderatione tederet modestiaque: neq. vllis, quauis ingentibus eorū delictis atque iniurijs lacefsiti, cū eis vllō modo susciperēt similtates. Ferendo enim & dissimulādo magis quàm obsistendo superiores vinci; si minus vt suam ipsi corrigant vitam, at certè vt rem Christianam minus impediāt. Quocirca eos quasi suorum conatum, ac laborum patronos, in fructus emolumentique partem vocarent, quicquid boni perceptum esset, id illis, secū dum Deum, acceptum referentes. Ita demum Christi vinea operarios plus adiutorum defensorumque (si forte verbo, aut factō ab alijs violaretur) aut certè minus aduersariorum habituros. Iam auctor erat humilitatis benignitatisque ministeria, non minus sapè quàm libenter, exsequēdit in valetudinarijs, publicis que eius custodijs ægros ac vinctos officijs

pietatis, corrogataque stipe, subleuandi, sed ita ut simul corporibus animisque curandis opera præberetur, inimicitias sedando, odia restinguendo, tollendo lites, dissidentes ad pacem atque amicitiam adducendo. His quippe charitatis officijs diuinum amorem in animis nostris accedi, aliorum animos ad similia excitari facta; Dei seruis ad rei Christianæ propagationem plurimum accedere fidei auctoritatisque. Præcipue vero temere obloquentium rumores contemnerent, qui sæpe timidorum conatus frangunt atque debilitant. Exrat de ea re egregium præceptum P. Gaspari traditum, quod tale est: Si tibi pia ministeria obeunti, ut fit, obreætent improbi, de illorum vocibus non magnopere laborabis; ne quis animaduertat, te homuncionum vocibus à Dei obsequio absterreri, id vero laborabis. Nam quicumque talibus in rebus falsam infamiam, sermonesque hominum extimescunt, mundi verius quam Christi milites sunt, utpotè quos humanus respectus magis moueat, quam diuinus. Ad vltimum illud tibi antiquissimum esse volo, ut memor te Societatis IESU membrum esse, omnibus in factis, dictisque tali capite & corpore dignus existas. Hisce ex monitis facile apparet, non modò quàm sedulo serioque Franciscus socios exemplis pariter & præceptis, ad omnem prudentiæ ac sanctitatis excoleret laudem: verum etiam quàm valde omnibus in rebus Xauerij & Ignatij sensus inter sese cõgruerent, quippe cum eodem tẽpore (etsi infinito propemodum locorum interuallo disuncti) Ignatius in Italia Socijs præciperet, Franciscus in India. Sed videlicet vnus atque idẽ spiritus illa vtrique dictabat, utrobique Societatem ad certam formans disciplinam, celestemque ambobus prudentiam inspirans. Nihilò autem prudentior Xauerius in præcipiendo quàm in regendo fuit. Quippe vbi-cunque locorum esset, à Præpositis Societatis subinde omnibus de rebus certior fieri volebat; cunctisque incommodis non secus medebatur ac si adesset præsens. Nam decedens imperabat eis, ut ad se certis temporibus literas mitterent, quibus literis Sociorum tum veterum, tum recentium numerum, genera, facultates, exponeret: nimirum quibus virtutibus præditi, quibus doctrinis & artibus exculsi, quibus addicti ministerijs, quas ad res maximè nati aptique videretur, quæ in vnoquoque cupiditas conseruandorum animorum emineret, quos quisque ferret fructus, quibus vrgeretur angoribus, quibus molestijs, ac morbis tentaretur, premereturque. Denum (ad eò in rebus etiam minimis attentus erat ac diligens) de domesticis famulis, ac seruis, de ære alieno, talibusque rebus fieri se iubebat certiorẽ. Deque singulis vel personis vel rebus, utcunque res posceret, per literas præciperat. Nec mandasse contentus, quid facto opus foret, simul imperabat Præpositis, ut ad se quam primum scriberent, an sibi quisque mandata curasset, ut scilicet hoc illis imperium curam acue-

ret

ret exsequendi mandata. Ceterum etsi vltimas Orientis terras perlustras in barbararum gentium conuersionem incumberet totus: tamen immensa Oceani spacia remensus Socios suæ fidei creditos identidem reuisebat, ratus sibi pro suo duplici munere partiendas curas, ut sic adesset alienis, ut nõ deesset suis. Singulari vtiq̃ue industria ac virtute perfecit, ut si spectes quantum Christi cultum propagauerit, nullum spatium de Societate cogitandi habuisse: sin autem quanto opere Societatis res curarit consideres, nihil aliud aut egisse, aut agere potuisse videatur. Hactenus Turfelinus.

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OM- NIUM GENTIVM,

LIBER V.

Continens Dubia aliqua præcipua, quæ Euangelij
Ministris in terris infidelium agentibus
obuia esse possunt.



VT inoffenso pede calceati in Euangelium pacis altissimam animarum culturam exercent, post salutares instructiones, ac formam inter infideles cõuersandi traditam, antequam aduersus vniuscuiusque sectæ errores singularia aggrediamur certamina, illud prærequiri videbatur, quotidiana dubia, quæ agentibus inter infideles passim obuia esse solent, dissoluere: id tamen breuiter, & in genere tantum, excussuri postea speciatim in singulis sectis, quicquid dubitationis circa illas occurrere posset.

LIBRI V.
PARS PRIMA.

Quibus medijs liceat infideles ad fidei veritatem adducere.

DVBIVM PRIMVM.

An infideles tam Principibus Christianis non subditi,
quam eorum subditi cogi queant ad fidem
Christianam recipiendam?

Respondeo, Non solum infideles, qui Principibus Christianis non subduntur, sed etiam eorum iurisdictioni subiecti, cogi nequeunt ad fidem Christianam recipiendam. Conclusio est certissima & communi consensu Catholicorum recepta. Nam Principibus Christianis non incumbit cura infidelium, dicente Apostolo: *De his qui foris sunt nihil ad nos.* Præterea, quia cum credendi actus sit voluntarius ac liber, quempiam ad fidem cogi minimè patitur: nec solum Christiana fide ab omni vi, atque coactione debet esse aliena, sed etiam absque metu mortis, carceris, suppliciorum, seruitutis, aut similibus malorum suscipienda est. Neque enim vsquam legimus cuiquam hæc mala ideò illata fuisse, vt ad fidem, & Christianam Religionem traheretur. Idem omninò censendum est etiam de infidelibus, qui Christianorum Principum ditionibus subduntur, vt colligitur ex cap. de Iudæis, & cap. Qui sincera, dist. 45. Et docet D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. cuius sententia communi calculo recipitur ab omnibus.

DVBIVM II.

An infideles muneribus donis, officijs, & obsequijs
ad fidem allici possint?

Prima sententia asserit esse simoniam: quia si detur aliquid pretio asstimabile alicui, pacto expresso, vt ingrediatur Religionem, est simonia teste D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 9. in corpore, & probat ex cap. Quam pio
I. quæ.

I. questione secunda, vbi Bonifac. 8. prohibet omnem pactionem circa res spirituales, ergò nec licebit promittere munera aliqua infidelibus, ea pactione, vt ingrediantur Religionem Christianam.

Secunda sententia est asserentium non esse simoniam: pro qua sententia plures adducit auctores Thomas Sanchez lib. primo de Matrim. Disp. 36. I enet etiam Azor. tom. 1. Instit. Moral. lib. 8. cap. 24.

*Thom. Sanchez.
Azorita.*

Pro conciliatione tamen harum opinionum oportet scire, aliud esse donare alicui aliquid, sub conditione, si voluerit conuerti ad fidem: aliud verò cum pacto expresso, pro eo vt veniat ad fidem. Nam priori euentu non obligatur ad suscipiendam fidem, sed est conditionalis quædam donatio, subsistente conditione honesta, nec simoniæ crimen contrahitur, quoniam temporale commodum pro re spirituali non datur, sed officijs pagani voluntatem, & animum conciliamus, vt consulat suæ salutis, & ad id, quod alioqui iure diuino præstare deberet, nobis deuincimus, & ad suæ salutis studium, & amorem inducimus. Præterea, quia hic non interuenit, nec emptio, neque venditio, quia nullum emolumentum est ex parte dantis, sed tantum ex parte recipientis. In secundo verò casu pecunia datur vt pretium rei spiritualis: qua ratione si detur pecunia est manifesta simonia, datur enim pretium pro re spirituali, quo pacto docuit D. Tho. esse simoniam dare aliquid ex pacto pro eo vt alter ingrediatur Religionem. Nam per pactum intelligit factum onerosum, & materia contractus est res pretio existimabilis, & cedit in fauorem dantis: quare non potest sine labe simoniæ offerri pro re spirituali.

Hac præmissa distinctione, constituo licitum esse munera, & obsequia, aut officia alia infidelibus ea conditione promittere, si ad fidem conuertantur. Hæc sententia probatur primo. Quia sæpè in Scriptura Deus promittit bona temporalia sub conditione, si benè operentur illi, quibus fit promissio vt videre est Gen. 17.

Gen. 17.

Secundò Apostolus & Sancti alij miracula edebant, & à periculis sæpè homines eruebant, & infirmitatibus, ea conditione, vt fierent Christiani. Beatus Laurétius tyranno aiebat, Si credideris in Dominum Iesum Christum thesauros tibi ostendam, & c.

B. Laurentius.

Tertiò, quia licitum est legatum sub conditione, vt omnes fatentur, si fœmina ingrediatur Religionem: ergò in simili casu, & c.

Quartò, licitum est donare vitam infidelibus, ea conditione, vt baptizentur; quod esse vsu receptum testatur Medina C. de restit. q. 27. Et vita temporale quid est, & datur cum pacto recipiendi baptismum: ergò aliquid temporale potest dari alicui infideli, etiam extra mortis periculum, si fidem suscipiat.

Medina.

Quintò, quia allicere ad fidem in primis licitum est: & quod volens fidem

dem suscipere commodum aliquod temporale recipiat, non pugnat cum ratione, si tamen ipse non accipiat, ut pretium. Quare ergo qui offert committet simoniam?

Vlt. quia simonia non est, nisi ubi est & interuenit emptio, & venditio: hic autem nulla est emptio, aut venditio, & qui offert pecuniam infideli, ut conuertatur nihil recipit, & tamen in emptione & venditione utriusque contrahentes aliquid accipiunt. Ex quo inferitur posse fidelem feminam, remoto quolibet iure humano, cum pagano conuenire, ea conditione, si fiat Christianus, & Principem etiam infidelibus subditis veteralia minuire, si ad fidem Catholicam redeant.

Ex his facile constat solutio argumenti allati ex cap. Quæ pio. nam ibi agitur de pacto, non verò de conditione.

D V B I V M I I I.

An infideles compelli possint ad audiendum
Euangelium?

PROBABILIS sententia tenet, apud Principes Christianos esse ius compellendi paganos sibi non subditos ad audiendum Christi Euangelium. Quidam negant, ea ratione ducti: Quia sicut liberum est eis omnino credere, ac fidem suscipere, ita & sacrum Euangelium audire. Ita Greg. de Valent. 2. 2. q. 10. Disput. prima punct. 6.

Contrariam verò ut probabiliorem tenent alij, quia non est idem credere Euangelio, & audire Euangelium: non enim consequens est, ut qui ad audiendum compellitur, eo ipso ad credendum compellatur: cum quilibet etiam audito Euangelio sit liber, ut præstet assensum fidei, maxime (ut cum iudicio aduertit Azor. lib. 8. Instit. Moral. cap. 24. tom. primo) si viri probatæ vitæ, & expectatæ virtutis mitterentur ad Christi Euangelium paganis annūciandum: hi enim iure naturali digni essent, ut audirentur, ne iure vllus paganorum Princeps aut prohiberet, quò minus pagani, qui vellent, Euangelium audirent, aut idoneos Christi nuncios, aut præcones, & interpretes impediret: alioquin enim his, aut illis iniuriam manifestam inferret. Ita Couarr. in regul. Peccatum parte 2. §. 10. num. tertio, ubi id colligit ex S. Thoma, Caietan. & alijs. Infideles verò, qui Christianis Principibus subduntur, non dubium, quin possint compelli, ut Euangelio præstent auditum: atque huic sententiæ fidem faciunt Pontificiæ Constitutiones, quibus præcipitur Iudæis; ut certo quodam heb-

domadæ die conuocati, aliquem Theologum Doctorem, aliumve idoneum virum audiant: idque in praxi hodie Romæ seruatur.

D V B I V M I V.

An infideles compelli possint ad falsum Deorum
cultum abijciendum, & legem naturalem
obseruandam?

DVE sunt opiniones. Prima affirmat, quam probant Innoc. Hostien. Io. Andr. Panormit. Aluar. Pelag. de planctu Eccl. lib. 1. artic. 37. S. Antoni. Syluest. quos citat Couarr. in regula Peccatum part. 2. §. 10. num. 4. Idem censuit Maior in 2. Sent. distin. 44. q. 3. Alfons. à Castro lib. 2. de iusta Hæretic. punit. cap. 14. Horum potissimum fundamentum est, quia quisque ex rationis præscripto viuere debet, ergò si naturæ intra labefactæ, corripi, ac puniri potest.

Contraria sententia cõmuniter in scholis recepta est, nempe non esse licitum Principibus Christianis infideles vlla vi inuadere, propterea quod infideles sint, & Barbari, aut peccata committant contra legem naturæ. Ita docent Caiet. 2. 2. q. 66. art. 8. Victor. in Relect. de Indis part. 1. Couarr. vt supra. Latissimè etiam eam probat Greg. de Valent. 2. 2. Disput. 1. q. 10. punct. 7. Præcipua tamen ea ducitur ratione, quia neque titulo charitatis, neque titulo iustitiæ vindicatiæ possunt id Christiani Principes facere.

In hac verò controuersia placet sententia Azorij lib. 8. c. 24. tom. 1. qui præmissa distinctè. respondet. Aut enim pagani, inquit, id ius naturæ non seruant, quod debitum Deo cultum & honorem tribuendum præscribit; aut id quod cuique homini reddendum quod suum est, iubet. Si loquamur de priori iure naturæ, nequeunt pagani iuste puniri, eò quod diuinum cultum & honorem despiciant. Si verò de posteriore, quo ius naturæ dissoluunt, puniunt iure queunt: ut si furta, latrocinia, adulteria, homicidia, falsa testimonia, incestus, stupra aut perpetrent ipsi, aut liberam concedant facultatem huiusmodi mala perpetrandi, aut passim in alijs, quos iure suo ab ijs malis coercere possunt ac debent, sine vlla pœna, supplicioque permittant. His enim legibus naturæ violatis, planè consequitur, ut innocentes multis damnis, in commodis, & malis afficiantur. Iure autem naturali innocenti iniurias populare & possumus, & debemus. Item quia eiusmodi mala communi Reipublicæ saluti, paci, & bono officium &

Innocent.
Hostiensis.
Ioan. Andr.
Panormit.
Aluar. Pelag.
Ant. Syluest.
Couarr.
Maior.
Alph. à
Castro.
Caietan.
Victor.
Greg. de
Valentia.

Azorij
sententia
probatur.

nocent. Ex his clarè fit paganos eo solum, quia infideles sint non posse à Principibus Christianis puniri, aut debellari: quæ communis est Theologorum sententia.

Illud tamen occurrit animaduertendum, si Princeps paganus iura naturæ peruerat, aut passim à suis populis perueri impunè sinat, illisque inferat iniuriam, tunc poterit Respublica seipsam tueri, ac Christianos Principes ad sui auxilium vocare, atq; ipsos posse paganos Principes debellare.

Principum Christianis in paganos. Petes, quibus casibus Principes Christiani ius habeant agendi cōtra paganos? Respondetur cum Couarruua loc. cit. nu. 3. primò in eo ne aditum præcludant idoneis Euangelij nuncijs ad eos destinatis, eos excludendo, aut indignè & contumeliosè tractando. Deinde ne in Christum etufue Religionem & fidem probra, & maledicta conijciant. Præterea ne eos impediunt, neve remorentur, qui se ad Christum conuertendi desiderio tenentur. Item ne eos persequantur, qui Christi Euangelium audire cupiunt, student, aut annunciandum sibi & audiendum curant. Insuper ne quouis modo ad Christum conuersos infestent, opprimant, vexent. Tū etiā, ne vi, metu, minis, mendacijs, fraudibus alios inducant ad simulacra Deorum veneranda, ad thūs eis adolendum, aut ad legem naturæ peruertendam, aut ad susceptam Christi fidem deserendam: non tamen si exemplo, verbis, monitis, precibus muneribus ad id eos alliciant, & inuitent. Postremò ne suos, vel alios vanis suis Dijs immolent. Item ne eos permoueant, ac incitent ad immolandos homines, vt Dijs suis inferuiant, vel ad eos mactandos, vt vesci queant eorum carnis more ferarum. Sed quid si fontes homines alioqui capitis pēna damnati, Dijs immolari apud eos Ethnicos soleant, aut mactari, vt eorum carnes edantur? Respondetur nihil hoc referre: fontes enim iure quidem capite puniuntur, nefariè tamen, & impiè Dijs immolantur, aut ob humanarum carnis esum necantur.

De infidelibus verò, qui in ditione Christianorum Principum versantur, quando, & quatenus compelli possint ad Deorum suorum cultum abijciendum, ad legem naturæ seruandam, ad ritus superstitionis respuēdos, & ad omnem dæmonum impietatem sacrilegam detestandam difficultate non caret: sed vera sententia tenet posse Principes Christianos ritus superstitionis infidelium gētilium, & aliorum è mediò tollere, quia sunt contra legem naturæ, cuius custodiendę curam debent magistratus gerere; cuius rei exemplum extat in l. nemo C. de paganis, & templis, & sacrificijs eorum, qua Constantinus iussit eorum templa claudi, & sacrificia aboleri, ob quę laudatur ab Augustino Epistola 48. & Ambrosio Epistola 30. & in Conc. 8. Carthaginensi Cap. 15. decretum est, vt Patres pererent

erent ab Imperatore, vt quæcunque residua essent superstitiones gentiliū omnino deleterentur.

Ex quibus perspicuò constat, posse paganos legibus Principis Christiani, cuius ditioni & imperio subijciuntur, compelli, vt vnum Deum reuerentur, idolorum cultum abijciant, leges & iura naturæ custodiant, nihil denique in contemptum Christianorum, & rerum sacrarū audeant perpetrare. Nā hoc ipso quod Christiani Principis ditioni subiecti sunt, quemadmodū cogi possunt eas leges seruare, quæ ad commune Reipublicæ bonum, videlicet salutem, tranquillitatem, & pacem pertinent (quoniam interdici eis potest ne noctu arma deferant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promissa violent, ne frumenta extrahant, ne furta, adulteria, homicidia committant:) sic etiam adstringi possunt ad germanum, & verum cultum vni Deo bonorum omnium auctori, quod & natura ipsa edocemur, deferendum, ad idola è mediò tollenda, ad iura naturæ conseruanda. Ceterum Christiani prohibentur in paganos irruere, aut eorum bona diripere priuata auctoritate l. Christianis C. de paganis, quę lex lata est ab Imperatorib. Honorio, & Theodosio. Quamuis Christiani Principes simile ius habeant in paganos sibi subiectos; Ecclesia tamen aliquando aliquos eorum ritus iure permittit, vt rectè docet D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 11. eam scilicet ob causam vt plura, vel maiora aut grauiora mala vitentur, qualia forent, si pagani grauius offenderentur, si dissidia, & odia inde oritura probabiliter timerentur, vel si ad fidem Christianam suscipiendam aditus difficilior redderetur.

D. Thom.

D V B I V M V.

An infideles vel hæretici eijci è regno Catholicorum possint ea conditione, vt, si velint remanere, fiant Christiani?

PRobabile valde est posse Principes Christianos ex sua ditione Iudeos, aut paganos expellere, datis inducijs, vt, si intra tale tempus baptizentur, possint remanere. Id sub nostrâ ferme ætate in Hispania à Rege Catholico Ferdinãdo huius nominis V. factū fuisse legimus (vt tradit Simancas de Cathol. Instit. tit. 35. num. 7.) ex multorū hominum doctissimorum consilio, & sententia. Iussit enim Saracenos, & Iudeos quosq; ab Hispanijs discedere, quò vellent, intra quadrimestre temporis spatiū, vt vel ad fidem, & Religionem Christianam conuerterentur, vel bonis

Simancas.

omnibus suis venditis ab Hispania discederent, eis tamen, qui sacro baptis-
mate intingi cuperent remanere concessit. In hoc enim vis simpliciter
non infertur, sed libera optio datur, ut vel Christianorum prouincias de-
ferant intra certum tempus, vel Christiani fiant.

D V B I V M V I.

An filij infidelium paruuli inuitis eorum paren-
tibus possint baptizari?

Paruuli infidelium filij in triplici sunt differētia: aut enim sunt filij he-
reticorum, aut Saracenorum, vel Ethnicorū, qui ad Christianam di-
tionem minimē pertinent, aut eorum, qui ad Principum Christiano-
rum ditionem attinent, de quibus singulis suo ordine breuiter dicemus.

Conclusio prima. Ius est penes Ecclesiam hæreticorum infantes, inui-
tis ipsorum parentibus, baptizare, quia hæretici eo ipso, quod sunt bapti-
zati, Ecclesiasticæ iurisdictioni subduntur, casu quo ipsi abutantur pa-
tria potestate, quam habent in filios, æquissimo iure potest Ecclesia eos
compellere, ut filios suos baptizent; ac ipsis renuentibus eos subtrahere
& sacro baptismatis fonte abluere. Imò Ecclesia eorum hæreticorū filios
ereptos, ac baptismate renatos in Christo potest apud se retinere. Quin-
imò nec debet, nec potest illos parentibus restituere, quoniam haud du-
biè à parentibus seducti, corrumpentur breui. Vnde merito hæretici, pa-
tria illa potestate, quam in filios habent, priuantur, & filij sui iuris effecti
curæ Ecclesiæ relinquuntur.

Conclusio secunda. Filij infidelium, qui sub Christianorum imperio
non degunt, nulla ratione possunt sine peccato, eorum inuitis parentibus,
baptizari. Ita tenet communis omnium sententia, quam habet S. Thom.
2. 2. q. 10. art. 12. & 3. p. q. 68. art. 10. Ratio est, quia nunquam Ecclesia ha-
ctenus hoc iure & potestate ysa est, cum tot inprimis Christiani Impera-
tores, & tam pij Pontifices præcesserint.

Conclusio tertia. Filij nati ex vno parente Christiano, altero verò infi-
deli iure possunt baptismato donari, annuēte parēte Christiano, etiā si alter
renuat, ut apertè constat ex c. ex litteris de conuers. infidelium, & ex alijs
iuribus, etiā si is, qui renuit, sit pater, dummodo parens fidelis diligentē
curam suscipiat filij instituendi, caueatq; ne ab alio infideli seducatur. Te-
net hoc Azor. tom. 1. lib. 8. c. 25.

Sed quid si paterque parens tam fidelis, quam infidelis filium prohibe-
ant

ant baptizari, poterit ne Ecclesia contra voluntatem eorum illum bapti-
zare? Respondetur posse, quia cum parens fidelis teneatur illum bapti-
zare, atque Ecclesia habeat ius eum cogendi, si renuat, tunc eo ipso Eccle-
siæ cura & prouidentia relinquitur.

Conclusio quarta. Si parentes infideles longissimè absint, & distent
à filijs paruulis, licet Christianis, in quorum manus filij deuenerint, eos
baptizare. Ita tenet Azor. J. 8. Instit. moral. c. 25. tom. 1. Quia perinde est,
ac si essent omni parētum auxilio destituti, & ob id eorū curam Deus de-
mandauit his, ad quos aliqua tandem ratione peruenerint. Quare illi siue
bello capti, siue furto siue violentia sublati, siue emptioni siue iure acquisiti
siue expositi, siue alio modo ad Christianum hominem transierint, bap-
tizari, & in fide Christiana instrui debēt. Nam quamuis verisimilius sit esse
contra voluntatem parentum, tamen cum non sint sub eorum cura, sed
sub Christianorū potestate, ad eos attinet de eorum curare salute. Si verò
parētes nō lōgè absint, & consuli facile queant, si filij non sint serui Chri-
stianorum effecti, requirendus est eorum consensus, quia nondū sub eo-
rum patria potestate esse desierunt.

Conclusio quinta. Infantes eorum infidelium, qui sunt Christianorum
mancia, non possunt baptizari inuitis eorum parentibus. Docuit id D.
Thom. eiusque discipuli 3. p. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 12. & alij quam-
plurimi auctores, ea ratione ducti, quod infantes in his, quæ pertinent ad
salutem animæ, paterna cura dirigi, & gubernari debēt, nec Ecclesia vn-
quam huiusmodi filios inuitis parentibus baptizare consuevit. Contra-
riam opinionem sequutus est Scotus in 4. Dist. 4. q. 9. & alij cum eo. Pro-
babilior verò & verior est prima sententia.

Conclusio sexta. Si infidelium infantes inuitis parentibus baptizentur,
baptisma, etiam si iniuria fuerit collatum, erit firmum & validum. Ita
Caiet. 3. p. q. 68. art. 10. Siluest. verbo Baptismus 4. q. 7. Sot. 4. dist. 5. q. p.
art. 10. Estque communis Theologorum sententia. Hancque fuisse men-
tem D. Thomæ colligunt: nam ideo probat ille huiusmodi infantes inui-
tis parentibus non debere baptizari, quia eorum curæ, & potestati sub-
trahi deberēt, ne paternis suasionibus & fallacijs à fide deficerēt, & sacra-
mento fieret iniuria: at si sacramentum collatum esset irritum, nulla effi-
ceretur iniuria.

Conclusio 7. Si infantulus iam iam moreretur, secundum probabilem
sententiam, posset inuitis parentibus baptizari. Ita Sot. ut supra. Ego, in-
quit, in eo casu puerulum baptizarem, quoniam cum vitam animæ, &
corporis periclitetur: magno beneficio afficitur, si in Christo renascatur,
& parentibus iniuria non fit, cum breui eum sint amissuri. Nec fit iniuria
sacramento, cum non sit iam locus deceptioni, & parentum peruersioni.

D. Thom.

Scotus.

Caiet. m.

Syluest.

Sotus.

D. Thom.

Azor.

Conclusio octaua. Filij infidelium, cū ad rationis vsū peruenerint, parentibus ipsis adhuc renuētibus, iure possunt abluī baptisate. S. Tho. 3. p. q. 108. art. 10. Quia sunt iam facti sui iuris in his, quæ ad suam salutem spiritualem spectant. Si verò sit dubium an sint compotes rationis, tunc non poterunt baptizari, quia in dubijs melior est conditio possidentis, & cum parentes fruantur possessione in filios, his inuitis non sunt baptismo abluendi.

Petes quos nam parentum nomine intelligi oporteat cum differimus an inuitis parentibus? &c. Respondetur, nomine parentū intelligi quoque tutores datos infantibus parentibus destitutis: ad eos enim parentū officium, & cura transiit. sic Palud. in 4. dist. 4. q. 4. art. 3. Quamuis Sotus 4. dist. 5. q. 1. art. 10. affirmet non esse ita magnam iniuriam, si inuitis tutoribus filij infidelium baptisati donarentur.

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM.

LIBRI V. PARS II.

Quando Fideles teneantur fidem Christianam exterius profiteri.

D V B I V M I.

An confessio fidei externa sit necessaria ad salutem ex præcepto, & quando obliget. An & quando fugere liceat tempore persecutionis?

Confessionem fidei externam esse pro aliquo tempore ex præcepto necessariam, certum est ex fide contra quosdam veteres hæreticos aduersus

aduersus quos manifestè militat Christi Domini sententia Matt. 10. *Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et Luc. 9. cū omnes ad tolerandas persecutiones animasset illis verbis, *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdidit animam suam propter me, saluam faciet illam;* paulò post subiungit: *Nam qui me erubuerit & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua,* &c. Et ad Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum nostrum Iesum Christum, & corde credideris, quia illum Deus suscitauit à mortuis, saluus eris: corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quod testimonium expendens S. August. lib. de Fid. & Symbol. cap. 1. ait: *Fides officium à nobis exigit & cordis, & linguæ, ait enim apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Oportet nos esse & iustitiæ memores & salutis quādo quidem in sempiterna iustitia regnaturi à presenti seculo maligno scilicet fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes ore etiam profiteamur fidem, quam corde gestamus.* Vnde rectè docuit D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. confessionē fidei externam esse necessariam ad salutem ex præcepto, non negatiuo, cum sit actus virtutis, sed affirmatiuo: ac proinde non pro omni tempore, sed pro aliquo obligat. Quando verò hoc præceptum, & quo modo obliget, An & quando fugere liceat tempore persecutionis, oportet, vt per singulas Conclusiones sigillatim examinemus.

Conclusio prima. Aliquando licitum est fugere. Et probatur primò ex Doctoribus, qui asserunt in persecutione fidei fugam esse licitam, & virtuti tribuendam, & qui moriuntur in fuga, eos esse ferè Martyres, eò quod exsilij ærumnæ minores non sint ipsa morte. Ita Athanas. in Apolog. pro sua fuga. Cypr. lib. 3. Epist. 5. & 10. & in Serm. de lapsis, vbi ait: *Primum gradum victoria esse, confiteri Christum, dum quis est comprehensus, secundum verò esse fugam in persecutione.* Et Nazian. Orat. in laudem Basilij, commendat eius parentes, quod in persecutione fugerint. Idem docent August. Epist. 8. Bernard. Epist. 1.

Probatur secundò Sanctorum exemplis, qui fugerunt. In veteri namq; Testamento Iacob fugit ab Esau: Moyses à Pharaone: Dauid à Saule, & Abalone: Elias ab Achab. In nouo verò Testamento, Christus ab Herode, Paulus ab Areta Rege, Athanasius à Constantio, &c.

Probatur tertio ratione: quia hoc non est negare fidem, sed potius confiteri: ideo enim quis fugit, ait Cyprianus, quia vult fidem retinere. Præterea, quia aliquando non fugere in persecutione potest esse sine vlla vel exigua vtilitate illius vel aliorum, vt si reseruaretur ad meliora, si propterea cessasset persecutio, vel diminueretur, vel latens posset alios magis iuuare.

Matt. 10.

Conclusio secunda. Quandoque præceptum est fugere, ut constat ex illo Matt. 10. ubi Christus fugam Apostolis præcepit, & in persona illorum omnibus alijs in persecutione, ut ait Augu. Athanasius, Nazian. loc. cit. Et quia, si quis multum de sua constantia diffideret, teneretur fugere: ad quod similiter teneretur, quando ex sua permanentione non speraretur proximorum utilitas, sed maius potius incommodum timeretur, maiorque fidelium perturbatio: quia tunc esset prodigere vitam sine causa, dareque infidelibus maioris peccati occasionem.

Conclusio tertia. Aliquando etiam licet non fugere. Quod probatur, quia non fugere, non est se occidere, sed tantum non tueri vitam, quod est licitum propter utilitatem propriam & proximorum, ut patet exemplo Martyrum.

Conclusio quarta. Quandoque tempore persecutionis tenetur quis non fugere, cum nimirum id exigit proximorum necessitas spiritualis. Conclusio est manifesta, postulat enim id charitatis præceptum.

DUBIUM II.

Quando, & quibus licitum sit fugere, & quando non?

Notandum pro clariori huius Dubij notitia, personas omnes, de quibus potest esse controversia, ad tria genera reduci, nimirum, ad Pastores, ad Clerum, & ad Laicos.

August.
epist. 180.

Conclusio prima est. Quo ad Pastores, siue Episcopos, illis ex mente D. Augustini epist. 180. licitum esse fugere tempore persecutionis, in duobus casibus: quorum primus est, quando non manet plebs, vel populus, sed omnes vel occisi sunt, vel dispersi, quia tunc cessat ratio obligans ad manendum. Secundus est, quando persecutio non est communis Pastori & plebi, sed tantum est contra Pastorem, & illo recedente sunt alij, qui possunt providere plebi, præsertim cum duæ hæc considerationes concurrunt, scilicet, ut vita illius Ecclesiæ uniuersali valde sit utilis, cumque non fugit propria sponte, sed aliorum consilio & rogatu: hæc enim duæ conditiones fugam magis rationabilem efficiunt, magisque necessariam, & ipsum Pastorem tutiorem in conscientia reddunt.

Ex quibus colligitur, quod si persecutio communis sit Pastori & clero, non licere Pastori fugere, quamuis alij adessent, qui plebi necessaria ministrare possent, quia Pastor tenetur ex proprio officio salutem plebi providere, ad quod non obligantur, qui Pastores non sunt. Neque est maior ratio cur teneantur alij, quam Pastor: imò est contra cum Pastor manet, maiora

maiora bona posset illis præstare: & ex fuga Pastoris oriri solent in subditis multa scandala, & querelæ. Quod verum est, nisi Episcopus vel Pastor sit vir adeo insignis, utilis, ac necessarius Ecclesiæ uniuersali, & est contra optime sit pro illo tempore illi plebi prouisum, sitque exigua manendi utilitas: nam in hoc casu poterit Pastor fugere, extra quem, & prædictos duos casus non licet fugere: patet id ex Ioan. 10. *Bonus Pastor non fugit.* Et 1. Ioan. 3. *Sicut Christus posuit animam.* Quaritur, num liceat Pastori fugere, quando persecutio fidei facta non est ab infidelibus, sed quando est persecutio plebis contra Pastorem. Respond. Gloss. 3. q. 1. cap. Accusantes. & Abul. q. 111. in cap. 1. Matth. quod si non omnes subditi sint mali, & persequantur Pastorem, debet manere propter utilitatem aliorum: quod si omnes sint mali, sed ex præsentia Pastoris speratur correctio, debet etiam manere.

Ioan. 10.
Ioan. 8.

Conclusio secunda. Prædicatores Euangelici, qui ex charitate inter infideles versantur, tenentur ex vi præcepti charitatis non deserere persecutionis tempore fideles, dum in periculo propriæ salutis versantur: hoc enim interest inter ipsos & Pastores, quod hi ex iustitia proprijs debent consulere ouibus, illi verò ex charitate tantum. Si verò, ut inquit S. August. locis cit. persecutio sit in totum Clerum, siue sit communis etiã plebi, siue non, tunc partem Cleri debere manere, alteram fugere, & sic non peccat totus Clerus, & sufficienter prouidetur salutem plebis. Quod si non possit facile iudicari, quisnam debeat fugere, & quis manere, respondet S. August. id forte decidendum esse.

Conclusio tertia. Quod ad Laicos spectat Resp. primò eos in omnibus casibus, in quibus licet Pastoribus & Clericis fugere, multò magis posse fugere. Resp. secundò, Communiter in persecutione omnibus Laicis licere fugere. Ratio est, quia non tenentur communiter animas suas ponere pro alijs. Dixi, Communiter, nam ex aliqua causa ad id tenentur, verbi gratia, si obligentur ex charitate, quod dixi, verum est, siue antequam Laici comprehendantur, siue postquam comprehensi sunt: nam non videtur habere maiorem obligationem manendi post comprehensionem, quam antea. Et id videtur patere exemplo S. Petri, qui miraculosè liberatus ab Angelo fugit, postquam missus fuit in carcerem. Resp. tertio. Cum Laicis licet fugere, melius aliquando faciunt fugiendo, aliquando verò non fugiendo: nam aliquando possunt manere sine periculo, saltem probabiliter propriæ salutis spiritualis, & cum magna edificacione, & utilitate aliorum: est contra verò non fugiendo, probabiliter se exponunt periculo propriæ salutis, & temerè faciunt, maxime si diffidunt de propria constantia, & nihil aut parum sapè iuuant proximo.

Ex his colligitur, eos qui in regionibus hæreticorum sunt, in periculo

culo peccandi contra professionem fidei, ob tormenta & pericula, quæ illis inferuntur, si habeant firmum propositum, quod ope diuina nunquam negaturi sint fidem, sed illam confessuri quando fuerit necesse, non teneri patriam deserere: si verò careant prædicto proposito & animi constantia, vel experientia comperiant, se peccatores in tali occasione contra fidei confessionem, teneri potius recedere à patria, & bonorum temporalium detrimentum pati, quam spiritualium.

D V B I V M I I I.

An qui rogatur à Tyranno, sit ne Christianus vel Catholicus, eo ipso debeat confiteri se esse Christianum, vel Catholicum?

PRO cuius solutione sciendum est plurimum inter se hæc tria differre: nempe aliquem confiteri expressè se esse Catholicum. Deinde simulare, vel occultare fidem Catholicam, siue Christianam. Tertio sectam vel superstitiosam impietatem profiteri.

Hoc supposito vt certissimum constituamus, in duobus casibus, vt habet S. Tho. 2. 2. q. 3. art. 2. & cum eo communiter omnes Doctores, confessionem fidei esse necessariam, scilicet cum alioqui subtraheretur honos debitus Deo, aut vtilitas proximi. Declarat autem D. Tho. posse hoc contingere, si, dum quis de fide interrogatus taceret, crederetur non habere fidem, aut certè putaretur fides esse falsa, aut alij etiam propterea auerterentur à fide. Id autem probat D. Tho. in Respons. ad primum. Quia tunc alicuius virtutis actus est necessarius, seu debitus ex præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum, aut proximum: sed in illis duobus casibus confessio fidei est necessaria ad charitatis finem, ergo necessaria est ex præcepto illis duobus casibus.

Quid verò intelligat D. Tho. hoc loco, per *subtrahere honorem debitum Deo, aut vtilitatem proximo non consistendo fidem*, eruditè explanat Gregorius de Valent. 2. 2. Disp. 1. q. 3. punct. 2. nempe honorem debitum subtrahere Deo esse vel Deum affici ignominia, vel etiam in aliquo casu negligi magnum aliquem honorem Dei, qui ex fidei confessione potuisset ad illud peruenire; & ideo illud verbum (*subtrahendi*) accipiendum esse vel cõtrariè, vel etiam priuatiuè in casu, quo oportunitas suppetebat augendi maxime Dei honorem: quando autem timendum sit ne hoc contingat ex omissione confessionis fidei, iudicio prudentum decernendum erit. Præterea quid

S. Thom.

S. Thom.
explicatus.
Greg. de
Valentia.

quid intelligat D. Tho. per illa verba; *subtrahi proximi vtilitatem, non consistendo fidem*, idè auctor declarat, esse illam; aut priuari magno commodo spirituali, quando per confessionem alicuius facile non credentes traherentur ad fidem (in casu quo alias non potest illis oportune prouideri) aut etiam fideles perverti, nisi quis fidem sua confessione tueatur, & confirmet. Quando autem hoc accidat, similiter iudicio prudentum est relinquendum. Quocirca merito Caiet. d. q. 3. art. 2. reijcitur à recentioribus, asserens debere aliquem confiteri fidem, quotiescunque de illa interrogaretur: nam ex eo quod aliquis interrogatus taceat, vel potest sequi, vt interrogans decipiat, quam proximi deceptionem in multis casibus, cum bona causa subest, licet negligere; vel certè illud etiam sequitur, vt non redundet in Deum honor ille, qualis potuisset ipsi inde accedere: sed non semper tenetur quis procurare qualemcunque honorem Dei.

Ex qua doctrina inferunt communiter Doctores, seu potius declarant prædictos casus, quibus quis tenetur exterius fidem profiteri. Primum cum honor Dei auferatur. Hoc autem contingere existimant, cum aliquis interrogatus legitime auctoritate publica; etiam si non sit Superior, de sua Religione, se esse Christianum aut Catholicum neget: nam tunc graue peccatum committit, tametsi mortis metu, & verbotenus se talem esse negauerit. Et idem censendum est, si interrogatus publicè, & legitime sit Catholicus an nõ, tacerit, ti aut talem se tacendo esse dissimulet. Grauius enim delinquit: quoniam tunc temporis fidem suam clarè & palam prodere & confiteri debet: alioquin enim tanquam hereticus, & infidelis iudicabitur, & cum id negotij publicè transigeretur, pios Christianorum animos offenderet. Nam in his casibus obligat confessionis fidei præceptum. Dixi si legitime, & auctoritate publica interrogaretur. Nam si secreto vel priuatim ab aliquo interrogaretur sit ne Christianus an non, non peccat, si tacendo fidem simulet, aut occultet, aut si rogantem verbis ambiguis, aut aliò spectantibus eludat, quia is, qui rogat, nullum rogandi ius habet, ac proinde, qui respondet minimè obligatur ad veritatem fatendam.

Posterior casus est, cum impeditur vtilitas proximi: cum enim aliquis videt ex sua taciturnitate alios fideles trahi in errorem, quia putant fidem Christi non esse veram; ille tunc tenetur etiam cum vitæ periculo veram fidem manifestare. Idem etiam præstare teneretur, quando aliquos videret errore teneri, qui fidem amplecterentur, si illis fieret manifestatio. Cui verò nec de fide auctoritate legitima examinatur, nec aliqua speratur vtilitas proximi, temerarium est huiusmodi se periculis confessionis fidei inter infideles exponere: solum enim confert ad turbandum illos.

Extra hos casus non est obligatio confessionis fidei externa: vnde licet

fugere persecutionē Tyrānorū, vt iā dixi. Sed hæc fuga licita est, dummodo nō auferatur honor Dei, aut vtilitas proximi, nimirū, quia iudicat fidē nō esse veram, aut propter id multi à fide auertuntur. tunc enim non liceret. Quamuis autem non semper sit necessaria fidei exterior confessio, tamen semper est necessarium non manifestare aliquam sectam: non enim idem est non ostendere se esse Christianum, & ostendere se esse infidelem: illud enim non semper est illicitum, sed tantum in duobus casibus præmissis: hoc autem semper est malum. Si quis verò negaret se esse Hispanum, vel Italum, etiam si istę nationes apud infideles crederetur profiteri Christianam fidem, minimè ageret contra præceptum confessionis fidei, quia solum negat se esse virum illius nationis, vel gentis de qua rogatur.

D V B I V M I V.

An ab hæreticis rogatus quis, sitne Sacerdos vel Religiosus, an non: vel an audiret rem diuinam, si negauerit, peccet contra fidei confessionem?

Responsio est negatiua. Nam etiam si quis neget prædicta, non eo ipso negat se esse Christianum, vel Catholicum: quia licet simulare vel occultare Clerici vel Religiosi personam sine mendacio in verbis, ne quis prodatur à capite & vitæ periculo periclitetur, & ob eandem causam deponere potest Clericalē Religiosam vestem, & aliquando precatōnes solitas prætermittere, si eas commodè recitare nequit absque probabili vitæ periculo, quia leges humanæ vt plurimum non obligant conscientias subditorum cum graui vitæ discrimine, vt optimè in hoc casu docuit Azor. I. tom. lib. 8. cap. 27. Moral. Instit.

D V B I V M V.

An in hospitij hæreticorum liceat Catholicis carnes edere temporibus ab Ecclesia interdictis, ne se prodant & in vitæ discrimen veniant?

Ratio Dubij ea esse potest, si supponamus in huiusmodi hospitij eos, qui carnibus vescuntur, hæreticos ceteri: nam tunc, qui carnes edit, factō

facto ipso se hæreticum esse profiteretur: at sectam aliquam verbis vel factis profiteri est perse malum. Respondeo in hoc casu in primis si simul et aliquam honestam causam, vt abstineat à carnibus sibi ab hospite oblati, non peccat, quia tunc solum Religio Catholica simulatur, aut celatur: Si verò non sit locus conueniens excusationi in carnibus edendis ob vitæ periculum declinandum, non videtur peccatum committere. Nam carniū esus per se non est infidelitatis, aut hæreticæ prauitatis professio, sed res ex natura sua indifferens: ex accidenti verò hæretici talem esum iudicant signum suæ falsæ Religionis: Catholicus autem nulla lege compellitur cum probabili suæ vitæ discrimine vt se abstineat ab huiusmodi signis, quæ hæretici malo animo sibi constituunt, vt signa suæ perfidiæ. In hanc sententiam inclinat Azor. vt supra, quam secluso scandalo probabilem existimo.

D V B I V M VI.

An Catholico per hæreticorum, vel paganorum prouincias transcunti liceat salutis causa sese occultare eorum vestes inducendo, aut lingua & sermone illorum vtendo?

Sciendum est vestem, vel signum, quo nationes vel gentes vtuntur aliquando symbolum esse nationis, aliquando sectæ & Religionis.

Caiet. q. 3. art. 3. secunda secundę, docet nunquam licere Christianum, etiam metu mortis, vti veste vel signo infidelium, quando cunque lege vel consuetudine receptum est, vt qui certam sectam profitentur, vtantur eo genere vestis vel signi, vt qui in terris Turcarū ligaret caput tobalia alba.

Alij verò dissentiunt, iudicantes id esse licitum facere imminente mortis periculo, seclusa aliorum offensione. Ita sentit Bañez 2. 2. q. 3. art. 2. & Tolet. lib. 4. c. 2. nu. 8. asserit duram valde esse contrariam sententiam, licet fateatur esse communem. Azor. verò lib. 8. cap. 27. dub. 4. I. tomo & aliqui recentiores sequuntur Dominicum Bañez.

Mihi verò in hac re distinguendum videtur: Nam vel signa illa infidelium ita sunt instituta, vt ferè ex natura sua dicant ordinem ad aliquam sectam (vt verbi gratia imago Mahumeti, vel idolum Martis, aut Iouis,) quæ tantum repræsentant rem, cuius sunt imagines, & nihil aliud præ se ferunt quam falsum illorum Deorum cultum. Et tunc non dubium, quin huiusmodi imagines qui in capite vel in pectore aut alia in parte honoris

gratia gestaret, peccaret contra præceptum confessionis fidei, cum aperte ipso facto personis siue falsis dijs illo simulacro representatis honorem exterius deferret, quamuis mente & animo alienus esset ab earum personarum cultu.

Vel signa illa etiam si ab infidelibus sint instituta in ordine ad cultum, & professionem suæ sectæ, sunt aliàs ex natura sua indifferentia ad alios etiam vsus honestos, vt sunt vestes, quæ etsi propriæ sint alicuius sectæ, tamen primus earum vsus & finis est tegere corpus, vsibusque humanis in hac parte inferuire, quamuis per accidens ex institutione talis nationis signa sint talis sectæ: & tunc posset licitè quis similibus vestibus, alijsque signis indifferentibus vti, licet infideles possint interpretari illas vestes gerentem, aut similibus signis vtentem esse suæ sectæ professorem. Nam hoc potius ex eorum deceptione (quam ego non teneor vitare) sequitur, quàm ex meo facto, quia ego vtor re media & per se indifferenti, meisque vsibus deseruienti. Ex qua resolutione multorum casuum decisio ad hanc materiam spectantium elici poterit.

In primis sequitur posse Catholicum inter hæreticos conuersantem (si sine scandalo proprio, vel aliorum id fieri potest) meru mortis adire templum hæreticorum, eorum interesse conuentibus, atque concionibus, quia id natura sua indifferens est: nam multis de causis potest quis hæreticorum templum ingredi, & conuentibus atque concionibus eorum interesse: nempe vt facilius, validius & commodius eorum confutet errores, vel alijs iustis occasionibus (nisi ex accidenti id fiat cum aliorum scandalo:) Imò, vt auctor est Azor. vt suprâ Dub. 5. posset id etiam facere, vt obediat Principi etiam si hæreticus sit, cum timet honoris, rei familiaris, aut vitæ amissionem. Nam in eo solum obedientiæ officium suo Principi præstat; maximè si publicè inter fideles asseueret se id solum efficere, vt suo Principi pareat, non autem vt sectam hæreticam profiteatur: ea enim publica attestatione Catholicorum offensionem, & periculo consulit, & iniquam Principis vexationem iure declinat. An vero hæc sententiæ in praxi sit tuta, aliorum iudicio relinquo.

Secundo licet inferre non peccare seruum Christianum captiuum apud paganos, si domino suo in idolorum templo genua flectat, incuruatusque ante eum persistat; quia tum seruus tantummodo suo officio & munere fungitur: Quemadmodum ancilla Christiana caudam domine suæ gestare solita, tuta conscientia vna cum domina templum ingreditur, & genua flectente domina coram idolis, ipsa quoque se prosternit, non vt illis honorem deferat, sed vt reuerentiæ debitæ dominæ suæ satisfaciat.

Tertio inferitur, posse Catholicum, iubente Principe infideli, Christianos omnes in sua ditione existentes gestare signum aliquod, quo ab hæreticis

ticis distinguantur, illud licere non gestare, si periculum mortis vel rei familiaris immineat. Ita communiter omnes ferè moderni asserunt contra Caietanum, 2. 2. q. 3. art. 2. quia lex illa non obligat cum tanto periculo, ac ex consequenti: si Turcarum Imperator præcipiat, solos verbi gratia Mahometanos tale gestare signum vel vestem, vt Christiani non gestantes cognoscantur, ac morte afficiantur, possent etiam ipsi Christiani tali signo vti, dummodo non sit sectæ expressæ protestationum, in sensu superius explanato.

DE PROCVRANDA

CONVERSIONE OMNIUM

GENTIVM.

LIBRI V. PARS III.

*De Confessione fidei externa proprio sanguine testificata.
Vbi dubia aliqua de Martyrio expediuntur.*

DVBIVM I.

Quid sit Martyrium, & quæ eius conditiones?

ET si Martyrium, si attendamus vim Græci vocabuli, idem sit quod testimonium; & Martyr idem quod testis, vsu tamè loquendi in Ecclesia recepto Martyrium non est qualecunque testimonium, sed Christianæ veritatis, & iustitiæ. Atque hinc definitur: *Martyrium est morte ipsa pro Deo obita in testificationem, seu confessionem constantem Christianæ fidei veritatis, vel in seipsa, vel in aliquo pio opere relucens.* Ita D. 1. ho. 2. 2. q. 124. art. 1. *Martyrium quid.*

Vt autem huiusmodi mors sit verè Martyrium, quatuor conditiones requiruntur, quæ omnes ferè colliguntur ex proposita definitione. Prima conditio, vt re ipsa separatio animæ, & corporis sequatur, sicut ex communi doctrina docet D. Thom. vt supra art. 4. Vnde si quis citra realem mortem ipsam grauius tormenta patiat, huiusmodi tolerantia non propriè, sed per quandam similitudinem Martyrium dici poterit, vt ibi

ait D. Tho. ad primum: quo sensu interpretatur illud dictum Hieronymi siue Sophronij in Serm. de Assumpt. B. Mariæ, *Rectè dixerim, quod Dei genitrix virgo Martyr fuit, licet in pace vitam finierit.* Neq; obstat illud Domini ad Iacobum & Ioannem (qui Martyrium re ipsa non fuit perpeffus) *Calicem quidem meum bibetis.* Nam Ioannes etiam nihilominus calicem bibit, eo ipso quod promptissima voluntate mortem sibi imminentem acceptauit, quamuis re ipsa illa in tormentis non fuerit subsecuta, neque ideo Martyr adeò proprie fuerit.

Ob hanc etiam causam lato modo habentur pro Martyribus, qui post perpeffa Martyrij tormenta diutius viuunt in exsilio. D. Tho. d. art. quarto. Nam, vt rectè Cyprianus, *in Dei seruis apud quos cogitatur, & Martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur: Aliud enim est Martyrio animum deesse, aliud animo defuisse Martyrium.*

Idem docet vbiq; Cyprianus, Martyrum eximius laudator, & Isidor. lib. 1. Sent. cap. 23. Martyris nomen non tantum illis tribuit, qui extremam mortem pro Christo passi sunt, sed etiam illis, qui à confessione nominis Christi nullatortentorum atrocitate abduci potuerunt. Tertullianus autem hos designatos Martyres appellat; illos vero absolute Martyres.

Secunda conditio. Vt mors sequuta non sit contra voluntatem patiens: non tamen requiritur, vt sit expressè, & actu voluntaria, sicut patet in Innocentibus, qui sine huiusmodi voluntate verum Martyrium sunt consecuti, vt communis tenet Doctorum sententia, & constat ex traditione, & sensu Ecclesiæ celebrantis festum eorum tanquam verè Martyrum.

Ex quo etiam facto licet colligere nullum infantem ratione infantia esse Martyrij incapacem: nam si pro Christo interficiatur, eadem est causa in illis, ac in Innocentibus. Nec valet si dicas fuisse speciale priuilegium in Innocentibus, quia si tale interfuit priuilegiū, certū est illud non fuisse factum personis, sed causæ: hoc est quia mortui sunt pro Christo, vt optime Cyprianus Sermone de stella & Magis: *sufficit causa testimonio, licet nondum eloquio distinguatur.* Et Leo Papa, *vt diceretur nullum hominem incapacem esse diuini Sacramenti.*

Imò & Richard. in 4. dist. 4. art. 2. q. 3. extendit ad illos infantes, qui in vtero materno simul cum matribus occisi sunt: quam sententiam sequitur Pater Sa in Summa verb. *Martyrium.* Ita tamen censeo limitandam, si Tyrannus etiam intendat occidere fœtum in odium fidei.

Multò magis erunt censendi Martyres illi, qui degentes inter infideles, vel hæreticos, parati sunt ad subeundum Martyrium propter Catholicæ fidei confessionem, si aliquando ipsis repente mors in odium fidei inferatur,

tur, etiam si ipsi antea nescierint, nec se ad illud mortis genus præparaauerint, nec quicquam de illo in particulari cogitauerint, nec denique ante aduertere potuerint se mori pro Christo. Nam sufficit voluntas siue desiderium præcedens moriendi pro Christo, cuius virtute mors illata in odium Christi etiam illo dormiente est voluntaria.

Tertia conditio. Vt mors non obeatur, quasi ex consequenti, vt fit, quando quis intendit aliquid aliud, & præter eius intentionem etiam implicitam sequitur: & ob defectum huius conditionis mors militum in bello etiam si propter fidei defensionem occumbant, minimè est Martyrium, quia potius quærunt inferre, quàm sufferre tormenta.

Quarta conditio. Vt mors subeat propter iustam causam, id est ob fidei defensionem, vel in se, vel vt reluctet in opere pio virtutis. Quare illi soli sunt veri Martyres, qui propter fidei confessionem, & actum Religionis eiusdem tormenta patiuntur. Per actus Religionis intelliguntur omnes virtutes Christianæ, orationes, ieiunia, elemosynæ, sacramentorum administratio, & participatio, prædicatio, & auditus prædicationis verbi Dei, celebratio, & auditio sanctæ Missæ, & virtutes aliæ: leguntur enim in historijs Sanctorum Martyrum variè causæ Martyrij. Deinde notam est sanctum Ioannem Baptistam ob reprehensionem Herodis, & multas virgines ob virginitatis custodiam Martyrij palmas fuisse consecutas. Ita D. Thom. d. q. 124. artic. 5. & in epistola ad Rom. cap. 8. lect. septima.

Huc pertinet illud vulgatum D. August. Concione 2. in Psal. 34. *Martyrem facit causa non poena.* Et colligit ex illo Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Ex quibus etiam sequitur Martyres nō esse eos, qui ob hæresim, aut schisma ab Ecclesia Catholica iustis pœnis afficiuntur. Nec pro Martyribus habendi hæretici, aut schismatici etiam ab infidelibus propter nomen Christianum occisi, quia sunt extra gremium Ecclesiæ, vt luculenter docet Cyprian. Epist. 73. ad Iubaian. & de oratione Dominica & vnitæ Ecclesiæ: *Cum Deo (inquit) manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimis noluerunt, ardeant licet flammis, vel ignibus traditi, &c.* Plura huius, & aliorum S. Patrum testimonia in hanc sententiam habet Baronius in Prolegomenis ad Martyrolog. Roman. c. 10.

Denique à Martyrij palma reiiciendi sunt, qui non zelo fidei Christianæ, sed ad purganda sua flagitia vitam finierunt; neque illi, qui intrepidè sanguinem fuderunt, opinionem vulgi sectantes vt eorum reliquiæ à Christianis venerarentur. Docet Hieron. Comment. in epist. ad Galat. lib. 3. cap. 5.

Predictis igitur conditionibus concurrentibus mors pro iusta causa obita Martyrium reputatur: nec est semper necessarium, vt mors sit ab alio

Matt. 22.

Cyprian.

Isidorus.

Tertull.

Cyprian.
S. Leo Papa.

Richard.

Augustin.
Mast. 5.

Cyprian.

alio illata: nam quedam fuerunt etiam sanctæ Martyres, quæ ex peculiari Dei instinctu sibi ipsis mortem concurrentibus prædictis conditionibus intulerunt, ut patet ex Aug. li. primo de Ciuit. Dei cap. 26. ubi ait earum sanctarum Martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentari. Idem docet S. Ambr. l. 3. de virginibus, ad Marcellinam sororem, de Pelagis & filiarum morte: Euseb. Cesariensis. li. 8. Eccles. Hystor. de virginibus Antioch. & Sophronia, quæ se occidit, ne vim à Maxentio pateretur. Hieronym. sup. Ion. exponens illud cap. primi. *Tollite me & mittite me in mare; inquit: Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere: Unde in persecutionibus non licet propria perire manu absq; eo ubi castitas periclitatur, sed percutienti colla submittere.* Ita Hieron. Id tamen nulla ratione ordinariè licet nisi diuinitus fuissent iussæ ut optimè prosequitur D. August. ut supra. *Quid si hoc fecerunt (inquit) non humanitus deceptæ sed diuinitus iussæ, sicut de Sampson. Cum autem Deus iubet, seque iubere sine vllis ambagibus iurimat, quis obedientiam in crimine vocet? Quis obsequium pietatis accuset?* Hactenus August. rarissimè tamen credendum esse huic inspirationi.

D V B I V M II.

Quando currat obligatio subeundi Martyrium?

Primò omnes Christiani obligantur ex præcepto diuino ad Martyrium, saltè in præparatione animi, quia omnes potius debent velle mortem sustinere, quam negare, aut deserere fidem Catholicam, aut aliàs peccare mortaliter.

Secundò obligantur sub præcepto omnes Christiani ad perferendum Martyrium actu, quando currat præceptum tuendæ, aut confitendæ fidei, ut patet ex illo Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autè confessio fit ad salutem;* docet D. Tho. d. q. 124. art. 3. ad primum.

D V B I V M III.

An Martyrium aliquando cadat sub consilio?

Martyrium aliquando esse opus consilij si fiat cum debitis circumstantijs, docuit expresse D. Tho. 2. 2. q. 124. art. 4. Pro eius tamen sententiæ maiori claritate, sciendum, nemini absolutè licere vltro, sine aliqua rationabili causa, & Deo grata, se offerre Martyrio. Ita D. Tho. ut supra

pra art. 2. *Martyrium (inquit) oblatum debet tolerari patienter, sed non debet queri, quia non debet dari occasio agendi iniuste.* Unde D. Cyprianus fugit Martyrium, ut constat ex lib. 1. Epist. & Athanas. ut patet ex Homil. super Marth. cap. 10. & ex Apologia de fuga sua. Hinc eleganter Cyprianus Epist. 83. ait: *Dominus confiteri nos magis voluit, quam profiteri, quare temeritate non caret temere procurare Martyrium.* Huc etiam pertinet quod scribit Nauarr. in Manual. cap. 11. num. 14. *Peccat mortaliter, qui Deum tentat, temere se Martyrio offerens, ipsoq; infideles irritans, & occasionem illis suggerens ad eum occidendum sine aliqua causa, quæ vi præcepti, aut consilij ad ipsum obliget & dirigat.* Quare olim pro veris Martyribus habitus non sunt, qui non diuini spiritus impulsu, sed temeritate quadam nulla à persecutore facta interrogatione se sacros habere codices, quos non essent daturi, profiterentur. Baron. Annal. tom. 2. anno Christi 302.

Præterea non dubium, quin si temeritas absit, quod Martyrium etiam de consilio cum debitis circumstantijs pro Dei gloria susceptum sit opus laudabile. Ita docet S. Tho. 2. 2. ut supra art. 3. ad primum. Imò est praxis Ecclesiæ sanctæ multorum Martyria colere, qui zelo fidei non citati, neque interrogati vltro se Martyrio obtulerunt.

Non tamen caret difficultate hæ circumstantias explanare, nempe quando Martyrium non virgente præcepto aliquo laudabiliter suscipiatur, quando verò temere. Diuus Thomas ut supra expressè docet Martyrium esse consilij Euangelici, cum ex zelo fidei, & charitate fraterna sponte quis se offert Martyrio, ut multi Sancti fecerunt, non tamen explicat circumstantias quando Martyrium propter gloriam Dei liberè, nemine impellente susceptum, sit laudabile. Neminem legi hactenus exrepsè de re hac differentem.

D. Isidorus lib. primo Sent. cap. 23. præ alijs elegantissimè explanat quando Martyrium prudenter sit declinandum, quando verò amplectendum his verbis: *Vir sanctus vltro se pro agone certaminis debet offerre iustitiæ, sed tamen agonis fructum videns vberimum non debet declinare laboris periculum. Quod si maior est labor, quam animarum lucrum, declinandus est labor, quem minimum comitatur augmentum. Verumq; enim fecit Apostolus, qui & periculis se vltro dedit, ubi maximum animarum lucrum vidit, & sapienter se periculo abstulit, in quo potius laborem, quam lucrum esse perspexit. Vltro se Paulus apud Ephesum periculis obtulit, quia potius periculum lucrum vidit. Damasci autem ideo periculo subtraxit se ipsum, quia nullum periculi ipsius arbitratus est fructum. Disce quomodo ad Martyrium se offerat quisque vltro, vel quomodo iuxta sententiam Dei cingatur ab altero, & quo non vult ipse ducatur.*

Nos verò maioris claritatis gratia duo ut verissima constituamus. Primum nulla ratione licere Martyrium directè procurare, aut querere.

hoc est nullus sine alia causa, quam sufferendi. Martyrium etiam propter Dei gloriam debet se offerre persecutorum gladijs. Hoc est quod voluit D. Thomas, cum inquit, *Martyrium debet tolerari patienter, non tamen debet queri*; quia non debet dari occasio agendi iniuste, idque sonant sententia aliorum Patrum.

Dices, non licet procurare directe Martyrium: quia non licet desiderare, nec gaudere de illo. Resp. quamvis non liceat directe Martyrium procurare, licitum tamen est desiderio flagrare Martyrij, ut quamplurimorum Sanctorum monemur exemplis. Ratio est, quia directe querere & procurare Martyrium non potest fieri sine hoc, quod alijs demus proximam occasionem iniustae occisionis. cum vero desideramus vel complacemur in spe vel desiderio martyrij, desiderium precise fertur tantum in opus bonum, & honestum, quale est mori pro Christi fide, & ita appetimus passionem ex parte nostra, non vero actionem ex parte tyrannorum. Haec autem adiuuicem licet in re sint coniuncta, voluntate tamen & desiderio separari possunt, sicut etiam Dominus desiderio patiendi ante eius passionem ferebatur, ut ipse aiebat, Baptismo habeo baptizari, &c. non tamen desiderabat iniustam Iudaeorum occisionem; quia potest etiam quis desiderare iniurias, & opprobria ab hominibus illata pro Christo pati sine hoc, quod desiderio feratur ut alij peccent inferendo ei iniurias.

Secundum & tanquam certum constituimus, licere indirecte vltro se offerre Martyrio, atque hac ratione Martyrij palmam querere. Exempli causa: Aggreditur quis coram Tyranno opus aliquod bonum, ad quod non tenetur sub praeccepto, cum sit tantum de consilio, ex quo opere praescit sibi a Tyranno mortem inferendam, ut si ex praedicatione Euangelica inter infideles (casu quo ipse non astringatur eiusmodi praedicationi) vel ex auditione, aut celebratione Missae inter haereticorum, praecognoscat sibi imminere capitis periculum, tunc non dubium, quin liceat opus illud bonum quando ex illo operatur aliqua utilitas proximorum etiam cum periculo vitae perficere, quia tunc iste non praebet occasionem proximam iniustae occisionis, sed potius hoc sequitur ex malitia infidelium, aut haereticorum.

Oportebit tamen cum iudicio considerare, quando erit laudabile indirecte se offerre Martyrio, quando vero Deo acceptius Martyrij declinare occasiones: hoc enim pendet ex prudentia & arbitrio boni viri, qui expensis prudenter, & mature postquam Deum assidue orauerit, omnibus circumstantijs, maxime, utilitatis, quae effusione proprii sanguinis consequetur, an (inquam) maior futura sit utilitas animarum, ut si probabiliter fructus aliquis tam pro adducendis infidelibus ad Christianam Religionem, quam confirmandis, & stabiliendis Catholicis in fidei confessio-

ne speretur. Et hoc est quod voluit D. Isidorus d. cap. 23. ut supra: cuius verba si recte considerentur duo aptissime explicant. Primum, quando vltro se quis debeat offerre labori: non enim dixit Martyrio (hoc enim directe non licet) sed labori, id est operi aliquo bono cum labore coniuncto ad quod sequatur Martyrium. Secundum, quando declinandus sit ille labor, qui ansam praebet Martyrio, quando vero sit amplectendus, licet Scholiastes ibi non fuerit assecutus mentem Isidori. Haec sub iudicio doctiorum.

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM

GENTIVM.

LIBRI V. PARS IV.

De communicatione in genere cum infidelibus.

DVBIVM VNICVM.

An & quatenus liceat communicare cum infidelibus tam in conuersatione quam in alijs?

INFIDELIS alij nunquam in Ecclesiae gremio fuerunt, ut Gentiles, & Iudaei: Alij fuerunt aliquando in ea, & in illos habet quoddam ius Ecclesia ratione baptismalis characteris, ut haeretici & schismatici. Praeterea communicatio, aut contingere potest in actionibus non spectantibus proprie ad infidelitatem, ut in politica conuersatione & conuictu &c. aut est in ipsis actionibus infidelitatis, quae spectant ad cultum superstitiosum, idque vel directe, ut simul cum infidelibus sacrificando idolis, aut indirecte aliquo modo, ut suppeditando infidelibus materiam ad cultum superstitiosum.

Conclusio prima. Nullatenus licet cum infidelibus communicare in aliquo opere infidelitatis directè: nam omnia huiusmodi opera sunt per se mala.

Conclusio secunda. Certum est non licere extra casus necessitatis communicare vlllo modo cum infidelibus hæreticis, apostatis, cum sint ab Ecclesia excommunicati, quod tantum intelligi debet, de hæreticis nominatim excommunicatis iuxta tenorem Extrauag. Ad euitanda: de qua nos infra lib. septimo latius dicemus, agentes de communicatione cum hæreticis.

Conclusio tertia. Cum infidelibus alijs, qui nec sunt hæretici, nec apostata, licitè possunt politicè communicare illi, qui sunt in fide solidi, quoniam tales infideles non sunt excommunicati ab Ecclesia cum sint extra illam, & aliunde nullum tunc imminet periculum ex illorum conuersatione. Qui autem infirmi sunt, non debent cum huiusmodi infidelibus communicare: nam exponerent se periculo, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 10. artic. 9.

Conclusio quarta. Licet Catholicis vendere infidelibus ea, quibus constat eos abusuros ad superstitiosum cultum, iusta & rationabili causa, vt verbi gratia vendendo Iudæis agnum instante festo Paschatis, aut idolum alicui gentili. Ita docet Gregor. de Val. secunda secunda, quæst. 10. punct. quinto, secutus Syluest. ver. *Infidelitas* quæst. quarta. Vbi rectè distinguit de causa, qua inducitur quis, vt rem suppeditet infideli: nam vel illa est rationabilis propter necessitatem aliquam, & tunc licitum erit suppeditare quamcumque rem quocumque modo destinata ad malum vsu, quoniam non tenetur quis cum notabili detrimento suo, consilere spirituali indemnitate alterius, sed potest commoditatem suam spectando negligere lapsu alterius spirituale, quando non tenetur illum vitare. Si verò quis non habeat causam rationabilem suppeditandi, vel vendendi rem infideli, qua is est abusurus, peccabit suppeditando, quoniam ex charitate tenetur quilibet quantum in se est impedire peccatum proximi, si hoc potest absque notabili detrimento. Ita docent hi auctores, & existimant distinctionem hanc rationabilis, aut irrationabilis cause pro regula habendam in huiusmodi, & similibus casibus, quando præbemus materiam peccandi sine intentione, vt possimus discernere quando sit peccatum ex parte nostra, & quando non. Caietanus verò secunda secunda quæst. 169. artic. secundo ad quartum, alia vsus est distinctione. Aut enim, inquit, quæ venduntur paganis, per se ad superstitiosos eorum ritus, aut ceremonias spectant, vt idolum, vestis sacerdotalis, superstitiosa fana siue synagogæ superstitiosis vsibus destinata: aut sunt res medicæ, & indifferentes, vt sunt herbe, flores, animalia, &c. Prioris generis res non licet

licet vendere infidelibus: posterioris verò generis licitè ex mente Caiet. vendi possunt. Hęc circa communicationem cum infidelibus in genere dicta sufficiunt, cetera quæ peculiariter spectant ad communicationem tam cum hæreticis, schismaticis, Iudæis, & Saracenis, quam cum gentibus habendam suis proprijs locis latius prosequemur.

Interim tamen illud animaduertere oportet, ad Missam audiendam non debere admitti infideles, ethnicos, Iudæos, Hæreticos, Excommunicatos, Interdictos, Schismaticos, Incestuosos, Simoniacos, Infames, cap. Cleros distinct. 21. & alibi sæpè in iure Canonico habetur expressè. Possunt tamen hi omnes ad prædicationem verbi Dei audiendam cum ceteris admitti, si non sint denunciati vt vitentur iux. cap. Episcopus nullum de consecrat. distinct. prima cap. Iudæi quorum de consecrat. distinct. quarta iunctis gloss. quæ conciliant capitula quæ videntur contraria; de quo Nauar. Manu. cap. 25. numero 56. & cap. 27. numero 36. ad quintum dubium.

Est tamen inter infideles, & fideles excommunicatos, aut interdictos denunciatos specialiter differentia: nam propter infideles aduenientes non deseritur Missa iam incæpta. Propter excommunicatum autem vel interdictum denunciatum adstantem Missa incæpta est relinquenda, si ante initium sacri Canonis, seu ante consecrationem fiat, donec talis exeat Ecclesiam monentibus ceteris adstantibus. Quod si nollet exire, eiiciatur ab eis, sed si metuatur seditio & sanguinis effusio Missa, relinquetur à Sacerdote, omnesque abibunt.

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM, LIBER VI.

De vnione Schismaticorum omnium cum Ecclesia
Catholica procuranda.

PROLOGVS.



QUAMADMODVM diuinę charitatis vnio, quę membra Ecclesię viuo suo capiti Christo coaptat & adstringit, Deo gratissima est: ita vehementer displicet membrorum diuisio, quę spiritum pacis & dilectionis extinguit. Quamobrem qui inter veros Ecclesię filios rem Deo acceptissimam facere cupiunt, in conuersionem Schismaticorum, qui ab Ecclesię Romanę corpore seipfos diuiserunt ferio incumbere deberent: quod subiectis rationibus persuaderi videtur.

Prima: Negari planè non potest, quin Ecclesia Latina Gręcæ, & alijs Orientis prouincijs, vbi schisma grauatur, plurimum debeat, cum ab eis pretiosissima bona, antequam scinderetur, receperit. Floruerunt quippe ibi Patres sanctitate ac doctrina celeberrimi, quorum monumentis erudimur, & ad pietatem incendimur. Quis ergo non videat, dolendum esse, quod pars Ecclesię nobilium germinum productrix se à summorum Pontificum obedientia subtraxerit? eoque dolore vnà cum gratitudinis stimulo ad schismaticorum reductionem non exciteretur?

Secunda: Clarissima Concilia in Ecclesia Gręca ac Orientali celebrata sunt: & profectò pios animos intimè mouet diuisio eius partis, in qua vnio tot sanctorum facta, & ad commune totius orbis bonum deriuata fuit. Quocirca pro parte illa resarcienda Iesu Christi famuli strenuè laborare deberent.

Tertia: Ipsa gentis ruditas summa commiseratione digna est, præsertim si cum vitiorum colluue coniungatur. Et quidem eò amplius adiuvanda esset, quò saluti propinquior est, cum minus quàm infideles, à Christo

Christo recedat. Ordo enim diuinę charitatis exposcit, vt eò plus dilectionis impendatur, quò quis nobis coniunctior est.

Quarta: Notum est ex schismaticis aliquos hac atate nostra misisse Legatos, qui summis Pontificibus obedientię obsequium redderent, pro his qui Romam venire nequibant. Et licet postea ad vomitum redierint, fortasse non prorsus tota defectionis causa in eorum fragilitatem refundenda est, cum probabile sit multos ex ipsis in Ecclesię obedientia fuisse perseueraturos, si ministros Latinos nacti fuissent.

Denique charitas ipsa validissimam rationem producit, vt quò quis Deo coniunctior est, eò fortius omnem diuisionem à proximorum animis depellat. In ea verò missione, quę ad Schismaticos instituitur (vt admissos Schismaticis hæreticos præteream) pro charitate pugnatur, quodam scilicet prælij genere, quod veros Christi amicos decet: qui ferre non possunt Christi vestem discindi. Atque vtinam Ecclesię Principes in aduando grege diuiso plurimum auctoritatis & operę, igne charitatis incensi, ponerent, vt fieret Christi vestis contexta pertotum, & antiquę sanctitatis forma rediret.

Schismaticorum autem reductionem in duo præcipua capita diuidemus. Primum erit de Græcorum ac Ruthenorum procuranda salute. Deinde de Orientalibus omnibus iuuandis, quorum maximus est, numerus, Deo dante, dicemus.

LIBRI VI.

PARS PRIMA.

De vnione Græcorum ac Ruthenorum cum
Ecclesia Catholica.

DVM stetit in Oriente syncerior fides atque simplicitas, ingens fuit Græcię splendor, tum ob Christiani orbis imperium, quod aliquando in Græcia floruit, tum ob disciplinas ferè omnes, quę à Græcis ad omnes ferè alias nationes promanarunt. At vbi Græci in superbiam elati, Romanam Sedem omnium Ecclesiarum matrem aspernari cœperunt, diuinitus factum est, vt & imperij splendorem, & quod maius est, in variis erroribus prolapsi Orthodoxam fidem amitterent. Pertentatum igitur

*Græci quam-
do in schis-
ma lapsi.*

tur fuit sæpè ab Ecclesia Latina, tam in Synodis generalibus quàm alijs modis, vt tanta atque adeò præcipua Reipublicæ Christianæ portio, veterum Patrum suorum vestigia terens, ita nobiscum modò sentiret, quem admodum Apostolorum sæculis vna erat atque consentiens. At cum quaterdecies suos Græcia errores agnouerit, adhuc super cordibus eorum manet velamen, vt id quo sæpè conuicti sunt, vt iudicio suo condemnati, confiteri iam nolint. Talis est schismaticis natura & conditio: nam cū pietatis speciem præ se ferat, eaque contenta sit (quo etiam fucō nostri temporis hæretici populos deceperunt) caputque, à quo vitæ spiritualis sensus & motus accipiat, non habeat, vix rationis vilius vim extrinsecus admittit, & si quid veritate cogente admittit, hoc vix diu retinet. Et quamuis nullum fuerit sæculum, in quo non plura & maxima Romana Ecclesia contulerit beneficia in Græcos & Orientales, vt latissimè ac satis eleganter Thomas Bozius lib. 5. de Signis Ecclesie c. 4. & 5. recenset: id tamen inficiari non possumus, non omnem fuisse adhibitam diligentiam, vt res incepta ad optatum finem perduceretur. Nam si cū primum absoluta Florentina Synodus, libelli ea de re pro populi captu, & communi lingua per Oriëtem semel atque iterum fuissent sparsi, illarum salutiliter esset consultum, secundiorèmq; segetem habuisset Ecclesia, quæ, vt ita dicam, non potest consolari, quia non est.

Sed & præter Eugenium I V. si Innocentius III. Gregor. X. Alexander VI. alijque Pontifices hoc negotium aggressi non sola Synodorum conuocatione, vel vnus hominis epistolæ ve missione contenti fuissent, sed rem hanc sedulo Apostolorum more vrsissent, forsan Ecclesia suo foetu non esset orbata, ac tam insignes nationes ad pristinam gloriam redissent.

Verum etsi ex ista tantorum Pontificum diligentia pro Græcorum aliorumque Orientalium conuersione adhibita non tantus extiterit fructus, quantus optandus erat: tamen minimè cessandum erit à sollicitudine, vt vinculo Religionis Catholicæ Ecclesiæ iungantur. At verò vt hoc fiat, non est opus vnus diei aut legationis: etenim Arca, in qua pauci salui facti sunt, non nisi 100. annorum spatio, id est, longanimiti, & non intermissa perseuerantia perfici potuit. Proinde huic rei seriò ac cum magna animi longanimitate enixè connitendum est, vt fructus subsequatur, & vt Græci vera Religione imbuantur: tum quia inter alios ab Ecclesia Catholica dissidentes Græcis tanquam coniunctioribus ac domesticis fidei, ac tanquam genti olim florentissimæ, & cuius antiqui Patres Ecclesiam illustrarunt, maior quàm alijs cura pro recuperanda eorum salute debeatur. Quare meritò alloquens cœli incolæ ciuèque domesticos Dei exclamat quidam Doctor, Asterte, inquit, opem gratiamque diuinam tum nobis,

tum verò mortalibus cunctis, vt ad Ecclesie, cuius admirandas & diuinas explicauimus virtutes, conuolent omnes complexum. Videte quibus Oriens, vnde Christianæ Religionis lumen effulserat, nunc tenebris inuoluatur, quibus miserijs opprimatur. Item Græcia sapientiæ quondam parens, imperij summi sedes, vt altissima circumfundatur caligine, vt durissima seruitute, postquam discessit ab Ecclesia, olim cœperit astringi, nuncautem penitus conteratur? Quomodo sedet quasi vidua domina gentium, Regina prouinciarum? Euanuit ab illa decor omnis, è sublimi missus est ignis in eius ossa. Tetendit arcum suum Deus, quasi inimicus firmavit dexteram suam, quasi hostis occidit omnes quod pulcrum visu erat in tabernaculis eius. Non est qui consoletur ipsam ex omnibus caris eius, omnes amici spreuerunt eam, non despectam tamen ab Ecclesia matre, quæ toties eam tutata est, atque adhuc tutatur sola aduersus inimicos eius. In suam domum vocat illam, domum luminis, domum sapientiæ, & omnium bonorum. Si ignoras te, ô pulcerrima nationum, abi post vestigia gregum tuorum, & pascè illos iuxta tabernacula pastoris illius, cui dicit adhuc Christus, *Pasce oves meas*. Vide vt ille brachio suo congreget agnos, in sinu tollat, at fetos Romæ, & vbiunque potest, ille gesserit? Meministi quoties aduersus lupum, qui nunc te tuosque discerpit, dilaniat, deuorat, cum maximis suorum copijs, vt te ab amicis tuis desertam defenderet, adcurrerit, aduolarit. Reuertere in te tandem, reuertere, & exemplo filij prodigi, vide quot in domo matris tuæ abundant, tu autem fame peris. Prætendite, ô beatæ mentes, quæ in cœlo degitis, pereuntibus lumen, conciliate illis gratiam diuinam, robur cœlestè inspire, miseremini errantium, miseremini pereuntium: tum quia Græcorum schismati & vestigijs non contemptenda mundi pars inhæret: huius enim sectæ & religionis sunt Moscoviæ, Rutheni, & aliæ nationes: latissimæ namque patient eorum ritus & fines: nam ab ortu Solis gaudet Constantinopolitano ac alijs tribus Patriarchatibus; à Septentrione vniuerso Moscoviæ Patriarchatu & Lituaniæ parte, hoc est alba Russia & rubra; à Meridie Cypro & Creta, in qua 14. millia pagorum numerantur: occupantque alias quamplurimas gentes, præcipuè verò Georgianos, quos Iberos appellant Cosmographi, qui omnes, exceptis paucis, qui Romanam Ecclesiam venerantur vt matrem, ijdem errorum tenebris implicantur.

Pro Græcorum igitur aliorumque Schismaticorum salute procuranda quatuor præstabimus. Primò de erroribus, qui Græcis attribuentur, de schismatis origine ac confutatione dicemus. Secundò de ratione iuuandi Græcos, aliosque schismaticos, eosque ad fidem alliciendi. Tertiò in quibus rebus communicatio cum Schismaticis, Catholicis à sacris Canonibus sit permessa.

Ecclesia Romana beneficia in Orientalibus.

Synodus Florentina.

1647. 21.

CAPVT I.

De erroribus, qui Græcis attribuuntur, & de eorum confutatione.

Græcorum
errores
præcipui.

PRæcipui Græcorum errores, qui illis à Concilio Florentino & alijs imputantur, quinarium numerum non excedunt.

Primò, negant Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio.

Secundò, asserunt Sacramentum Eucharistiæ confici non posse in azymo pane, sed præcisè in fermentato, adeoque tenaciter inhærent his duobus erroribus, vt inter alia peruersa dogmata, propter quæ ab Ecclesia Romana desciuere, hæc duo omnino præcipua, & veluti totius dissensionis capita fuerint.

Tertiò, docent nullum esse purgatorium locum, in quo animæ corporibus emigrantes purgentur à sordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipiantur, & ex consequenti nihil prodesse defunctis sacrificia, elemosynas, & huiusmodi opera pia quæ à viuis pro illis offeruntur.

Quartò, quòd Sancti post hanc vitam ante diem iudicij Deum facie ad faciem non videant, neque eius visione fruantur, nec peccatores ante eundem diem inferni supplicij afficiantur.

Quintò errant, negantes Summum Pontificem Romanæ sedis Apostolicæ caput esse totius Ecclesiæ, ac B. Petri Apostolorum Principis successorem. Concedunt ipsi quinque esse totius Ecclesiæ primarios, & præcipuos Patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Ierosolymitanum, & inter hos quidem Romanum ordinis quidem & dignitatis primatum habere, ita vt in Concilijs & alijs conuentibus primum locum in sedendo, sententiam dicendo, suffragium ferendo, & subscribendo tenere debeat, sic tamen vt nihil iuris & potestatis in alios quatuor, præcipuè vero Constantinopolitanum habeat. Guido Carmelita & post ipsum Gabriel Palzottus de scetis hæreticorù, verbo *Græci*, multos alios errores Græcis attribuunt: licet Lucianus natione Cyprius, ordinisque Prædicatorum Theologus pius & doctus apud Possenium tom. 1. Biblioth. lib. 5. c. 8. magnam prædictorum errorum partem fuisse Græcis impositam contendat, vt nos etiam obiter hic adnotauimus.

EX mente igitur prædictorum auctorum errant Græci primo affirmantes

mantes simplicem fornicationem non esse peccatum contra illud Chrysofost. Matth. 5. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, fornicationes, furta, &c.* quamuis Lucianus vt supra excuset Græcos ab hoc errore.

Secundò errant Græci, cum dicunt eos, qui sunt aliquibus peccatis implicati, cum eucharistiam suscipiunt, non recipere corpus Domini contra illud Apost. *Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, &c.* quibus verbis satis ostenditur quod peccatores verè illud sumant, licet indigne, & quod iudicium accipiant, non diiudicantes corpus Domini: licet Lucianus falsò hunc errorem Græcis imponi affirmet.

Tertiò primas nuptias admittunt, secundas damnant: in quo clarè Evangelio contradicunt Matth. 10. & 19. Si enim alter coniugum mortuus fit, alter solutus est, vt iterum possit nubere. Sed Lucianus negat damnari secundas nuptias à Græcis: fatetur tamen solere Græcos Sacerdotes in primis benedicere, sed non in secundis.

Quartò docent nuptiarum fœdus posse pro coniugum arbitrio dissolui, & fieri diuortium. Lucianus tamen apud Possenium, vt supra affirmat nunquam inter Græcos permissum fuisse diuortium, quo liceret nouas quærere nuptias.

Quintò errant, affirmantes Latinos contra Apostolorum præceptum non seruire abstinentiam à sanguine & suffocato, non aduertentes illud Apostolorum decretum contra idolorum cultores larum fuisse, qui immolatum & idolatum edebant. Quare tantum illud seruandum erit sicut & à Catholicis seruatur, vbicumque inter gentes quæ idola adorant immolantia sunt. Porro illo Apostolorum decreto tantum immolantia & non alia prohiberi docent grauisissimi Orientalium Patres B. Cyrillus Hierosolymitanus in 4. Catechesi, D. Grego. Nazianz. Serm. in sanctum Pascha, Iustin. Martyr q. 45. Origenes lib. 8. contra Celsum, & alij.

Sextò asserunt Eucharistiæ Sacramentum, in die cœnæ Domini confectum, esse excellentioris virtutis & efficacis, quàm alio quolibet die confectum. Hunc tamen errorè falsò imponi Græcis Lucianus quoque defendit.

Septimò errant Græci cum Sacramentum extremæ vnctionis infirmis quandoque ad corporis quoque salutem prodesse negant: id enim apertè pugnat contra illud Iacobi, qui de hoc Sacramento loquens ait: *Et oratio fidei saluabit, vel (vt textus Græcus habet) sanauit infirmum.*

Octauò, affirmare etiam Græcos refert Prateolus vt supra, nō esse peccatum dare aliquid ad vsuram, contra illud Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Et quod deterius est, non esse necessariam rei furto sublatæ restitutionem, vt quis possit assequi vitam æternam: non animaduertentes, nō tolli peccatum, nisi restituatur ablatum. Si quid aliquem defraudauit (inquit) Zachæus, reddo quadruplum, Hanc tamen esse calumniam apertam

Guido
Carmelit.
Gab. Palaor.
Lucianus
Cypri.
Dominic.

B. Cyrillus
Greg. Naz.
Iust. Mart.
Origenes.

Iacobi 5.

Lucæ 6.

Lucæ 19.

in Græcos docet Lucianus, nam apud illos asserit hæc verè peccata cèseri, atque ab eorum sacerdotibus adigi penitentes, vt reddant quod debent.

Nonò, mortua Sacerdotis vxore, credunt Sacerdotem nò amplius esse Sacerdotem, quasi ab vxore & non à Christo per Episcopum sacerdotiũ suscepisset, vel character sacerdotalis esset debilis. Hunc tamen errorem Lucianus Græcis imponi apertissimè docet vt supra.

Decimò, errant Græci existimantes, non licere Christi imaginè sculpi, sed tantum depingi, non animaduertentes sculptilia à Deo fuisse prohibita, vt Iudæorum animos pronos ad idololatriam, ab eadem auerteret: Orta vero iam Euangelij luce, secluso que idololatriæ periculo, licet hominibus Dei, Sanctorum que aliorum memoriam omnibus pijs modis siue per imagines depictas siue sculptas excitare, & ad mentem reuocare. Hi sunt errores qui Græcis solent attribui.

Aduersus Græcorum errores scripserunt in primis ipsius Ecclesiæ Græcæ viri doctissimi Emanuel Caleta Patriarcha Constantinopolitanus, Georgius Protosingilus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Bessarion Cardinalis Nicænus, qui & postea fuit Patriarcha Constantinopolitanus. Et præcipuè Georgius Scholarius (deinde vocatus Gennadius cum Patriarcha Constantinopolitanus nominaretur) qui cum Synodo Florentinæ cum alijs Græcis adfuisse (vbi omnes de suis erroribus conuicti ad Ecclesiæ vnitatem redacti sunt, postea verò retrorsum abientes omnes ad vomitum reuersi sunt) eleganter Græcorum errores confutauit, eorumque calumnijs contra Ecclesiam Latinam obiectis doctè & piè respondit: cuius opera versa in Latinam linguam habentur Tom. 4. Bibliothecæ S. Patrum.

Ex Latinis verò D. Anselmus Archiepiscopus Cantuar. in Opusc. de azymo, Rabanus Maurus de institutione Clericorum li. 1. c. 31. de Sacramento corporis & sanguinis Domini, Hugo Etherianus aduersus errores Græcorum ad Alexandrum tertium Pontificem Maximum libris tribus, qui habentur tom. 9. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, & Chrisolanus Mediolanensis Archiepiscopus de Spiritu sancto, S. Tho. de Aquino Opusc. 1. & 2. contra Græcorum errores, & omnes eius expositiones in primam partem in quæst. celebri de processione Spiritus sancti, Cardinalis Turrecrem. in expositione decreti de vnione facta in Synodo Florentina, & nouissimè licet breuiter Antonius Possuinus vir pius & doctus in sua Moscouia, Azorius 2. Tom. Institut. Moral. lib. 4. cap. 14. et potissimum vt alios nunc omittam sacra synodus Florentina, vbi Patres doctissimè Græcorum errores confutarunt, eosque ad penitentiam, & obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstandam persuaferunt, facta que vnionis Bulla ab Eugenio IV. Pontifice Maximo Græci discessere, cum tamen neque

neque ab ipsis, neque à Latinis tunc fuissent apud Græcorum nationes, neque Concilij Florentini decreta, nec vnionis Bulla publicata, quod causa fuit, vt Græci sicut & antea, in suis erroribus permanserent.

CAPVT II.

De origine errorum & schismatis Græcorum.

DI CAM nunc breuiter de origine schismatis Græcorum. Dum Orthodoxa fides in Oriente vigeat, Græci primatum visibilis huius ac militantis Ecclesiæ Petro Apostolo eiusque successoribus fuisse à Christo Domino collatum, facile credebant & confitebantur, vt latius probat Cardinalis Bellarm. lib. 2. de Roman. Pontif. in Controuersia de Summo Pontifice. Quare in Conciliorum cõfirmatione necessariam Romani Pontificis auctoritatem agnoscebant, & cum vel ab hæreticis vel ab ipsis Imperatoribus Patriarchæ siue Episcopi aliqua afficiebantur iniuria, ad Romanam Sedem vt defenderentur confugebant.

Quinimò ex toto orbe terrarum ad eandem veluti ad Petri Sedem Episcopi de rebus fidei alijsque grauissimis quæstionibus scribebant: atque ad eiusdem Pontificis maximi iussu vel cogebant Concilia, vel coacta petebant, vt confirmarentur. At cum Constantinus Magnus Imperij sui sede Bizantium translata, Romam Christi vicario celsisset; Græci terreni Imperatoris præsentia inflati anno Domini 381. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea nec Patriarchatus munere fungebatur, tribus Orientis Patriarchis anteponere, & secundum à Romano Pontifice facere voluere, sicut ex Concilij Constantinopolitani Canon. 5. patet. Nec hoc quidem contenti anno Domini 451. eundem Constantinopolitanum Episcopum Romano Pontifici parem efficere conati sunt, vt ex act. 16. Chalcedonensis Synodi constat. Prope verò annum 600. Episcopum Constantinopolitanum Oecumenicum, id est, orbis terræ Episcopum siue vniuersalem Pastorem ausi sunt nominare. Ac denique anno 1054. (vt superbia ascendit semper) apertum schisma prodire cepit, adeo vt solum antea semina iacta viderentur: Imperante enim illo tempore Constantino Monomacho, Patriarcha Constantinopolitanus nomine Michael, cupiens re ipsa vniuersalis fieri Patriarcha, cuius dignitatis nomen iam dudum sibi vsurpauerant eius prædecessores, proclamare cepit Romanum Pontificem, omnesque alios Latinos esse excommunicatos, ob hanc causam quia Spiritum sanctum à Patre filioque procedere assererent, & cõtra decretũ Concilij Nicæni in symbolo illud *filioq;* addidissent. Romano

autem Pontifice de prima sede eiecto, ad se primam sedem iure pertinere, quia post Romanum primus esset, aiebat. Hæc fuerunt Græcorum schismatis semina: sed quia excæcati tumore superbiæ ordinem à Christo institutum & honorem Petri successoribus debitum, arripere & perturbare conati sunt, ipsi potius perturbati atque confusi sunt, Turcarum mancipia effecti, bonis litteris, & libris, corporibusque Sanctorum Patrum ipsis ademptis, & ad vnam veram Romanam Ecclesiam translatis. Qui plurr desiderat de Græcorum schismatis origine, legat Azorium 2. tomo Institut. Moral. lib. 4. c. 18. per totum.

CAPVT III.

De processione Spiritus sancti Disputatio, in qua ostenditur Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere.

CVM Græci negent Spiritum sanctum à Filio procedere, & conquærantur Latinos ad symbolum Nicænum addidisse illam particulam (*Filioq;*) duo nobis erunt tractanda. Primò probabimus ex scriptura sacra, Concilijs, & Patribus (potissimum Græcis) Spiritum sanctum à filio quoque procedere. Secundo meritò potuisse, & debuisse Latinos particulam illam (*filioq;*) symbolo addere.

De origine huius erroris & schismatis aliqua licet breuiter attigimus supra, nunc breuitati etiam consulentes, scire oportet olim in symbolo Nicæno & Constantinopolitano nullam mentionem fieri de processione Spiritus sancti à filio, quia cum in Ecclesia non essent circa hoc exortæ hæreses, non opus fuit in symbolo id explicare: postea verò cum Orthodoxi omnes vnanimi consensu docerent spiritum sanctum à filio etiam procedere, pertinaciter id negantibus Græcis, addita fuit maioris charitatis gratia, ab Ecclesia symbolo Nicæno & Constantinopolitano illa particula *filioq;*. Quando vero fuerit à Latinis facta illa additio *filioq;*, licet id clarè non constet, verisimilius creditur fuisse factam circa annum sexcentissimum. Nam in Concilio Toletano octauo celebrato circa annum sexcentissimum quinquagesimum tertium, recitatur symbolum cum hac additione: & cum ante hoc tempus, non inueniatur cum illa, vt constat ex Concilio Toletano tertio anno quingentesimo octuagesimo nono celebrato: signum euidentis est, illo medio tempore, fuisse à Romano Pontifice, additionem factam, vt creditur in Concilio ingenti Latinorum Pa-

trum

trum propter dissensiones quasdam exortas inter Galliam & Hispaniam: quamuis non constet quale fuerit illud Concil. vt notauit D. Thom. 1. p. q. 36. art. 2. vnde quamuis certò non possit explorari, neque locus neque tempus huius additionis, certum tamen est, vel in aliquo Concilio generali, vel autoritate alicuius summi Pontificis additam esse.

Ex scripturis ostenditur Spiritum sanctum procedere à Filio.

Primò Ioan. 16. *Omnia, quæ habet Pater mea sunt*, inquit Christus. Item Ioan. 16. *Ioan. 17. Omnia tua mea sunt*: id est, quicquid habet, Pater habet etiam Filius, excepta sola paternitatis relatione, vt Augustinus exponit: sed Pater habet esse principium Spiritus sancti non vt Pater, sed vt spirator: ergo & Filius id ipsum habet. Deinde si Pater & Filius non haberent omnia communia, excepta relatione opposita, distinguerentur plusquam relatione, & proinde substantia. Nam Pater vt spirator non est relatiuum ad Filium: ergo si vt spirator distinguitur à Filio, distinguitur per spirationem non vt relatio est, sed vt forma quadam in Patre subsistens, & proinde Pater & Filius in substantia differunt, quæ fuit Arianorum hæresis.

Secundò Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*. Quid accipiet à Filio Spiritus sanctus nisi scientiam? nam paulò ante dixerat vers. 13. *Non à seipso loquetur, sed quacunque audiet loquetur*; & de scientia exponunt Chrysostomus, Cyrillus, & Augustinus. Quomodo autem potest Spiritus sanctus accipere à Filio scientiam, nisi accipiendo ab illo essentiam? Quicquid enim aliud dicatur, fiet Spiritus sanctus creatura.

Theophil. & Euthymius duas insinuant solutiones. Prima Spiritum sanctum accipere de scientia Filij, quia nihil docet contrarium ijs, quæ docuit Filius. Secunda illud, *de meo*, significare de meo thesauro, qui est Pater, ac si diceret: Accipiet vnde ego accepi.

Sed prima solutio non quadrat: non enim solum Christus dicit. Accipiet de meo, sed etiam dicit, Non loquetur à semetipso, vbi apertè indicat scientiam Spiritus sancti non esse illi à seipso sed à Patre, & Filio: Deinde ipse Christus rationem reddit quare dixerit accipiet de meo, quia omnia, quæ habet Pater, inquit, mea sunt. Quæ ratio non videtur quid valeat, nisi admodum extorqueatur textus, si sensus non sit, accipere de Filio spiritum sanctum vt accipit à Patre. Secunda solutio etiam non satisfacit: Nam thesaurus scientiæ in Deo non est persona Patris præcisè vt persona, sed essentia diuina, quæ est communis Patri & Filio. Thesaurus enim,

&

Coloss. 2.

& scientia perfectionem absolutam significant, perfectio autem absoluta ad essentiam spectat. Quare Paulus ad Coloss. 2. *In Christo, inquit, omnes thesauri sunt scientia & sapientia Dei.* Spiritus ergo accipiens de hoc thesauro accipit de re communi Patri, & Filio.

Quares, quare dixerit *de meo*, & non potius *meam essentiam*, aut *sapientiam*, &c. & cur ait in futuro *accipiet*; & non in presenti; *accipit*. Respondeo *de meo*, dixisse; quia spiritus sanctus non accipit Filiationem, sed essentiam, & proinde non totum id, quod est in Filio accipit. Dixit autem *accipiet* in futuro, quia acceptio illa est æterna, & continet in se virtute omnia tempora, scriptura autem tempora exprimit prout res de qua agitur postulat; hoc autem loco describitur spiritus sanctus tanquam legatus à Patre, & Filio mittendus ad Apostolos; legati vero tunc instruuntur, cū mittuntur, ideo dicit, *quæcumque audiet, & de meo accipiet.*

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Tertiò Ioan. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero mittam eum ad vos.* Item cap. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Missio autem tantum esse potest aut per imperium quomodo mittuntur serui à Dominis, aut per Concilium, quomodo dicuntur mitti, qui instruuntur à sapientioribus; aut per modum causæ, cuius gratia, quomodo mittit ad bellum, cuius meritis sit bellum; aut per modum consensus, qua ratione mittit, qui consentit mitti, vel quia res tantum mittuntur eius, quid dicitur missus, sicut qui diceretur mitti quando mittuntur insignia eius. Denique aut per naturalem productionem, quomodo arbores dicuntur emittere flores.

Primò & secundò modo spiritus sanctus non potest dici à Filio mitti, cum non sit inferior, aut potentia, aut sapientia Filio. Neque tertiò & quarto, tum quia hoc non est nisi improprie mitti, tum quia etiam dici posset Patrem mitti à Filio, quia filius est etiam causa suis meritis, & cōsentit vt ad nos veniat Pater. Quintò quidem contendunt Græci spiritum sanctum mitti à Filio, scilicet quod spiritus sancti dona nobis largiatur Filius: sed aberrant, tum quod non solum dona dentur spiritus sancti, sed etiam ipse spiritus sanctus ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Ecce distinctionem inter dona ipsa, & spiritum sanctum. Deinde si mittere spiritum sanctum sit tantum mittere dona, Pater mitteretur etiam à Filio, & spiritu sancto: quia qualibet persona est auctor omnium donorum. Denique pari ratione dici posset, mitti Filium à Patre, nihil aliud esse, quàm mitti Filij dona, & sic eluderetur Incarnationis mysterium.

Ioan. 20.

Quartò Ioan. 20. *Insufflauit, et dixit: Accipite Spiritum sanctum, hac enim cæremonia voluisse Christum declarare spiritum sanctum ab illo procedere, docent August. lib. 3. in Maxim. cap. 14. Cyrill. 12. in Ioan. c. 56.*

Quintò

Quintò eodem modo in scriptura dicitur Spiritus sanctus patris spiritus & Filij spiritus; *Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Rom. 8. *Si quis spiritum Christi non habet.* At dicitur spiritus patris, quia à Patre procedit: ergo similiter dicitur spiritus Filij, quia ab ipso procedit.

Nec respondere possunt dici Filij spiritum, quia simul cum Filio à Patre procedit, vel quia est Filio similis. Nam sicut non obstante relatione spiritus sancti ad spirantem diceretur Filij spiritus sanctus, eo tantum quod procedant ambo à Patre, vel quia similes in natura: pari ratione dici posset Christus spiritus sancti Filius, & verbum non obstante relatione ad Patrem, & dicentem, quia simul etiam ambo à Patre procedunt, & item in natura similes.

Idem probatur ex Concilij.

Adem fidei veritas definita est in Concilij. Et in primis Concilium Ephesinum in Epistola totius Concilij ad Nestorium his verbis definit: *De Spiritu quoque cum dicit: Ille me clarificabit: hoc rectissime sentientes vnum Christum Dominum, & filium non velut alterius egentem gloria, confitemur à Spiritu S. gloriam consecutum, quia eius spiritus nec melior, nec superior ipso est. Sed quia humana opera faciens ad demonstrationem suæ deitatis virtute proprii Spiritus utebatur, ab ipso glorificari dicitur, quod virtus sua, vel disciplina quælibet unumquemque clarificet. Quamuis enim in sua sit substantia spiritus eius, & intelligatur in persona proprietatis, iuxta id quod spiritus est, & non Filius, attamen alienus ab illo non est: Nam spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per Sanctorum manus Apostolorum miracula gloriosa perficiens Dominum clarificauit Iesum Christum postquam ascendit in cælum. Nam creditus est Christus natura Deus existens per suum Spiritum virtutes efficiens, ideoque dicebat De meo accipiet, et annunciabit vobis. Nequaquam verò participatione alterius idem Spiritus sapiens, aut potens dicitur, quia per omnia perfectus est, & nullo prorsus indigens bono: nam paternæ virtutis, & sapientiæ, id est filij, spiritus creditur, & ideo ipsa re, & subsistente virtute virtus, & sapientiæ comprobatur.* Hactenus Concilium. Cū enim Nestorius Christum hominem distinctum suppositum astrueret à filio Dei, nec beatam Virginem Dei genitricem confiteri vellet: cumque illum errorem etiam inde probare contenderet, quod Christus homo fuerit à spiritu S. clarificatus, vt ipsemet & Ioan. 16. prædixerat ea sententia, *Ille me clarificabit, &c.* explicat Conc. quā ratione Christus à spiritu S. sit clarificatus, addens eum spiritum esse spiritum Christi, quatenus Christus est Dei filius, à quo etiam, inquit, sicut ex Deo Patre procedit.

Quod autem Epistola illa non fuerit solius Cyrilli, sed totius Ephesi-

H h

næ

niæ synodi, constat in primis ex verbis illis ad initium eiusdem Epistolæ: Religioso, & Deo amabili Nestorio, Cyrillus, vel quicumque sunt apud Ephesinam synodum. Fit autem in ea peculiaris mentio Cyrilli, quoniã auctoritate Cælestini Papæ præsidebat toti Concilio. Constat deinde, quoniam ex sequentibus Concilij generalibus in Græcia celebratis est manifestum, Patres illius Concilij fidei defensionem aduersus Nestorium confecisse, quæ sane nulla alia est in ea synodo, quàm ea quæ in ea Epistola continentur. Nã fidei confessionem, quam eius Concilij Patres fecerunt, in qua fufus, vt errores Nestorij flagitabant, exponuntur Nicenæ, Constantinopolitanæque synodi confessiones: eam inquam confessionem vna cum tredecim Anathematismis in Epistolæ formam redactis ad eundem Nestorium absentem si fortè respiceret, tanquam ad amicum benignè direxerunt. Accedit præterea quod ex eisdem Concilij, quæ sunt in Græcia cõsecuta, certum est, quæ continet ea Epistola fidei definitiones esse. In Concilio enim Chalcedonensi, actione quinta in prima fidei definitione suscipiunt Patres tanquam fidem orthodoxam ea, quæ in tribus præcedentibus Concilij generalibus definita fuerunt: scilicet in Nicæno, Constantinopolitano, & Ephesino. Cumque ad Ephesinam ventum est, adijcitur sequens sententia: *Statuimus etiam S. Synodum Ephesinam factam, cuius fuerunt auctores venerabilis memoria Cælestinus Romæ orbis, et Cyrillus Alexandrinæ Ecclesie Sacerdotes.* In secunda vero fidei definitione additur beatissimi quondã Cyrilli Alexandrinæ Ecclesie Sacerdotis Synodicas Epistolas, tam ad Nestorium, quam ad ceteros per Orientem congruas, & sibi consentientes suscipit, ad cõfutationem quidem Nestorianæ amentie, & ad interpretationem eorũ, qui religioso zelo salutaris symboli cupiunt intellectum. In quinta præterea synodo actione quinta anathematismo 13. & 14. feriuntur anathemate, qui repugnarint definitis à S. synodo Ephesina, & beato Cyrillo, fitque manifesta mentio de contentis in Epistola ad Nestorium. In sexta etiam act. 7. in definitione fidei Orthodoxæ suscipiuntur Epistolæ synodica, quæ à B. Cyrillo scriptæ sunt aduersus impium Nestorium, & ad Orientales Episcopos, & denique ea omnia, quæ à quinque præcedentibus Concilij vniuersalibus definita fuerant. Quo fit vt dogma de processione Spiritus sancti à filio in tertia Synodo generali fuerit definitum, & in tribus sequentibus in Græcia celebratis confirmatum, ac subscriptum.

Eandem veritatem statuit Concilium Lateranense secundum, sub Innocentio tertio cap. firmiter de sum. Trin. & fid. Cath. his verbis: *Pater à nullo, filius à Patre, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque.*

Item in Conc. Lugdunensi cap. fideli de summa Trinitate, & fide Catholica lib. 6. vbi Gregor. 10. *Fideli, inquit, et deuota professione fatemur, quod Spiritus sanctus aternaliter ex Patre, et ex filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam*

tanquam ex vno principio, non duabus inspirationibus, sed vna inspiratione procedit. Hoc professus est hætenus, prædicauit, et docuit Sancta Romana Ecclesia, mater omnium fideium, & magistra. Hoc habet Orthodoxorum Patrum, atque Doctorũ Latinorum pariter, & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Sed quia nonnulli propter irrefragibilis præmissæ veritatis ignorantiam in errores varios sunt prolapsi, Nos sacro approbante Concilio dånamus, & reprobamus omnes, qui negare præsumpserint aternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & filio aternaliter procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat. Hæc Gregorius 10. in eo Concilio.

Accedit Concilium Florentinum, cui Ioannes Palæologus Græcorum Imperator, Patriarcha Constantinopolitanus, & multi alij Episcopi Græcorum interfuere, vbi post longam disputationem communi Latinorum, & Græcorum consensu Sess. vltima in litteris sanctæ vnionis, Decreto de processione Spiritus sancti sequens definitio edita est: *Approbante hac sacra Synodo Florentina, definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, quia Spiritus sanctus à Patre, & filio aternaliter est, & essentiam suam, suamque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio, & ex utroque aternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit, Declarantes, quod id SS. Doctores, et Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentia Spiritus sancti sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre aternaliter habet, à quo etiã aternaliter genitus est.* Hæc Florentina Synodus. In eiusdè litteris sanctæ vnionis legere licet rationem, quã Græci, & Latini ad concordiam venerunt. Cum enim vtriq̃ue explicarunt, quod antea dicebant, inuentum est eos solis verbis dissensisse, cum Græci non se satis explicarent, nec intelligerēt Latinos, crederentque eos in ea esse sententia, vt dicerent Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio tanquã à duobus principijs, distinctisque spirationibus, quod nunquam asseruerunt, vt patet ex Conc. Lugdunensi, vbi contrarium fuerat definitum.

Diuus Antoninus tertia parte suarum historiarum titulo 22. cap. 13. §. 13. refert nullum ferè fructum ex ea concordia fuisse sequutum, eò quod Græci non cufauerint eam definitionem populo tradere, quin potius Episcopi, & sacerdotes, qui Conc. pœnitentes non adfuerunt, in eodem errore suo permanserint, & mortuo Ioanne Palæologo per sequentes Imperatoris creationem ad statum pristinum errores Græciæ redierint, vnde persequerant adhuc Græci ab Ecclesia Romana diuisi, non minus, quàm ante Concilium Florentinum. Addit D. Antoninus in pœnam tanti delicti 14. anno sequenti post Concilium Florentinum, Constantinopolim

videri captam à Turcis, & paulò post totam Græciam.

Eandem veritatem statuit Concilium Toletanum primum in confessione Fidei cum dicit, *spiritum quoque esse paraclitum, qui nec Pater sit ipse, nec filius sed à Patre, Filioq; procedens.* Fuit vero Conc. hoc confirmatum à Leone primo. Cuius auctoritas congregavit, firmavit que Conc. Chalcedonense. Idem affirmat Leo primus sermone secundo in Pentecosten. Idem Toletanum tertium anathematismate tertio, Toletanum quartum cap. 1. Toletanum sextum cap. 1. Toletanum octavum in Symbolo Fidei, demum Toletanum undecimum in professione Fidei.

Ex Patribus Græcis idem statuitur.

Eandem veritatem non solum Latini omnes semper constanter asseruerunt, sed etiam (vt ex Conc. Lugdunensi, & Florentino constat) præcipui Græci Patres: in quorum numerum referuntur, quotquot Ephesinæ & tribus sequentibus synodis generalibus in Græcia celebratis interfuerunt. Et quamvis Græci Patres in duas soleant classes diuidi, quod alij spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere ferè eisdem verbis ac nos disertè fateantur, alij autem, licet in verbis Latinorum non consentiant, re tamen ipsa nihil differant, dùm docent spiritum sanctum à Patre per filium procedere. Vtriusque classis patrum testimonia referam.

In primis sanctus Athanasius: *spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hec ille in symbolo. Quod Athanasij esse patet: primo quia Nazianzenus Oratione de laudibus Athanasij dicit eum composuisse perfectam fidei confessionem Occidenti, & Orienti notâ. Secundò, quia Augustinus in Psal. 120. citans nominatim Athanasium Episcopum Alexandrinum, integrum versiculum huius symboli adduxit, & suppressio Athanasij nomine, vtitur huius symboli sententijs lib. 5. Trinit. 8. epist. 174. Enchirid. cap. 36. passim vt in Ecclesia notissimi.

Non fuisse autem particulam, (*Et filio*) additam huic symbolo, hinc constat, quod habeatur in Græco; & quod Toletan. quartum cap. primo recitat confessionem fidei fere ad verbum, sumptam ex hoc symbolo; in qua hæc particula habetur. Quare cum Græci non haberent quid responderent ad hoc testimonium dicebant, teste Gennadio lib. pro defensione Concilij Florentini cap. primo, sect. quinta. Athanasium fuisse obrium cùm hæc scripsit.

Idem quoque Athanasius serm. quarto contra Arianos affirmat spiritum sanctum accipere à verbo. In Epistola ad serapionem Episcopum de spiritu sancto, sic loquitur: *A Patre dicitur procedere, quoniam à verbo. Patris desumit,*

desumit, & mittitur, & donatur. Et infra: *spiritus porro à Filio accipit: de meo enim (inquit) accipiet & annūciabit vobis.* Et paucis interiectis. Cùm igitur istiusmodi ordinem, & naturam habet Spiritus ad Filium, qualem filius habet ad Patrem, qui fieri potest, vt qui spiritum sanctum creaturam dicit, non illud idem necessariò, & de filio sentiat?

Sanctus Cyrillus in illud Ioëlis: *Effundam de spiritu meo, hæc habet: Quatenus enim Deus ex Deo naturaliter est Filius, genitus enim est ex Deo Patre, proprius ipse, & in ipso, & ex ipso est Spiritus, sicut profecto & ex Patre ipso intelligitur.* Idem in exposit. 9. Anathematismi, sic ait: *Factus homo vnigenitus Dei Filius mansit quoque Deus, omnia quæ Pater habens præter esse Patrem, propriumq; sibi, qui ex ipso, & ipsi innatus est Spiritus sanctus.* Idem etiam in Apologia ad Theodoretum, ait: *Procedit enim sicut ex Deo Patre Spiritus, iuxta Saluatoris vocem, non tamen alienus à Filio est.* Omnia enim habet cum Patre, & idcirco dictum quoque est illud, *De meo accipiet.* Et in lib. ad Palladium per interrogationem, & responsionem, ait: *Mutabilis haud quaquam est Spiritus sanctus, vel si ipsum mutari intelligit, in ipsam Momus diuinam resultabit naturam: si Dei Patris est, nec non & Filij, substantialiter ex amobus, hoc est ex Patre per Filium effusus Spiritus.* Et in quinto ad Hermiam, inquit: *Cuius proprium esse dicimus Spiritum sanctum? Num solius Dei Patris? vel certe Filij, an verò vtriusque diuisim, & amorum tanquam vnum ex Patre per Filium propter identitatem essentia?* Hermia respondet. *Ita aio, amice, Et Cyrillus, rectè.*

Sanctus Epiphanius in Anchorato apertissimis verbis: *Spiritus sanctus ex Patre, & Filio tertius appellatione.* Et ibidem: *Vterque habitat in homine iusto, Christus, et Spiritus ipsius. Si ergo Christus ex Patre creditur Deus de Deo, & Spiritus à Christo, vel ex amobus, vt Christus ait: qui ex Patre procedit, et ille de meo accipiet.* Et ibidem: *Atqui dicit aliquis. Ergo dicimus duos Filios esse, & quomodo Christus vnigenitus? Nequaquam. Tu vero qui es, qui contraria de eo dicis? filium vocat ex se, Spiritus autem sanctus ab vtriusque.* Et ibidem: *Spiritus sanctus Spiritus veritatis est, lumen tertium ex Patre & Filio.* Et rursus: *Quem enim admodum nemo noscit Patrem, nisi filius, neque Filium, nisi Pater: ita dicere audeo, quod neque Spiritum nisi Pater, et Filius à quo procedit, et à quo accipit. Neque Filium neque Patrem nisi Spiritus sanctus glorificans verè, et docens omnia, qui ex Patre & Filio est.*

Sanctus Basiliius Magnus in tertio contra Eunomium circa principium, adeo clarè, & luculenter de veritate huius articuli disputat, vt Græci quidam temerario ausu tanti Patris auctoritatem pertimescentes non dubitarint verba quedam sancti Doctoris expungere, atque alia de suo addere, sicuti huc in excusis legitur libris. Locus verò integer, Basilij proculdubio stylum, & grandiloquentiam redolens, à Bessarione recitatur, qui se illum Constantinopoli legisse ait in pluribus vetustissimis manuscriptis: *Quæ enim necessitas si ordine, et dignitate tertius est Spiritus sanctus, tertius*

quoque esse naturæ dignitate enim secundū esse à Filio, esse à bīso habentem, et ab ipso accipientem, et nunciantem nobis, atque omnino ab illa causa dependentem tradit nobis pietatis sermo, &c. Et contra Eunomium lib. quinto cap. cui titulus: Quare Spiritus sanctus non est Filij filius? respondet hoc pacto: Non quia per Filium à Deo non sit, sed ne Trinitas infinita multitudo censetur, et ex filij filios, ut in humanis sit habere putetur. Idem in eodem cap. Propterea esse quidem Spiritum ex Deo manifestè declaravit Apostolus dicens, quod Spiritum, qui à Deo est, accepimus. Per Filium autem elucere clarè docet ubi Spiritum ipsum Filij nominat, sicut et Dei Patris. Constat autem legentibus Basilij verba Patrem hunc loqui de æterna Spiritus sancti productione. Nam illud elucere, vel eluxisse, quod Græci de temporali missione malè interpretantur, sæpè Basilius ipse pro ipsa Spiritus sanctus processione ad intra, ut vocat, explicanda vsurpauit.

Sanctus Ioannes Damascenus. lib. 1. de fid. Orthod. cap. 13. hæc habet: Ipse igitur Pater mens est, verbi abyssus, verbi genitor, & per verbum productor manifestatiui Spiritus. Et rursus: spiritus autè sanctus occultæ diuinitatis, Patris manifestatiua virtus, ex Patre per filium procedens, ut ipse nouit, non generationis modo. Idem in fine capituli ait: Spiritus Patris cum ex Patre procedat, et Filij quoque est Spiritus, non tanquam ex ipso, sed tanquam per ipsum ex Patre procedens, solus enim Pater causa est. Porro illud (per) singularem causæ, seu principij naturam, & verba ipsa Damasceni non obturè indicant, & testatur Basilius Magnus cap. 8. lib. de Spiritu sancto ad Amphiloichium his verbis: Quod per Filium creet Pater, neque imperfectam Patris creationem, neque impotentem filij denotat operationem, sed unitam ipsorum voluntatè significat. Quare vox illa (per filium) originalis causæ confessionem continet, non autem ad coarguendam efficientè causam sumitur. Hoc etiam fusè Basilius cap. 5. ad Amphiloichium.

Idem docet Chrysoströmus explicans illa verba: Omnia per ipsam facta sunt. ait enim: Quod enim sic per ipsum dictum est nullam aliam ob causam dictum est, quam ut ne Filium aliquis ingentum suspicetur. Ergo iuxta horum Patrum sententiam vox illa (per filium) accipienda est, ut originalis in Patre principij significatiua. Hoc vero loquendi modo sæpissimè vsus est Basilius Magnus, qui accuratissimè, ac plenissimè scripsit de Spiritu sancto, tum in quinque aduersus Eunomium libris, tum in libro quem de Spiritu sancto scripsit ad Amphiloichium, præsertim verò cap. 8. ubi de Spiritu sancto ita disserit: Igitur Dei cognitionis via est ab uno Spiritu per unum Filium, ad unum Patrem, & è conuerso, Naturalis bonitas, & quæ secundum naturam est sanctificatio, & regia dignitas à Patre, per vnigenitum ad Spiritum peruenit.

Sanctus quoque Maximus in Epistola illa, quam citauit Græci Patres, Conc. Florentini declarat simul, ac tuetur dogma, & loquendi modū Eclesiæ Romanæ, ait enim, quod Latini dicunt ex Filio idem esse, quod Græci per Filium, illumque loquendi modum Latinos, inquit, dicere, sumprum esse

esse à Patribus tam Græcis, quam Latinis. Præterea explanans quid sibi velit aureum Zachariæ Prophetæ candelabrum, & lucerna, hæc ait: Spiritus enim sanctus ut natura coessentialis est Deo Patri, ita & Filio secundum substantiam est, quippe qui ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter procedit. Ex his duobus loquendi modis & ex Filio, & per Filium Maximus, & Damascenus, sed præcipuè posterior hic primum secundo postposuerunt. Imò Damascenus non vult esse dicendum ex Filio, sed per Filium. Quapropter Græci Patres Concilij Florentini, & præcipuè Patriarcha Ioseph, ut habetur sessione 25. post longas disputationes, & Sanctorum Patrum lectiones, huiusmodi tandem protulit sententiam cui Græci omnes acquieuerunt.

Posteaquam audiuimus dicta Sanctorum Patrum Occidentalium, & Orientalium, quorum alia Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere dicunt. Alia vero ex Patre per filium, tamen si per Filium, idem est, quod ex Filio; & ex Filio, idè est quod per Filium; Nos tamen illud ex Filio omitentes dicimus Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium ab æterno, & substantialiter, ut ab uno principio, & causa præpositione, per, in presenti in Spiritus sancti processione significante causam.

Quapropter videbatur illis inter præpositiones, per, & ex, hoc esse discrimen, quod Præpositio, ex, primum præsentiale, & præcatoricū, ut Græci vocant, principium denotat. Per vero, duo simul connotat, & secundè personæ actionem, & primæ, hoc est Patris suppositionem, vim, & actum producendi Filio communicantis. Atque in hoc communem Græcorum Patrum dicendi modum, sed præcipuè Maximi, & Damasceni sequuti sunt.

Eiusdem etiam sententiæ fuit Dydimus lib. 2. de Spiritu sancto (habetur inter opera D. Hieronym.) Cyrill. Hierosolim. Cathéch. 16. & 17. Nazianzenus orat. 24. & expressè Chrysoströmus Homilia 1. & secunda de Symbolo tom. 5. Philo à sancto Epiphano episcopus ordinatus in lib. enarrationum in Cantica primo tomo Bibliothecæ, ac denique Gregorius Thaumaturgus, & Nicænus referens eius vitæ, quatenus dicunt Spiritum sanctum esse imaginem Filij, ac denique omnes antiqui Patres Græci, excepto Theophylacto.

Sed Græci nobis obijciunt Damascenum primo lib. fidei Orthodoxæ ad finem cap. 11. ubi ait: Vbi Spiritum sanctum et ex Patre, et spiritum Patris nominamus, ex filio autem spiritum sanctum non dicimus. Quibus verbis videtur aperte docere Spiritum sanctum ex Patre procedere, non vero ex Filio. Respondemus Damascenum, se verbis quæ continuo sequuntur exponere, neque ea in re à reliquis Patribus dissentire. Subiungit namque: sed spiritum Filij nominamus (si quis enim spiritum Christi non habet, diuinus inquit Apostolus, non est eius) et per Filium apparuisse, et nobis traditū confitemur. Insufflavit enim, et dixit discipulis suis: Accipite spiritum sanctum. Quemadmodum autem

ex sole radius, et splendor (ipse enim sors est, et radij et splendoris) atque per radiū nobis splendor tribuitur, et ipse est, qui illuminat eos, et participatur à nobis. Porro Filium neque spiritum esse dicimus, neque etiam ex spiritu. Hactenus Damascen. Ex quibus verbis constat eam esse Damasceni mentem, vt dicat Spiritum sanctum esse Spiritum Filij, cum tamen è contrario (vt rectè subiungit) nec dicamus Filium esse Spiritus sancti, nec esse ex Spiritu sancto; eò quòd Filius nihil profus accipiat à Spiritu sancto: accipiat autem Spiritus sanctus à Filio. Patet etiam Damascenum ostendere velle, vt Spiritus sanctus per Filium à Patre procedat, sicut splendor proficiscitur à sole per radiū. Vnde addit Spiritum sanctum per Filium apparuisse, & nobis esse traditum tanquam eum, qui à Filio, vt splendor à radio emanarit: Ideoq̄ue Christum insufflasse, quasi qui ex se emitteret, produceret, daretq̄ue Spiritum sanctum, dixisseq̄ue discipulis: *Accipite Spiritū sanctum*. Vt ergò Bessarion cap. 7. suæ orationis rectè notauit, ea ratione dūtaxat Damascenus, & nonnulli alij ex Græcis, affirmant Spiritum sanctum procedere ex Patre per Filium, non secus, ac splendor procedit à sole per radiū. Renuunt verò concedere procedere ex Filio, quoniā apud eos dictio (ex) denotat emanationem ab aliquo tanquam à prima origine, & fonte, quo pacto Spiritus sanctus à solo Patre procedit, quoniā is solus à se, & non ab alio habet vim, qua spirat spiritum sanctum. Verum quia filius spirandi vim sicut & reliqua accepit à Patre per generationem æternam, haud secus quàm radius à sole accipit vim fundendi splendoris, idcirco licet Spiritus sanctus proficiscatur à Filio, sitq̄ue eius Spiritus, quin etiam ab eo detur, & mittatur, renuunt tamen aliqui Græci Patres concedere hanc propositionem, *Spiritus sanctus procedit ex Filio*, licet concedant hanc aliam, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium*, tanquam per suppositum, & causam intermediam inter Patrem, & spiritum sanctum, eò modo quo radius media causa est inter solem & splendorem. Atque id dicunt denotare dictionem, per; vnde sicut, quia radius principium est inter medium à quo emanat splendor, concedimus splendorem esse radij splendorem, non verò radiū esse radiū splendoris: ita vult Damascenus, vt dicamus spiritum sanctum esse spiritum filij, non vero Filium esse spiritum sancti, aut de spiritu sancto.

Ex hactenus dictis facile intelligitur eos Græcos, qui à Latinis dissentire videntur, solis verbis differre, esseq̄ue facillimam inter vtramq̄ue Ecclesiam concordiam, longè tamen melius loqui ad rem, de qua agitur, Latinos, eosq̄ue Græcos, qui cum Latinis conueniunt.

Primum & secundum patent ex eo, quia neutri negant spiritum sanctum accipere suam essentiam, ac esse subsistens, procedereq̄ue à Filio, tanquam à supposito intermedio inter spiritum sanctum & Patrem. Neutri

item

item negant Patrem non ab alio, sed à seipso habere, quod spiritum sanctum producat, Filium verò id ipsum sicut etiam cætera à Patre accipere. Vtriq̄ue etiam affirmant Patrem, & Filium non esse plura principia, sed vnum tantum spiritus sancti, nec spirare spiritum sanctum distinctis, sed vna tantum spiratione: licet Pater id habeat à se, Filius à Patre, spiritus sanctus ab vtroque, seu quod idem est à Patre per Filium. Solum ergo differunt Græci quidam à Latinis in eo, quod Græci nolunt spirationem spiritus sancti vocare processionem ex Filio; sed ex Patre per Filium; Latini verò vocant eam spirationem, processionem ex Filio, quæ sanè quaestio est de solo modo loquendi.

Soluuntur argumenta Græcorum.

PRIMUM Græcorum argumentum ex verbis illis Ioan. 15. *Cum venerit paracletus quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis qui à Patre procedit, cōfiscitur*. Cum enim in ijs tam aperte Dominus dixerit spiritum sanctum à Patre procedere, & non addiderit etiam à Filio temerarium omnino videtur asserere ab eo produci.

Respondeo cum Augustin. lib. 3. contra Maxim. c. 14. solum nominari Patrem, non ad excludendum Filium, sed quia Pater est auctor principalis Spiritus sancti, eò quòd ab ipso Filius potentiam habeat seu virtutem spirandi. Non excludi verò Filium probatur ex similibus scripturæ loquendi modis. Matth. 16. *Caro (inquit) & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis*, in quibus verbis etsi solus nominetur Pater, non tamè propterea aliæ excluduntur personæ, cum hæc reuelatio facta fuerit à tota Trinitate. Item de Spiritu sancto dicitur, *Ille vos docebit omnia*, & tamen Pater & Filius etiam omnia docent, imò, vt lib. de processione spiritus sancti, ratiocinatur Anselmus, etsi dictum esset, *Nemo producit spiritum sanctum nisi Pater*, nec etiam excluderetur Filius, sicut nec in illis Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater*, non excluditur Filius & spiritus sanctus à cognitione Filij. Dicit præterea vltèrius posset, in prædictis verbis manifestè Filium poni, cum Christus dicat missurum se spiritum sanctum, & missio in diuinis, processio sit naturalis.

Secundum. In Concilio Ephesino lectum est symbolum Nestorianorum & liber Theodreti contra anathematismos Cyrilli, ac in vtroque habetur expressè Spiritum sanctum non procedere à Filio. Cū verò PP. Concilij tacuerint, omnino approbasse videntur eam sententiam.

Respondeo, in eodem Concilio, & in quarto, ac quinto lectam fuisse epistolam Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium, in qua bis habetur spiritum à Filio habere suum esse, & PP. non contradixerunt, ergo (re-

I i torquenda

torquendo argumentum) approbauerunt. Deinde Theodoretus negauit Filium procedere etiam per Filium, quod tamen Græci non asserunt. Igitur si quid valet eorum argumentum, Concilium approbavit sententiam illis contrariam. Denique ipsum Concilium satis suam significauit sententiam, cum summo consensu probauit totam Cyrilli doctrinam, & contrariam Theodreti, & Nestorianorum damnauit.

Tertium, ex Dionysio cap. 2. de Diuin. nominibus. p. 1. desumitur, ubi ait: *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater.* Respondeo dici solum fontem, non quomodocumque, sed quia non habet aliunde diuinitatem, Filius autem dicitur etiam fons, sed de fonte, sicut Deus de Deo. ita Epiph. Hæres. 69.

Quartum. Basil. Epist. 43. *Nullam (inquit) secundum propriam notionem communionem habet Filius cum Patre,* ergo non conuenit cum Patre in spiratione.

Deinde ait, propriam notionem spiritus sancti esse quod per Filium, & cum Filio cognoscatur, & ex Patre substantiam habeat.

Ad primum locum Respondeo, non loqui Basil. de qualibet notione, sed de notione, quæ est proprietatis, nempe filiationis: spiratio enim non est proprietatis, Filius autem in filiatione nullam reuera habet communionem cum Patre.

Ad secundum, esse pro nobis, si bene intelligatur: non enim vult dicere spiritum sanctum cognosci ex doctrina, & prædicatione Filij: nam eo in loco differit de distinctione personarum intima, & æterna, quæ non debet sumi à temporali nostra cognitione, sed cognosci per Filium, & cum Filio, ut relatiuum per suum correlatiuum. Nam paulò antè dixerat spiritum sanctum ex Filio pendere & non posse vnum sine alio cogitari (quod est proprium correlatiuorum,) & proinde spiritum sanctum esse à Filio. Nemo enim dicit Filium esse à spiritu sancto.

Quintum. Omnia quæ habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate, ait Orat. ad Episcop. qui venerant ex Ægypto, Nazianzenus.

Respondeo, non loqui de quacumque causalitate, sed de causalitate Patris erga Filium: vult enim dicere omnia quæ Pater habet esse filij, exceptis ijs, quæ sunt propria Patris. Ita enim postea confert etiam spiritum sanctum cum filio, *omnia (inquit) quæ habet Filius, habet Spiritus sanctus excepta filiatione:* id est excepta proprietate personæ, à qua procedit siue producitur.

sexturn. Leo tertius Papa, qui post additionem, *Filioque*, in symbolo factam vixit, (ut testis est Petrus Lombardus 1. dist. 11.) iussit scribi ad fidei cautelam in tabula argentea symbolum Constantinop. sine additione illa, & poni in altari post corpus sancti Pauli, ergò illam additionem abstulit.

Respondeo Pontificem dedita opera hoc fecisse, ut seruaretur memoria constantinopolitani symboli, quale fuerat, & ut intelligerent omnes non

non damnari illud Symbolum, nec esse contrarium nostro. Habet enim Ecclesiâ plura Symbola, quæ omnia recipit, & honorat, nec vnũ destruit aliud quamuis aliquid sit expressius in vno quàm sit in alio.

Septimum. In cap. 3. Ioannis Theophil. *sane (inquit) Latini malè hæc exponentes, & minus rectè intelligentes dicunt quod Spiritus etiam ex Filio procedat.*

Sed Theophil. tempore schismatis vixit, & proinde reijcitur, sicut neque reciperent Græci Bernardum, Rupertum, aut alios similes Patres.

Octauum. Spiritus sanctus est vnus, ergo vnum habet principium non duo, & vna spiratione procedit, non duabus.

Respondeo, hoc totum esse verum, non tamen sequi vnum principium esse idem, ac vnã personam, & vnã actionem ab vna tantum esse persona in diuinis. Nam vnum est principium mundi, & vna creandi actio, & tamen mundus est à tribus personis, quibus est communis actio creandi: alias sequeretur aliquam personam diuinam non esse creatorem; illud autè vnũ principium Spiritus sancti est Pater & Filius: quilibet sint duo spirantes, vnica tamen spiratione spirant. Nihil enim multiplicatur in Deo nisi relatio opposita, spiratio autem qua Pater spirat non opponitur spirationi qua spirat Filius, atque proinde vnica est non multiplex.

Nonum. Pater est sufficiens principium Spiritus sancti, ergo non requirit auxilium Filij.

Respondeo Filium cum Patre spirare, non quia Pater egeat auxilio, sed quia habent eandem potentiam: qua ratione mundus producitur etiam à tribus personis necessario, necessitate, quam vocant, producentis, & quia intrinsecè ad rationem Spiritus sancti spectat distingui illam realiter à Patre & Filio, propterea de necessitate etiam, quam vocant producti, ab vtroque procedit.

Vltimum. Si à Filio procedit Spiritus sanctus, ergo Patri similior est Filius quàm Spiritus sanctus. Nam Filius spirat cum Patre spirante, & Spiritus non generat cum Patre generante.

Respondeo si in hoc esset attendenda similitudo, simile sequeretur incommodum, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, nam tunc esset Filius similior Spiritui sancto quàm Patri, siquidem Filius procederet cum Spiritu sancto, & non produceret cum Patre: sed neutrum concludit reuera. Nam similitudo attenditur ex parte essentia, non ex parte relationum.

Demonstratur rectè factam additionem *Filioꝝ*.

HÆC particula *Filioꝝ*, est explicatio Symboli, vt declarat Concil. Florent. *Definimus explicationem verborum illorum (Filioꝝque) veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite, & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* Debit autem explicari symbolum, cum multi credere cepissent spiritum sanctum non procedere à Filio, hic enim error est contra fidem, teste Athan. in symbolo: *Hæc est fides Catholica, quem nisi, &c. & epist. ad Serapionem, & Concil. Florent. & vbi error ibi remedium quâtopossit aptius afferendum est: nullum autem aptius quàm expressa symboli verba, cum symbolum sit quod omnes publicè profitentur.*

Sed Latinos sine consensu Græcorum hanc explicationem facere potuisse constat: tum quod papa pastor vniuersalis Ecclesiæ nequeat errare in decretis fidei ex cathedra docens, illius autem est decernere de fide qui errare nequit, tum quia, & si tantum esset vt minimum primæ sedis Episcopus, sine quo Concilia robur nullum (vt docet Gelasius in tomo de vinculo anathematis) habent, sufficeret Concil. aliquor episcoporum ab ipso confirmatum, vt aliquando factum est: tum etiam quod sit vel de fide, vel ritu quæstio: si posterius, potest quilibet in sua diocesi Episcopus aliquem introducere ritum sine aliorum consensu: si prius potuerunt quidem Latini (quamuis Roman. Pontifex esset solum Patriarcha ceteris maior) illud definire: non tamen quod statim reciperetur à ceteris, sed alijs videndum num res rectè definita: sin minus maius conuocare Concilium: Græci autem non solum hanc particulam esse contra finem nequiverunt probare, sed plures eorum fuere à Latinis conuicti. Legitimè ergo facta est hæc additio à Latinis.

Dices, licet non fuerint necessario Græci initio vocandi, quare tamen non fuere vocati?

Respondeo primo, an minimè fuerint vocati certum non esse. Secundo non fuisse necesse quia facilis quæstio: nec enim, sicut lib. 4. ad Bonif. 82. August. ait, omnis hæresis talis est vt propter eam omnes debeant prouincię versari. Tertio rei definiendę necessitate ita instasse vt quantocumq; malo occurrere oportuerit. Quarto quia inutile, cum nulli extarent in Græcia homines docti.

Soluuntur obiectiones Græcorum.

PRIMA. Decreuit sancta Synodus (scilicet 3. generalis) alteram fidem nemini licere proferre, aut scribere, aut exponere præter eam, quæ definita fuit à sanctis Patribus, apud Nicænam urbem in spiritu sancto congregatam, eos autem qui fuerint ausi aliam fidem componere siue porrigere, aut proferre his, qui volunt ad veritatis cognitionem conuerti ex Gentilibus, vel Iudeis, vel etiam ex qualibet hæresi: istos, si quidem Episcopi fuerint aut Clerici, alienos Episcopos quidem ab Episcopatu, Clericos ab Clericatu, si laici fuerint anathematizatos esse.

Respondeo primò, prohiberi tantum mutationem quoad sensum contrarium symbolo, sicut ad Galat. 1. Paulus anathematizat docentes præter id quod docuit, cum tamen ipse alia postea docuerit. Alias Synodo 3. abrogasset Constantinop. Symbolum, quo tamen vtuntur Græci, addidit enim multa ad Nicænum. Dicunt quidem Græci Constant. & Nicæn. pro vno, & eodè haberi; sed quare nisi quia in eundem cõspirant sensum? Hæc aut particula *Filioꝝ*, in eundem quoque tendit. Quare Græci cum non ignorarent opinionem Latinorum, & eam additionem factam fuisse, per annos tamen circiter trecentos sulerunt.

Secundò, Et si prohiberet Concil. additionem etiam quoad verba, eius tamen prohibitio non nisi ad singulos Episcopos Clericos, ac Laicos intelligeretur extendi (si enim ad omnes Episcopos simul, ac Pontificem quis eos deponeret?) Deinde non ignorauit Concil. par in parem non habere potestatem. At hanc additionem summus Pontifex approbantibus postea tribus generalibus Concilijs symbolo intexit.

Secunda. Et si hoc licuerit Latinis, non tamen expediuit: alioquin multa alia symbolo essent addenda.

Respondeo conuenienter id actum, tum quia dabat symbolum, sine hac particula, causas erroris: tum quia facile poterat addi sine notabili mutatione symboli. Cum & quæcumque alia particula addi posset si Romano Pontif. aut Concil. videretur expedire.

Concluditur Disputatio diuino testimonio.

Primò vsque ad schisma adeò floruit Græcia doctis, atque sanctis viris, vt omnia Concilia generalia in ea celebrata fuerint, post verò nullum habuit generale Conciliū, nullum miraculis clarum peperit doctum Patrem; Latini Concilia celebrarunt generalia duodecim, viri etiam miraculis clari singulis floruerunt ætatibus, ijque doctissimi, quorum maior pars Religiones diuersæ tulerunt.

Secundò, fides Latinorum propagatur vsque ad Indos tum Orientales tum Occidentales: Græcorum verò quotidie tabescit atque minuitur, eiusque sectatores quater aut quinquies victi, & conuersi à nostris, semper redierunt ad vomitum.

Denique illorum imperium in Turcarum incidit manus, idque ipsis pentecostes ferijs. Anno siquidem, vt probat Gerardus Mercator in Chronolog. 1452. die 28. Maij, qui fuit (vt cognoscitur ex aureo numero, qui eo anno erat 9. & littera Dominicalique A.) pentecost. Mahumetes secundus vltimam obsidionem ad Constantinopolem statuit, & sequenti die urbem expugnauit, occisoque Imperatore imperium extinctum est.

CAPVT IV.

Eucharistiæ Sacramentum confici tam in azymo, quam in fermentato, contra Græcos probatur.

Post annos à christi natiuitate mille & quinquaginta, orta est inter Græcos & Latinos celebris illa de azymo cōtrouersia, vt ex Epistola Leonis 9. ad Michaelē Patriarcham Constantinopolitanum cap. 5. & ex Anselmo lib. de fermentato & azymo, & alijs colligitur. Ita verò pertinaciter suæ Græci adhæserē sententiæ, vt ipsius defensio vna ex præcipuis causis semper exstiterit, propter quam se à Latinorum communionē separatos conseruauerint. Et quamuis controuersia hæc in Conc. Florentino, quo Græci conuenerant, fuerit eo decreto absoluta, quo Patres sanctæ illius Synodi iudicarunt vtrumque panem azymum videlicet, & fermentatum veram esse Eucharistiæ materiam, & vtrumque in vnaquaque Ecclesia iuxta antiquam consuetudinē retinendum: quia tamen semper

Leo.
Anselm.

per Græci contendunt nos Eucharistia carere, illicitæque in azymo consecrare, ostendendum nobis erit falsò eam sententiam, vel prorsus nullo fundamento inniti: quod vt breuius, ac solidius aboluamus,

supponamus in primis, vtrumque panem tam videlicet fermentatum quam azymum, verum esse panem, atque in Scriptura sacra vtrūque panē simpliciter dici. Et quia de fermentato & ipsi affirmant, & nos non negamus, id probabimus de azymo. Luca 4. duo illi discipuli, qui pergebant in Emaus, Christum cognouisse dicuntur in fractione panis, quem tamen azymum fuisse constat, quod illud acciderit in secundo vel tertio Paschæ die (vt ex historia ipsius Euangelistæ colligitur) quibus diebus non licebat Iudæis nec domi habere panem fermentatum, vt patet ex Exod. cap. 12. & 13. Marc. etiam 2. David dicitur manducasse panes propositionis, quos tamen azymos fuisse scribit Philo, & Iosephus, ille in libro de Vita contemplatiua: hic verò lib. tertio Antiquit. cap. 9. vbi ait: *Et duodecim panes azymos in ea (hoc est mensa) ponebant, senes per partem, valde mundos.* Et ex Leuit. cap. 2. colligitur, vbi omnem oblationem, quæ Domino offertur absque fermento fieri debere dicitur. Scriptura autem rectè vtrumque panem simpliciter panem appellat, quod vterque conficiatur ex farina triticea, & naturalia aqua, coquatur puro igne, quæ tantum sunt de ratione panis, vterque præterea habet vsum panis, quamuis fermentatus, quia est melioris saporis, sit vsitator. Hanc nostram suppositionem præter D. Thomá in 4. dist. 11. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 6. docet Theodoret. Orat. decima in Daniele.

Quia verò in hac controuersia præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum est factum Christi (neque enim dubitari potest, quin illud sit melius, & faciendum, quod Christus fecit) ideo ista quæstio ab alia pendet, Vtrum Dominus sacramentum instituerit primo die azymorum, quando fermentum inueniri non poterat in omnibus finibus Israël, an verò ante eum diem. Si enim Dominus sacramentum instituit in primo die azymorum, certum erit azymo pane vsum fuisse in eiusmodi institutione: nam Exod. 12. & 13. præcipitur sub pena mortis, ne fermentatus panis inueniatur in domibus, aut in vlllo alio loco filiorum Israël. Si alio tempore instituit, res non erit omnino certa.

Sed antequam Græcorum fundamenta statuamus, præmittere oportet id, quod sanctus Thomas notat in quarto distinct. vndecima quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. tertia, morem celebrandi in azymo acceptum fuisse ab Apostolis, & in omnibus Ecclesijs olim seruatum, vt docet Innocentius de mysterio Missæ lib. 4. cap. 4. Postea verò, vt scribit Leo Papa Epistola quadam ad Imperatorem Constantinopolitanum, ab eodem Innocentio citata, propter hæresim Ebionitarum, qui dicebant simul cum Euangelio legalia

Luca 4.

Exod. 12.
& 13.
Marc. 2.
Philo.
Iosephus.

Leuit. 2.

D. Thom.
Theodoret.

Christus an
in azymo, an
in fermentato
consecratis.

Quando
celebrari
coepit in
azymo.
Innoc.
Leo Papa.

legalia esse seruanda, sancti Patres ne eis consentire viderentur, cum sci-
rent non esse de necessitate huius sacramenti confici ex azymo, in instinctu
Spiritus sancti ad tempus statuisse, vt Eucharistia ex fermentato confice-
retur. Postea verò cessante illa haresi Ecclesiam Romanam ad primum
morem rediisse, Græcos autem noluisse relinquere consuetudinem illam
ad tempus susceptam, & obstinati dicebant non posse confici nisi ex fer-
mentato, dicentes sic Christum consecisse.

Græcorum igitur ea est sententia, vt existiment Christum consecrasse
in fermentato: asserunt enim ipsum suū Pascha manducasse, & sacramen-
tum instituisse die siue Luna decima tertia mensis primi, sequenti autem
die ad occasum solis incepisse tempus Paschale, quo à Iudæis omnis fer-
mentatus panis abijciendus erat. Sic Euthymius in commentario ad cap.
26. Matth. & Nicephor. lib. 1. histor. cap. 28.

Est enim obseruandum ab Hebræis initium omnium mensium sumi
à nouilunio, & idem apud ipsos esse primam Lunam, & primam diem, &
Lunam 14. vel 13. ac diem decimum quartum, vel decimū tertium. Porro
secundum legem Exod. 12. die 14. mensis, id est, decima quarta à nouilu-
nio post solis occasum solitos fuisse incipere dies azymorum, qui erant
septem, omnes quidē Paschales, sed primus, & vltimus soli solemnes, ita
vt in his tantū non liceret opus vllum seruire exercere, vt patet Leuit. 23.

Dicunt ergo Græci feria quinta in cœna Domini fuisse diem decimum
tertium apud Hebræos, in quo nondum inceperat tempus azymorum.
Feria autem sexta, in qua Christus mortuus est, dicunt fuisse profanum,
sed illa ipsa Luna post Solis occasum cepisse tempus azymorum, quia ille
erat dies decimus quartus, postea verò diem decimum quintum fuisse diē
sabbathi solemnisimum.

In hac ergo sententia Græcorum non est euidens Christum consecrasse
in azymo, cum post esum agni Paschalis in institutione sacramenti as-
sumere potuerit fermentatum, cum nondum cœpisset tempus azymorū.
Sed neque est euidens, sicut notauius ex sancto Thoma, Christum in fer-
mentato consecrasse: cum enim in comedendo agno, propter legis obser-
uantiam azymum adhibuisset, gratis dicitur, quod post cœnam fermenta-
tum reassumpserit. Imò probabilius est eodem pane in cœna, & post cœna
vsum fuisse, quamuis sanctus Thomas putare videtur esse necessarium.

Communis vero Theologorum sententia est in quarto dist. vndecima
Christum comedisse agnum Paschalem, & instituisse Sacramentum Eu-
charistia Luna 14. primi mensis, quo tempore Iudæi, qui tunc viuebant
diem festum, azymorum inchoauerunt. Obseruandum enim est aliter
dies festos, aliter dies naturales apud Hebræos constitui: dies enim natu-
ralis apud ipsos incipit ab ortu solis, & terminatur ad occasum solis, &
continet

continet diem & noctem artificialem, quod patet ex Genes. Illud enim,
Factum est vespere & mane dies primus, vt exponunt Ambr. Basil. significat ex
die artificiali, qui terminatur in vespere, & ex nocte sequenti, quæ ter-
minatur in mane, factum esse diem naturalem: dies verò festus è contra
apud ipsos incipit ab occasu solis, & terminatur in occasum solis, ex
Leuit. 23. & proinde dies festos azymorum comprehendere noctem Lunæ,
siue diei naturalis quartæ decimæ & Lunam diei naturalis, siue Lunæ
quintæ decimæ. Quare cum Iudæi ineunte festo azymorum ipso initio
noctis Lunæ decimæ quartæ abijcerent omnem panem fermentatum,
Christus autem ipsa eadem nocte Eucharistiam institueret, in hac senten-
tia necessariò consecrauit in azymo.

Ex quibus primò colliges Græcorum sententiam, existimantium Chri-
stum consecrasse in fermentato, erroris manifestè conuinci. Et primò
probarur: Quia omnes ferè Patres docent Christum Luna decima quar-
ta, in quam ex Exod. 12. primus dies azymorum incidebat, suum Pascha
immolasse. Ita Origen. titulo 35. in Matth. Chrysof. Homil. 35. in Matth.
Theoph. & Theophan. apud Bedam de ratione tempor. cap. 57. & 59.
Theodor. q. 24. Exodi, Tertull. Cyprian. Ambros. epist. 83. Hieronym.
in cap. 26. Matth. August. epist. 86. Beda & alij: Sed eo tempore non lice-
bat vti pane fermentato: igitur consecrauit in azymo.

Secundò ex Euangelio apertissimè probatur: quia Matt. 26. sic dicitur:
*Primo die azymorum acceperunt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi
comedere Pascha?* Et Marc. 14. *Prima autem die azymorum, quando Pascha immo-
labant.* Et Luc. 22. *Venit dies azymorum in qua necesse erat occidi Pascha.* Cum
ergo hi tres Euangelistæ dicant Christum post cœnam instituisse eucha-
ristiam primo die azymorum, qui nusquam in tota scriptura dicitur ter-
tius mensis, sed quartus decimus, aut decimus quintus, vt patet Exod. 12.
13. & Leuit. 23. & Num. 28. apertè conuincitur errorem esse dicere, quod
Christus consecrauerit Luna decima tertia, ante diem festum azymorum.

Respondent impudentissimè quidam Græci, referente sancto Thoma,
prædictos tres Euangelistas errasse, & à Ioanne fuisse correctos. Hoc au-
tem est blasphemum; & si admittatur error in Euangelio, non est ratio,
cur potius errauerint tres, quàm vnus.

Respondent alij, vt Euthymius, dicentes Euangelistas loqui de die azy-
morum, non qui aderat, sed qui erat proximus.

Sed contra est: quia cum alij Euangelistæ dicant ipso die azymorum
discipulos missos fuisse ad parandam cœnam Paschæ, non potest esse vlla
difficultas. Secundò, quia hoc modo necesse esset dicere Christum præua-
ricasse legem, quod Pascha comederit ante tempus, contra illud, *Non veni
soluere legem, aut prophetas, sed adimplere.* Sed ex Ioanne etiam, à quo Græci

dicunt alios Euangelistas fuisse correctos, aperte demonstratur Christum Luna decima quarta post solis occasum, ineunte Pascharis festo, cenasse cum discipulis, consequenter post esum agni non nisi in azymo instituisse Eucharistiam.

Ioan. 13.

Primò enim cap. 13. dicit Ioannes: *Ante diem festum sciens Iesus quod venit hora eius; ergo dies passionis erat dies festus Paschæ: sed dies festus incipiebat à Solis occasu; ergo festum Paschæ, seu primus dies azymorum inceperat à nocte, qua Christus cœnauit, & instituit Sacramentum; ergo instituit Luna decima quarta: dies enim festus Paschæ comprehendere debebat noctem Lunæ, siue diei naturalis quartæ decimæ, & lucem Lunæ siue diei naturalis quintæ decimæ.*

Respondent Græci ad hoc, cum Ioannes dicit, *Ante diem festum*, non intelligi de ante immediato, sed de ante mediato, ac si diceret antequam veniret Pascha. Respondeo hoc esse figmentum Græcorum. Deinde dico nostrâ sententiam Catholicam aperte colligi ex sequentibus verbis Ioannis, vt latius docet Bellarm. de Euchar. lib. 4. cap. 7.

Conclusio.

His præiactis asserendum nobis est Eucharistiæ Sacramentum confici tam in azymo, quam in fermentato. Assertio est de fide certa in Concilijs Florentino, & Tridentino tradita, & à Leone 9. in supra citata Epist. ita antea confirmata, vt Græcorum sententiam hæreticam appellauerit. Docent eam omnes Patres Latini, ac Theologi quidam post magistrum in 4. Quidam cum D. Thom. 3. parte.

Probatum primò, ex Apostolorum traditione, cuius testes sunt Innocentius de myster. Missæ lib. 4. cap. 4. Leo Papa Epist. quadam ad Imperatorem Constantinopolitanum, quam citat idem Innocentius, & D. Thom. loco supra citato; qui omnes affirmant morem consecrandi in azymis à D. Petro, & Apostolis Romanam Ecclesiam accepisse, sed eum propter hæresim Ebionitarum postea fuisse intermissum: cum enim ipsi docerent simul cum Euangelio legalia esse seruanda, Patres illius ætatis Spiritus sancti instinctu, scientes azymum non esse huius Sacramenti materiam necessariam, ne hæreticis consentire viderentur, decreuerunt, vt ad tempus ex fermentato Eucharistia conficeretur.

Probatum secundò. Christus Dominus consecrauit in azymo: ergo ille panis sufficit ad substantiam huius sacramenti. Antecedens supra est probatum. Consequens euidenter deducitur.

Probatum tertio. Vterque panis verus est, & simpliciter panis: sed ille totus est sufficiens Eucharistiæ materia: ergo siue fermentatus, siue azymus sit, totus erit ad consecrationem aptus. Maiorem prima suppositione probatam reliquimus. Minor probatur: nam ex Euangelistis, & Paulo nil aliud colligimus, quam à Christo acceptum fuisse panem, consecratum, &

& Apostolis distributum. Quare sicuti ex eo, quod vinum vertendum in sanguinem assumpserit, æquè aptum existimamus rubrum, ac album, cum vtraque vera sint vina, etsi accidentaliter diuersa: ita pari ratione existimandum est vtrumque panem siue azymum, siue fermentatum ritè posse ad hoc mysterium celebrandum assumi.

Obijcies dictum illud Christi Domini: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Ex quo deduces panem fermentatum esse corruptum. Sed sensus illius proloquij non est, à modico fermento massam corrumpi, sed fermentari, hoc est alterari, & disponi, vt tali modo fiat. Fateor à nimio fermento posse massam corrumpi, sed propterea meritò admonet D. Thomas, vt non sit nimia illius mixtio, vt ita verus panis efficiatur, atque vsui hominum aptus: qui si talis sit, non minus erit ad consecrationem aptus, quam si azymus esset.

His duabus rationibus, quæ assertionem demonstrare videntur, duæ aliæ addi possunt, quibus probetur congruentius consecrationem fieri in azymis, quam in fermentato: quarum altera sumitur ex significatione: Nam panis azymus designat puritatem, & sanctitatem corporis Christi vel accedentium ad illud accipiendum, iuxta illud D. Pauli i. ad Corinth. 5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.* Alteram verò indicat Anselm. d. loco supra Matt. cap. 26. vbi ait azymum panem facilius, purius, ac decentius confici; additque D. Thomas magis eum esse ab omni corruptione immunem.

1. Cor. 5.
Anselm.
D. Thom.

Græcorum argumenta diluuntur.

Omnia Græcorum argumenta eò tendunt, vt probent Christum Dominum in fermentato consecrasset, non quidem, vt conuincant congruentius in fermentato, quam in azymo consecrationem fieri, sed vt omnino azymum reiiciant, tanquam materiam ineptam, & à Christo non institutam. Quibus omnibus argumentis, si antecedens concederetur, non inferretur propterea consequens, quod ipsi opinantur, vt ex prædictis facile colligitur. Sed quia antecedens est falsum, aliqua eaque præcipua eorum argumenta proponam.

Primum argumentum sit: Christus fuit occisus ante celebrationem Paschæ: ergo cum Christo pridè quam pateretur Pascha manducauerit, vel præuenit Iudæorum cæremoniam, vel Iudæi suam postposuerunt: hoc secundum est falsum, tū quod nullo probabili fundamento fulciatur, nisi solidum fundamentum existimes Rabbiniſmum cuiusdam Gamalielis, quide solis; & Luna moribus scripsit ante quingentos annos, vt mirum

Ioan. 14.

propterea fit Burgensem Catharinum, & quosdam alios paucos sententia ipsius esse vsos, tum etiam, quod Ioan. decimoquarto repugnet dicenti, ante diem festum Pasche lauasse Christum discipulorum pedes, azyma manducasse, Eucharistiam instituisse, & deinde morti fuisse condemnatum: ergo preuenit potius Iudæorum Pascha: sed tunc licebat uti fermentato: ergo in eo Eucharistiam instituit.

Confirmatur ex illo communi scribarum placito, ne Christus occideretur in die festo, ad euitandum tumultum populi.

Marc. 14.

Ad hoc argumentum Respondeo, apocryphum omnino esse, quod aliqui existimarunt Iudæos diem festum Pasche postposuisse, quod eo anno caderet feria sexta: sed non minus esse falsum, quod Christus Pascha anteuerterit, agnumque statuto legis die non manducauerit, ut supra diximus, & Marcus expressè affirmat cap. 14. dum dicit, primo die azymorum, quando pascha Iudæi immolabant, accessisse ad eum discipulos, atque ut locum ad mysterium celebrandum designaret, postulasse & vespere facto, locoque in cœnaculo grandi instructo agnum comedisse. Vocauit autem Marcus eum diem *primum azymorum*, quod post paucas horas, vespere videlicet facto sollemnitas instaret azymorum, uti supra dicebamus. Cumque sequenti luce fuerit Christus occisus (siquidem *pridie quam pateretur accepit Iesus panem*, ut ait Paulus, & ex Euangelistarum contextu liquet) eaque fuerit decima quinta, sequitur in ipso festiuissimo die omnino ipsum obiisse.

Ad confirmationem adductam Respondendum est, placitum illud scribarum minimè fuisse receptum, sed illud eorum, qui dicebant premdendum esse potius & occasionem non negligendam tollendi è medio Christum quocunque die, quocunque festo incederet, quocunque demum legis præcepto prohiberentur, rati videlicet expedire potius Christum mori, quam legem obseruare ideo ipso festiuissimo die, ut docent Tertullian. lib. contra Iudæos cap. 9. Euseb. li. 10. de demonstratione Euang. demonstrat. 6. Cyrill. Hierosolym. cap. 13. Origen. Homil. 23. in Num. Clemens Papa lib. quinto Constit. cap. 14. August. Tract. 50. in Ioan. Leo Papa Serm. 6. de Passione, & alij. Quo die parauerunt quidem mulieres aromata, & Ioseph mercatus est syndonem, quod opera pietatis his etiam diebus in lege non prohiberentur. Et licet iudicia habere esset illicitum, eius tamen legis reos se minimè Iudæi existimarunt, quod Romanis curam Christum occidendi demandauerint. Propterea ait Ioannes 18. ipsos non introisse pratorium, ne contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, victimas scilicet Paschales, quæ ex ouibus & bobus quotidie in diebus Paschæ immolabantur, Deuter. 16. Quarum esus non nisi purificatis concedebatur, ut ex Leuit. constat cap. 22. E media ergo platea Pilato ele-

Tertull.
Euseb.
Cyrill.
Origen.
Clemens.
August.
Leo Papa.

Ioan. 18.

Deut. 16.
Leuit. 22.

ationem inter Christum & Barrabam proponenti, responderunt Iudæi: *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabam*, Luca 23. quam electionem proposuit, ut liberandi Christum viam quæreretur, & consuetum obseruaret morem, singulis annis in die Paschæ vnum vincitum, quem populus mallet, dimittendi: cui expositioni non obstat nisi Chryostomus Homil. 82. in Ioan-
nem, qui credidit Iudæos cœnam legalem postposuisse, legemque prauaricasse: sed id iam est à nobis ex Luca reprobatum. Obijt ergo Christus die ipso artificiali Paschatis: propterea dixit Ioannes, *Ante diem festum Paschæ*, sed initio ipso sollemnitate ad vesperam decimæ quartæ Eucharistiam instituit, quando uti fermentato non licebat.

Chryost.

Secundum argumentum ex Epiphanio desumitur primo contra Hæres. cap. 50. vbi expressè ait Christum oportuisse in decima quarta die immolari secundum legem: Decima erga tertia die Christus & agnum comedit, & Eucharistiam instituit.

Epiphani.

Ad hoc argumentum, quamuis admitteremus Antecedens, & Consequens, non proinde sequitur Christum in fermentato consecrasse: cum enim ex lege, cum azymo agnus esset comedendus, quis dicat eodem non usum fuisse in instituenda Eucharistia: sed Epiphanius loco citato solummodò loquitur de figurante siue typica Christi immolatione, ac si dixisset, oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari decima quarta Luna ad vesperam, incepta iam azymorum sollemnitate, quod indicat ea verba ipsius *secundum legem*: arguit siquidem eo loco quarta decimanos, quod celebrantes cum Iudæis Luna 14. non animaduertent Iudæorum Pascha eo die ad vesperam significare Synagogam lumen suum amisuram Christo adueniente, dies enim 14. est vltima incrementi cum decima quinta decrefcere iam incipiat.

Tertium. Azyma sunt Iudæorum propria: ergo consecrare in azymis est Iudaizare.

Respondeo esse propria Iudæorum ad significandam Christi puritatem futuram non autem presentem, vel ad sacramentum Eucharistia: conficiendum: alioquin nec uti deberemus aqua & fermento, cum his ad suos ritus vterentur Iudæi.

Quartum. Immolatio agni Paschalis figura fuit passionis Christi: sed agnus immolabatur die 14. ergo eo die fuit ipse occisus, & præcedenti ab ipso Eucharistia instituta.

Respondeo agnum paschalem magis significasse Eucharistiam, quam Christi mortem, quod ritus agni paschalis magis ad manducandum, quam immolandum pertineret. Quare meritò Eucharistia in profesto paschatis, Luna scilicet decima quarta, est instituta, quo die agnus immolatus erat,

Quintum. Augustinus Tractatu 120. in Ioan. docet acceleratam fuisse Domini sepulturam propter Iudæorum Parasceuem: quia illa nocte cenauerant comesturipuram: ergo Christus præuenit Iudæorum cæremomiam.

Respondeo per eam cenam non intelligi ab Augustino agnum Paschalem, sed quandam aliam sollempnem, quam ad vesperam feriæ sextæ fuebant, initio videlicet Sabbathi, vt patet ex D. Irenæo lib. primo cap. 10. & lib. quinto cap. 23. Et ex Beda in cap. 23. Luca. Vnde quando Ioannes 19. ait: *Erat autem Parasceue Pasche hora quasi sexta*, non debet intelligi dies præparationis ad Pascha, sed ad Sabbathum, vt seipsum declarat Ioannes, aiens: *Propter Parasceuem Iudæorum, vt non remaneret in cruce corpora sabbatho, erat enim magnus dies ille Sabbathi.*

Non ante absoluam hanc controersiam, quin moneam finxisse Caluinum à quodam Alexandro summo Pontifice introductum fuisse in Ecclesia azymum panem in sacrificio Misæ: finxisse dixi, cum nullum huius historiæ testem referat, atque à veritate alienissimum sit. Nam omnes Pontifices huius nominis post primum, successores fuere Leonis nomi Romani sententiæ acerrimi defensoris. Primus verò huius nominis Pontifex, qui circa annum Domini 110. sedit, non potuit esse huius institutionis auctor, cum Christi Domini factum & nascentis Ecclesiæ ritum esse latere non potuerit: eam autem ipso exordio in azymo consecrasse supra ex Leone diximus, qui capite 24. dicit sanctos Martyres primitiæ Ecclesiæ nostris azymis faginos.

C A P V T V.

Purgatorij locum esse aliquem, in quo iustorum purgantur peccata, contra Græcos demonstratur.

Purgatorium esse in primis probatur ex omni cura, quæ pro defunctis habita est, tam in veteri, quam in nouo Testamento, atque in illo quidem primò ex lib. 2. Machabæor. cap. 12. in quo Iudas orare fecit pro mortuis, & subiungitur in textu: *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.* Vnde quinque colliguntur. Primò posse mortuos à peccatis solui, & proinde Purgatorium esse. Secundò sacrificia & orationes illis prodesse. Tertio non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, vt fingit Lutherus. Quarto posse hominem pie mori, & tamen

& tamen habere aliquid soluendum. Vltimò hoc esse, de fide.

Secundò, exemplo Tobia, qui filium suum docuit panem & vinum ponere super sepulturam iusti: id est elemosynam dare, vt pro eo oretur: alioqui ridiculum esset ponere panem & vinum super sepulcrum. Dicit autem iusti pro fidelis, qui pie in Domino defunctus sit. Inde etiam dicit in aliquibus Ecclesijs vsitatum est, vt in die Commemorationis omnium animarum, panem & vinum ponant super sepulcra suorum defunctorum, quæ cedunt in vsum Ministrorum Ecclesiæ, & aliorum pauperum. Nam in his elemosyna ipsa valet coram Deo pro defuncto, etiam si ipsi parum fortasse orauerint pro defunctis illis. Abusus si qui irrepperunt debent per Episcopos emendari.

Tertio, exemplis populi Israël, quoties luxit obitum clarorum virorum multis diebus: vt habitatores labes Galaad luxerunt Saul Regem septem diebus. 1. Reg. vlt. Dauid luxit pro Ionatha, alijque ex populo Israël in prælio occisis. 2. Reg. 1. Populus Israël luxit interitum Iudæ Machabæi diebus multis lib. 1. Machab. 9. & horum similes. Nam diuturnus iste luctus præsertim coniunctus cum ieiunio, non significat solam mentis tristitiam, sed & orationes & sacrificia, quæ per dies istos pro defuncto sunt oblata Deo.

Quarto, ab exemplis noui Testamenti, de quibus meminit Apostolus Paulus 1. Corint. 15. dicens: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* baptizari enim hic significat pati, iuxta illud Christi ad filios Zebedæi: *potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Marc. 10. baptizari ergo pro mortuis est aliquid pro eorum salute sustinere. Cuiusmodi sunt opera satisfactoria, vt ieiunia, orationes, elemosynæ, peregrinationes, oblationes, &c.

Deinde Purgatorium esse, probatur secundò & principaliter ex verbis Christi Domini. Matth. 12. vbi peccatum contra Spiritum sanctum dicit non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ex quibus verbis sacri interpretes colligunt esse aliquorum peccatorum remissionem post hanc vitam. Quò pertinet & illud de ingrato & iniquo seruo, quem Dominus tradidit tortoribus, quoadusque redderet ei vniuersum debitum. Matth. 18. Ita & de incarcerato à iudice ait: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Matth. 5.

Tertio, ex verbis Apostoli 1. Cor. 3. *si cuius, inquit, opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quo quidem in loco obseruandum est Apostolum vt similitudine architectorum, quorum vnus super fundamentum lapideum atque solidum ex pretiosa erigit materia domum, quæ non timeat ignem: alter super fundamentum simile exstruit ædificium ex combustibili materia, vt stipulis, ligno, &c. Hoc

Hoc duplici edificio si ignis applicetur, prius quidem integrum manebit etiam saluo architecto, si sit intus: posterius verò breui per ignem deuorabitur, & architectus inclutus non nisi egredietur per ignem, in quo transitu non quidem morietur, sed tamen eius corporis leuiore partes incolumes non egredientur.

Huic sententiæ consonant dicta Prophetarum: vt Dauidis psalm. 65. *Transuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Et Isaia 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Syon & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius, in spiritu iudicij & spiritu ardoris.* Hæc verba D. Augustinus interpretatus est de igne Purgatorio, de Ciuitate Dei lib. 20. cap. 25.

Eundem sensum habent verba prophetæ Malachiæ cap. 3. *Ipse sedebit conflagrans, & emundans argentum & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Accedunt & illa verba prophetæ Zachariæ, cap. 9. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Quod aliquantò clarius expressit B. Petrus Apostolus Act. 2. loquens de Christo: *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni.* Dolores enim infernicorum, qui à Christo soluti sunt, nulli alij sustinuerunt, quam qui tunc erant in Purgatorio. Nam qui erant in limbo Patrum, nullos dolores patiebantur.

Quartò, plurimum huc faciunt verba Apostoli Pauli Philipp. 2. vbi docet de gloria Christi, & inter alia dicit: *Vt in nomine Iesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium, & inferorum.* Per quos tres ordines intelliguntur Angeli in cælis, homines fideles in terris, & animæ defunctorum in Purgatorio sub terra. Nam qui in inferno sunt damnatorum, non adorant Christum, sed blasphemant.

Quintò probatur ex Patribus Græcis & Latinis. Ex Græcis. Primus Clemens lib. 48. longam orationem describit pro defunctis fieri solitam.

Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 7. Par. 3. *Accedens, inquit, deinde venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuatur, & regione viuorum.*

Athanasius 34. ad Antiochum quærit, Num animæ sentiant vtilitatem ex orationibus viuorum? Respondet sentire omnino.

Basilii in Liturgia instituit orationem pro mortuis. Idem Basilius, qui magna apud Græcos pollet auctoritate, sæpè alibi Purgatorium statuit. In illud Isaia 9. *Quod iniquitas ardebit vt ignis, hæc habet: Preparatam enim materiam per peccata tolli, atque corrumpi, à diuina bonitate ordinatum est, in beneficium hominum.* Et in illud, *Vt aridum gramen comedetur ab igne, & comburetur in densitate syluæ,* ita ait: *Si ergò nudauerimus peccatum per confessionem, fecimus*

fecimus ipsum aridum gramen dignum, quod à purgatorio igne consumatur. Idè infra ostendit, quod terrena traduntur igni punitorio in beneficium animæ, sicut & Deus innuit dicens: *Ignem veni mittere in terram.* Et infra in illud, *Et erit populus tanquam à flammis rogi combustus homo,* hæc ait: *Non minatur destructione, sed purificationem significat, iuxta quod ab Apostolo dictum est: Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Idem S. Baillus in libro de spiritu sancto ad Amphiloichium cap. 15. *Ipse nos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Ignis baptismum, vocans examinationem iudicij, vt inquit Apostolus. *Vniuscuiusq; opus, quale sit ignis, probabit.* Et rursus: *Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.*

S. Gregorius Nyssenus, in Oratione de defunctis ultra medium, hæc ait: *Similes quippe nos Deo reddit liberum arbitrium. Vt ergo & libertate matura nõ priuaretur, malumq; deleatur, excogitauit hoc Dei sapientia inuentum, permittere scilicet hominem in hys esse, in qua prolabi voluit, vt degustatis malis quæ exoptauit, & experientia discens, quibus cum rebus quantas commutauerit, sponte sua reuertatur ad pristinam beatitudinem per desiderium, affectus omnes rationi non parentes velut nature onus excutiens, vel in presenti vita per cautionem & philosophiam expurgatus, vel post presentem peregrinationem, per ignis purgatorij fornacem.* Et infra: *Quod si in affectus rationis experte declinarit brutorum pelle adiutrice vsus ad prauas animi affectiones, longè aliud post hæc consilium capiet de bono diligendo post discessum à corpore, agnoscens quantum sit inter virtutes & vitia discrimen. Cum diuinitatem participare non poterit, nisi prius immixta animo sordes igne purgatorio expurgentur.* Et infra: *Et Prophetas audiuiimus, quique cum illis, & post illos fuere, per virtutem, & Philosophiam ad perfectionis culmen peruenisse discipulos inquam, & Apostolos & Martyres, omnesq; qui coniuncta cum virtute vitam adducta materia vitæ pratulerunt. Qui etsi numero pauciores sint, si cum eorum copia, qui malo adhaerunt, conferantur, posse tamè in carne virtutem colere ostenderunt. Reliquos verò per disciplinam posteriorem in purgatio igne deponentes affectus materiales, inque gratia à principio nature concessam per desideria bonorum redeuntes.* Idem Nyssenus in Oratione de infantibus immaturè abreptis propè initium. *Quid de ipso infante, scilicet abrepto sentiendum? quomodo de his qui hoc pacto obierunt, iudicandum? Aspicietur & illa anima iudicetur? Sistetur & illa cum cæteris ante tribunal? subibit ante acta vitæ iudicium? dabitne dignas penas expurgata igni iuxta Euangelij dicta, an verò potius rare benedictionis erit recreata? Euangelij verò locum intelligit, quam frater eius Basilius in Esaiam, Ignem veni mittere in terram.*

Eumenius in primam ad Corinth. explicans illud 3. cap. *Ipse verò saluus erit, sic tamen quasi per ignem,* hæc habet: *Vel etiam hoc pacto possumus intelligere. Qui superadificauerit materiam facile combustibilem, omnino proiectus est. Detrimentum enim passa sunt ipsius studia, ipse vero saluus erit. Quisnam? qui superadificauerit aurum & argentum, & lapides pretiosos. Cum enim de ipso*

dixissent, quod mercedem accipiet, nunc ait, qualem mercedem, hoc est, salutem? Saluus autem erit cum dolore & ipse, ut par est, cum qui per ignem transit, modicaru[m]que inbrentium sibi sordium indiget purgatione. Nam Dei solius est perfecta impeccabilitas, homines autem quantumlibet iusti, non sunt omnino mundi. Dicitur enim, quod in multis omnes peccamus, & nemo mundus à peccato, etiamsi vnius diei fuerit vita ipsius. Dicitur quippe est à Malachia etiam, quod ut ignis in fornace utq[ue] herbam lauantium lauat, & mundabit aliquos Deus.

1. Cor. 3.

Idem Eumenius citat Basilij Commentarios super Esaiam interpretantis locum illum, Saluus erit, sic tamen quasi per ignem, his verbis: In Commentarijs in Esaiam S. Basilius iterum hunc textum repetes, de purgatione ipsum intellexit.

Theodoret.

Theodoretus explicans dictum Pauli locum hæc ait: Ignem hunc, credimus Purgatorium, in quo purgantur animæ, tanquam aurum fornace.

Bas. Seleuc.

Basilius Seleucianus Chrysoctomi familiaris in quarta de Dauide Oratione in ipso fine: Ne expectemus (inquit) ut igne curemur, ubi perpendendum est illud, igne cremari.

Greg. Naz.

Gregorius Nazianzenus in Oratione in Cæsarium, circa finem inquit: Et nostras & eorum, qui quasi in via paratiores prius ad hospitium peruenerunt, animas commendemus. Ibidem Orat. pro anima eiusdem Cæsarij. Idem Nazianzen. in Oratione ad eos qui vocarunt, & non accurrerunt, prope finem: Super adificantes fundamento fidei, non lignum, non herbas, neque stipulam, materiam tenuem, & facile combustibilem cum igne diiudicabimur, vel purgabimur, sed aurum, argentum, &c.

Ephrem.

Sanctus Ephrem in suo Testamento, Assidue, inquit, in vestris orationibus mei memoriam faciatis, etenim in vanitate, & iniquitate vitam peregi meam.

Cyrill.

Cyrillus Catechesi 5. Mystagogica: Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitam sancti sunt, maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur, obsecratio sancti illius & tremendi sacrificij. Eusebius lib. 4. de vita Constantini dicit, eum voluisse sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum.

Epiphani.

Epiphanius in fine operis contra hæreses numerat inter dogmata Ecclesiæ orationem pro defunctis: & hæresi 75. Aerium hæreticum facit quia hoc negabat.

Chrysoct.

Chrysoctomus Homil. 41. in priorem ad Corinthios: Iuuetur, inquit, mortuus non lacrymis, sed precibus, supplicationibus, eleëmofynis. Et infra: Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes. Homil. 69. ad populum: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam. Idem Homil. 31. in Matth. & 84. in Ioan. Homil. 3. in Epistol. ad Philip. & 21. in Acta Apostolorum, & alibi.

Theod.

Theodoretus lib. 5. histor. c. 26, scribit Theodosium Iuniorum prociuisse.

buisse ad reliquias sancti Ioannis Chrysoctomi, & orasse pro animabus parentum suorum Arcadij, & Eudoxiæ iam defunctorum.

Theophylactus in cap. 12. Luc. Hoc autem dico, inquit, propter oblationes & Theophyl. distributiones, quæ sunt defunctis, quæ non parum conducunt etiam ijs, qui in grauib[us] delictis mortui sunt.

Damascenus in libro de ijs qui in fide migrarunt, probat hanc veritatem testimonijs multis, Dionysij, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, Gregorij Nysseni, & aliorum. Vide etiam Palladium in historia Lausiaca cap. 4.

Ex Latinis autem Patribus ferè nullus est qui dissentiat. Sufficiat autem contra Græcos Græcorum Patrum sententias retulisse.

Obijcit Augustinus, qui 21. Ciuit. cap. 26. & in Enchirid. cap. 69. dicit dubitari posse an post hanc vitam anima torqueantur purgatorio igne.

Respond. Non dubitare de pœna animarum, sed de modo ac qualitate pœnæ. Nam in priori loco, solum dubitat, An purgatorius ignis sit idem in substantia cum Gehennæ igne: in 2. An post hanc vitam vrantur anime igne doloris de amissione temporalium quo hic vri solent.

Denique rationibus probatur. Prima. Ex illo Apocal. 21. Non intrabit in Apoc. 21. illud aliquid coinquinatum. At multi fidelium hinc emigrant, qui maculas vitæ suæ non satis expiarunt: itaque post obitum purgari debent, ut digni fiant ad inhabitandam ciuitatem sanctam in cælis.

Secunda. Cum in nobis sint aliqua peccata leuia siue venialia, fieri potest, ut quis cum huiusmodi venialibus moriatur. Ergo assignari debet aliquid quo purgentur.

Tertia. Cum reconciliantur homines Deo, non dimittitur semper tota cum peccato pœna. Ergo si antequam soluatur, moriatur homo, illam alibi soluere tenetur. Probat antecedens. Nam Mariæ Numer. 12. dimissa fuit culpa, & tamen iubente Deo luit pœnam per hebdomadam vnam. Item in pœnam adulterij Dauidis moritur infans: in pœnam numerati populi grassatur pestis.

Respondent primò, hanc pœnam non esse in satisfactionem, sed in remedium, cum eam patiantur iusti. Deus pepercerat populo. Exod. 32. & tamen in pœnam peccati multi occiduntur, certè non ad emendationem, quomodo enim post mortem emendatio?

Respondent secundò, in morte deleri omnia. Contra sequeretur absurdum, nempe vnam & eandem esse pœnam, pro grauisimis ac leuib[us] peccatis.

Quarta ratio. In quo omnes conueniunt gentes, vix aliunde prouenire potest, quàm à naturali lumine: quæ enim sunt ab hominibus efficta, varia sunt pro varietate gentium. Sed opinio de Purgatorio omnibus

gentibus est communis : (non tamen multæ de penis fabulæ, quas sibi quisque pro capite suo finxit) Igitur à lumine naturæ procedit. Sicut Deū esse, non autem varios, & multiplices esse Deos. Probatum minor. Ita Hebræi 2. Mach. 12. Mahumetani in Alcorano, vbi Purgatorium disertè habetur: Ethnici in Phædone & Gorgia Platonis.

2. Mach. 12

Quinta. Videmus aliquos morientes valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos. Ergo sicut ratio dicitur valde bonos statim præmiandos felicitate æterna; valde malos æternis puniendos supplicij: sic dicitur esse temporarias penas pro mediocriter bonis.

Sexta. Testantur grauissimi auctores animas apparuisse, renūciantes se in purgatorio versari, implorantes auxilium à viuis. Anima Paschasi apud Gregor. Romanum: Vitalinæ virginis apud Gregor. Turon. sancti Seuerini apud Petrum Damianum: Fursæi apud Bedam à mortuis resurgens multa narravit de purgatorio: sororis sancti Malachia apud Bernardum, &c.

Pro solutione tandem argumentorum notandū est primò, quod Scriptura sacra frequenter duorum dumtaxat locorum, scilicet Cæli, & Inferni meminit, partim factum est, quia respicit ad sententiam externi iudicij Dei, qua alij ad beatitudinem, alij ad damnationem mittentur: nec erit porrò tempus purgationis. Partim quod sub nomine iustorum, qui beatitudinis sunt participes, etiam continentur constituti in Purgatorio: quia de sua beatitudine certi sunt, tamen si eam nondum habeant. Partim denique quod omnis legis fines duo sunt: scilicet decernere iustis præmia, & iniquis supplicia: tamen in vtrisque inveniuntur gradus, vt nec paria sint quorumlibet iustorum præmia, nec pares pænæ iniquorum omnium.

Secundò, ordinarius locus Purgatorij est prope infernum damnatorū, in medio terræ, quò & Christus in triduo mortis suæ descendit. Quod autem quidam leguntur Purgatorium suum habuisse in alijs locis, id speciali Dei ordinatione factum est, in terrorem viuientium, ne pænæ Purgatorij leues putent, & liberius peccent. Potest quoque dici, istas animas non continuè fuisse in locis istis extraordinarijs, sed pro ordinatione Dei aliquando dumtaxat apparuisse viuentibus, reliquo tempore fuisse in ordinario loco Purgatorij.

Tertiò, non mirum est animas in Purgatorio torqueri ab igne certo tempore, cum aliæ torqueantur in infernali igne in perpetuum, exigente & operante diuina iustitia, quæ nouit igni dare virtutem, vt animas affligat, nec vnquam absumat, neque ipse consumatur.

CAPVT

CAPVT VI.

An Sanctorum animæ Deum videant, & verè beatæ sint ante diem iudicij.

PRæcipuus Græcorum, aliorumque Schismaticorum error, vt ex Concilio Florentino, & D. Thom. Opusc. 6. cap. 9. constat, ille fuit, vt assererent nec beatorum animas ante extremi iudicij diem beatitudine frui, nec impiorum inferni igne puniri. Cuius oppositum definitum fuit in Concilio Florentino Sessione vltima, in Decreto vniõnis Latinorum cum Græcis, ac nouissimè in Tridentin. Sessione 25. Ac demum post longam inquisitionem idem definiuit Benedictus 12. in Extrauag. quæ incipit, *Benedictus Deus*: quam refert Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæreses, verbo *Beatitudo*.

Facile autem erit veritatem hanc contra Græcos conuincere tum scripturarum auctoritate, tum Græcorum Patrum, aliorumque Orientaliū testimonijs: quarum plurima adducit doctissimus Gennadius Patriarcha in expositione pro Concilio Florentino. c. 4. ac Cardinalis Bellarm. Tom. 2. Controuersia 4. generali lib. 1. cap. 3.

Primò igitur Scriptur. auctoritate comprobemus. *Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso.* Vel hic Dominus promittit paradysum terrestrem latroni, vel cælestem, sed futurum sicut exponitur ille locus, *Qui non credit iam iudicatus est*, id est, iudicabitur: vel iungendum est *hodie* cum verbo, *dico*, hoc modo: *Hodie dico tibi*, &c. vel promissit in præsentem habiturum visionem beatam, quæ est paradysus cælestis. Non primum: quia Dominus promittit animæ conuenientem ei paradysum. At quid animæ cum pomis, & frugibus terrenis? Non secundum quia non est recurrendum ad figuras, cum aperta sunt verba, & nihil inde sequitur absurdi: sicut nec in illis: *Qui non credit*, &c. Nō est enim sensus iudicabitur, sed iam iudicatur à seipso, cum nolit veram amplecti fidem. secundò, quia dixit Christus, *mecum*. At Christus non erat futurus in beatitudine: cum iam in illa esset, nec voluit dicere, *eris mecum*, sicut alij omnes sunt, quia Christus vbiq; est, nihil enim speciale ei promississet: Neq; tertium hoc enim est ridiculum: nōne videbat latro Dominum illa die loqui? Deinde *Hodie* respondet illi aduerbio, *Quando*, *Memento mei quando veneris in regnum tuum*. Ergo idem est, *hodie eris in paradiso*, illi *Quando*.

Secundò, ex Paulo ad Philipp. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo*: At esse cum Christo, ita vt requiratur dissolutio corporis mortalis, est esse in gloria

Philip. 1.

gloria eius. Nam quicquid aliud fingatur, explere non poterat Pauli desiderium.

Tertio, ipse Paulus ad Hebr. 12. describens Sion montem & Hierusalem celestem, docet eam constare ex Angelis, & Ecclesia primitiuorum ac spiritibus iustorum perfectorum, id est prophetarum & Apostolorum.

Actor. 7. Quarto, Stephanus cum vidisset celos apertos, & gloriam Dei, clamauit: *Domine Iesu accipe Spiritum meum.* Vtique in gloriam, quam viderat.

Apor. 7. Quinto, quia in Apocalypsi aperte dicitur: *Hi qui amici sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Quid est ante thronum Dei, nisi Deum cernere presentem?

Joan 14. Sexto, Christus dixit Apostolis *Ioan. 14. Vado parare vobis locum, ut vbi ego sum vos sitis.* Et *Ioan. 17.* alloquens Patrem sic ait: *Pater quos dedisti mihi, volo ut vbi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Si igitur discipuli modo cum Christo non sunt, vera non fuit Christi promissio.

2. Cor. 5. Ac denique expressè Paulus *2. Corint. 5.* *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis: nam in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quae de caelo est superindui cupientes: quasi dicat, non est cur timeamus nobis inquam domum defuturam, nam si ab hac mortali pellimur, habemus aliam aeternam. Per domum enim non manufactam intelligunt Graeci, ut Oecumenius & Anselmus, vitam aeternam.*

Ex Patribus Graecis probatur.

Ignat. Primus Ignatius Epist. ad Rom. *Aqua viua manens in me, intrinsecus mihi dicit, venit ad Patrem, sine me puram lucem aspiceret, illuc perueniens homo Dei ero.* Et rursum: *Miserabilis sum nunc donec Deum merear adipisci.* Significat autem ibi id consecuturum statim post martyrium.

Dion. Areop. Dionysius cap. 7. Ecclesiast. Hierarchiae. *Norunt (inquit) profecto se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cum ad praesentis vitae finem peruenerint. Viamque ad immortalitatem suam (id est gloriam beatam, cum id neque de immortalitate carnis, aut naturali animae intelligi possit) è vicino iam clarius intuentes diuinitatis laudant munera.*

Iustin. Iustin. qu. 75. *Post animi à corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio: ducuntur enim ad loca, quae eis digna sunt ab Angelis: bonorum quidem animi in Paradisum, vbi consuetudo est, & aspectus Angelorum, & Archangelorum, visio etiam conseruatoris Christi ex verbis his: Peregrinari à corpore, & praesentes esse ad Dominum: improborum autem ad inferorum loca.*

Irenaeus

Irenaeus lib. 1. cap. 2. *Iustis, & equis, & praecepta eius seruatis, & in dilectione Irenaeus. ne eius perseuerantibus, quibusdam quidem ab initio, (id est statim ut mortui sunt, sine macula & reatu:) quibusdam ex penitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, & claritatem aeternam circumdat.*

Basilii loquens de sancto Gordio, *Erat (inquit) affectus, non ut qui in li. Basil. foris manus deuenturus esset, sed velut Angelorum manibus seipsum commissurus, qui statim ipsum recens mactatum, assumptum ad beatam vitam translaturi essent.*

Gregor. Nazianzenus Oratione in Basilium: *Tu obiter (alloquitur Ba. Greg. Naz. filium defunctum) è caelo respice, & c. ut hinc demum discedentem me, in aeterna tabernacula recipias, & beatam Trinitatem, eo quo est modo, tecum pariter contemplari valeam.*

Nyssen. Oratione in sanctum Ephrem: *Tu vero diuino assistens altari vitæ, Greg. Nyss. principi, & sacrosanctæ una cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobiscum peccatorum veniam impetra.*

Chrysof. Homil. 3. in epist. ad Philipp. *Peccatores vbiuis fuerint, procul à Chrysof. Rege sunt, atque ideo digni qui steantur. Iusti vero siue hic, siue in futuro saeculo fuerint, cum Rege sunt, illic tamen magis, & propius, non per ingressum, ac fidem, sed facie ad faciem.*

Cyrillus Alexand. lib. 11. in Ioan. c. 36. ait, *sanctorum animas post mortem Cyrill. euolare in manus Dei Patris, quo vitam perpetuam cum Christo habent qui viam primus aperuit.*

Ephiphan. Hæresi. 78. in fin. *Sancti sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, fors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum Angelis, diæta in caelo, gloria in honore incomparabilis, & perpetua brauiam in Christo Iesu Domino nostro.*

Theodoret. lib. 8. ad Graecos qui est de Martyribus. *Si et alium sedes illorum Theodoret. est, qui pæ vixerunt: hunc profecto finem sui cursus, & Martyres iam consequuti sunt, his enim magis pium esse nihil potest. Ideoque maiori sorte merito perfruuntur Martyres, qui nunc, & à cunctis latè mortalibus honores amplissimos ferunt, & aeternis sunt insigniti coronis.*

Euseb. lib. 4. histor. capite 15. ait, *Polycarpum post mortem immortalitatis præmia adeptum: At quæ est immortalitas præter naturalè animæ, nisi gloria beata?*

Damascenus Historia de Barlaam & Iosaphat in fine: *Vultui Domini nitide & nude praesentatur, illiusque gloria, iam ante promissa sibi corona, exornatur.*

Theophil. in 23. Lucæ: *Dicendum est, idem esse Paradisum, & regnum caelorum: Nam latro est in paradiso, ac regno, alioquin non frueretur perfecta bonorum participatione.*

Oecumenius in 9. ad Hebræos; *Christum non solum ingressum in caelum, sed Oecumen. etiam*

etiam secum duxisse genus humanum, id est, sanctos Patres. At quid est secum duxisse, nisi participes fecisse gloriae suae?

Ex Latinis vero Patribus innumeri sunt, qui hanc veritatem fatentur, ex omnibus tamen praecipue Gregorius Magnus, quem Graeci ipsi maxime venerantur, eam ex professo probat lib. 4. Dialogorum cap. 25.

Idem probatur ex officijs, quae in Ecclesia Graecorum celebrantur.

Denique Gennadius Patriarcha, ut supra, ipsos Graecos ex eorum libris preces, psalmos, ac vitas sanctorum continetibus manifeste conuincit. Ipsum tamen audiamus, quia ex testimonijs ab ipso collatis efficax aduersus Graecos delimitur argumentum. In fine igitur cap. 4. sic inquit: Sed subit mihi dicere, etsi durum vobis videbitur, in magnis profecto nugis aures vestrae versantur, magna voce canitis, nihil tamen intelligitis, siue potius negligitis, legere enim & non intelligere, dixit quidam ex sapientibus, est negligere: quoniam libri omnes de precibus id continent, Sanctorumque animas in caelo esse Damascenus, & Theophanes eius rei auctores clara voce clamant: magnas igitur gratias habere vobis debemus, quia non aut delectis, aut ea fraude aliqua in codicibus oblitterastis, ut quidam ante vos in tractatibus & libris de processione Spiritus sancti conscriptis effecerunt; id tamen illis inutiliter cessit, nam adhuc libri manent, qui maleficorum audaciam testantur: & apud vos perbelle seruantur, & quotidie cum vocis modulatione concinuntur, Menstrua, Tiordia, sermones, Metaphrasae, Quinquagenaria, Versiculi, Troparia, Idiomela, Contacia, Aecis, yuaxaria, Exapostilaria: & ne singula enumerem, omnis fere Ecclesiae nostrae scriptura ita sentit. Nam Ecclesiae Theologi, ac Doctores, Poetae, meloique profunda meditatione perpendentes, hoc statuerunt: quasi ex vno cratere sapientiae referro, omnes omnino hauriendo. Idcirco nec discordant, nec sibi contradicunt mutuo, nec dissentiunt inter se.

Vnde igitur exordiemur? a prima die mensis Septembris in Idiomelis D. Simeonis Stylitae: *Sancta tua anima*, inquit, *Pater Simeon, in societate exultat Angelorum.* Et in alio: *Et cum incorporeis in caelo tripudians.* Rursus in altero: *cum Angelis Deo assistens.* Vigesima octaua eiusdem mensis de sancto Cyrillio: *Et nunc Paradisum incolis in omni letitia constitutus.* Octobris primo de Diuo Romano: *Cum iustus intus in diuina gloria inhabitans, oblectationem illam ineffabilem aspicias. Vides indefinentes delicias, aspicias calorum pulchritudinem, quae vere est amabilis, aspicias beatissime choreas Patriarcharum.* Eodem mense vigesimo sexto,

sexto, de Diuo Demetrio magno Martyre: *Habet quidem tua diuina anima, & immaculata, gloriose Demetri, caelestem pro habitatione Hierusalem.* Et iterum: *In vltra mundanas sedes immaculatum spiritum tuum, sapiens Martyr Demetri, Christus Deus recepit.* Et alibi: *Deo assidue assistens.* Et rursus manifestius: *beatitudinis finem consequutus Christo assistens, toto corde deprecare.* Et iterum: *Nunc in Christi vultum intueris in faciem d. Cyrille, speculis vere confractis, tuo diuino amori iunctus.* Et rursus: *Recordare nostri Pater Basili, consubstantiati Trinitati assistens.* Alibi: *Et nunc in calis speculis effractis, Antoni, sincere sanctum inspicis Trinitatem citra medium congressus.*

Et de magno Gregorio, partim, inquit, *victoriae tuae coronam recepisti, partim vero cum Christo regnas splendidissima ex sanguine purpura indutus, & sceptrorum certaminum ornatus, & corona gloriae conspicuus in infinita secula.* Et alibi: *Hodie Martyr de peregrinatione triumphans ad caelestia peruenit, & in gloriae throno offert sanguinem cadis.* Et in alio: *Insignis & strenuus Georgius in suo glorioso certamine supernas potestates letificans, & nunc vna cum ipsis exultans.*

In Nona de magno Paulo, Iunii vigesima nona: *Nunc non in enigmate, neque in speculo Christus a te conscicitur, imo in faciem facies aspicitur, integram tibi diuinitatis gloriam detegens.* Et in alijs: *Pro Christo passi d. leccitatores Martyres, animas in caelo habetis in manu Dei.* Et rursus: *Tui Christe sacerdotes iustitia induti sancti a seculo gaudent, diuinam tuam pulchritudinem clarius intuentes.* Et in alijs: *Nunc non in enigmate Pater, non in speculo aspicias lucem numinis omnium principij, facie ad faciem sapientissime, qui & splendoris, & visionis diuinae dignus effectus es.* Et rursus: *Cum Angelis tripudias, beate Onesime, martyrij corona ornatus, resurgenti throno saluatoris assistens.* Et alibi: *Sanctorum ordines, cum qui inter Angelos requiescit magna voce laudantes, diuinis nunc fruuntur delitijs, & letantes tripudiant.* Et in alio: *Superintellektuali splendore exactorati Sancti, & diuinae letitia splendide repleti, diu vocamini, ut ei proximi, inter diuinis splendoribus versantes, & gloriae ineffabilis radijs illustrati.* Et rursus: *Sacris melothis celebrentur, quasi caelestis heredes regni, quasi incolae paradisi.* Et alibi: *Conciues Angelorum.* Et rursus, *Sanguinis tui pretiosi intinctione Martyr purpuram tibi pretiosam comparasti: qua indutus caelestem regiam vere inhabitas; Deo Supremo Regi assistens; Assistero vero Supremo Regi, quid aliud per Deum significat, nisi quod sancti quatenus animae beatitudine perfruuntur? In alijs vero; Patribus hymnum offeremus, qui ante legem & in lege resulserunt, & qui ex Virgine genito Domino, & hero recta mente inseruierunt, & inaccessibilem lucem hanc adepti sunt.* Et in alio: *Nunc d. beate intercede apud Deum pro tuo grege.* Et rursus: *Caeleste Regnum concupisti, quo nunc beatissime vere frueris.* Et in alio: *Super omnem virtutem positus, Pater Antoni, cum Angelis versaris in Regno calorum.* Et rursus: *Dei praeco Athanasi, qui pericula, & perpetuas tentationes sustinuisi, nunc deliciarum paradisi dignus es factus, diuinas mansiones consequutus, incorruptibilis vitae ligno propinquus, ut iustitia victor, corona &*

Gennad.

Sunt modi
cantandi in
Ecclesia
Graecorum.

274. DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC.

diademate celestis regni exornatus, decore conspicuus & forma præcellens. Et rursus: Splendidissimo & fulgentissimo lumine lucidius nunc illustratus. Et rursus: Non in anigmate nunc gloriam, quam à puero concupisti vide beate Eutychi, imò facie ad faciem nunc solutis carnis speculis pater noster. Et rursus: Ex difficilibus angustijs & corruptione in amplam & iucundam Paradisi latitudinem peruenisti, sanctorum visurus splendidam lucem, & Angelorum choreas Deo assistentes & incessanter clamantes. Et alibi. Terra quidem nunc operuit corpora vestra, calum vero ò sancti spiritus semper fert, throno gloria assistentes, & cum Angelis occultantes. Et alibi: Nuuc celos incolis Martyrum pie sanctorum & iustorum. Et in alio: Princeps sacrorum Eumeni, qui libertatem tibi apud Christum comparasti, iuxta cuius thronum: sancta in gloria assistis nunc cum angelis sanctis. Et rursus: Ad tranquillum portum appulisti, à laboribus requiescens, & coronatus tripudias in paradiso, una cum Christi Martyribus. Nicta diuine omnes merito te glorificamus. Et rursus in alio: Qui à dextera assistis Trinitati, & immediate versaris.

Et in Ode nona Canonis sancti Ioannis Theologi: Nunc non in anigmate sed facie ad faciem, deliciarum torrentem inspicere meritis es, pacis flumen, & fontem immortalitatis, qua nunc irrigatus diuinitate perfrueris. Et Augusti quarta: Non amplius in seculo conspicis summum bonorum ò sancta Martyr, ad faciem aspicias faciem, iam solutis verè, ò Eudocia, imaginibus. Ecce iam nihil apertius ut mihi videtur, reperitur his quæ à nobis allata sunt, id est facie ad faciem, & nunc diuinitate perfrueris, &c. in paradiso nunc coronati tripudiant, &c. nunc Dei throno cum sanctis Angelis assistunt, quid aliud possumus intelligere præterquam quod quatenus animæ perfruantur, ut antea exposuimus, & iam euidenter ostendimus? Quod si his non acquiescitis, & alia ex eiusdem generis scripturis afferemus. In Ode nona sanctorum Patrum Antiphona ita dicit: Magnum cultum meriti estis celestes sancti, quia Christi figuram studiose imitati estis, & nunc umbra, & carnis operimento deposito eum facie ad faciem videtis, & maxima meriti estis. Et alibi: Semper suffragaris ijs, qui te laudant, et tum celebrant festum Domino assistens Onesime, totus resplendens, totus celestibus fulgetris coruscans. Et alibi: Inspicitis Martyres diuinam pulchritudinem manifestius et clarius. Et rursus: Vbi ordines Angelorum, vbi iustorum populi exultant. Et in alio: Et regnum celorum aperte meriti Trinitatis radijs illustrati, ò admiratione digni. Et rursus: Sabba beatissime Angelorum equalis, sanctorum contubernalis, Prophetarum socius, Martyrum, & Apostolorum coheres, lucem non occidentem nunc incolens, cuius diuinis facibus illustratus summo Principi assistens, & aperte coruscans: audisne? lucem non occidentem dicit: Nam Deus est lux non occidens, habitat autem nunc cum Deo: præterea summum principium quid significat? Summum enim bonorum, summum principium, summam pulchritudinem, nil aliud est nisi Deus ipse: hic ei assistit, & habitat cum eo, quid aliud per Deum denotat, præterquam quod sancti nunc quatenus animæ perfruantur? Si vis & alia audire,

iam dicemus. Et inaccessibili luce nunc perfruantur. Et in alio: Sanctorum chorus vitæ fontem, & ianuam paradisi nactus est. Et rursus: Et iusti veluti luminaria refulgent. Et alibi: Cum terrena certamina perlustrassent veri Martyres coronas sunt consequuti. Et rursus: Certatores Martyres ac celi ciues in terra decertantes multos cruciatus pertulerunt, & perfectam in calis coronam receperunt, ut pro nostris animabus intercederent. Et rursus: Celeberrimi Martyres vos non terra operuit, sed calum excepit, aperta sunt vobis porta paradisi, & intro profecti lignum vitæ estis affecturi, apud Christum intercedite. Vbi sunt qui dicunt sanctos non esse, siue sanctorum animas nunc in paradiso non esse? Nonne audiunt Damascenum dicentem, Aperta sunt vobis porta paradisi? Nonne audiunt, Introgressi? & non agnoscunt, Signum vitæ consecuti sunt? & intercedunt pro nobis? Si igitur neque receperunt, neque intercedunt, neque Christum vident, neque ipsi assistunt, neque diuina luce perfruantur, & ut vno verbo dicam, nemo ex sanctis, ut ipsi putat, nunc cum Christo est vbi sunt quæ psallimus? num falsa? Absit. Vbi spiritus & animæ iustorum laudant te Domine? Et illud: Distractis speculis sancti facie ad faciem Deum videtis. Si nunc cum Christo non sunt, non receperunt, neque intercedunt. Si verò non intercedunt, cur inuocamus? si enim nunc non intercedunt, nunquam intercedent, nam in futuro non est intercessio, Nonne audis illud? Non intercessione ibi opus est dimisso cōuentu. Etiam noui Theologi dicunt, peculiariter recipiunt, & Deum in faciem vident, sed ineffabilia bona, quæ oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, non receperunt adhuc: non enim omnino possumus diffiteri sanctos in præsentia non esse cum Christo. O insipientiam: id, ut ego existimo, risu magis, quam responsione dignum est: nam paulo ante ostensum est, hæresim esse hanc absurdam, argutiolam, nec de ea opus est amplius disputare. Hactenus Gennadius.

Idem rationibus ex Scriptura sacra desumptis.

PRima. Deus non est ad puniendum pronior, quàm ad remunerandum: sed impiorum animæ nunc in inferno torquentur: ergo & iustorum sine macula & reatu statim à morte beantur. Probatur minor Lucæ 16. Lucæ 16. epulo damnatus rogat Abraham, ut mittat Lazarum ad fratres suos. Respondet Abraham, habent Moysen & Prophetas. At siue sit res gesta siue parabola; nec vera, nec verisimilis esset, si tantum de tempore futuro post resurrectionem intelligenda veniret: tunc enim non erunt homines in terra: quomodo ergo audient Moysen & Prophetas? Igitur saltè erit figura status damnatorum ilico post mortem.

Secunda. Ante Christi aduentum Sancti non inuocabantur, postea ve-

ro inuocantur à tota Ecclesia Catholica, & ita faciendum docent Patres Græci, & Latini. Ergò non sunt in limbo, alioquin non differrent ab antiquo statu. At non potest dici ubi sint post limbum, nisi in paradiso, igitur in eo sunt.

Tertia. Ante Christum mors deflebat sanctorum, post, cum lætitia celebratur: ad quid hoc, nisi quia tunc mori miseria erat, nunc vero felicitas?

Quarta. Non est æquum mercedem retineri, cum debetur, & reddi potest, *Leuit. 19. Non morabitur apud te opus mercenarij tui vsque mane*: At post mortem debetur Sanctis vita æterna, & nihil est quod impediatur reddi: sunt enim sine reatu, & macula, ac ianua celorum est aperta per Christum. Igitur cum Deus sit maximè iustus, eam statim reddit.

Quinta. Non conuenit ut affligantur, qui nullum habent reatum, aut peccatum, cuiusmodi sunt sancti. At spes quæ differtur affligit animam. Ergo non differtur satiari in Sanctis.

C A P V T V I I .

De vnione Græcorum facta in Concilio Florentino .

Denique ad Græcorum errores conuincendos, inter alia nullum forsitan inueniemus efficacius argumentum, quàm si in medium producamus Bullam vnionis inter ipsos & Latinos in Concilio Florentino sub Eugenio Papa I V. celebrato: ubi anno salutis 1438. Ioannes Palæologus ipsorum Imperator, Patriarcha Constantinopolitanus, & ceteri ex omni Græcia viri grauisissimi Latinis dexteram dedere: ubi retractatis siue correctis sententijs & erroribus Primatum Romani Pontificis inter alia, in eo Concilio agnouerunt: non vi coacti, non muneribus allecti, nõ numero suffragiorum à Latinis victi aut superati, sed sua sponte & voluntate ducti, neque alio modo oppressi (erant enim ipsi sub protectione proprij Imperatoris nempe Palæologi qui prædicto Concilio adfuit) sequentes articulos in Bulla vnionis relatos simul cum Ecclesia Catholica confessi sunt. Et ne quis suspicetur tantum in Latinorum historijs aut libris id conscriptum haberi; legat historias Græcorum, præcipuè Georgium Pachimerium lib. 5. historiæ, ubi refert capita pacis Græcorum cum Latinis. Videndus est etiam Leonicus Chalcondylas rerum Turcicarum lib. 1. & Iacobus Nauarchus Ondischotanus in Epistola Asiatica: qui omnes vnionis factæ in dicto Concilio meminere, vt latius refert

P. Azorius

P. Azorius 2. Tom. Institut. Moral. lib. 4. cap. 15.

Insuper adde hanc Græcorum confessionem non subito, non verbo tantum factam esse, sed potius post diurnam deliberationem & singulorum subscriptionibus adiunctis, vt infra patebit, vno excepto Episcopo Marco Ephesino, & sigillo Imperatoris fuisse confirmatam: aderant quoque Vicarij trium Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani, ac denique Legati Patriarchæ Armenorum superuenerunt, & cum Ecclesia Catholica sese coniunxerunt, & ab Eugenio I V. fidei regulam acceperunt, qua confessi sunt se tenere, quicquid tenet & docet Romana Ecclesia. Literæ autem vnionis habentur in fine Sess. vltimæ Concilij Florentini in hæc verba.

Sanctæ vnionis factæ in Concilio Florentino inter Patres Græcos & Latinos literæ.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, Consentiente ad infra scripta charissimo filio nostro Ioanne Palæologo Romanorum Imperatore illustri, & loca tenentibus Venerabilium fratrum nostrorum Patriarcharum, & ceteris Orientalem Ecclesiam representantibus. Letentur celi et exultet terra: sublatus est enim de medio paries qui Occidentalem Orientalemq; diuidebat Ecclesiam, et pax atque concordia redijt illo angulari lapide Christo, qui fecit vtraq; vnu, vinculo fortissimo charitatis et pacis, vnumq; iungente parietem, et perpetuæ unitatis federe copulante ac continente, postquam longam maroris nebulam, et dissidij diuturni atram, ingratamq; caliginem serenum omnibus vnionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat et Mater Ecclesia, quod filios suos hæcenus inuicem disidentes, iam videt in unitatem pacemq; redijisse, et quod antea in eorum separatione amarissime flebat, ex ipsorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles vbiq; per orbem, et qui Christiano censentur nomine, matri Ecclesia Catholica collatentur. Ecce enim Occidentales Orientalesq; Patres, post longissimum dissentionis atque discordiæ tempus, se maris ac terræ periculis exponentes, omnibusq; superatis laboribus ad hoc sacrum Oecumenicum Concilium desiderio sacratissima vnionis, & antiquæ charitatis reintegranda gratia, læti alacresq; conuenerunt, & intentione sua nequaquam frustrati sunt. Post longam enim laboriosamq; indaginem, tandem Spiritus sancti clementia, ipsam optatissimam sanctissimamque vnionem consecuti sunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficijs gratias referre sufficiat? Quis autem diuinæ miserationis diuinitas non obstupeat? cuiusve ferreum pectus tanta supernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt ista prorsus diuina opera, non humane fragilitatis inuenta, atque ideo eximia cum veneratione suscipienda, & diuinis laudibus prosequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Christe,

M m 3

font

fons misericordiarum, qui tantum boni sponse tue Catholice Ecclesie contulisti, atque in generatione nostra tue pietatis miracula demonstrasti, ut enarrarent omnes mirabilia tua. Magnum siquidem diuinumque munus nobis Deus largitus est, oculisque nostris vidimus quod ante nos multi cum valde cupierint, aspicere nequiverint. Conuenientes enim Latini & Graci in hac sacrosancta Oecumenica synodo, magno studio inuicem vsi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus sancti processione summa cum diligentia & assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimonij ex diuinis scripturis, plurimisque autoritatibus Sanctorum Doctorum Orientalium & Occidentalium, aliquibus quidem ex Patre & Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium procedere dicentibus Spiritum sanctum, & ad eandem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diuersis vocabulis. Graci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferrent, ut excludant filium, sed quia eis videbatur, (ut aiunt) Latinos afferere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, tanquam ex duobus principijs & duabus spirationibus ideo abstinerunt a dicendo quod Spiritus sanctus ex Patre procedat, & Filio. Latini vero affirmauerunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius Deitatis, Filij scilicet & Spiritus sancti, aut quod id quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat, siue quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes, sed ut vnum tantum essent esse principium, vnicamque spirationem Spiritus sancti, prout hactenus asseruerunt, & cum ex his omnibus vnus & idem eliciatur veritatis sensus, tandem in inscriptam sanctam, Deo amabilem, eodem sensu, eademque mente vnionem vnanimiter omnes concordarunt & consenserunt. In nomine igitur Sancte Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio definiuimus, ut hac fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, qui Spiritus sanctus ex Patre & Filio aternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, et ex vtroque aternaliter, tanquam ab vno principio & vnica spiratione procedit: declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, filium quoque esse secundum Gracos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentie Spiritus sancti, sicut & Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio ipse Filius a Patre aternaliter habet, a quo aternaliter etiam genitus est. Definimus insuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarande gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositum.

Item in azymo siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotisque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta sua Ecclesia siue Occidentalis siue Orientalis consuetudinem. Item si vere penitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis penitentia fructibus de commissis

his satisfecerint, & omnis eorum animas penis purgatorij post mortem purgari, & ut a penis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & elemosynas, & alia pietatis officia, que a fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesie instituta: illorumque animas que post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam que post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus (prout superius dictum est) sunt purgate, in calum mox recipi, & intruere clare ipsum Deum trinum & vnum, sicuti est, meritorum tamen diuersitate, alium alio perfectius. Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen disparibus puniendas. Item definiuimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur. Renouantes insuper ordinem traditum in Canonibus, ceterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, saluis videlicet priuilegijs omnibus & iuribus eorum. Datum Florentie in sessione publica synodali solenniter in Ecclesia maiori celebrata, Anno incarnationis Dominice 1439. pridie nonas Iulij Pontificatus nostri Anno nono.

Subscriptiones Imperatoris, ac Orientalium Patrum, qui in Synodo aderant.

Ego Ioannes Paleologus fidelis in Christo Rex & Imperator Romanorum, subscripsi. Ego Antonius humilis Metropolita Heraclensis, & Consiliarius Edesenorum, totius Thracie & Macedonia Pontifex, & Philothei sanctissimi Patriarche, & Sedis Apostolice Alexandrinæ locum tenens subscripsi. Ego Gregorius Protosingelus Confessor spiritualis, ac Sedis Apostolice Alexandriae & eius Domini Patriarche locum tenens, subscripsi. Ego Isidorus Metropolita Syriae & totius Rhosi, ac Domini Dorothei Patriarche Antiocheni, & eius Sedis Apostolice locum tenens, subscripsi. Ego Dositheus humilis Metropolita Mopsuestie, & Ioachimi sanctissimi Patriarche Hierosolymitani, ac eius Apostolice Sedis locum tenens, subscripsi. Ego Metrophanes humilis Metropolita Cyzici, ac locum tenens Ancyrensis subscripsi. Ego Dorotheus humilis Metropolita Trapezunden, ac locum tenens Casarien, Antistitis, subscripsi. Ego Bessarion diuina miseratione

ratione Archiepiscopus Nicenus, ac locum tenens Sardinensis Præsulis, subscripsi. Ego Macharius humilis Metropolitana Nicomediae subscripsi. Ego Ignatius humilis Metropolitana Torona ac locum tenens Nicomediensis Antistitis me subscripsi. Ego Dorotheus humilis Metropolitana Mitylenensis ac locum tenens Sidensis Pontificis me subscripsi. Ego Damianus humilis Metropolitana Muldoblachiensis, ac locum tenens Sebastien. Præsulis subscripsi. Ego Ioseph humilis Metropolitana Amasiensis subscripsi. Ego Nathanael humilis Metropolitana Colossensis, ac Insularum Cycladum subscripsi. Ego Gennadius humilis Metropolitana Gannensis subscripsi. Ego Mathæus humilis Metropolitana Melitenensis subscripsi. Ego Dositheus humilis Metropolitana Dramensis subscripsi. Ego Sophronius humilis Metropolitana Anchialensis subscripsi. Ego Bessarion Archiepiscopus Nicenus mādato ac nomine Emannelis Diaconi ac magni Sacellarij Chrysocuchi vulgo nuncupati, qui eadem nobiscum sensit, subscripsi. Ego Theodorus Zanthopulus Diaconus, & magnus Sacrista subscripsi. Ego Michael Balsamorū Archidiaconus, & magnus Bibliothecarius subscripsi. Ego Silvester Syropulus, Diaconus Ecclesiarches, ac iuris seruator subscripsi. Ego Gregorius Protecdicus Diaconus Cappadocus, subscripsi. Ego Constantinus Archiepiscopus, ac locum tenens Muldoblachiensis Præsulis, subscripsi. Ego Ecclesiarches veneranda mansionis, & sanctæ Basilicæ magnæ Lauræ Montis sancti, ac ipsius mansionis locum tenens subscripsi. Ego Athanasius olim Abbas circumspectus subscripsi. Ego Gerontius Abbas sanctæ mansionis omnipotentis, subscripsi. Ego Germanus olim Abbas sancti Blasij, subscripsi. Ego Pashumius Confessor ac Abbas sancti Pauli subscripsi.

CAPVT VIII.

An propter supradictos errores Græci sint censendi hæretici, an tantum schismatici?

Schismatici
& hæresios
discrimen.

Primò statuendum est schisma ab hæresi differre in hoc, quod hæresis sit dogma fidei contrarium, schisma verò sit crimen, quo quis ab vnitæ Ecclesiæ recedit, ac proinde hæresis est contraria fidei, non tamen schisma, sed tantum Ecclesiæ vnitati: ita docet B. Hieronymus. vt refertur 24. quæst. 3. c. in hæresim, & D. Augustinus lib. 20. contra Faustum, & alij Patres: vt si quis confiteatur esse oportere in Ecclesia vnum caput vniuersale, sed fateatur hunc, vel illum, videlicet Ioannem aut Petrum non esse verum & legitimum caput Ecclesiæ, diceretur schismaticus, non tamen hæreticus.

Schismatici
extra Eccle-
siam.

Secundò supponendum est schismaticos, quamuis hæretici non sint, non esse membra Ecclesiæ, & extra illam esse: nam si Ecclesiam accipiamus,

mus, vt est fidelium congregatio sub vno capite nempe Christo Domino, & eius in terris Vicario Romano Pontifice viuèrium, schismatici sicut & hæretici extra Ecclesiam sunt, quia sicut hæresis separat & diuidit hæreticos ab Ecclesia, ita schisma diuidit, & separat schismaticos à capite & vnitæ Ecclesiæ: ac ideo iure extra Ecclesiam esse dicitur, qui ab Ecclesiæ vnitæ & communionem recedit.

Prima Propositio. Græci ab Ecclesia Romana sunt separati & schismatici diuisi. Nam, vt D. Antonin. tertia parte historiarum tit. 22. c. 13. §. 1. & 2. scribit, præcipuas Orientis Ecclesias, & maxime Constantinopolitanam duodecies ab Ecclesiæ Romanæ Sede & potestate se ipsas subtraxisse: & certè publicè & apertè ter Græci ad Ecclesiæ Romanæ vnitatem redierunt; scilicet in Concilio Lateranensi sub Innoc. tertio, Lugdunensi sub Gregorio decimo, Florentino sub Eugenio quarto. Postea vero ad schisma reuersi. ac proinde excommunicati perni. anferre, excommunicatione maiori, qua omnes schismatici in Bulla Cœnæ Domini feriuntur. Et ideo ab Ecclesia Latina & Catholica diuisi in statu damnationis æternæ versantur. Nam vt bene D. Augustin. de fide ad Petrum cap. 38. Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum omnes paganos, sed etiam omnes Lu- s. August. de eos hæreticos, atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem, finiunt vitæ, in ignem æternum iuros. Et c. 39. vbi supra ait: Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum vel schismaticum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, etiam si proximi nomine vitam fuderit, non posse saluari.

Præcipua tamen difficultas est, An Græci non solum schismatici, sed hæretici sint censendi. Nam D. Tho. in Opusc. 1. cap. 32. asserit, Non minus solui Iesum ab his, qui spiritum sanctum asserunt à Patre & Filio non procedere, quam solui tentatum sit ab Ario & Macedonio, Nestorio, & eiusmodi alijs: sed qui soluit Iesum non solum est hæreticus, vt ipse D. Thomas ex Ioan. Apostolo docet, sed & Antichristus: igitur Græci non solum schismatici, sed hæretici iudicandi sunt. His tamen non obstantibus alij opinantur Græcos tantum esse schismaticos: ita ex iunioribus docet Pater Azorius. 1. primæ In- s. Thom. stit. Moral. lib. 8. c. 20. q. 10. Quare meritò ab Ecclesia Catholica non hæretici, sed schismatici censentur & appellantur: ita apertè insinuat D. Bernardus in Epistola ad Eugenium lib. 3. Ego addo, inquit, de pertinacia Græcorum qui nobis. ù sunt, & non sunt: iuncti fide, pace diuisi, quamquã & in fide ipsa claudicauerint à rectis semitis. Idem apertè tenet D. Thom. Opusc. 2. vbi docet Patres Græcos in Catholico sensu esse exponendos. Ratio huius opinionis est, quoniã, vt prædictus auctor docet, in prædictis fidei articulis, de quibus Græci accusantur ab aliquibus vt hæretici, potius nomine, quam re ab Ecclesia Romana dissident. In primis inficiantur illi Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, vt in Bulla vniõnis Eugenij I V. dicitur, & ù existimantes

D. Thom.

Græci, schismatici tantum non hæretici. Azorius. D. Bernard.

existimâtes Latinos sentire à Patre Filioque procedere tamquam à duobus principijs, cum tamè Latina doceat Ecclesia procedere à duobus personis tamquam ab vno principio & spiratore, quare Græci vt vnū principium significant, dicunt Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate. Nec diffitentur omnino Romanum Pontificem Petri successorem in Ecclesia Primatum à Christo Domino accepisse, sed nihilominus dicunt totam Ecclesiam in generali Synodo coacta, maiorem potestatem habere in rebus fidei, & ceteris, quæ ad generalem Ecclesiam statum pertinent, definiendis. Quæ fuit etiam sententia Gersonis, & Parisiensium Theologorum, nondum ab Ecclesia tamquam hæretica generali decreto damnata.

Præterea Græci purgatorium ignem non prorsus de medio tollunt, vt ipsi clarè fatentur Sess. vltima Concilij Florentini, imò affirmant se perpetuò purgatorium agnouisse, (verè enim sacrificia & preces offerunt Deo pro mortuis, non beatis certè, neque damnatis ad inferos, quod planè esset absurdum, & impium, ergò pro his qui cum fide & pietate hinc discesserunt, sed nondum plenè pœnas peccatorum debitas persoluerunt) sed solum id inficiari videntur certam ignis corporei pœnam, de quo nihil est de fide determinatum ab Ecclesia, vt optimè docet Bellar. lib. 2. de Purgat. cap. 10. Quicquid autem sit, de his & alijs fidei articulis, in quibus multi Græci & alij Orientales mala fide errant, & proinde hæretici sint, Græcos tamen non hæreticos, sed schismaticos appellamus, quia morem loquendi pristinum retinemus.

DE

283
DE PROCVRANDA
CONVERSIONE
OMNIUM GENTIVM,
LIBRI VI. PARS II.

De iuuandis Græcis, & ratione agendi cum eis, vt ad fidem Catholicam alliciantur.

CAPVT I.

De causis præcipuis vnionem Græcorum cum Ecclesia Catholica impediens.

IN PRIMIS scire necessarium est præcipuas causas, quæ vnionem Græcorum cum Ecclesia Catholica impediunt, vt his cognitis, & patentibus, facilius sit via ad eas remouendas. Causa igitur, cur inter Græcos & Latinos tanta sint in Religione dissidia, latissimè numerantur à Possuino Tom. 1. lib. 6. a cap. 2. per plura capita. Nos tamen breuitati contulentes, ex eodem auctore præcipuas tantum recensebimus.

Causa dissidiorum inter Græcos & Latinos.

Prima causa & veluti radix referri potest, ad collapsas, quæ olim in Græcia floruerunt, Academijs, & cum eis omnes literarum disciplinas, quæ modò restitui vix sine magno periculo posse videntur, dum alienam Græci in Oriente dominationem ac iugum patiuntur. Re tamen attentè considerata haud tantum imminet à Turcis periculum, quantum fortasse prima fronte apparet. Nam Turcæ, vt experientia constat, librum cuique relinquunt, vt quam velit Religionem teneat, modò aduersus Mahometi sectam nihil dicatur. Vnde cum solidæ pietati nihil sit inaccessum neque difficile, dum seridè nihil aliud quam Christus, & eius gloria quærat, prædictum impedimentum poterit superari.

Secunda causa referri potest ad remissiores eorum curam, à quibus etiam inter populos Latini ritus Græci iuuari potuissent, atque ad pietatem accendi. In qua etiam reforte plurimum à nostris peccatum fuit:

Nam sicut perfecta charitas magnos præ se fert stimulos ad pietatem, ita cum hæc refrigescit, non solum sibi verum etiam ceteris obest.

Tertia referri potest, quia aliquando à Latinis non omnino verè, vel saltem ea qua inter Christianos decet charitate aliqua fuerunt Græcis obiecta, quibus eorum animi commoti, erga Latinos male fuerunt affecti. Nam ut constat ex supradictis multi errores illis ab auctoribus imponuntur, quibus non sunt maculati.

Quarta accedat, falsati codices Græci Patrum, quos aliqui ex ipsis etiam nunc versant. Nam ut omitam nunc antiquiora, (quæ historias legenti nequaquam erunt abscondita) suppositosque Generalibus Synodis quaterniones falsos, exceptis veris: (sicuti etià Florétina Synodus monstrauit) versantur quotidie inter Græcorum sacerdotum manus ac publicè populis recitantur libri, in quibus pleraque falsa sunt. & hac viri inter ipsos perdocti, & graues ingenuè fatentur, hacque occasione Constanti-nopolitano Patriarchæ scripserunt, ut emendati prælo darentur: sic enim aiebant futurum ut plebs sensim desuesceret ab erroribus ijs, quibus ingenia quoque sacerdotum peruertuntur.

Accedunt etiam errores in Græcorum Rituali sparsi, & à Nicephoro Xantopolo in Latinam Ecclesiam pessimè affecto, ab hinc ducentis annis disseminati. Ex quo fit ut populi prædictos errores videntes, odio cõtra Ecclesiam foueant, existimantes vera esse quæ ibi referuntur: quæ maledicta, præterquam quod non decebat ut inter officia diuina recitentur, ad nihil aliud valent, quàm ad Græcorum odia contra Ecclesiam renouanda: quale est illud, in quo ad versiculum Psal. 96. alludens, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, inquit: *Confundantur omnes qui adorant Azyma*.

Quinta causa disidij Græcorum credi potest species austerioris vitæ, quæ in eorū Hyeromonachis, Metropolitanis, Archiepiscopis atq; Episcopis frequenter cernitur. Hęc igitur austerioris vitæ ratio Latinos contemnendi præbuit occasionem non considerando quamplurimos Monachorum ordines etiam in Ecclesia Latina reperiri, qui in hac palæstra se exercent, quorum Græci monendi sunt, non in corporis maceratione, sed in charitate, fide, & spe, humilitate, & patientia cæterisque interioribus virtutibus iustitiam Christianam potissimum consistere.

Sexta, forsan & vna ex præcipuis Græcorum cæcitatibus & errorum causa referri potest, ad nuptias, quibus Sacerdotes Græci gaudent, neque sine ipsis ad Sacerdotium accedunt, nisi fuerint Monachi. Nam quamuis Græcis à summis Pontificibus id sit concessum, adhuc tamen re hac optimè expectanda, credendum est, non minimam hanc fuisse causam, cur Deus Orientem Christianæ fidei hostibus subiecerit. Nam cum diuina, mysteria, & præfer-

tim sanctissimæ Eucharistiæ tractatio, summam animi puritatem requirat, quæ ut plurimum cum corporis continentia & castitate coniuncta est, non mirum si hæc defecerit in Græcis, quod Deus eos non solum corporalibus supplicijs sed etiam spiritualibus puniat.

Septima causa est, defectus doctrine: doctrinæ autem defectum primò intelligimus ipsius lingue Græcæ ignorantiam: sunt enim paucissimi inter Græcos, qui Grammaticam Græcam nouerint. Secundo defectum doctrinæ appellamus, non intelligere intimas suorum errorum causas & fomētæ, neque Synodorum & Patrum, & quod caput est, diuinæ Scripturæ exactam notitiam non habere. Tertio doctrinæ defectus etiam dicitur carentia optimorum auctorum, qui Græcis maxime prodesse poterant. Vt autem meliorum auctorum hicerit, ut primo antiquiores & emendatiores tractentur: ut Athanasius, Gregorius, Basilus, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, & Alexandrinus, & alij fide & pietate celebres: & secundo loco alij, qui contra eorum errores scripserunt, de quibus supra mentionem fecimus. Quarto, defectus doctrinæ reduci debet ad Latinorum studium, qui eos in defectu instruere, & admonere deberent, & tamen id fecerunt: vel ad illos qui aliquando ad iuandos Græcos missi, vitæ exemplo morumque prauitate, eorum vniõni maximo impedimento fuerunt, cum magis destruat vnus, quàm plures ædificent. Vt inam hæc esset vna, vel saltem in hac re principalis cura operarios efformandi, qui selecti ex Religiosorum ordinibus, probatissimæ virtutis & vitæ, in vineam Domini mitterentur.

Vltima causa est, præmiorum tenuitas, quibus etiam Græci deberent inuitari & foueri: nam si humana mens ita esset pura, ut cælestibus tantæ præmij inhiaret illisque contenta esset, non opus foret ut alijs calcaribus stimulantur ad bonum. At quando ipse Dominus in veteri lege terram promissionis & in noua cætuplum pro vno promisit his qui illum sequerentur, optimè nouerat imbecillioribus opus esse præmio inuitari, ut ad virtutem amplectendam trahantur. His veluti Græciæ errorum patentibus radicibus, iungi possunt aliæ etiam rationes occultæ, & internæ, ut sunt Græcorum animi elatio, morum corruptio, otium, & affectata veritatis ignoratio.

Omnes igitur istæ causæ siue impedimenta contrarijs causis expellenda sunt, & oratione continua hæc maceria quæ diuisit Græcos à Latinis tollenda est: nam cum fides sit donum Dei, hoc in primis enixè à Deo petendum, qui sapientiam dat abundantè petentibus, & non improperat: adhibenda sunt etiam alia media, de quibus restat ut breuiter dicamus.

CAPVT II.

De ratione agendi cum Græcis.

Tres classes
Græcorum
I. huius
modi
eorum.

Ratio agendi cum Græcis ad tria capita referri potest, vt optimè aduertit Possuin. vt supra c. 24. vel ad conciones populis, vel ad disputationes cum eis habendas, vel ad alumnos instituendos. Tres etiã sunt classes eorum, qui Græcorum sectantur ritum & dogmata. Prima rudium, qualis est rusticorum & plebis. Secunda eorum qui licet docti nõ sint, nec litterati, rerum tamen experientia, & lectione fortè aliquorum librorum aliquid lucis sunt affecti, vt hinc Romanæ Ecclesiæ splendore & maiestatem, illinc Græciæ arumnas & calamitates, catumque Orientalis imperij sub Turcarum tirannidem, hinc etiam Sacramentorum apud Latinos cultum, illinc apud ipsos rerum diuinarum contemptum certentes in eam sententiam venerint, Deum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & non Orientali esse propitium. Tertia classis eorum est, qui licet vsu, & aliqua rerum experientia sint præditi, odio tamen ducti in Latinos, (quod ex praua consuetudine inueteratum facile fouetur à dæmone) controuersias (inuitis eorum Episcopis & prudentioribus) serunt, ac frequenter nescientes quid dicant, aut quid velint Græcam cum Romana Ecclesia conferentes, suos ritus & Sacerdotes nostris anteponunt, ac denique sua vsque ad calum extollunt, nostra verò vsque ad inferos deprimunt.

De contro
uersijs cum
Græcis parè
agendum.

Cum his igitur si de ea parte, quæ ad controuersias attinet, agamus, (ex concilio & experientia Græcorum Catholicorum) præstare puto, vt à Ministris, qui inter eos conuersantur, de conuersijs nihil publicè, imò nec in particulari saltem in initio dicatur: nisi vbi commodissima sese offerret occasio. Quare oportet vt de amplectendis virtutibus, & fugiendis vitijs, cum eis agatur: nempe de peccatorum expiatione, virtute penitentiæ, de studio orationis mentalis, & alijs exercitijs, de mortificandis & extirpandis passionibus, de virtutum pulcritudine, de peccatorum seditate, de charitate erga Deum & proximos & de alijs de quibus nulla quæstio est nec differentia. Controuersia verò de rebus fidei in alterum tempus reseruanda erit, nimirum, cum feruor contentionis videbitur resedisse, atque animis ad virtutem excitatis via ad meliores progressus videbitur parari. Ac denique, vt vno verbo dicam, voluntatis arcem ante intellectum bonus Christi miles lucrari studeat.

In concionibus etiam populo habendis (vt viri etiam Græci Catholici, & pij

& pij sentiunt) nihil de controuersijs publicè proponatur, nisi commodissima oblata occasione. Quare qui vbi vterque ritus tam Græcus quàm Latinus viget, concionaretur; ita se gerat, quasi loca illa omnia essent tãquam vnus labij populi, sine factionibus aut sectis, verum in peccatis iacentis ad instar reliquorum per orbem passim hominum, qui cum sit ad penitentiam ex peccatorum somno excitandus, purgatoria vt aiunt vie, potius quam illuminatiua iuuandus est: hoc est incipiendum scilicet esse, à peccatorum contritione, lacrymis & detestatione vitiorum, à cognitione sui, à timore Dei, quibus cum persuasum sit vt vitam corrigant, facilius quàm per disputationes ad Ecclesiæ vnitatem adducuntur.

Sed dices, Nunquam ergo de controuersijs erit agendum? Respondeo *De quibus nonnunquam erit, sed parè & oportune, & cum ex ea fructus speratur: controuersijs sit agendum.* & tunc, vt optimè Possuin. cap. 24. non de omnibus illis quinque, quæ olim præcipue fuerunt, dissidiæ causis. Nam de Azymo quæstio vix in Creta, & in alijs Orientis regionibus acietur, quare vel extincta penitus, vel certè sopita videtur. Quocirca qui hac de re loqueretur, rem iam obliuioni traditam, cum scandalo in dubium reuocaret. Processio Spiritus sancti à Patre & filio intelligitur à paucissimis: quare quæstionem hæc mouere, nihil aliud erit quàm dormientem ad peius forsàn excitare, & harum rerum ignorantem, ad curiosa inuestiganda, & forte sine spe fructus, aut quod probabilius est cum periculo vt partem veritati aduersantem amplectatur) excitare.

Reliquæ verò quæstiones, vt sunt de visione beatorum, de igne Purgatorij exagitari possunt: nã de his facilè cum Latinis conueniunt. Primatus verò Pontificis Romani difficulter eis persuadetur: de quo oblata occasione agendum est.

De prædictis igitur quæstionibus, si quando sermo habendus est, non in ea re tota infumenda est concio, nec modo scholastico agendum, sed alliciendæ sunt ad veritatem fidei audientium mentes, tum exemplis, tum Scripturæ & Patrum auctoritate: qui docendi modus iucundè & cum laude docentis à Græcis excipitur. Frequens tamen harum rerum sermocinatio suspicionem eis iniicere solet, quasi eos capere taliter quis vellet: quare cautè & prudenter agendum est.

Illud tamen inprimis animaduertendum est, maximè si cum Ruthenis, alijsque schismaticis tudioribus negotium habeatur, vt optimè etiã notauit Possuin. in sua Moscouia, quod cum maior populi pars ignoret quid Schisma sit, nec habuerint, qui, propter dogmata quæ credunt, eos à recta fide alienos esse ostenderit, si quis Catholicus sacerdos ad eos accesserit, vereri fortasse poterit, (maximè cum veritatem fidei proponendi non pateat aditus, vel si pateat, non speratur fructus) an illis iniicere de eorum schismate

schismate scrupulum debeat rudioribus, forsan alias in sua simplicitate saluandis: quare res periculi plena videtur, si quis huiusmodi aliquid tentaret, præsertim quia nisi hoc ex voto succederet, maiores posset parere difficultates.

*Quomodo
Et cum qui-
bus de fides
controversijs
agere liceat.* Quare ex superioribus id colligi oportet, nempe cum tribus illis classibus Græcorum, videlicet cum simplicioribus sine disputationum strepitu de virtutibus insectandis, vitijsque fugiendis agendum: cum proteruis nunquam nisi magna & ineuitabili ex causa disputandum, oblata verò occasione alijs medijs sunt alliciendi: cum mediocribus verò, qui res nostras melius considerant, oblata occasione veritas fidei est ostendenda, tum in concionibus, tum particularibus disputationibus, ita tamen ut omnia prudentia dictante oportune fiant.

In disputationibus autem cū doctioribus, atque Græcorū melioribus, à Primatu Romani Pontificis initium sumendum est, & id potissimum curandum, ut membra cum capite vniantur, in quæ deinceps defluat vigor ille, qui faciat ut omnes simus in animas viuentes & vnanimis in domino Domini, eodem pane pascamur, & eodem fonte potemur.

Inter alia verò media quæ ad schismaticorum vnionem conducerent, illud esset non contemnendum, ut libri per totam illam prouinciam disseminarentur, ad pietatem potius, quam ad dogmata defendenda Græcorum lingua conscripti: ex quibus sine dubio fructus sequeretur vberimus: quales sunt Florétina & Tridentina synodus, quæ sunt Græcè editæ, quæ Græcis Sacerdotibus & alijs dono essent concedendæ. Libri etiam alij, sicut Catechismi de doctrina Christiana, versio item Bibliorum à Lxx. Interpretibus, quæ proximis annis Romæ emendatissima prodijt, nec nõ & alij auctores pij, & Catholici vt Ludouicus Granatensis, qui si Græcè ederetur, non dubium quin maximè ad conuersionem eorum conduceret.

CAPVT III.

De alijs medijs iuuandi Græcos & Ruthenos.

*Maximè à
quoniam Ru-
theno exco-
guatum.*

PLacuit hic media alia à viris grauibus, & illarum gentium conuersionis maximū zelum habentibus summo Pontifici Clementi VIII. proposita in medium etiam producere: quæ forsan cū venerit Patris hora, qua in vineam suam errantes operarios velit reuocare, non parum conducent.

Primum autem medium à viro quodam Rutheno grauissimo exco-
gitatum

gitatum sequentibus verbis continetur. Duo potissimum inter alia necessaria sunt in omni conuersione, præcipuè in conuersione aut vnione Græcorum & Ruthenorum Ecclesiæ Catholice Romanæ.

Vnum quod illi, qui huiusmodi prouinciam suscipiunt, ac conuersionem animarum tractant, debeât se accommodare nature, & captui eorū, quos conuertere nituntur, illisque in omnibus quæ essentialiter non repugnant æternæ salutis, in principio secundare, ne propter accidentale aliquod amittant essentialia: qui enim vehementer emungit, elicit sanguinem. Hoc pacto illorum captabunt beneuolentiam & amorem, quo obtento, omnia facili negotio subsequetur. Cum enim amor vincat omnia, Christi quæ iugum suauis, & amoris sit plenum, nihil æquè requiritur tam in conuersione peccatoris ad Deum, quam vnione hæreticorū ad sanctam Ecclesiam, siue infidelis ad fidem Christianam, quam amor erga instructorem, ac patrem spiritualem. *Fili præbe mihi cor tuum*, hoc est ama me, vt

Prou. 23.

amore tuo omnia ad me traham, quicquid enim à te desiderauero, eo solo obtinebo. Sic quæ Iesus Christus Petrum Ecclesiæ suæ caput constituens, solum ab eo amorem postulat, id quæ triplici interrogatione, vt quam necessarius amor iste sit ostenderet: *Simon Ioannis diligis me*, &c. qui enim amat, vicissim amabitur, videlicet si me amas Petre, & proximum amabis, & ille te, sic quæ omnia ad me trahes, erisque bonus Pastor. Hinc D. Paulus, verus Christi zelator, totis viribus amorem hunc fidelium cordibus imprimere conatus est: nec quicquam tant opere ab ijs expetit, quam vt ipsum, maiores quæ omnes suos, & se inuicem sincere diligerent.

Ioan. 21.

Fortis enim est vt mors dilectio: cui quemadmodum nihil resistit sic nec amor. Itaque primum maximèque necessarium est se hominum genio accommodare, omnium quæ seruum præstare, quo quis omnes possit lucrificare cum D. Paulo qui dicebat: *Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucriferem: ijs qui sub lege sunt quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant lucrificerem: ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, vt lucrificerem eos qui sine lege erant: factus sum infirmis infirmis, vt infirmos lucrificerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Et Apostoli in primordijs Ecclesiæ secundarunt Iudæis, præcipientes fidelibus ex gentibus conuersis in illorum gratiam vt abstinerent à sanguine & suffocato, vt omnes lucrificerent, quæ postea successu temporis perierunt.

Cant. 2.

1. Cor. 9.

Alterum quod requiritur est perseverantia, parum enim aut nihil prodest semel & iterum conari, si perseverantia deest. Vulgo dicitur: *Gutta cauat lapidem non vi sed sæpè cadendo*. Deijctis vniverfos hostes vestros, si perseveraueritis in opere quod cepistis.

Defectu horum, vnio toties attentata Græcorum, & Ruthenorum cum Ecclesia (vt de alijs taceam) non habuit optatum effectum. Primum

defuit, quia cum illi, quieos iuuare conabantur, viderent Græcos habere antipathiam cum Romanis, ac quodammodo naturalē alienationem, vt persisterent in vnione, tentarunt ab ipsorum ritu eos deducere (si non verbis saltem operibus) extollendo Romanum, in quo celebrabant, ac consequenter deprimendo Græcum, vt sic ipsos, & eorum filios ad Romanū ritum paulatim traherent: quod illi naturaliter inflati, & qui amore fortissimo tenentur erga suos ritus ferre non potuerunt. Vnde multum odij inde conceperunt contra Ecclesiam & Romanum ritum, ipsumque tanquam nouum repurarunt, & refutarunt. Neque noua est Græcorum ista superbia, cum in ipsis Ecclesię primordijs, quando Iesu Christi Domini nostri sanguis feruebat, & omnes Christiani ad perfectionem anhelabāt, illorumque erat cor vnum & anima vna, ita erant infirmi in hac parte vt pati non potuerint quod spernerentur. *Factus est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.*

Græcorum
superbia.

Ex eodem superbię fonte ac naturali alienatione à Romanis, non solū schisma euenit, sed etiam quod nunquam libenti ac pacato animo susceperunt Romanos sacerdotes à summis Pontificibus ad ipsos multoties destinatos, ne viderentur ab ipsis edoceri, & consequenter fateri se inferiores illis cum quibus semper de gloria contenderunt, sed tanquam alienigenę ne dicam emuli, non ambabus à Græcis audiebantur auribus, imò potius eorum monita & salutarem doctrinam, omni gladio ancipiti penetrabiliorem, excludebant, aut certè si eam amplectebantur, non tamen in ipsa erant constantes, sed tanquam violentiam passi ad pristinum redibant vomitum. Et hac in parte Rutheni adeo sunt tenaces, vt potius cupiant suos filios rudes ac ignaros habere, quam illos ad scholas Patrum Societatis Iesu, vel alias Catholicorum mittere (sicut omnibus manifestū est) timentes ne Patres aut alij Catholici à suo Ruthenico ritu illos diuertant, hac de causa Romani sacerdotes parum profecerunt cū Græcis.

Secundum quoque, nempe perseuerantia, defuit in ipsorum conuersione, nunquam enim habuerunt homines ad illos destinatos quibus ex officio incumberet ipsorum conuersio: qui primo quotidianis precibus à Deo eorum salutem ac conuersionem exposcerent, deinde studio, diligentia, speculatione in idem laborarent, summosque Pontifices & reliquos Prælatos ad id permouerent. Et si fortasse aliquando habuerunt tales homines, non semper tamen neque perseueranter, quod est simpliciter necessarium, parum etenim prodest erigere infirmum, si non est qui subterret, & adiuet eum, ne iterum cadat: non est corona vbi deest perseuerantia, & qui perseuerauerit vsq; in finem obtinebit victoriā & palmam.

Vnico tantum remedio, ni fallor, prædicta duo impedimenta tollentur, & Rutheni isti faciliè conuertentur ex concepto odio ad amorem Eccle-

sia Romanę, non tantum verbo, sed corde & opere: si haberent nimirū vnam vel alteram, vel plures religiones obseruantes, quę ex indulto sedis Apostolicę possent ritu Ruthenico celebrare, sublatis tamen omnibus erroribus & superstitionibus (si quę sunt) quę incuria & ignorantia ipsorum sacerdotum sunt vsquemodo introducta, reducendo omnia ad suū principium & originem.

Primum quod desiderabatur in modo conuersionis aut reductionis tolleretur: tales enim Religiosi eorum ceremonias ac ritum non deprimerent, sed potius & verbo & opere tanquam proprium extollerent, & cum Romani tanquā alienigenę ac æmuli non pacato animo recipiuntur à Ruthenis, & consequenter non audiuntur, sed cum timore ac suspicione, timentes semper ne fraudem faciant, ex qua suspicione arripit dæmon ansam & occasionem suggerendo illis multa falsa de Ecclesia Romana: è contra tales Religiosi reciperentur quasi proprij, auscultarentur absque suspicione, & cum viderent eos doctos, ipsis crederent, & gloriarentur quod haberent ex suis eruditos viros, qui essent illorum corona. Propter quod etiam summopere amarent illos: nam cum non ament Romanos, quia quodammodo deprimunt illos, illorumque ritum, è contra amarēt vehementer dictos Religiosos, tanquam illos qui auerent ipsorum gloriam, ac extollerent ritum Græcum. Simili modo D. Paulus afflante Spiritu sancto incepit adducere Græcos ad sanctum Euangelium, non enim illis dixit, prædico vobis nouum Deum, sed præteriens & videns simulachra vestra inueni & aram in qua scriptum erat Ignoto Deo: quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Sic possent dicere isti Religiosi, non remouere vos conamur à vera fide Græca & ritu, nec nouam prædicamus, sed quę ignorantes colitis, &c. Et idem D. Paulus vt Iudæis se accommodaret circumcidit Timotheum licet non esset necesse, cum lex Moysi per Euangelium exspirasset.

Act. 17.

Secundum etiam tolleretur, quia tunc haberent Religiosos viros Deo gratos qui pro illis preces Deo funderent, insudarent tum in studijs ad illorum conuersionem accommodatis, tum in remouendo impedimenta & obstacula eidem conuersioni, illosque omnes ad eandem impellerent, tandem haberent speculatores & Pastores non mercenarios, qui vigilarēt super istum Iesu Christi gregem, & hoc non ad tempus sed vsque ad consummationē sæculi: nunquam enim religio moritur. Isti frangerent illis panem scilicet scripturarum, ac porrigerēt verbum Dei omni gladio ancipiti penetrabilius, cuius penuria fame pereunt, cum illorum popi & Religiosi concionē non habeant, ac à dæmone tanquam inermes debellātur.

Docerent illos necessaria Christiano homini, quę scilicet deberēt credere, quomodo accedere ad sacramenta, quam necessaria sit frequentia

sacramenti pœnitentiæ, & Eucharistiæ, &c. nec non etiam litteras humanas & sacras. Isti retineret conuersos in fide ac obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sic non toties reinciderent in schisma. Non difficili negotio obtineretur, quod Episcopi, Archiepiscopi, & Metropolitæ, qui apud Ruthenos ex Religiosis (licet Ordinis sancti Basilij) semper debent assumi, possent ex prædictis Religiosis eligi.

Hinc fieret primò, quod omnes Prælati semper essent Catholici, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientes, quos tanquam pastores sequerentur reliqui omnes. A Patriarchis enim & Episcopis ortu semper habuit schisma conseruationem ac reincidentiam.

Sequeretur secundo, quod omnes populi Rutheni vel Sacerdotes, essent Catholici, docti ac benè morigerati. Episcopi enim non promouerent ad ordines nisi tales, ac ordinatos in disciplina continerent. Multa alia bona sequerentur quæ breuitatis causa omitto.

Religiones quæ ad hanc prouinciam destinantur, debent habere sequentes conditiones.

Prima. Quod sint ex reformatis, & quanto fieri potest similes in vita & regulari obseruantia Religiosis diui Basilij, qui apud Ruthenos nunquam comedunt carnes, ieiunant à festo exaltationis sanctæ Crucis, vsque ad Pascha resurrectionis Domini, &c. Tum ne spernantur à Ruthenis vt minus perfecti, tum etiam vt libentius quasi proprii recipiantur. Hoc facillimè posset ab vnaquaque religione reformata obtineri, aliqui enim Religiosi in ipsis inuenirentur, qui vellent hoc obsequium præstare Deo, quod promitterent: deinde reliqui etiam obseruare, qui ad talem conuersionem vocati à suis Generalibus ad conuētus vel collegia ad hoc destinata segregarentur.

Secunda. Deberent habere licentiam celebrandi secundum ritum Romanum (sub prætextu tamen quod Rutheni & Græci non possunt celebrare in itinere, vbi non habent incensum, & alia quæ secundum Ruthenicum ritum requiruntur ad sacram) & sic paulatim introducerent Romanum ritum, vel saltem obtinerent, quod Rutheni non ab illo abhorrent sicut modo abhorrent.

Tertia. Religiones quæ huiusmodi munus conuersionis susciperent, ex monasterijs, quæ modò habent, deberent designare aliquot, vnum scilicet Romæ, reliqua verò in illis regionibus, vbi floret religio & fides Romana, quorum curam haberent iidem Generales Religionum, in quibus nulla deberet fieri mutatio, & ad ipsa mitterent Religiosos, quos viderent à Deo esse vocatos, ad conuersionem Græcorum & Ruthenorum, vt ibi darent operam linguæ Græcæ & Ruthenicæ & studijs ad ipsorum conuersionem accommodatis. Ex quibus possent fieri missiones ad di-

uersa loca & prouincias, & sic haberent semper Religiosos Romanos de quorum stabilitate non esset dubitandum. Ad prædicta monasteria possent quoque mitti Rutheni, qui susciperent habitum monasteriorum studio- rum causa, qui enutriti doctrina & moribus Romanis, benè affecti essent erga Romanam Ecclesiam, tanquam ipsorum matrem.

Quarta. Si ex prædictis Religiosis eligerentur Ruthenorum Metropoli- ta, Archiepiscopi, &c. deberet esse cautum, ne vllus illorū assumeretur ad huiusmodi dignitates, nisi qui post annum integrum nouitiatus, & professionem emissam aliquot annos peregisset in Religione. Vt iam perfectionem illam comparasset quæ necessaria est perfectis Prælati. Nō enim omnes possunt habere huiusmodi perfectionem, qui ex seculari vita eodē tempore quo fit Monachus emittit professionem, & assumitur in Episcopum, &c.

Quinta. Et ne id quod datur tanquam salutaris medicina sit demōnis malitia, prædictis Religiosis & consequenter Ruthenis venenum, præter tria solemnia vota obedientiæ, castitatis, & paupertatis, quibus tales Religiosi se Deo sacrabunt, quartum Domino acceptissimum & prædictorū Religiosorum ac Ruthenorum bono maximè salutare nuncupabunt, quo Deo voueant se nunquam directè vel indirectè per se aut alium extra Religionem vllam prælationem aut dignitatem prætersuros, nec eam oblatā acceptaturos, nisi summi Pontificis præcepto ad id obstringerentur. Sic omnes Episcopi, &c. Rutheni semper dependerent à summo Pontifice & Religiosi nō perturbarentur ambitionibus, nec Religio relaxaretur propter dignitates. Hęc ille.

CAPVT IIII.

De alijs medijs quæ videntur non minus vtilia quam necessaria, ad Ecclesiam Græcorum, & omnium ferè Orientalium ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ sinum breui reducendam.

PRIMò viris conuersionis Græcorum studiosissimis expedientissimū semper visum fuit, vt Collegij Græci alumnis Romæ existētibus concedatur, vt in patriam reuersi, possint à suis Episcopis Græcis, in quorum diocesi degent, licet schismaticis, ordinari quod & fieri posse à summo Pontifice

Et ob hanc causam à Sanctiss. D. Clemente PP. V. II. ad hunc finem, qui huiusmodi Ruthenorum zelo ferebantur Religiosos ex Ordine B. Mariæ Virginis Discalceatorum postularunt, in quibus omnes 4. dictæ conditiones inueniebantur.

Pontifice nullus Catholicorum negabit : præsertim cum apud grauissimos auctores Catholicos cõstas opinio sit, à schismaticis, qui nominatim excommunicati non sunt, posse subditos sacramenta recipere, vt latius infra lib. 7. Oportere autem tali indulgentia siue dispensatione vti manifestum est. Nam hac negata, nulla aut certe exigua spes de salute istius nationis expectanda est: quod eorum iudicio & auctoritate, quibus res hæc in particulari notã est, apertius poterit comprobari. Nam ex hac disputatione in eam spem erigi debemus, fore vt alumni ab ijs ordinati (atque adeo minus exosi illis qui à Latinis ordinantur,) tum propter vitæ integritatem, tum propter bonarum literarum scientiam, à Patriarchis suis nullo negotio in Episcopos promoueantur: utpote cum non parua laborent hominum penuria, qui verbum Dei promulgent, ac disseminent, & gregem Domini regant: cum etiam à suis Episcopis omnis ambitio ac inuidia longè exulet, eo quod Ottomannicæ tyrannidis iugo oppressi, difficilem ac laboriosam sine facultatibus vitam agat, statum pauperum potius Monachorum quam Episcoporum æstimantes. Quis autem fructus ex vnico Episcopo Catholico sperandus sit, qui scilicet cum prudentia Parochos Catholicos suo gregi præficiat, nemo non videt.

Tertio. Deinde eo collimet sua sanctitas, quæ omni cura, & diligentia salutis animarum inuigilat, vt vacante Ecclesia Patriarchali Constantinopolitana, inquirat in aliquos alumnos aut Monachos, qui in Græcia Ecclesiasticarum dignitatum munia administrant, ex quibus maximè idoneum eligi curet; cui nuncio quam fieri potest sacratissimo (ne aliqua apud Græcos huius rei nascatur suspicio) aperiat, se illi Ecclesiam Constantinopolitanam conferre illumque eiusdem Patriarcham eligere ac confirmare: ac proinde iubere vt eò se conferat, vbi tam Reipub. Venetæ, quam Christianissimi Regis Legatos reperiet à sua Sanctitate iam instructos, vt Turcam, à quo electio & confirmatio licet iniuria, dependet, largitionibus inflectentes & solito tributo aliunde addentes suauiter inducant, vt viro tali Patriarchatum nationis Græciæ imperet assignari: quod vix quidem prolatum exorabunt, tantum dominatur illius; Tyranni animo in explebilis auri cupiditas: adeo vt sæpe numero non dubitet ab alijs promotis dignitates abrogare, quod vel experientia satis restatur, & in alijs officijs assidua exempla demonstrat. In qua re nullus apparet simoniæ scrupulus, non enim pretio estimatur Patriarchatus, quippe qui electo illi à sua sanctitate iã cõdonatus sit, sed obstacula tantum pecuniarum falce refecantur. Ad redimendam enim vexationem, & tollenda impedimenta, quæ possunt occurrere, hoc fieri posse communis & verissima est Doctorum sententia. Porro neque dicendum est

est Metropolitano sua electione defraudari, cum liquidò cõstet tam inuvalidam esse & nullius momenti, eo quod ipsi sint schismatici, & nullam habeant iurisdictionem: vnde licet à se electum consecrent, non Patriarcham sed merum Episcopum constituunt. Adde quod hæc electio à Turca, qui ijs imperat, vt pro ipsius arbitrio consecrent quemcumque, ipse obrufferit, fidei videatur. Ex tali verò electione ille proueniet fructus, quod Episcopis schismaticis diem suum obeuntibus, alumni aut alij, de quorum fide constabit, possint substitui. Secundo quod synodis particularibus egregia opera in schismaticis reformandis, alijsque erroribus amputandis possit nauari. At vero hic cauendum est ne sua Sanctitati tadium obrepat, & in hac primi Patriarchæ electione subsistatur: imò velis remisque contendendum est, vt primo sufficiatur alius, atque illi alius, & illi rursum alius, novos semper alumnos defunctis subrogando, quoad Prælatis antiquis schismaticis extinctis noui Catholici suscepti omnium vices suppleant.

Quarto. Cum Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiarum electio earumque Patriarcharum, qui semper Græci sunt, eo quod earum gubernacula hætenus penes Græcos fuerint, confirmatio ab aula Constantinopolitana dependeat, eadem qua dictum est diligentia Legatorum opera est attendendum. Quod negotium haud dubiè non minus felicem exitum consecuturum est, quam certum est ibi nihil auro non esse peruium ac luctabile. Cum itaque futurum sit, vt breui Patriarchæ sint Catholici, quorum cura in hoc incumbere debebit, vt ea cum prudentia, quam requirit ipsorum officium, Episcopos & Parochos suos Catholicos constituent: quid vetat quò minus speremus fore, vt Prælatis schismaticis (cui in ijs totius schismatis radices inhereant) extirpatis, novos, qui in Ecclesiæ Catholice sinu primis pueritiæ stipendijs merentes pietatem excoluerint, substituendo, (quorum vitæ doctrinæque integritate ille regatur populus, qui ideo quorundam errorum nebulis in præsentiarum inuoluitur, quod natura facilis ac procliuus sit Prælatorum suorum dictis acquiescere) breui dici possit, *Vnum ouile & vnus pastor?*

Quinto. Vt autem iam nunc fruticare incipiat seges aliqua spei nationis Græcæ in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ granarium reducendæ, pretium operæ fuerit viam obsequijs præsternere, vt videlicet sua sanctitas literis merè officiosis Constantinopolitanum aliosque Patriarchos saluet, nullum de flebili ipsorum statu verbum faciens; sed solum temporalibus inherens, ostendat quam gratum illi foret sæpius de eorum rebus certior fieri, vt sciat si qua in re sua opera indigeat, & vt non estimet loci interuallum posse eos suæ paternæ charitatis visceribus disfungere. His & alijs amoris etiam affectus adiciat, polliceaturque se perspectis eorum rebus, nulla

Nulla in parte eorum desiderijs defuturum, suumque paternum amorem magnamque versus eos charitatem effectibus demonstraturum. Atque ita nemini dubium videri debet, quin talibus literis & amicis pollicitationibus, omni sedato odio, animos eorum inflectendo beneficijs, quæ licet apud omnes plurimum valeant, ad illius tamen gentis animos allucandos, tanta vi & efficacia præpollent, ut ijs solis tota res perfici posse videatur. Sicut videre est ex progressu, quæfecit Gregorius Papa XIII. felicissimæ memoriæ, qui eò quod eam nationem charam habuerit, & Collegio Romæ fundato Græcam iuuentutem efformandam ac erudiendam curauerit, & huiusmodi literis aliquam cum Patriarchis amicitiam, & familiaritatem iniierit; incredibile pene est quantum & quam breui boni Pontificis nomen, tanquam veri & legitimi Patris vniuersalisque Pastoris ac Vicarij Christi per totum Orientem increbuerit. Quæ res infinitis profuit animabus, & certè si mors eum non præripuisset, aut saltem tã felix opus eo quo inceptum est pede ad colophonem perductum fuisset, amplissima hodie mensis arrideret. Neque etiam ambigendum est, quin illi benignum suæ sanctitatis animum conspicientes, suas necessitates in rebus tam temporalibus, quam spiritualibus literis responforijs sint explicaturi. Atque ita literis cum illis agi poterit, de quibuscunque sint ad suam sanctitatem relaturi, alumnique ad singulos tres aut quatuor transmitti, quibus in mandatis detur, ut cum illis rerum diuinarum participant, & ab illis ordinentur, videantque si quo pacto queant illis suauiter de dubijs satisfacere, ac inducere, ut synodo patriarchali aliquid de iisdem dubijs velint statuere aliosque errores rescicare, & sic eos in studio ac pietate versus Pontif. Opt. Max. continentes suam sanctitatem de rerum ibi gestarum euentu commonefaciant, ac annuncient, in quam segetem spes laboris huius excrecat.

Sexto. Cum Roma longè ab Oriente disita sit, parentesque ægerime patiantur sibi suos liberos diuelli; tum propter imminenti pericula, tum quod in remotissimas gentes mitti videantur, his accedit metus Turcæ qui sæpenumero, ratus eos exploratores Romam transfugere, post aliquod tempus eorum parentes ac necessarios seuerissimè castigat: conuenientissimum foret, tum ad itineris longinquitatem tollendam, tum ad amorem nouo beneuoli animi monumento confirmandum, mensinæ alumnorum Græcorum seminarium fundari: quod, cum sit ciuitas immunis ac libera facilisque ad eam transitus, cumque ei vicina admodum sit Constantinopolis & plurimæ in Archipelago insulæ parentes liberos suos libentissimè transmisiuri sunt, seque felices reputaturi, quibus tam grata fors obtigerit, ut ciuitate vicina, non suspecta, erudiantur. Quanto autem emolumentum futurum sit hoc Collegium nationi tam longè late-

que patenti, iudicent illi quibus curæ aut cordi est eius incolumitas: quosque Collegij, quod Romæ est, imbecillitas non later.

Septimò, sua Sanctitas præscribat Episcopis Corfu, Zante, Cefalonie, & Candia; edicatque ne Parochias Græcas, quæ in ipsorum diocælibus vacauerint, alijs quam alumnijs Collegij conferant: ideoque præmoniti sint ipsius Collegij superiores, ut viros idoneos semper habeant paratos, Neque dubium est quin Græcis satis grati futuri sint, hoc nimirum concessio, ut ab Episcopis Græcis possint ordinari.

CAPVT V.

Ecclesia Græca propter separationem ab Ecclesia
Latina quantis calamitatibus & affli-
ctionibus exerceatur.

Denique pro Græcis alijsque Orientis populis ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ vniõnem reducendis non parum proderit (prudentia ac moderatione duce, ne exasperati obdurentur) eorum ruinam & interitum, postquam ab Ecclesia Catholica recessere, ipsis ob oculos ponere. In primis enim, ut experientia constat, vniõne rupta, atque Ecclesia Catholica derelicta, Græci in profundissimam ignorantia caliginem incidere: quod manifestius constabit, si oculos animumque ad præterita sæcula conuertamus, in quibus omnium bonarum artium & disciplinarum nutrix ac magistra fuit Græciã, ut rectè profequitur Bozius lib. 12. de Sig. Eccl. c. 12. Quos illa antiquitus doctissimos homines tulit? Quæ lumina in omni doctrinarum genere produxit? Nunc autem ab anno ^{In Græcia} 1000. ferè, ex quo magis à nobis cæpit abscedere, per annos sexcentos, ^{quare docti} neminem prope possis laudare in vilo artium bonarum studio excellen- ^{nulli?} tem: mediocres tandem aliquos fortasse reperies. Andronico certè imperante, ante annos credo ducentos & quinquaginta, Gregoras tradit neminem fuisse in vniuersa Græciã, qui posset cum nostris de rebus diuinis disputare: & modò nullus in ea vel mediocriter eruditus, si quis vult aliquid doctrine addiscere, è media Constantinopoli Romam proficiscitur, ad collegiũ quod Græcis edocendis Gregorius XIII. crexit. Cur non idè Græcis suis præstitit magnus ille Dux Moscovitarum? Cur non Rex Georgianorum, vel Iberorum, vel Mengrellorum, qui Græcicos ritus sequuntur, neque imperio Turcarum sunt subiecti? Ne dicas ideo è Græcis neminem in literis proficere posse, quod à Turcis opprimantur:

cur ex istis, quos memorauimus, populis nemo vel mediocriter eruditus existit vnquam? furente inter nos ac Græcos hac sententiarum discordia, duo fuerunt à Græcis, quos summis comparare possis, Nicephorus Blemmida, & Ioannes Bessarion. Illum Gregoras vocat diuinum, peritissimum, multis virtutibus insignem, varia eruditione tum sacrarum, tum profanarum litterarum perpolitum. Gregorius Pachymerius ait ea mente fuisse, vt corpore illa non alligaretur. Et certè talem fuisse ipsius scripta declarant: Quantus verò sit Bessarion quis ignorat? Lege illius libros. His duobus neminem ante annos octingentos in tota Græcia doctrina parem inuenies. Atqui vterque nobiscum sensit. Quid vero illud? Episcopi omnes Græcorum deliguntur à grege Monachorum; inter quos communi decreto est excommunicatus quicumque Philosophia studet, quod scribit Petrus Bellonius Obseruat. lib. 1. c. 40. Nihil autem magis facit ad affectationem veritatis, quàm Philosophia rectè percepta. Quocirca dæmon vt Græcos altissimis ignorantia tenebris inuolueret, hoc egit, vt Episcopi eligerentur à Monachis, & Monachi necessariò propè imperitio forent, aut carerent maximo ad perceptionem veritatis instrumento. Hæc Bozius.

Verum longè istis absurdiores fuerunt Mosconitici nunc Duces siue Principes Duces Moscouitici quænam si ditis persuadeant, qui populos sibi subiectos ad illum mentis incredibilem stuporem redegerunt, vt miseri credant bona, malaque omnia à suis Ducibus in ipsos immitti, quin eis esse explorata ac sigillatim perspecta omnia studia, & cogitata cuncta illis patere. Vt verò Duces isti gentes in hac stoliditate hærentes dehxas teneant, nullas ab ijs litteras addisci permittunt, nisi quibus ipsi fecerint potestatem: vt late profequitur Possuinus in Moscouia sua.

Eò igitur nunc res reducta est, vt Græci si quid vel artium liberalium vel etiam linguæ ipsius Græcæ præstantius volunt addiscere, ad nos commigrent. Atque ita Græcorum hæreticis negata diuinitus illa ipsa, quorum maximè ipsi fuerunt architecti, & ad Ecclesiam Catholicam delatæ vna cum linguæ Græcæ eximia cognitione doctrinæ illæ, quæ Græcis sunt litteris commendatæ, vtrumque Græcis ablatum.

Quid verò de Græcorum peccatis dicam? etenim in primis dolendum maximè est, quàm misère in Simonia labem ac crimen corruerit nunc, illustrissima olim natio, cum sciamus à Turcarum Rege Episcopos euehi, & deinceps inter Græcos pretio, & quò plus è Græcis aliquid offert aut largitur Turcarum Regi, eò magis ille extollitur ad dignitates, & amouentur qui sunt in eis, cum plerumque maiori data pecunia, in se transserrit alique Episcopatum cupit, egre ferentibus id alijs Græcis.

Præterea à Græcis multa contra Christianæ castitatis leges vsurpantur: cuiuslibet

Niceph.
Blemmida.
Ioan. Bessa-
rion.

Episcopi Gra-
corum à Ma-
nachis.

Simonia
Græcorum.

Apud Gra-
ecos repudiu
licitum.

cuiuslibet ex quacunque causa licet, approbantibus id Episcopis, vxorem dimittere, quare palsim repudium quauis causa admittunt: ex quo campus latissimus illis conceditur, in quo excurrat eorum libido ruptis indissolubilis coniugij vinculis: Quid? quod inter illos nonnulli fornicationem simplicem peccatum negant, vt ex Moscouia Possuini apparet.

Simili imò & maiori impuritate aspersæ sunt nationes aliæ, quæ ritum Græcorum sequuntur. Gregorius Interianus mores Zigrorum describit, quippe qui versatus sit inter illos: ij vocantur vulgo Circassi. Apud eos in more positum refert, vt frater occidat sapius fratrem, & sequenti nocte cū ipsius vxore concumbat, coniugemq; sibi adiungat. Nam plures habere illis est permittum. Atque hæc nobilium Zigrorum consuetudo. Quales sint plebei, ex hoc vno, quod de nobilibus recitauimus, colligere possumus. Magna scilicet inter istos castitas, & caritas inter fratres. Moscorum latissima sunt regna, ex hæresi sunt Græcanica. Apud eos faminæ quidem nobiles inprimis pudicitiam colunt, ceteræ omnes nihili ducunt, & corpus venale habent: tantaq; inter eos est alioquin impuritas, vt quam nos fornicationem simplicem vocamus, & maximum crimen, vt est, reputamus, illi neque yllum peccatum ducant, quod apparet è Moscouia optimi ac doctissimi viri Antonij Possuini è Societate Iesu, qui nomine Gregorij XII. Legatus diu fuit apud eos, & è Cōmentario Pauli Iouij de rebus Moscouiticis.

Nec minus dolendum eorum Græcorum luxum ac intemperantiam eò deuenisse, vt plurimi ex ipsis exultent, vbi filium speciosum formanciscuntur, quem tradere possint Mahometanis ac Turcis, vt illo abutantur ad obscenos libidinis vsus, gradumque sibi ex hoc faciant ad Magistratus & opes. Nam qui vocantur à Turcis Bassæ, plerumque sunt ex huiusmodi pueris, qui vel spadones sunt vel à spadonibus aluntur, & ad impurissimas Turcici Regis delicias conseruantur: vt sic suis propinquis hac impietatis via benefician, si quod huiusmodi benefactum potest esse. At sæpe iusto Dei iudicio factum cernimus, vt ab ipsis Græcis, hoc est lanizarijs à Græco sanguine vt plurimum natis Græci vexentur ac interficiantur, vt sic sanguine proprio quasi multo inebrientur, & cibentur hostes Ecclesiæ carnibus suis.

Denique tempore, quo Græci ab Ecclesia Catholica desciuere (cum antea quamplurimos viros sanctitate præclaros habuissent) Sanctorum copiam amiserunt: Testis est Zonaras è Græcis auctor nobilissimus, qui cū Ignatium Patriarcham sanctum appelleret, & is fuerit qui nobiscum senserit, propter cuius defensionem Photius à nobis se abalienauit, postea vero neminem è Patriarchis cū viginti recenset, ornat huiusmodi titulo. Imò cū plures ante statem Photij numeret sanctimonia præstares

Sancti in
Græcia
quando
desierint
esse.

viros in annalibus suis, neque vnum quidem post illud tempus inuenit; tamen ab anno octingentesimo sexagesimo tertio, quo Photius, deiecto Ignatio, sedem Constantinopolitanam inuasit, vsque ad annum millesimum centesimum decimum octauum, in quem desinunt scripta Zonarae, intercedunt anni ducenti viginti quinque. Atque hoc mirandum magis. Nam Zonaras Monachus erat, & Ecclesiasticam se scribere historiam profitetur. At si quis plura de hac successione Sanctorum interrupta desiderat legat Tho. Bozium lib. 7. c. 1.

Græcia
captiuitas.

Captiuitas deinde Græcorum, qua sub Turcarum durissimo imperio iacent, ac supplicia alia diuinitus illis immissa, ferè eo tēpore, quò ab Ecclesia Catholica sunt auulsi, aut summis Pontificibus detrahebant, prosequitur eleganter idem Bōzium lib. 5. de signis Eccles. c. 4. in hæc verba: Leo regnare cepit anno septingentesimo decimo sexto, cognomento Iconomachus, & Theomachus; eo tempore Sarraceni per triennium Constantinopolim obsederunt, famelique trecenta hominum millia in ea ciuitate absumpsit. Mahumet Sarracenorū Princeps ingenti exercitu Paphlagoniam vastauit. Arabum nonaginta millia diuis in cursuibus Asiam sedarunt, ut Paulus Diaconus refert. Copronymo deinde imperate, Turcæ à Caspijs portis irruptione facta Armeniam minorem ceperunt; Michael Balbus fuit ex hæresi Tinganorum & Iudæorum: eoque imperante Sarraceni Cretam Siciliamque occuparunt, ac per annos ferè ducentos tenuerunt.

Monomachi ætate, quo tempore est ausus Michael Patriarcha omnium primus Papam sub annum millesimum & quinquagesimum tertium excommunicare, Turcæ Asiam ceperunt, quam deinde, Andronico Palæologo regnante, qui sepulturam Michaeli patri, quod cum nobis sensisset, negauit, sunt inter se partiti, primumque ex Othomana familia Regem ad extremam imperij Constantinopolitani ruinam crearunt, Thraciamque inuasert, donec tandem Caloioannis tempore ita pedem fixerunt in Europa, ut multas in Græcia vrbes ceperint. Vltimodienique Constantino imperante Constantinopoli expugnata, Orientali imperio finis est datus, & Christi cultus in ijs locis ad nihilum ferè adductus.

En heresum finis, en conatus eorum, qui dissident a nobis, qui Romani Pontificis sacra iussa contemnunt, interitus Christianæ Religionis. Irredeant nunc Latinos Græci dissentientes, despiciant episcopum Romanum; ducant nos hereticorum loco, crimina congerant, confingant, amplius aduersus nos, & Presules nostros. Quid est quod tanta per vos ac vestros Imperatores, ex quo discessistis à nobis iactura Christiani cultus est facta. Omittamus Occidentis regiones, a varijs ac barbaris gentibus, à Christi cultu vel proxijs alienis, vel aberrantibus, occupatas eo tempore, quo

repleta sunt heresibus; ab Hunnis & Auaribus Germanias & Pannonias; à francis Gallias; ab Anglis Britannias; ab Alanis, Sueuis, & Visigothis Hispanias; à Vandalis Africam: quid quæso esse causæ dicemus, quod imperante Zenone Ostrogothi & Heruli Italiam ceperunt; & Catholici meliori apud eos conditione fuerunt, quam apud Imperatores Orientis, & quam diu se ita gesserunt, feliciter illis res procellere, vbi consilium mutarunt, deleti sunt? Quid est in causa quod Longobardi Venetiam, Liguriamque, quam nunc Lombardiam vocamus, in potestatem suam redegerunt, vbi loca illa ab auctoritate Pontificis Romani desierunt?

An putatis à Deo temere prouisum permiffumque, ut imperante Mauricio, quo tempore vestri Patriarchæ sibi Vniuersalis nomen cum Romani Pontificis contemptu arrogare ceperunt, Slauī Illyrium, Dalmatiāque subigere, Turcæ aduersus vos militare simul ceperint? Heraclio imperante Mahometus emerfit, Sarracenis data est Iudæa, & Aegyptus; Constante & Iustiniano, Africa iisdem tradita; Philippico Leone Copronymo, Michaelē Balbo, & Michaelē quarto Iconomachis, Dacia, Mysia, Thracia, & Illyrium Bulgaris; Asia, Sicilia, Sardinia, Creta, Cyclades, Cyprus Sarracenis. Qua præterea tempestate Turcæ à Caspijs portis copias educentes Armeniam subegerunt; qui postea cum Patriarchæ vestri Papam sunt ausi excommunicare, armis Asiam sibi comparantes; inter se sunt partiti. Mox Andronico regnante, cum scilicet vos apertissime à nostra communionē recessistis, communioribus decretis, primū sibi ex Othomanorum gente Regem crearunt sub annum millesimum trecentessimum. Ex eo paulatim cuncta vestra vobis per illos erepta. Supererat postremò Constantinopolis; supererat multa Græciæ loca, multa aliarum Regionum subiecta Imperatori vestro, supererat imperatoria dignitas.

Quid est autem, quod vbi in Concilio vniuersali Florentino, cui vestri Episcopi, vester Patriarcha, & Imperator interfuit, & assensus est, definita sunt quæcunque inter vos ac nos erant controuersa, defuncto Imperatore illo & Patriarcha, qui nobiscum sentiebant, cum vos, & qui successit Imperator Concilij Florentini scita respueritis, capta est Constantinopolis, omnia vestra in Turcarum manus venerunt? & nunc nihil vestrum: loco namque feruorum vos habent Turcæ. Liberos suscipitis non Christo, sed quod maxime dolemus, spurcissimo Mahometo. Nam qui sunt è filiis vestris generosiores, & liberali specie, eripiuntur vobis à Turcis, Mahometo nomen dare coguntur, ad nefandissimos, proh scelus, proh dolor, præposterè libidinis vsus includuntur. Item qui heresum finis? Quis à fletu se contineat? At si ô quicumque è Græcijs à nobis discessistis, vestra esset Ecclesia Dei, necesse erat hæc vobis haud euenire, quin longè alium sortiri euentum, ut ex oraculis diuinis supra à nobis est con-

clusum; necesse erat quo maioribus angustijs opprimebamini, eo resurgere illustriores: sic enim contigit semper Ecclesie Dei, vt abunde ostendimus alio loco.

Sed hic non omittamus illud, Græcos aliquos ad eam à Catholica Ecclesia alienos, vt quamuis pareant subsintque Catholicis, tamen impias opiniones abnegare nullo modo velint. Cyprus, Creta, Zacynthus, Cephalenæ Insulæ, sunt ad eam tenaces hæresum Græcanicarum, vt vitam potius hominibus illis eripias, quam conceptam sententiam deponere velint. Cumque superioribus annis Archiepiscopus Cypri Philippus Mocenicus, vir magnæ doctrinæ, & integritatis, vellet hæreses ex insula illa extirpare, opposuere se illi Græci, ad eam vt necesse habuerit ipse Venerus Patricius illinc emigrare. Testatur hoc ipse in Epistola, quam præfixit operi suo, de Philosophicis rebus: paulò post Insula à Turcis est occupata. Marc. Antonius Cæcus Archiepiscopus Corcyræ testatur idem in epistola, quam præposuit Gennadij libris: Hæc Bôzius.

Sed ne casu id accidisse Græci sibi persuadeant, videant antea huiusmodi euentus diuinitus tam à summis Pontificibus, quam ab alijs Ecclesie Romanæ filijs præuisos, prænuñciatosque fuisse. In primis cum Patriarcha Anatholius in Synodo Chalcedonensi procurasset Sedem Constantinopolitanam præferri Alexandrinæ & Antiochenæ; quinimò ordinationem sibi tunc Antiocheni arrogassent inconsulto Pontifice Romano; Leo Magnus exclamans aduersus huiusmodi superbiam, clarissime literis suis prædicit futurum, vt sedes illa ob hanc elationem diuinitus deprimeretur, incurreretque in apertas ruinas. Idem prænuñciauit literis suis Gregorius Magnus, cum Patriarcha Ioannes sibi nomen Vniuersalis assumpsisset. At Nicolaus Magnus, cum Photius ausus esset illi cum Græcis obistere in causa Ignatij, & ob id à communionem eos repulisset, in epistola ad Imperatorem Michaellem prædixit fore, vt Græci fierent captiui in omnes gentes tanquam Iudæi. Adnotauit hoc etiam Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, qui adijcit adhuc aliud multo magis mirum. Verba illius quibus alloquitur Græcos, apponam.

Sed quid euenit, inquit Gennadius, nostra memoria, nunc sub Nicolao V. Pontifice Maximo, cum Legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragates, ad eum missi adhuc supersint, quibus litteras dedit plenas timoris & horrois, vbi apertè cum execratione vaticinatur excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum. In quibus post alia multa, (cum conuitia & probra rescisset, quæ à Græcis quotidie impudentissime iactabantur) mirè & hoc dicit: Omnes gentes decretum quod sancitum est, receperunt; Græci neque receperunt, neque spes est eos vquam recepturos, quæ super concordia & coniunctione decreta sunt.

sunt. Procrastinationes enim procrastinationibus semper ab eis prætextantur, excusationes, & responsiones in singulis. Neque verò Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, vt non intelligant, quæ in singulis dilatationibus respondendo nugantur. Optimè cuncta nouimus. Sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum Sacerdotem, & Dominum, qui sterilem illam ficum vsque ad annum tertium iussit asseruari, agricola iam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruina! Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc conscripsit epistolam, & millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Num potestis dicere hec vera non esse? minimè gentium, cum id sit manifestum, & res ipsa apertè loquatur. Tres, inquit, annos expectabimus, si vos forsitan à schismate & separatione conuerteritis; & vos verè decreto adiunxeritis, secundum Saluatoris de ficu præceptum. Sin minus excindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis. Hoc miraculorum miraculum maximum, quod, vt in epistola ipsa scribit Nicolaus Papa, Græcorum gens illa magna, & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina ob diuinam ultionem ita in barbarorum seruitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari, & deplorare excidium gentis nostræ. Hucusque Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus, aduersus suos Gentiles Græcos, recitans oraculum apertissimum à Nicolao V. prolatum, & euentu comprobatum, ipso temporis spatio, quod prænuñciauit.

Idem etiam accidit Græcis, vt quando dissidebant à nobis in processione Spiritus sancti, an esset à Filio & Patre, ipso die secundo Pentecostes, qui Filio est sacer, Constantinopolis caperetur: diuino scilicet spiritu ipsorum obstinatos animos puniente, & eos omnino derelinquente. Quarto namque Kalen. Iunij anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, feria secunda, Constantinopolis est expugnata. Rursus aliud longè mirabile obseruandum. Græci nos excommunicarunt, & pro hæreticis omnino duxerunt Michaellem sedentem circiter annum millesimum quinquagesimum tertium, vt ostendimus supra; & post annos quadringentos Constantinopolis capta, anno scilicet vt supra. At hic numerus criminum expiationi remissionique datur: vt sciamus ideo Græcos in seruitutem diuinitus Turcis datos, quod crimen aduersus Ecclesiam Catholicam patratum non expiarint intra definitum à diuinis scripturis tempus.

Brigida femina sanctissima, & Suerica, fuit ijs temporibus, quibus S. Brigida de Græcis renouatio à Deo & vt

Constantinopolis capta.

1453.

& ut audijt monumentis mandauit: Græci qui sciunt, quod omnes Christianos tenere oportet, vnam tantum fidem Christianam Catholicam, & vni tantummodo subesse Ecclesiæ: scilicet Romanæ; vnumque solum Vicarium generalem meum in mundo, videlicet Romanum summum Pontificem, supra se spiritualem habere Pastorem: & tamen nolunt se eidem Ecclesiæ Romanæ, & Vicario meo spiritualiter subijcere, & humiliter subiugare propter eorum pertinacem superbiam, & propter cupiditatem, vel carnis petulantiam, siue propter aliquid aliud quod ad mundum pertinet; indigni sunt post mortem veniam à me & misericordiam obtinere. Alij verò Græci, qui desideranter vellunt, sed scire non possunt fidem Catholicam Romanam, & tamen si scirent & possent, eam deuotè reciperent, & Romanæ Ecclesiæ humiliter se subiugarent, & nihilominus secundum ipsorum conscientiam, in statu & fide sua, qua sunt, abstinere à peccando, & piè viuunt, istis talibus post ipsorum mortem in supplicijs misericordia mea debetur, quando ipsi ad iudicium meum vocati fuerint. Sciant etiam Græci, quod eorum imperium, & regna, siue dominia nunquam stabunt secura, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt, à quibus sustinebunt grauissima damna, & miseras duras tyrannas, donec ipsi cum vera humilitate & charitate, Ecclesiæ & fidei Romanæ sese subiecerint. Hęc Brigida de Græcis: quibus an euenerint, quæ prædixit, utinam Græci maximo suo malo non experirentur.

Aduertant ergo Græci miserabilem calamitatem, in qua à tot sæculis afflicti contritique sunt à Mahometanorum Ducibus, transactisque iam tot annis, eodem nunc in statu, & fortassis peiori, ac miserabiliori permanent, quasi à Deo reprobati & abiecti, non secus ac Iudeorum populus. Quare nisi ad matris vbera, Ecclesiæ nimirum Romanæ, reuertantur, meritò timendum, nullum suarum calamitatum, sicut neque & Iudeorum, sperandum terminum: & quemadmodum, calamitates temporaneæ iustis, virtutis explorandæ causa, ac ob emendationem vite, à Deo mitti solent: ita spirituales miseriæ, quales sunt à nobis relatæ, magnam spiritualium bonorum iacturam præ se ferunt, nec tam ad probandam virtutem, quam ad puniendæ præterita præsentiaque scelera Deus illas infligit.

Ac denique his Græcorum calamitatibus finem imponam, adducens verba Leonardi Echienensis Theologi Græci ac Episcopi Mityleni, qui in libro De captiuitate Constantinopolis, vbi ipse cum alijs captus fuit, Græcorum cæcitatem dolens, ita eos alloquitur: Heu quæ spes in populo duro graui iniquitate, qui tot annis sine vita spirituali abscissus à capite permanebat? Quomodo non desperati, quomodo non abiecti à Deo, qui tantis dissimilitudinibus, tantis fictionibus, tantis scissuris ab Ecclesiâ elongati Romana, in cordis duritia permanserunt? Etenim iam captiuati vrbe,

templis,

templis, auro, laribusque; propulsi, in Latinos retorquent offensam, asserunt e-rantes; Quoniam vniõnem, inquirunt, fecimus, summoque Pontifici cõ-memorationem dedimus, meritò indignatum Deum. O pertinaces homines! inquit. Si malum est hoc, prisci Basilius, Athanasius, Cyrillus, ceterique Patres, quos præcipuo sanctitatis honore præfertis, mali censendi sunt, quod sanctam vnam eandemque fidem cum Romana Ecclesiâ omnium Christianorum magistra coluerunt? Non hæc causa est, quod vniõnem, sed quoniam vniõnem non veram, sed fictam fecistis: hæc de re meritò indignatum Deum; hæc de re iusta animaduersione in hostiũ manibus vos esse deductos. An non sponsonem de vniõne sancto iuramento apud Florentinam Synodum conscriptam violastis? obedientiam declinastis? sententiam decreti occultastis? an nõ summi Dei nuntij, & Græci, vestram perditionem iugiter prædixerunt? qui aures, vt aspis, impiè obdurastis? & sanctam ecclesiam Catholicam matrem fidelium obaudistis? flete miseriæ vestras, arguite vosmetipsos, & non alios condemnecis. Mõs obstinatorum hic est, sanctos a spernari Dei nuncios, vt Sedechias, ceterique Iudæi in Babyloniam traducti, Ieremiam direptionem captiuitatemque Hierosolymorum prædicentem contempserunt.

CAPVT VI.

De communicatione Latinorum cum Græcis,
ex Bulla Innocentij I V. Pont. Max.

*Innocentij Papæ 4. Bulla, seu litteræ ad Episcopum Tusculanũ,
Apostolicæ Sedis Legatum in regno Cyprj, quæ extant in eius
Registro Bullarum, Pontificatus sui anno X I. apud Bibliothecam Vaticanam, super ritibus Græcorum, qui tolerari,
vel non tolerari possunt.*

INNOCENTIVS, &c. Episcopo Tusculano
Apostolicæ Sedis Legato.

S V B Catholica professione Fidei, atque cultu consistere, ac proficere vniuersos, ceteris nostræ mentis desiderabilibus preferentes, illud tanquam acceptabilius ple-

niori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis precipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc, inquam, vnio siue connexio cordi nostro inassimabilis gaudij rorem infunderet, si varias gentium nationes eiusdem obseruantia Fidei in vnum acceptabilem in Christo populum adunaret. Id vtique anxie nostræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in vno Catholico gregem ouile collegit Domini, cum multi ab eo discesserint, in idem indiuiduum collegium vnus Pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret vnitatem, vt cum reliquis Orthodoxis in vnus aula collecti gremio, de matris ecclesiæ vberibus fluentia doctrina salutaris haurirent: tunc ipsi ecclesiæ proueniret magnū & desiderabile salutare: tunc eius vterus sobole geminata concreveret: tunc Orientalibus oriretur supernæ illuminationis aurora: tunc eis claresceret lucifer veritatis: tunc per vniuersam Ecclesiam inundantis gaudij erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia claresceret totus Orbis, quia valde bonum & iucundum existeret Fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem Ecclesia multiplicata lætitiæ noui iucunditatis canticum personaret. Verum, quia nonnulli Græcorum iam dudum ad deuotionem Sedis Apostolicæ redeuntes ei reuerenter obediunt, & intendunt, licet expedit vt mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerant, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia præferemus: quanquam in ijs, quæ animarum periculum parent, vel honestati Ecclesiastica derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus. Sanè inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Nicosiensem, & eius suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Græcos regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam & turbationem fore subortam, & eorundem tenorem articularum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, vt melius possemus instrui super eis, plenè ac pronidè per tuas litteras intimaſti, sollicitè requirendo, vt prouidere super hoc Apostolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuosè receptis, earum seriem, & ipsos articulos ac responsiones easdem, & cetera, quæ continebantur in illis, vnà cum Fratribus nostris perlegimus, intelleximus diligenter prudentiam tuam, multipliciter in Domino commendantes, & meditantibus, ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, vt Græci eiusdem regni in vnctionibus, quæ circa baptismum sunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, & obseruent. Ritus vero, seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel remoueri non potest, cum siue fiat, siue non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur. Nec refert etiam vtrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in vtraque baptismum habere, asseuerate dicantur. Solum autem Episcopi consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius vnctio non debet nisi per Episcopos exhiberi, quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis chrismatio representat, Spiritum sanctum

tribuisse

tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi in sua Ecclesiâ in die Cæne Domini possunt secundum formam ecclesiæ Chrismata conficere ex balsamo quidem, & oleo oliuarum. Nam Spiritus sancti donum in chrismati vnctione confertur, & columba vtiq; quæ ipsum designat Spiritum, oliuæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius seruire voluerint, videlicet quod Patriarcha vnà cum Archiepiscopis & Episcopis eius Suffraganeis, & Archiepiscopi cū Suffraganeis suis simul Chrismata conficiant, in tali eorum consuetudine tolerantur. Nullis autem per Sacerdotes, vel Confessores pro satisfactione pœnitentiæ vnctio aliqua solummodo iniungatur. Infirmis verò iuxta verbum Iacobi Apostoli, vnctio exhibeat extrema. Porro in appositione aquæ, siue frigida, siue calida, vel tepida in altaris sacrificio suam, si velint, consuetudinem Græci sequantur, dummodo credant, & asserant, quod seruata Canonis forma, conficiatur pariter de vtraq; Sed, Eucharistiam in die Cæne Domini consecratam vsque ad annum, prætextu infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non referent, liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conseruare, ne per diuinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquam diuturnitate seu volubilitate temporis euaneſcat. In celebratione verò solemnium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in consecratione, vel consecratione formæ verborum à Domino expressam & traditam obseruent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur. Sacerdotes autem dicant horas Canonicas more suo, sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleuerint, non præsumant. Promouendi verò ad Sacerdotium & Presbyteri qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipue de horis Canonicis, & Missarum officij secundum distinctionem temporum exsequendū, sint sufficienter instructi, vt ad hæc non nisi digni & idonei admittantur. Ceterum vnusquisq; Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundi vestimentiis opertum, vel decentibus paramentis. Mulieres autem seruire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino. De ieiunio verò diei Sabbathi quadragesimali tempore, quamquam honestius & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, vt nec vnico die institutum ieiunium violarent, teneant & seruent pro libito morem suum. Sacerdotes quoque coniugati, & alij, quibus Parochiarum cura, vel Ecclesiarum Parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licitè ac liberè possint Parochianorum suorum confessiones audire, ipsiq; pœnitentiæ iniungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod est maius, competit nimirum, nec negari conuenit quod est minus: liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios indoneos coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, ac ceteris, quæ ad salutem pertinent animarum. Ipsiq; in his per eorum diocesces absque Sacerdotum ipsorum præiudicio, & grauamine committere vices suas,

18. cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem dioceses officium suum exsequi per seipso. De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios quam adulteros à regno Dei Apostolus afferat alienos.
19. Ad hæc volumus & expressè præcipimus, quod Episcopi Græci septem ordines, secundum morem Ecclesiæ Romanæ, de cetero conferant: cum hucusq; tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis Ordinibus tolerentur. Quia verò secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipso est lege soluta, ut nubendicui vult in Domino liberum habeat facultatem, secundas & tertias, ac vltiores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed potius illas approbent inter personas, quæ aliàs licitè ad inuicem matrimonio iungi possunt. Secundo tamen nubentes Presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem octauo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur, ne id præsumatur deinceps, firmiter prohibemus: districtè præcipientes, ut cum in vltioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari vltèrius non præsumant, statutum in hoc generalis Concilij obseruantes. Illos tamen, qui iam in gradu huiusmodi contraxerunt, dispensatiuè permittimus in sic contracto matrimonio remanere. Denique cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsentibus, quasdam vero in futuro posse seculo relaxari; & Apostolus dicat, quod vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem; & ipsi Græci verè ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta pœnitentiâ, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragijs Ecclesiæ adiuuari. Nos quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones & auctoritates sanctorum Patrum Purgatorium nominantes, volumus, quod de cetero apud istos isto nomine appelleretur, illo enim transitorio igne peccata vtiq; non tamen criminalia seu capitalia, quæ prius per pœnitentiâ non fuerint remissa, sed parua & minuta purgantur, quæ post mortem etiam grauant, si in vita non fuerint relaxata. Si quis autem absq; pœnitentiâ in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuè cruciatur. Animæ verò paruulorum post baptismi lauacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transfuunt sempiternam. Ordinationes denum, & instituta regularia sanctorum Patrum de virg, & statu Monachorum præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inuoluntariè obseruari. Fratrum

nitatem itaq; tuam hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati regni seriatim, & diligenter exponi facias, districtè ipsis iniungens, ut ea sollicitè attendere, studiosè tenere ac efficaciter procurent, & à suis faciant subditiis obseruari. Memoratis autem Archiepiscopo Nicostensi, & eius Suffraganeis Latinis firmiter auctoritate nostra præcipias, ut eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi provisionem, & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus nec molestant. Contradictores eadem auctoritate appellatione postposita comescendo, non obstantibus si præfatis Archiepiscopo et Suffraganeis, vel quibuscunque alijs à Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas, plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Datum Lateran. II. Nonas Martij anno XI.

CAPVT VII.

De communicatione Latinorum cum Græcis ex
Bulla Clementis PP. VIII.

Clemens viii. Pontifex Maximus, quo studio erga vniuersam Ecclesiam & præcipuè erga Græcos ferebatur, ne qua Deo in administrandis Sacramentis iniuria fieret, ipsi autem Græci salutem inde consequerentur, per breuem ad Latinos Episcopos, in quorū diocesisibus Græcorum viuentes degant, euulgari iussit, cuius summam affert Possëvinius Tom. I. Appar. Sac. in addit. verb. Græci.

Presbyteri Græci baptizatos Chrismate in fronte non consignent, & ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ sequuntur post illa verba: *ὁ μετὰ τὴν εὐχὴν*, &c. vsque ibi: *ἐλα ποιεῖ ἰερεὺς σὴν μα κόλλας*, hoc est, Et post orationem, &c. (ubi habetur forma huius consignationis) vsque ad verba: *postea facit sacerdos figuram circuli*, &c.

Episcopi Latini infantes seu alios baptizatos à Presbyteris Græcis de facto Chrismate in fronte consignatos confirmant, & tutius videtur ut cum cautela, & sub conditione id faciant (videlicet N. Si es confirmatus, ego te confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti) præsertim verò cum verisimiliter dubitari potest quod ab Episc. Græcis fuerint baptizati.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod pro infirmis asseruatur, singulis octo diebus, vel saltem quindecim renouetur. Non asseruatur idem Sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit, saltem in fine

DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC.

siue annuuntur.
Tollatur abusus mandandi vel censurandi sacro oleo, ac inueniendi, vel alias excommunicandi species sacramenti sacra Eucharistia, seu quinta Cæna Domini, ut deinde illud afferunt.

Si Græci velint accipere altaria pontanilla ab Episcopis Latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum altaria, siue altaria, super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Comportalia vni Latini habeant, nisi utriusque etiam pro corporalibus vitentur.

*Circa Sacra-
mentum E.
Eucharistia.*
In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholicis possunt Latinos absolueri. Vtatur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea si voluerint, dicant orationem illam deprecationem, quam pro sententia huiusmodi absolutionis dicere tenentur continerent.

Tollendus abusus vbi est, vt vir atque vxor simul & eodem tempore eidem Presbytero consecrentur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ vel primo die mensis benedicta conferretur in Ecclesia, vt illa fideles aspergantur.

*Circa aliam
partem
Catholicorum
venerunt &
presbyteros*
Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chistina, ab Episcopis Latinis diocesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur. Chistina autem, quod non nisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedicti potest, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Episcopis Græcis externis, schismaticis, seu sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo vti.

*Circa Sacra-
mentum or-
dinis.*
Ordinari ab Episcopis schismaticis, alias ritè ordinatis seruat debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

Proinde ipsi ordinati ab Episcopis schismaticis, correcti vel emendati, reconciliandi sunt, & absoluedi cum penitentis salutaribus, dummodo errores, vel saltem schismata ordinatoris abiurent in iudicio, vel publicè, vel secretè pro qualitate facti. In ordinibus, autem per eos alias ritè susceptis, ministrare nõ permittitur, nisi cù ipsis super irregularitate huiusmodi occasione cõtracta, auctoritate S. Sedis Apostolicæ fuerit dispensatũ.

Non sunt admittendi Episcopi schismatici, siue pro ordinibus siue pro alijs sacramentis conferendis, sed detinendi, quoad sancta sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

Græci siue litteris dimissorijs Episcopi Latini diocesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt, & si suspensi in suis ordinibus ministrauerint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

Super huiusmodi autem & similibus irregularitatibus dispensandi facultatem à sancta Sede Apostolica obtineri oportet,

Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in baptismo Chrismate in fronte facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet *N. si confirmatus, &c.* vt supra. Presbyteri vidui, seu vxoribus orbat, habitum ferant diuersum ab alijs.

Curent Ordinarij locorum, vt decretum sacri Generalis Concilij Tridentini de reformatione matrimonij vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, & Parochijs Græcorum, & Albanensium euulgetur & publicetur.

Matrimonia inter coniuges Græcos, dirimi seu diuortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si qua de facto procefferunt, nulla & irrita declarent.

Maritus Latinus vxoris Græcæ ritum non sequetur.

Latina vxor non sequatur ritum mariti Græci.

Græca verò vxor sequatur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu, Catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi præualuerit mater Latina.

Presbyter Græcus coniugatus ante sacrum sacrificiũ, seu sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam & per triduum abstineat ab vxore.

Circa alia dogmata Græcorum.

Græci credere tenentur, etiã à Filio Spiritum sanctum procedere, sed non tenentur pronuntiare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos: aut necessitas postulet cõfitemi fidem Catholicam, quia tunc oportet etiam pronuntiare.

Nunquam Monachis Græcis, seu Calogeris animatum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri saculares Græci, abiuratis schismate & erroribus, atque in fide Catholica benè instructi, in Parochialibus seu Curatis ecclesijs Græcorum institui possunt.

Tolerandus est apud Græcos vsus carniũ die sabbathi, vbi sine scandalo fieri potest: in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum.

Item tolerandus est, vt ad ieiunium eodem die sabbathi in Quadragesima, excepto vno sabbatho sancto, ex antiqua traditione nõ teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel alias à Dicecesanis, vel Iubileis à Summo Romano Pontifice indicatis, dies sabbathi in eis comprehensus, vel præscriptus, in alium diem pro plebibus Græcis, ab ipsis Dicecesanis, Apostolica auctoritate sanctissimi domini nostri Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. permittitur commutari.

Si ipsi Græci ad obseruationem ieiuniorum, & vigiliarum Latine ecclēsiæ induci possent, optimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria sexta ieiuent.

Græci existentes inter Latinos, dies festos de præcepto eiusdem ecclēsiæ Latine seruare tenentur.

Insuper idem sanctissimus Dominus noster constituit Romę habendū esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italię, & insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo Græco ordinariuolentes, cum illorum dimissorijs, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

Item mandauit, vt ad maiorem instructionem Dominorum Episcoporum Latinorum imprimatur, cum hac ipsa Decretales, seu literę quędam Apostolicę ad Græcorum ritus pertinentes: ac etiam professio orthodoxę fidei, à Græcis qui ad vnitatem sanctę Romanę ecclēsię veniūt, faciendā.

Ita sanctitas sua ex sententiā congregationis super reformatione Græcorum, decreuit, & declarauit, ac fieri mandauit Romę in Palatio Montis Quirinalis apud Sanctum Marcum, die 31. mensis Augusti. Anno Dom. 1595. Pontific. sui anno quarto.

C A P V T VIII.

In quibus præterea alijs casibus liceat Latinis communicare cum Græcis.

Constat ex suprascriptis, omnes Schismaticos astrictos esse maioris excommunicationis vinculo: hæc autem excommunicatio lata non erit contra Schismaticos aliquo iure antiquo, vt optimè obseruat Abbas in Rub. de Schismaticis, num. 2. Alij verò cõtendunt Schismaticis etiam olim fuisse iure communi excommunicatos, nam c. 1. & 2. de Schismaticis præcipiuntur vitari Schismatic. Ceterum quidquid sit hac de re, hodie omnes Schismatici constitutione Pontificia, quę in Cęna Domini promulgatur, sunt maioris excommunicationis pęnaligati.

Schismatici quando vitandi. Quare primum dubium est, An Schismaticus sit in vniuersum vitandus à nobis præsertim in diuinis, scilicet in Sacramentis recipiendis & alijs ministerijs diuinis exercendis?

Respondeo Schismaticos eo ipso quo excommunicati sunt, non esse nobis vitandos, quia ob cõstitutionem in Concilio Constantiensi à Martino V. editam vsu iam receptum est, duo tantum excommunicationum gener

genera esse vitanda, nempe nominatim excommunicatum, & notorium Clerici percussorem: quare cum Schismaticis, qui non sunt publicè & nominatim excommunicati, licet communicare, non secus ac si non essent excommunicati, tam in humanis quàm diuinis rebus, vt latius infra dicemus, cum de communicatione cum hæreticis agemus: quæ omnia procedunt etiam à fortiori in Schismaticis.

Ex quo inferitur, Catholicum posse interesse Missæ Sacrificijs quæ faciunt & offerunt Græci, Armeni, Rutheni, & alij Schismatici, & præceptum diuinum de audienda Missa adimplere prædictorum Missam audientem. Ita apertè colligitur ex dictis, & docet Azorius tom. 1. lib. 8. Instit. Moral. c. 11. Et ratio est, quia ritus etiam Græcani in re diuina, & sacrificijs faciendis sunt Catholici, à sanctis Patribus traditi, Basilio nempe, Chryostomo, & alijs, & proinde qui Græcanica sacra audiunt, suo officio, & Ecclēsiæ præcepto satisfaciunt. Nam Græci legitimo suo more & instituto sacris operantur, & Ecclēsiæ præceptum non est, vt rem diuinam audiamus hoc vel illo ritu, sed simpliciter, vt diebus Dominicis & festis rem sacram audiamus: & cum ex altera parte non teneamur vitare Schismaticos, nisi nominatim sint excommunicati, aut aliàs scandalum oriatur, fit, virum latinum posse interesse sacrificijs Græcorum & Schismaticorum.

Catholici Græcorum Missam audire possunt.

Sed maior difficultas est, An à Sacerdote vel Episcopo Schismatico possit quis Sacramenta recipere? Pro parte affirmatiua, facit Extrauagans Martini V. Ad euitanda, quod sine vilo discrimine excommunicatos non denunciatus docet non esse vitandos, ac si excommunicati non essent, idque plures auctores infra adducendi, vbi de hæreticorum communicatione agemus.

An Catholici à Græcis Sacramenta possint recipere.

Pro contraria verò parte facit, quod isti Schismatici, in quantum excommunicati nominatim, non sint vitandi, in quantum Schismatici sunt separati à communicatione, à iure Canonico, & priuati iurisdictione; vt cõstat ex c. 1. & 2. de Schismaticis, & c. Ordin. 9. q. 1. Secundo quia apertè Clemens Papa 8. in Bulla citata oppositā docet sententiam: Ordinati (inquit) ab Episcopis Schismaticis, alias ritè ordinatis, seruata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem; & insuper prohibentur in prædictis ordinibus ministrare, sine dispensatione sedis Apostolicę. Nec erit sufficiens solutio, si quis dicat loqui hic de ordinato, qui non sit subditus Episcopi: nam illa verba (alias ritè ordinatis) hoc etiam includunt. Et confirmatur, quia in eadem Bulla de sacramento penitentię dicitur, in casu necessitatis Presbyteros Græcos Catholicos, posse Latinos absoluer. Vbi per particulam illam (Catholici) Schismatici videntur excludi, etiam in casu necessitatis, quia eo ipso quo Schismatici sunt, carent iurisdictione

dictione ut infra latius dicemus de hæreticis. Quæ sunt notanda pro hac difficultate, quia quantum ad hoc, fere Schismatici & hæretici eadem est ratio: unde ex illo loco petenda est huius dubij solutio.

An Sacerdos
Græcus La-
tinorum ritum
celebrare
possit, &
contra.

Secundum dubium, An Sacerdos Græcus agens inter Latinos, teneatur se tam Latinorum ritui, quam propriæ consuetudini conformare, & è contra de Latino inter Græcos? Resp. Si loquamur de ritu tam in celebratione Missarum, quam in alijs diuinis officijs, Pius V. prohibuit, ne sacerdos Græcus Latino ritu, neque è contra Latino ritu Græco celebrarent: imò & Concilium Florentinum in literis vnionis simpliciter dicit, vnumquæque Sacerdotem debere conficere in fermentato vel azymo iuxta suæ Ecclesiæ consuetudinem. Hoc tamen existimo accipiendum de Sacerdotibus Latinis & Græcis, quando in eodem territorio sunt coniuncti, vel de Sacerdotibus Græcis per Latinam Ecclesiam peregrinantibus, vel de Latinis per Græciam iter facientibus. Si tamen domicilium habeant vel Latini inter Græcos, vel Græci inter Latinos, tunc meritò potest esse quæstio, an teneantur se conformare ritui Ecclesiæ illius, in qua habent domiciliū: quia qui habet domicilium in Ecclesia Græca, censetur iam Græcus, & è contra Græcus in Ecclesia Latina. Præterea in C. ille d. 12. dicitur teneri vnumquemque se conformare consuetudini Ecclesiæ, in qua actu existit. His rationibus motus Suarez 3. tom. disp. 44. sect. 3. tenet partem affirmatiuam: sed contraria sententia probabilior videtur. Nam Concil. Florentin. & Bulla Pij V. absolutè præcipit vnicuique Sacerdotum Græcorum & Latinorum, seruari propriæ Ecclesiæ ritum sine vlla limitatione, & ob id non tenetur se conformare, quantum ad ritum Ecclesiæ illius, in qua actu habitat, in alijs verò tenebitur consuetudines & præcepta Ecclesiæ obseruare.

Ex quibus primò collige, Sacerdotem Latinum degentem inter Armenos, Abissinos vel alios Schismaticos, quorum ritus in celebrando sit approbatus ab Ecclesia, posse se illorum ritui conformare, maximè quando habet domicilium: quia Concil. Florent. & Bulla Pij V. solum loquuntur de sacerdote Græco inter Latinos, & de Latino inter Græcos. Et ita non debent extendi ad alias nationes.

Secundò inferitur, sæculares domicilium habentes in Ecclesia Græca, vel alia Schismaticorum, quales sunt nunc Lusitani multi in interiori Æthiopia, posse se consuetudinibus accommodare, & debere, maximè si sit scandalum, nisi aliàs vellent ipsi in omnibus Latino more viuere, habeantque Ministros Ecclesiæ Latinæ: nam tunc certum est nullatenus teneri.

Pro his tamen & similibus dubijs degentes inter alios Schismaticos à Græcis (cum quibus iam ex praxi constat qualiter quis se gerere debeat) & sciant

& sciant quid ab ipsis præstandum sit, tam in ieiuniorum, quam dierum festiuorum obseruatione, quam in eorum ritibus approbandis vel reprobandis, oporteret ut sedem Apostolicam consulere.

CAPVT IX.

De pœnis Schismaticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione.

DE Schismaticorum pœnis, quas Deus iustissimè ab eis interdum sollet repetere, nõ est necesse in præsentī dicere. Extant in Scripturis aliquot eorum exempla: vt Num. 16. vbi Legimus Dathan, & Abiron propter illud peccatum fuisse absorptos à dehiscente terra. Et constat ex libris Reg. quantis cladibus affectæ fuerint vndecim tribus Israel, eò quod à domo Dauid discessionem fecerunt.

De alijs autem pœnis, quibus vel ipso facto, vel per sententiam iudicis, possunt affici schismatici, quædam sunt certa apud Doctores, & aliquid est controuersum. Primò certū est eos non ita puniri, vt vel amittant ipso facto, vel possint amittere spiritualem aliquam potestatem, consistentem in spiritali caractere baptismi, vel confirmationis, vel ordinis. Nā hæc indelebilis, vt docet hic art. 3. D. Tho. & confirmat Turrecremata lib. 4. Sum. part. 1. cap. 7. & Syluester verb. *schismatici*; & patet ex Urbano Papa Canon. Ordinationes 9. q. 1. qui ordinatos ab Episcopis schismaticis censeret verè fuisse Ordinatos. Et ex Aug. lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 5. Vbi ait: *Potest Sacramentum tradere separatim, sicut habere.*

Secundo certum est priuari tamen ipso facto schismaticos facultate vtendi rectè & legitime eiusmodi potestate characteris, seu priuari eiusmodi potestate, quoad eius essentiam, quo ad vsum, nimirum legitimum, ait D. Tho. art. 3. Non enim possunt schismatici rectè, & absque peccato vti eiusmodi potestate. Quo sensu asserit D. Thom. & Turrecrem. vbi supra, debere intelligi quædam Pattum, seu Pontificum testimonia, quibus indicari videtur amitti per schisma potestatem etiam Ordinis siue Consecrationis. Oportet enim id intelligi quoad vsum legitimum: vt quando Patres Concilij Lateranensis sub Innocentio tertio cap. 1. Extrauag. de Schismat. aiunt. *Ordinationes ab Ostauiano, & Guidone Hæresiarbis factas, irritas esse censemus.* Quod etiam dicit Urbanus in can. Ordinationes 9. q. 1. Debet enim intelligi quoad executionem earum legitimam, vt ibi etiam exponit Glos. addens, nisi cum eis fuerit dispensatum, vel nisi Ordinatus probare posset, nesciuisse se fuisse schismaticum eum Episcopum à

quo accepit Ordinem, aut habuisse legitimam dispensationem accipiendi Ordines à schismatico, vt ait Innocentius 3. in cap. Paternitate, extra de schismaticis.

Tertiò Certum est præter excommunicationem, quam supra schmaticos diximus incurrere, si ab ea non resipiscant, posse vltèrius puniri, nimirum per censuram depositionis vt patet ex Can. In nomine Domini 23. d. & notat vbi supra Turrecrem. Et si nec per depositionem emendentur, pennis etiam corporalibus, auxilio brachij secularis, vt fieri iubet Pelagius Pontifex in can. de Liguribus 23. q. 5. & docet D. Tho. hic art. 4. ad 3. Atq; etiam possunt priuari à Pontifice potestate & dignitate temporali.

Quartò Schismaticus præter pœnas prædictas, alias etiam incurrit: Et enim irregularis, ita vt etiam si Ecclesiæ per absolutionem & veram pœnitentiam fuerit reconciliatus, ad beneficia & ordines promoueri non potest, sine Pontificis dispensatione, vt colligi videtur ex c. Qua diligentia de elusione, vbi Hostiensis, Abbas, & Ioannes Andreas idè censent. Hæc verò irregularitatem non contrahi à schismatico occulto, sed tantum manifesto quidam affirmant. Alij verò in cōtrarium docent etiã ab occulto contrahi. Sed probabilior videtur prima sententia, vt optimè ostendit Greg. de Valentia, 2. 2. disp. 3. q. 15. puncto 3.

Sed petes, an schismatici Presbyteri & Episcopi careant ordinis potestate, an tantum Iurisdictione. Respondet S. Tho. 2. 2. q. 39. art. 3. Schmaticos iurisdictione carere: *Non possunt (inquit) absoluerè nec excommunicare, nec indulgentias concedere.* Sic ille, & ita nequeunt eadem ratione eligere, beneficia conferre, leges siue constitutiones dare, vel ponere. Vnde si quos absoluant vel eligant, absolutio seu electio rata non est, & proinde iteranda: habere tamen ait S. Tho. potestatem sacram ordinis: quare Episcopus schismaticus verè conficit & consecrat Eucharistiam, verè confirmat, verè ordinat, cum aliquos ad Ecclesiasticos ordines eligit ac promouet; ab eo; verè ordinis characterem recipiunt, non tamen ordinis vsus & functionem; quoniam sunt ipso iure suspensi, si scienter à schismatico Episcopo ordinentur. Pari aut simili ratione, si Episcopus schismaticus altaria, vasa, aut templa consecrat, ratum est quod facit, quia hæc sunt Ordinis non iurisdictionis, quamuis Episcopo ex Ecclesiæ auctoritate conueniant.

Si quæras vtrum hæc pœna qua schismatici iurisdictione priuantur locum habeat generatim in omnibus schismaticis. Quidam aiunt hanc Schmaticorum pœnam, qua iurisdictione priuantur, locum habuisse ante Concilium Constantiense, in omnibus manifestis & notorijs schismaticis, non occultis: modò verò post illud, solum locum habere in ijs, qui sunt expressim & nominatim denunciati, aut manifesti percussores Clericorum

eum. Alijs probabilius videtur, vniuersè schmaticos, quatenus tales sunt, iurisdictione Ecclesiastica priuatos esse, eò quòd sunt extra Ecclesiã, quia ipsi se ab Ecclesia diuiserunt.

Respondeo, Si schismaticus sit toleratus, & communi errore populi habitus pro legitimo, non dubium, quin omnes actus iurisd. alias requirètes, sint validi, vt infra dicemus etiam de hæreticis. Si vero Presbyter vel Episcopus sit manifestus schismaticus, tunc aliqui dicunt, non valere gesta per ipsum, illa inquam quæ requirunt Iurisd. Alijs vero placet, valere omnia in casu, quo schismaticus non sit nominatim excommunicatus, vel manifestus Clerici percussor, sed verior & securior i. sententia.

Sed quæres, quam iuris pœnam incurrat, qui ad ordines vel alia Ecclesiastica beneficia à schismaticis promouetur? Respondetur, Si sciens esse schismaticum, & excommunicatum, sponte suscepit ab eo sacramentum ordinis, manet irregularis & suspensus ab executione illius ordinis quem suscepit, & indiget dispensatione sedis Apostolicæ: si vero beneficia Ecclesiastica, priuatur illis: ita colligitur ex c. 1. de schismaticis, & ex Bulla Clem. 8. supra adducta. Si tamen cum ignorantia quis fuerit ordinatus, dispensat Episcopus in irregularitate: ita post Nauar. docet Greg. de Valentia 2. 2. in 3. p. disp. 7. q. 19. de irregular. puncto 3.

Vltimò dubitatur, An ab excommunicatione, & alijs pœnis liberi sint schismatici, qui ignorantia inuincibili schismati Græcorum inhererent? Breuiter dicam, certum esse pœnas prædictas non incurrere, nec in interiori, neque exteriori foro: vt clarius patebit ex his, quæ infra dicemus, tractantes de Hæreticorum pœnis.

Qua verò ratione schismatici sint absoluendi, & reconciliandi cum Ecclesia, dicemus infra, cum de absolutione hæreticorum dixerimus, tum quia schismatici maiori ex parte hæretici sunt, tum etiam quia etsi schismatici tantum inueniatur, eorum absolutio reseruata est etiam sedi Apostolicæ, vt patet ex Bulla cenzæ Domini.

Illud tamen est considerandum, quòd quamuis schmaticorum absolutio sit reseruata, sicut & Hæreticorum, in eorum tamen absolutione nõ sunt tot tantæque circumstantiæ obseruandæ, sicut in absolutione hæreticorum. Oportebit tamen primò, vt antequàm absolutionis beneficium accipiant, publicè vel priuatè fidei professionem iuxta sequentem formulam à sede Apostolica exhibitam, faciant.

CAPVT X.

Professio orthodoxæ fidei à Græcis facienda, Gregorij XIII. Pont. Max. iussu edita.

EGO N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vitur, videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem cali & terre, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vno Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de calis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in calum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in spiritum sanctum Dominum, & viuificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et vniam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen.

Credo etiam, profiteor, atque suscipio ea omnia quæ Sacra Oecumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis & Orientalis Ecclesie definiuit, & declarauit: videlicet quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio aternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio; & ex vtroque aternaliter, tanquam ab vnico principio & vnica spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat; vt per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam, secundum Latinos vero, principium subsistentiæ Spiritus Sancti sicut & Patrem. Cumque omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dederit, præter esse Patrem; hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre aternaliter habet, à quo aternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum, Filioque explicationem, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.

Item in azymo siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesie, siue Occidentalis siue Orientalis consuetudinem.

Item si verè penitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis penitentia fructibus de commissis satisfecerint, & omisissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem

mortem purgari: & vt à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes & elemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesie instituta. Illorumque animas qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in calum mox recipi & intueri clare ipsum Deum trinum & vnum sicuti est, meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

Item sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primum: & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem ac doctorem existere; & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo, plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Insuper profiteor ac recipio alia omnia, quæ ex Decretis sacra Oecumenica Generalis Synodi Tridentinæ Sacrosanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesie, etiam vltra contenta in suprascripto fidei Symbolo, profitenda ac recipienda proposuit, atque præscripsit, vt sequitur.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdè Ecclesie obseruationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector.

Item sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de verò sensu, & interpretatione sacrarum scriptureurarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptisma, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesie Catholice ritus in suprascriptorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio & admitto.

Omnia & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosanctæ Tridentinæ Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum & proprium & propitiatorium Sacrificium pro viuis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistia Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fierique, conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, &

otius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, veramque Sacramentum sumi.

Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suorum inuari, Similiter & sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo, in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco, Romanorum Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cetera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio & anathematiza.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in presenti spõte profiteor, & veraciter teneo, eadem integram, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissime Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Ego idem. N. spondeo, voveo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Evangelia.

DE

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OMNIUM GENTIVM

LIBRI VI. PARS III.

*De Ruthenorum Religione, & vnione cum
Sede Apostolica.*

CAPVT I.

De Ruthenis tempore Clem. Papæ VIII. ad Sedis
Apostolicæ communionem admissis, &
de forma qua fuere recepti.

Ruthenorum populi (quos antiquo vocabulo Ruffos appellant scriptores) ad vnionem Apostolicæ sedis recepti fuerunt à Clem. VIII. Pontifice Maximo: vt latius Cardinalis Baronius ad calcem 7. Tomi Annalium præcipua appendice adiecit. Eius etiã vnionis meminit Anto. Posseuinus in Apparatu sacro, verbo *Rutheni*. At quoniam ille decretum dütaxat deliberationis Archiepiscopi & Episcoporum Ruthenorum in sua Synodo facta de suscipiendâ communionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & eorundem ad summum Pontificem literas, hic verò tantum alias Synodi circumstantias enumerant; nos aliquid plenius huc inferemus. Quare primo de synodo à Ruthenis celebrata & Decreto in ea edito: secundo de litteris ad summum Pontificem, ac de Articulis siue conditionibus à Ruthenis propositis. 3. de communionem ipsa à sede Apostolica concessa dicemus.

Primò igitur, anno Domini 1594. die 2. mensis Decembris, Brestensis Synodus Bra- Synodus celebrata est Brestæ, quæ ciuitas est sita in magno Ducatu Li- stensis. tuaniæ, qui ad regnum Poloniæ pertinet. Ea indicta est iussu Clementis VIII. Pont. Max. felicitis recordationis, cui quæ decernenda erant, proposita fuerant ab Episcopis, qui illuc conuenire debebant.

Tria fuerunt de quibus hæc synodus fuit coacta. Primum ut Rutheni Episcopi conuenientes in unum cum Latinis Episcopis legitime id facerent, quando quidem sciebant illegitima esse Concilia, quæ sine Vicarij Christi auctoritate indicerentur, aut haberentur: ea verò, de quibus erat agendum, ad sanctæ Catholicæ fidei professionem edendam spectarent, reiecto omni schismate, ac nouis hæresibus, quæ passim succreuerant, dum ab Ecclesiæ vnitae secesserant.

Secundum ut decernerentur legati Ruthenorum, qui nomine omnium ad Pont. Max. ad Urbem proficiscerentur, ipsi, ac successoribus eius omnem delaturi obedientiam, tanquam supremo omnium in Ecclesia Pastori.

Tertium ut ab eodem Pont. Max. absolutionem à schismate cõsequerentur. Neque postea communionem cum Patriarcha Constantinopolitano haberent, donec ille quemadmodum antiqui olim Episcopi Constantinopolitani, S. Ioannes Chrysostronus & alij Orthodoxi atque Catholici faciebant, Primatum Apostolicæ sedis, qualis à Christo Domino fuit institutus, agnoscerent, ac profiterentur.

Accessit auctoritas nomine Pont. Max. à Stanislao Karacouio Gnesnensi Archiepiscopo, Primati totius Regni, & legato nato collata.

Interfuere nomine eiusdem summi Pontificis & aliorum Latinorum Episcoporum, Demetrius Solicouius Archiepiscopus Leopoliensis, Bernardus Macieouius tunc Luceoriensis, nunc Archiepiscopus Gnesnensis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Stanislaus Gomoslincius Episcopus Chelmensis. Pro Ruthenis autem Metropolitanus Kiouiensis, & Haliciensis, totiusque Russiæ Michael Rabiosa; Hypatius Primas Vlodimiriensis & Brestensis, Cyrillus Terlecius Exarcha Luceoriensis, & Ostrouiensis, Hermogenes Archiepiscopus Polocensis & Vitepcensis, Ioannes Hohol Pincensis, Turonienis, Dionysius Sbieuouius, & Belcensis Vladicæ, siue Episcopi ritus Græci. Præterea plures Latini sacerdotes, & Rutheni qui dicuntur Poppi, sed qui extra Episcoporum ordinem starent.

Affuere pro serenissimo Rege Poloniæ Sigismundo huius nominis Tertio, Legati Nicolaus Radiuilius Dux in Olica, & Nießuuij, Palatinus Trocensis, Leo Sapihea Lituaniæ Cæcellarius, Demetrius Halecius eiusdem magni Ducatus Lituaniæ Thesaurarius idemque Capitaneus (ut vocant) Brestensis. ut Regiæ Maiestatis auctoritate curarent, ne qua vis, & tumultus ab Hæreticis & alijs factionis hominibus synodo intentaretur, sed sua synodo, & ecclesiasticis libertas integra constaret, in dicendo, ac in decernendo. Porro nobilitas frequens Catholica cum eiusdem legatis Regijs haud defuit.

Atque fatanas omnis pacis, & vnitatis acerrimus osor, incitauerat Artanorum & aliorum hæreticorum animos, ut tantæ rei obsisterent. Quæ obrem

obrem contra mandatum Regium, nullaque fulta auctoritate, plurimi conuenere armati, qui Palatino Kiouienfi hæretico adhibebant, & quo cõscio, abnuente, pertractis etiam in suas partes duobus schismaticis Vladicis Luceoriensibus, & Premisliensibus, & aliquibus Poppis, conuenticula habebant; ut legitimam synodum inturbarent, ac scinderent: quod tamē efficere nequiuerunt. Grauisissima enim Legati Regij ad eos oratione, non tam persuasi, quam absterriti, licet in sua peruicacia obfirmati hæretici, quæ à Rege petierant, obtinere non potuerant, perstiterunt tamen in necēdis dolis falsisque calumnijs obijciendis, quibus Synodia auctoritatem statutamque vniõnem eleuarent.

At ea quæ à Regia Maiestate ante aliquod hebdomadas patierant Palatinus Kiouiensis & nobilitas Voliniensis, per Matthiam Malinum & Laurentium Britinium nobiles ad Regem allegatos, hæc fuerant. Inprimis, ut nemo armatus, neque cum militari manu ad eam synodum veniret, paxque & securitas ob libertatem mutuorum colloquiorum integra foret.

Deinde ut cuius eò accedere liberum esset, quauis à Græcæ, & Romanæ Religionis hominibus essent in fide alieni.

Præterea ut synodo interesse posset Nicephorus Græcus qui cum Stephano Palatino in Moldauia captus, ex carcere Arcis Chocimienum aufererat. Denique ut nisi in synodo conuenirent, possent cum ea controuersia ad generalia Comitata Regni confugere. Sed ad hæc postulata in scripto quod sigillis Regij authenticè munitum, legati Regij ostenderunt, eiusmodi datum est Responsum.

Primum postulatum non modo concedit Rex, verum etiam ita fieri omnino mandat, ideoque legatos suos ad synodum mittit, ut omnia pacificè & cum magna Ecclesiasticorum libertate synodus possit absolui.

Alterum vero de hæreticis ad synodum admittendis, eius Maiestas recusauit, quando quidem synodus indicta erat ad Ruthenos Græcosque cum Catholicis vniendos, ut in publicis Regijs literis habetur.

Tertium item postulatum nullo modo Regia Maiestas cõcedere voluit, designans quis, & qualis esset iste Nicephorus, quippe qui Stephanum Palatinum adduxisset in Moldauiam, secretoque cum Turcis tractatus habuisset in Regni totius ac Reipublicæ detrimentum: proinde nemini fas esse cum homine adeo suspectæ fidei quidquam agere.

Quartum denique postulatum eadem ratione detrectauit, inquiens aliud esse synodum Ecclesiasticorum, aliud Regni Comitata, in quibus Ecclesiastica negotia neque iudicium vllum nec locum habent, nisi quatenus libertati Ecclesiasticæ patrociniū omne procuretur & detur.

Ilacum Legati Regij obiecerunt, ac Hæreticos & Schismaticos acriter reprehenderunt, quædismodum impedire facerent, convenientia verbis sine illa Regia auctoritate cogarent, & sub specie impie confederationis ad illibitum dicerent, de Patriarchatu Constantinopolitano, qui si monitum à Turcis emiserunt, pluribus argumentis indicantur malitiam, quam sedes illa habet, ut vnus alterum in aione pecunia perfoluta de sede deticiat: vnde nonnunquam coniungat duos, sine tres simul esse Patriarchas spontaneaque illam tres inuicem simul habere manitos, hocque adulteram cum adulteris manere.

Sacerdotes autem & Monachos, atque Iuuenenos passim Christi Domini fide abiurata Turcicam sectam amplecti, atque per exeras regiones vagantes Christianos, eorūq; consilia per summa periclitam prodere huc item ad Russie partes passim venire cum fide à Patriarcha licentis, falsis que sigillis appressis.

Denique ut alia inter omnia in præfatis Comitibus, quid fuerit circa illa tria, quæ fuerunt proposita, sanctum sequenti scriptura significarent.

Decretum deliberationis & conclusionis Reuerendissimorum Dominorum Archiepiscopi, & Episcoporum Ruthenorum de recipienda & suscipienda Communione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, factum die secunda Mensis Decembris Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto.

In nomine sanctæ & vniuersalis & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Nos infra nominate persone, qui huic scripto nostro subscripsimus, notum facimus, quod introspectentes diligenter vocationem & officium nostram, quod est huiusmodi ut nosmetipsos, & hominum Christianorum gregem omnium Christi nobis à Christo commissum, ad concordiam & unionem promoueremus, prout nos saluator noster Christus Iesus edocuit, eamq; doctrinam sanguine suo obsignauit: ac potissimum in infelicissimis temporibus nostris, quibus multa ac varia hæreses inter homines grassantur, ab quas plurimi recedentes à vera & Orthodoxa fide Christiana, legem nostram deserunt, & ab Ecclesia Dei, veròq; in Trinitate illius cultu se ipsos separant.

Quod

Quod non alia de causa accidit, quam ob disensionem nostram cum Dominis Romanis, cum quibus cum simus vnus Dei homines, & tanquam vnus Matris Sanctæ Ecclesiæ Catholice filij, ab ijs diuisi sumus, vnde mutuo auxilio praefidioq; inuicem nobis prodesse nequimus. Et quamuis assiduè Deum pro vnione in fide orationibus nostris precemur, nihilominus quoniam pacto hæc vnio inter nos stabilietur aliquando, numquam nobis serid cura fuit, spectando semper superiores nostros, & expectando si de hac ipsa vnione inciperent esse solliciti.

Verum cum nostra spes hac in re, vt hoc eorum cura & studio perfici possit, indies minuatur, non ob aliam rem quam quod isti seruitute Pagavorum oppressi, etiam si fortasse vellent, non possunt: igitur ex inspiratione Spiritus sancti, cuius hæc sunt opera, & non hominum, considerantes cum ingenti dolore nostro, quanta impedimenta homines habeant ad salutem, absq; hac vnione Ecclesiarum Dei, in qua incipiendo à Christo saluatore nostro, & à sanctis illius Apostolis prædecessores nostri persisterunt, ac vnum summum Pastorem primumq; Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris (prout ea de re Concilia & Canones manifestos habemus) & non quempiam alium præter sanctissimum Papam Romanum profitebantur, illiq; parebant in omnibus: ac quamdiu id vniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesia Dei ordo, cultusq; diuini incrementum fuit: inde consecutum est vt difficillimum foret hæreticis sua disseminare praua dogmata. Postquam autem multi superiores esse coperunt, eam sibi auctoritatem potestatemq; arrogantes: nunc clare cernimus ad quantas discordias & schismata ob pluralitatem superiorum Ecclesia Dei deuenit: ex quo fit vt hæretici tantas sustinent vires.

Itaque nolentes vt conscientie nostræ tanto pondere aggrauarentur, si animarum salus multarum ob eas in Religione discordias diutius periclitaretur (licet hac ipsa de re nos prædecessoresq; nostri meditati fuerint idq; tentauerint) videntes institutum Concilium intermissum esse, proposuimus auxiliante Deo, mutuo ipso vinculo nos ipsos ad prosequendum hoc negotium excitare & confirmare, vt quemadmodum antea, eodem labio, & eodem corde possemus laudare & glorificare venerandum & magnificum nomen Patris & Filij & Spiritus sancti cum fratribus nostris charissimis Dominis Romanis, permanentes sub eodem Pastore visibilis Ecclesiæ Dei, cui hæc præeminetia semper debeatur.

Quocirca id nobis mutuo promittentes coram Deo, quantum in nobis fuerit, corde sincero & candido, ac diligentia in huiusmodi negotio necessaria ac debita nos omnem duros operam spondemus in communi, & quilibet per se, adhibitis medijs convenientibus, vt fratribus nostris Ecclesiasticis, communiq; plebi ad ineundam vnionem & concordiam simus auctores, idq; diuina adiuuante gratia perficiamus.

Vt autem maius incitamentum ad finiendum habeamus, quoq; maior à nobis cura & sollicitudo impendatur: scriptum præsens conficimus, quo sinceram promptamq; voluntatem nostram, ad amplectendam cum Ecclesia Romana vnionem & consensum testamur. Et Deus omnipotens largitor omnium bonorum auctoreq;, ad concordiam sit

dux, & protector tam sancti negotij huius, cui uti corda nostra, ita & eam voluntate presenti scripto testantes manu propria subscribimus: saluis tamen & in integrum obseruatis ceremonijs, & ritibus cultus diuini peragendi, & sanctorum Sacramentorum, iuxta consuetudinem Ecclesie Orientalis, correctis tantummodo ijs articulis qui ipsam vniionem impedirent, vt more antiquo fierent omnia, sicut olim vniione durante fuerunt. Datum anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto die secunda Decembris.

Locus sigillorum.

Deinde sequuntur subscriptiones videlicet.

Michael Metropolitæ Kiouiensis Haliciensis & totius Rusiæ, manu propria
Ippation Dei gratia Protothronius Episcopus Vuloamiriensis, Brestensisq; manu propria.

Cyrillus Terlezki Exarcha Metropolitæ Kiouiensis, Episcopus Luceoriensis, Ostrosiensisq; manu propria.

Gregorius nominatus Archiepiscopus Vladika Polocensis, Vitelscensisq; manu propria.

Dionysius Zbiruiski Episcopus Chelmenfis, Beliensisq; manu propria.

Leontius Pelezizki Episcopus Pinscensis Turouiensisq; manu propria.

Jonas Hohol Archimandrita Kobrinensis Ecclesie S. Saluatoris manu propria.

Idem Ionas nominatus Episcopus Pinscensis Turouiensisque, manu propria hanc concordiam fratrum meorum subscripsi.

Cum hæc statuisent in sequentem annum vbi primum per temporis oportunitatem licuit, honorificam ad Romanum Pontificem decernunt legationem, duobus ad id muneris obeundum electis Legatis Episcopis, quibus ad eundem eiusmodi literas dederunt.

Literæ Dominorum Archiepiscopi Kiouiensis, & aliorum Episcoporum Ruthenorum ad S. D. N. Clementem Papam VIII. super eorum vniione cum Sancta Ecclesia Romana, datæ die 12. Iunij Anno Domini M. D. XCV.

Latine versæ.

Sanctissime Pater Domine & Pastor supreme Ecclesie Christi D. Clementissimo Reperentes memoria consensum in omnibus atq; vniionem Orientalis & Occidentalis

talis Ecclesie, quam maiores nostri sub obedientia & regimine sanctæ sedis Apostolica Romana coluerunt: ex altera vero perpentes animis dissensiones & schismata quæ hodie inualuerunt: non potuimus propterea non maximo dolore affici, deprecabamurque assidue Dominum, vt nos aliquando in vnitatem fidei aggregaret; expectantes si forte superiores & Pastores nostri Orientalis Ecclesie, sub quorum obedientia hucusque fuimus, de ineunda vnitatem & concordia quam in liturgijs quotidie à Deo efflagitant, cogitare serio atque diligenter in eam rem & curam incumbere vellent. Sed cum videremus frustra tale quidpiam sperari ab illis, non tam malevolentia & temeritate fortasse eorum, quam quod sub grauissimo seruitutis iugo crudelissimi Tyranni, & à Religione Christiani alieni gemant, tentare id quod maxime vellent, nullo modo possunt: nos nihilominus, qui in his partibus sub dominio serenissimi Polonia & Sueciæ Regis & Magni Ducis Lituaniæ constituti sumus, libereque nobis esse propterea licet, attendentes officium nostrum, neque nobis ipsis & ouibus gregis Christi, quarum cura ad nos spectat, obesse, conscientiasque hac in parte nostras, tot animarum interitu, quæ antea inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam viget, inq; Florentina Synodo ab antecessoribus nostris constituta est, accedere decreuimus: vt vinculo huius vniionis adstricti, sub obedientia atque regimine Sanctitatis vestre, vno ore, & corde glorificemus & laudemus omnes diuinissimum & sanctissimum nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Ac proinde scientes volentesq; Domino nostro Sigismundo tertio Dei gratia Poloniæ & Sueciæ Rege, Magnoque Duce Lituaniæ, cuius etiam singulare ac sapientissimum studium in hac re enituit: mittimus ad sanctitatem vestram charissimos fratres nostros Reuerendos in Christo Hypatium Pociæ Protothroniam atque Episcopum Vuloamiriensem, Brestensemque, & Cyrillum Terlezki Exarcham atque Episcopum Luceoriensem, Ostrosiensensemque: quibus mandauimus, vt sanctitatem vestram adeant, ac (si quidem sanctitas vestra administrationem Sacramentorum, ritusq; & ceremonias Orientalis Ecclesie integrè, inuisolabiter, atque eo modo quo tempore vniionis illis vtebamur, nobis conseruare confirmareque pro se & successoribus suis nihil in hac parte innouari vquam dignetur) suo & omnium nostrum, Archiepiscopi & Episcoporum, totiusque Ecclesiastici nostri status, & ouium commissarum nobis Diuinitus nomine, sedi sancti Petri, & sanctitati vestre, vt summo Pastori Ecclesie Christi, debitam obedientiam deferant.

Quæ omnia petita à nobis si obtinuerimus, sanctitati vestre cum omnibus successoribus suis, nos & successores nostri dicto audientes, subque regimine sanctitatis vestre semper esse volumus. In quorum maiorem fidem literas præsentibus manibus nostris subscripsimus atque munimus sigillis. Datum ex Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lituaniæ die xii. Iunij, Anno Dñi M. D. XCV. iuxta Kalèdarii vetus Sanctitatis vestre.

Humillimi apud Deum oratores & serui.

Subscriptiones cum sigillis.

Qui igitur missi sunt Episcopi Legati, postquam Romam peruenere, honorifice excepti à summo Pontifice legationem publice exposuerunt. Inter alia verò ante fidei professionem ab ipsis suæ gentis nomine emittendam sequentes articulos pro vnione perficienda proposuerunt: quos prius Apostolico Nuntio Russiæ obiecerunt.

Articuli siue conditiones quas nos Adamus Wlachiniensis & Cyrillus Luccoriensis Wladicæ, nostro ac confratrum nostrorum nomine à Catholica Romana Ecclesia, priusquam ad ipsius Vnionem accedamus, requirimus.

Cum inter Romanæ & Græcæ religionis atq; Fidei homines de processu Spiritus sancti contentio sit, quæ vnionem & contentionem plurimum impediatur, & non aliam penè ob causam, quàm quod mutuo inter se intelligi nolimus. Postulamus itaque ne ad aliam confessionem stringamur sed sequamur, quam in Euangelij & Doctorum Sanctorum religionis Græcæ scriptis traditam habemus: nimirum Spiritum sanctum non ex duobus principijs nec duplici processu, sed ex vno principio veluti ex fonte, ex Patre per Filium procedere secundum illud prout in Concilio Florentino Patres religionis Græcæ suffragijs suis comprobarunt & attestati sunt in hæc verba.

Occidentalium & orientalium sanctorum Scripta diligenter auscultauimus, quorum alia Spiritum Sanctum ex Patre Filioque; alia verò ex Patre per Filium procedere testantur. Quæ quidem omnia tamen si significent idem, Nos tamen illud ex Filio postponentes Spiritum Sanctum ex Patre per Filium ab æterno substantialiterque, vt ab vnico principio vel ab vnica causa procedere profiteamur: quandoquidem præpositio Per, in Spiritu Sancti processione causam significat.

Cultus diuinus omnesque orationes matutinæ, Vesperæ & nocturnæ vt nobis integræ consentiant secundum morem & consuetudinem receptam Orientalis Ecclesiæ, nominatim verò liturgiæ tres, Basilij, Chrysostomi, Epiphaniij, quod fit tempore Quadragesimali cum præsanctificatis donis. Similiter & alia omnes ceremoniæ Ecclesiæ nostræ, quibus hucusque vsi sumus: siquidem & Romæ sub obedientia summi Pontificis idem observatur.

Sacramenta Sanctissimi Corporis & sanguinis Domini Nostri Iesu Christi vt nobis ita, quemadmodum hucusque vsi fuimus, sub vtraque specie

specie panis & vini, temporibus perpetuis integre inuiolabiliterque conferentur.

Sacramentum Baptismi & forma ipsius vt nobis integre, prout in hunc vsque diem durat sine omni additamento consistet.

De Purgatorio nullam litem mouemus, sed volumus doceri ab Ecclesia sancta Romana.

Calendariū nouū, si secundum morem antiquum fieri possit, suscipiemus; verum ea conditione vt festa paschæ & aliorum Sanctorum ritus nostri, quemadmodum durante concordia fuerunt, integra ac inuiolata nobis consentiant & maneant: habemus enim nonnulla festa peculiaria quibus Romana Ecclesia caret, vt potè pro die sexta Ianuarij, qua anniuersaria celebritate representamus Baptismum Iesu Christi ad primam reuelationem Dei in Trinitate vnus, quod nostri vulgo Thohozia vulznie, ac si dicas diuina reuelatio, vocant: ad cuius diei aduentum solemnes ceremonias habemus circa benedictionem aquæ.

Ad processionem pro festo Corporis Christi faciendam ne adigamur: hoc est ne simili ratione processionis cum Sacramento faciendæ nobis necessitas imponatur, quandoquidem apud nos alius est modus & vsus Sacramentorum.

Tum & ante festum Paschæ, ad consecrationem ignis, ac etiam pulsationem asseribus compactis loco Campanæ, & alias ceremonia quibus hucusque caruimus, ne compellamur: quin potius secundum ritum & consuetudinem Ecclesiæ nostræ integræ conferentur.

Matrimonia sacerdotalia vt integra consentiant exceptis bigamis.

Propter litteras confirmationis Romam vt Episcopi ritus Græci non mittant, sed cum aliquem sacra Regia Maiestas in Episcopatum nominauerit, Metropolita siue Archiepiscopus more antiquo vnumquemque eiusmodi consecrare debet. Nihilominus tamen ipsemet Metropolita qui huic ipsi officio Metropolitanæ successurus, propter litteras confirmationis ad Pontificem maximum mittere debet, quemadmodum allatis confirmationis Roma litteris, Episcopi ritus Græci duo aut ad summum tres suo iure consecrent & benedicant: Si verò aliquis Episcopum in Metropolitanam succedere contigerit, is propter Sacra litteras mittere non debet quadoquidem iam habeat litteras sacræ per dignitatem Episcopalem, saltem obedientiam summo Pontifici coram Reuerendissimo Archiepiscopo Gnesnensi, non tanquam coram Archiepiscopo, sed tanquam coram Regni Primare præstare potest.

Et vt maior penes nos esset auctoritas, & ouibus nostris maiori venerationi & obseruantie essemus, contendimus à summo Pontifice, velit benignè ad sacræ Regiæ Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum

& Ordines regni, tam spirituales quàm seculares intercedere, vt in ordine senatorio locum habere possimus, idque ob multas iustasque causas: siquidem æqualem dignitatem & officium cum ritus Romanæ Ecclesie Episcopis gerimus. Eam potissimum ob causam, cum aliquis nostrum super dignitatem senatoriam iuramentum præstiterit, proculdubio & super obedientiam summo Pontifici iuramentum præstare potest, nè etiam dissidium tale fiat, quale post obitum Isidori cuiusdam Metropolitæ Kiouiensis quondam factum fuit. Idque eam ob causam cum Episcopi ritus Græci nulla iuris iurandi religione tenerentur, atque locorum intervallo disuncti facile ab vnione in Synodo Florentina facta defecerunt; sed cum Iuramento Senatorio obligatus fuerit, difficile, vt quispiam de dissidio & dissensione quidquam moliri audeat.

Litteræ ad Comitata regni generalia & particulares Conuentus vt ad nos mittantur.

Ad cerimonias & religionem Romanæ Ecclesie profitendam nemo adigatur & stringatur: siquidem omnes vnum erimus sub obedientia vnus Pastoris Ecclesie Dei.

Matrimonia inter Romanæ & Græcæ religionis homines libera sint, nec personæ matrimonio iuncte inuicem ad capeffendam religionem sese compellant.

Archimandritæ Humiani Monachi vulgo Chernoiij & Cœnobria illorū vt secundū morem & consuetudinem antiquam sub obedientia & potestate Episcoporum in cuiuslibet Diœcesi sint.

Pulsationes Campanis in Templis nostris pro die veneris S. prohibeantur & vetentur.

Cū sacratissimo Sacramēto ægrotos secundū morem & consuetudinem nostram vt liberum sit nobis publicè visitare, tum & cum processionibus diebus festis atque solemnibus sine omni impedimento progredi.

Monasteria & Tempa nostra quæ ad hanc præsentem vnionem in nostro ritu & religione perseverarunt, ne ad templa religionis Romanæ conuertantur.

Si quis etiam pro perpetrato aliquo facinore ab Episcopis suis fuerit excommunicatus, is ne ad Romanæ Ecclesie religionem suscipiatur, imo vt excommunicetur: eodem modo nos etiam contra eos qui ab Ecclesia Romana excommunicati fuerint, processuros, & facturos pollicemur.

Quod si ita Deo fauente aliquando reliqua etiam pars hominum Orientalis Ecclesie ritus Græci ad eam vnionem cum occidentali Ecclesia accederet; ac subsequenti tēpore communi consensu totius Vniuersalis Ecclesie aliquid, quod ad Ordinem vel reformationem eiusdem Ecclesie Græcæ attineret, sanciretur & constitueretur, in eo, vt communis esset omnium

omnium participatio, tamquàm vnus religionis ouicularum sub vno Pastore existentium.

Articuli siue conditiones quas à Sacra Regia Maiestate confirmari petimus.

Metropolitaram & Episcoporum reliquamque Spiritualium dignitatum ritus nostri Græci ne alterius nationis vel religionis, præterquam Ruthenicæ, hominibus conferantur: quoniam verò Canonibus nostris id cautum habeamus, vt tam Metropolitæ quàm Episcopi aliisque eiusmodi officiales prius a spiritualibus quàm à secularibus ordinibus eligantur; Petimus itaque à Sacra Regia Maiestate, vt libera penes nos maneat eligendi potestas, salua tamen Sacræ Regiæ Maiestatis pro libite cuius ex electis conferendi auctoritate, post obitum enim alicuius ex supradictis officialibus quatuor nobis eligendos petimus: ex quibus vni qui idoneus ad officium illud obeundum videbitur, Sacra Regia Maiestas conferet: ac vel peculiari adiecta conditione vt obedientiam summo Pontifici præstare teneatur, sitque adstrictus. Quod si verò alicui eiusmodi dignitas conferretur, is infra vnum mensū decursum ordines suscipere tenebitur, priuatione eiusdem beneficii, vt legibus à Serenissimo olimpiæ memoriæ Sigismundo Augusto de suscipiendis ordinibus nobis gratiose collatis, & per sacram Regiam Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum modernum confirmatis satisfiat.

Postulamus etiam vt locum in senatu Regio habeamus, non aliqua commodorum ratione & ambitione ducti; verum vt oues nostræ, quarū curam gerimus, maiori nos obseruantia colant & obseruent, cum ea dignitate Episcopatus qua & ceteri Romanæ religionis homines frugamur: cum vero iuramentum senatui præstiterimus, simile etiā summo Pontifici super obedientiam iuramentum præstare tenebimur.

EX Græcia si quas fortè factiones vel excōmunicationes per litteras illius nationis homines moliantur, eas omnino prohiberi petimus, ne hinc ista vnio diuersa in vulgo excitata studia possit, cum adhuc multi pertinaciter huic rei resistat. Hoc verò perquàm diligenter cauendū est, ne extranei Episcopi vel Presbyteri, qui sacræ Romanæ Ecclesie obediētia recūsauerint, in qualibet Diœcesi nostra aliquid negotij habeant, & cōmorentur: similiter quoque rationis nostræ homines qui rebelles & cōtradicentes huic vnioni nostræque obedientie fuerint, ne quicquam spiritualium negotiorum agere audeant, alioquin pœna aliqua multentur.

Quoniam vero multorum Ecclesiasticorū bonorū per antecessores no-

stros nescitur quo iure amissionem possessione exclusi sumus, quibus non nisi eousque quoad antecessores nostri vixissent, carere debuerimus, petimus, vt bona hæc Ecclesijs restituantur: siquidē tanta inopia & egestate sumus cōstrikti, vt nō solū necessitatibus Ecclesiarū nō prouidere, sed etiam sufficientem victum nobis suppeditare non possimus. In posterum autem ne bona Ecclesiæ sine consensu Episcoporum totiusque Capituli conferantur, à Sacra Regia Maiestate contendimus.

Priuilegia nostra super bonis Ecclesijs Cathedralibus attributa, in quorū possessione pacifica hucusque existunt, vt vires & robur suum perpetuę firmitatis obtineant.

Post mortem Metropolitę & Episcoporū ne Capitulū atque Thesaurarij se in bona Ecclesiastica ingerāt, sed more & ordine Romanę Ecclesię Capitulum, quoad alter electus non fuerit, ea bona administret. In bonis autem & facultatibus Episcopi defuncti proprijs Consanguinei ipsius ne vllam iniuriam patiantur pro more & consuetudine Romanę Ecclesię, Quod quidem etsi priuilegio iam cautum habeamus, id tamen Constitutionibus regni publicis confirmari nobis petimus.

Archimāditę Humiani Monachi, vulgo Chernoiij, & Monasteria eorum, obedientię, Episcoporum qui in Diæcesi cuiuslibet fuerint, pristino more subsint.

Ad iudicia Tribunalis regni, more & consuetudine regni, duos quoque ex spiritualibus religionis nostrę deputandos esse petimus, qui tanquam defensores iurium & libertatum nostrarum sint.

Archimandritę Humiani, Presbyteri, Diaconi, alijque Spirituales eodē honore ac reuerentia ab hominibus quo ceteri religionis Romanę homines prosequantur, iisdemque libertatibus ac prerogatiuis fruantur & gaudeant secundum priuilegium Serenissimi olim Domini Vladislai Regis.

Pręterea à contributionibus regni publicis, quos hucusque vnusquisque nostrum officialium spiritualium pendebamus, vt temporibus perpetuis (exceptis his qui bonis hæreditarijs vtātur) liberi & immunes simus, idque constitutionibus regni publicis sanciri & describi petimus.

Monasteria & Tempia ritus Gręci ne ad Tempia Romani ritus conuertantur.

Collegia siue confraternitates speciales non ita pridem à Patriarchis constitutę & à sacra Regia Maiestate confirmatę, quemadmodum Vilnę, Leopoli, Brestę, & alibi, vt integre & illesę maneāt, ita tamen vt obedientiam summo Pontifici nobisque Episcopis religionis Gręcę præstare teneantur, sintque astricti.

Scholas, Seminaria Gręcę & Slauicę lingue extruere vbi commodius videbitur.

videbitur, vt liberum nobis sit, sic & officinas imprimendorum librorum, quę quidem omnia sub obedientia Episcoporum sint.

Porro quoniam Presbyteri religioni nostrę dediti nobis debitam obedientiam præstare recusant, petimus vt libera penes nos maneat eos puniendi potestas, in eoque à Capitaneis sacre Regiæ Maiestatis ne impediamur.

Homines seculares ne se in curam Ecclesiarum ritus nostri ingerant, sed hæc potestati & iurisdictioni spiritualium subiaceant, præcipue verò Cathedrales Ecclesię.

Responsum datum à Nuntio Apostolico supradictis articulis.

QUæ Reuerendissimi Domini Vladicę, suo ac suorum confratrum nomine pro Ecclesię Gręcæ in tota Russia Serenissimo Regi subiecta, eū sacrosancta Ecclesia Catholica Romana vnione petūt, nonnulla à summo Pontifice, nonnulla verò à Regia Maiestate Polonię dependēt.

Ex illis quę à summo Pontifice petuntur quædam pertinent ad diuina dogmata, quædam verò ad ius humanum spectant. Quantum ad ea igitur quę diuini Dogmatis sunt, cum omnia quę petuntur, sint sacrosanctę fidei Catholicę consona, non humana voluntate sed ex diuina reuelatione deprompta, & vt talia ab Oecumenico Concilio Florentino toti Ecclesię credenda proponantur; certum absque vlla dubitatione est, summum Pontificem illa approbaturum & acceptaturum. Quantum ad ea verò quę ad ius humanum spectant, licet non ita simpliciter asserere possimus, summum Pontificem (cuius legatione fungimur) eis consenturum, eo quod ipsius expressus animus nobis non constat; ex eiusdem tamen præsumpta voluntate intrepidè affirmamus, Beatitudinē suā libenti animo consensum præbituram. Cum enim ea quę in hoc genere proponuntur, à rectę fidei norma non discrepent: quin potius rationi consentanea sint, & ex eius voluntate dependeant; dubium nullum est quin pius ac clemens Pater (cui nihil in hac vita charius esse potest quam salus animarum sibi à Christo Domino commissarum) charissimis filijs ad se suppliciter accedentibus illa benignè concessurus sit. Postremo circa ea quę à Regia Maiestate petuntur, id quod nos præstare possumus, bona fide promittimus, nimirum totis viribus curaturos nos apud Serenissimum Regem, tum apud Inclitam Regni Polonię magnique Ducatus Lituanię Rempubliam, vt ea quę à dictis Reuerendissimis DD. proponuntur, pro tanto Vnionis bono, Christianè ac liberaliter, sicut dignum & iustum

stum est concedantur. Ut autem id facilius impetrari possit, Serenissimo D. Nostro obnixè supplicabimus, ut litteris commendatitijs suam etiã hanc in parte auctoritatem interponat. Quod Beatitudinem suam libenter & ex animo facturam non dubitamus. In quorum igitur omnium fidem has literas nostra propria manu subscriptas nostroque sigillo munitas dedimus. Datum Cracouiæ die prima Augusti 1595.

Fuerunt Romæ aliqui ex articulis his à cõgregatione Illustrissimorum Cardinaliũ examinati, ac attète discussi, ac grauissimi Theologi de eis cõsulti: permissumq; est eis ut omnibus cõremonijs & ritibus antiquis, quorum ipsi tenacissimi sunt, vteretur, dummodo fidei Catholicę nõ cõtradicerent. Admissi denique ad sanctę Ecclesię Communionem, fidei professionem, iuxta consuetam formam pro Græcis superius præscriptam, fecerunt: ac ritè Euangelij tactis, Iuramento ac subscriptione firmarunt.

Ruthenorum cum Ecclesia Catholica Communionis formam breuiter præscripsi, ut si aliquando Moscouitæ eiusdem linguæ & Religionis homines ad se redierint, velintque sanctę Matri Ecclesię Catholicę recõciliari, horum exemplo facile alliciantur, præsertim cum ritus & cõremonias omnes Orientalis Ecclesię quę fidei non aduersantur, illis esse à sancta Sede permissas cognouerint.

Sequitur censura siue iudicium cuiusdam viri docti de Ruthenorum Religione.

Articuli proposti à Ruthenis magna ex parte pertinent ad ritus ac cõremonias externas, adeoque ciuilem ac politicam administrationem; atque idcirco non tam operam aut studium Theologicam, quam ciuilem prudentiam requirunt. Seligam tamen ex omnibus nonnulla capita, de quibus dicam quid ego sentiam, cætera quæ à me intacta relinquentur; eiusmodi mihi videntur esse, ut salua fide ac Religione liberè possint vel reijci vel approbari, ut Illustrissimis D. D. meis videbitur expedire. Igitur primo loco dicunt velle se confiteri Spiritum sanctum à Patre per Filium procedere, & agnosco verba Patriarchæ Constantinopolitani in vltima sessione Concilij Florentini. Cæterum hæc fidei cõfessio triplici ex capite magnopere probanda & commendanda videtur: Primo quod admittit Spiritum sanctum substantialiter ab æterno procedere à Patre per Filium vnica spiratione, tamquam ab vnico principio, & vnica causa, quod alias Græci, atque omnes Orientales pernegabant. Secundo, quia dicitur fatetur particulã (Per) in processione Spiritus sancti significare causam, quo refelluntur Schismaticorum effugij, quibus particulam illam in-
terdum

terdum dicebant idem significare, quod (cum) alias ad designandam relationem Patris ad Filium, aut consubstantialitatem Patris ac Filij referebant. Tertio, quia plane concedit idem esse Spiritum sanctum procedere à Patre per Filium, & procedere ex Patre & Filio. Itaque videri posset admittenda, nisi constaret ipsam non modo in Concilio Florentino nõ fuisse confirmatam, sed ne ipsi quidem Orientalibus omni ex parte placuisse, adeoque ipsam non nihil continere, vnde castigatione egere videatur. Ac non fuisse quidem à Concilio approbatam ex Decreto Vnionis cui Græci subscriperunt, aperte constat. Siquidem definitum est in hæc verba, *ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio, aternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre & Filio, & ex vtroque aternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit, declarantes quod id quod sancti Doctores & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit.* Si ergo Rutheni profiterentur se velle admittere confessionem fidei, quam in Concilio Florentino Patres Religionis Græcę suis suffragijs comprobarunt, qua ratione possunt excludere eam formam, quę asserit Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere, si hanc suis illi chirographis obliuiscunt? an non vident, si Christiani esse volunt, & Oecumenico Concilio acquiescere, sibi necessario hanc fidei confessionem corde cõplectendam, atque ore profitendam esse?

Iam vero ne fuisse quidem ab omnibus Orientalibus receptam, ex eadem vltima sessione Concilij facile ostendi potest. Cum enim Patriarcha Constantinopolitanus post luculentam atque eruditam Georgij Scholarij orationem in Græcorum conuentu hanc fidei formam edidisset, quam nunc Rutheni proponunt; hæsitãte ac tergiuersante Græcorum Imperatore, Ruthenus in hanc sententiam locutus est: *Sanctorum Occidentalium scripta nobis suscipienda; censet sanctum Spiritum ex Filio habere esse, nec non Patrem & Filium vnica Spiritus causam esse, credo & profiteor.* Post huc Bessarion Cardinalis doctè ac disertè perorauit, ac multis Græcorum Theologorum & SS. Patrum testimonijs ostendit, Nemini aditum patere ad salutem, qui Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere non profiteretur. Deinde Episcopus Mytilenus Latinorum & Occidentalium sententiam magnificentius extollens, inter cætera concludit. *Quorum* (de Occidentalibus loquitur) *volens sequi vestigia, Spiritum sanctum à Patre Filioque ut ab vnico principio, non autem à duabus causis, procedere profiteor.* In eam tum sententiam Græci frequentissimi abierunt, ipseque ad eam Patriarcha suam illum priorem confessionem, ad aliam formam reuocauit. Sunt autem hæc ipsa illius verba: *Ego nostrum paternum dogma non derelinquam, sed in eo quousq; vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temerè nec ex sententia propria, verum sanctorum aubori-*

authoritatibus adducti spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere credunt, idemque ipsi assentior, & cum ipsis coniungor, ac prepositionem (Per) Filium Spiritus sancti eandem significare concedo. Quin etiam cum in Conuentu Orientalium certum iam ac definitum esset, ut cum Occidentalibus coniungerentur, ipse Patriarcha paulo ante quam subita morte eius eriperetur, suam sententiam hoc chryiographo declarauit: Quę (inquit) Domini Iesu Christi Catholica & Apostolica Ecclesia Romę veteris sentiat, ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimum acquiesco. Si igitur Orientales tam aperte fatentur, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, quid est quod Rutheni reformident? Cur se dicunt patres se qui Religionis Gręcę, si quod illi aperte afferunt, ipsi postponunt & aspernantur? At quarat fortasse quispiam, cur dixerit Patriarcha, nolle se paternum dogma deserere? Cui ego paucis respondeo, Patriarcham appellare suum dogma illum dicendi modum, quo paulo ante usus erat, cum dixit Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium, a quo sane dogmate, ut Rutheni concedunt, & ex dictis facile intelligi potest, non recedit is, qui admittit Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere: accedit quod de processione Spiritus sancti in Concilio Florentino bipartita questio fuit. Nam primum de re ipsa multis vltro citroque disputatum est, deinde de additione quę facta est symbolo Nicęno non nihil actum. Cum vero Orientales concessissent occidentalibus, rectę eos sentire, cum procedere dicerent Spiritum sanctum a Patre & Filio, siue a Patre per Filium, admisissent etiam, ipsis iustis de causis licuisse verba illa symbolo addere, constanter negarunt se huiusmodi additionem admissuros, id quod eis per Concilium licuit. Ab hoc igitur dogmate potuit Patriarcha negare se recessurum, alioqui se Romanę Ecclesię fidem omni ex parte complecti, paulo ante mortem, ut dixi, declarauit aperte. Desinant ergo Rutheni Orientalium fidem & Gręcorum Confessionem nobis obtendere, cum constet eos suis suffragiis admisisse Spiritum sanctum procedere a Patre ac Filio.

Quod si (ut Rutheni vltro concedunt) idem est Spiritum sanctum procedere a Patre ac Filio, & procedere a Patre per Filium, cur hoc admittitur, illud recusant? an quia ut ipsi insinuare videntur, hoc habetur in Euangelio, illud non item? Atqui Euangelium neutrum aperte dicit, priorem locutionem quam Latini sequuntur, interdum insinuat, posteriorem quam ipsi proferunt, nunquam Ioan. 16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: quo testimonio Andreas Colossensis vitur contra Gręcos in Concilio Florentino sessione 7. & ante illum Didymus l. 2. de Spiritu sancto probat Spiritum sanctum procedere a Filio, eodemque modo colligit Gregor. Nazianz. orat. de fide: Nam cum dixisset Spiritum sanctum

etum esse de propria filij substantia, Ipse (inquit) Dominus Saluatorque, noster de meo inquit, accipiet, ex eo utique quod est filius, quia & filius de eo quod Pater est.

An forte malunt dicere, Spiritum sanctum procedere per filium, quia Gręci sæpius ita locuti sunt, nolunt dicere (ex filio) quia licet Occidentales sic loquantur, eam formam Gręci non admittant? At ego contendo Latinos etiam dicere Per filium, & quamuis Gręci frequenter eodē modo loquantur, sæpius tamen dicere (ex Filio.)

Inter Latinos Tertullianus lib. aduersus Praxeam, Spiritum sanctum (inquit) a Patre per filium deduco. S. Hilar. lib. 12. de Trinit. sub finem Spiritus est, inquit, ex te per vnigenitum tuum. S. Thomas 1. parte, q. 36. artic. 3. doctę ac subtiliter explicat, quomodo ea forma dicendi intelligenda sit, quem deinde Scholastici magna ex parte sequuntur. Porro inter Gręcos Athanasius in redargutione Meletij, impossibile ait esse in Trinitatis gloria Spiritum sanctum numerari, si non emanaret ex Deo per filium. Gregorius Thaumaturgus in sua fidei reuelatione apud Gregorium Nyssenum in ipsius vita: Vnus Spiritus sanctus ex Deo ortum & existentiam habens, qui per filium apparuit imago filij perfecta. Basilius lib. 5. cętera Eunom. cap. 12. ait Spiritum sanctum non ideo non dici filium filij, quia non sit ex Deo per filium, sed ne suspicemur Trinitatem multiplicari in infinitum. Greg. Nyssenus lib. 1. aduersus Eunom. apud Bessarionem in sua oratione dogmatica, quę habetur in Concilio Florentino, cap. 6. ait Spiritum sanctum per filium ipsum esse manifestatum. lib. ad Ablabiũ, esse per id quod immediate & ex continenti est. Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. cap. 1. Spiritus sanctus est consubstantialis filio, & procedit per eum, lib. 12. c. 36. ex Patre per filium procedit. Tharasis in 7. Synodo Act. 3. Credimus in Spiritum sanctum, qui ex Patre per filium procedit. Maximus Zacharię 4. apud Bessarionem, a Patre essentialiter per Filium ineffabiliter natum procedens. Damasc. lib. 1. de fide, cap. 18. Per filium Patri coniunctus. c. 11. Spiritum per filium esse dicimus. Non dubito plura testimonia posse apud Gręcos reperiri, sed hæc tantum placuit indicare. At multo plures sunt Gręci qui dicant Spiritum sanctum procedere ex filio. Athanasius in Symbolo, Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Hoc Symbolum esse Athanasij ne Gręci quidem inficiari audent: nam ut scribit Gennadius Scholarius in defensione Concilij Florentini, cap. 7. sess. 5. Gręci sui temporis dicere solebant, Athanasium quando hæc scripsit, fuisse ebrium, ut maluisse videantur blasphemare, quam negare hæc fuisse ab Athanasio conscripta. Deinde hoc Symbolum esse Athanasij indicare videtur Gregorius Nazianzenus oratione de laudibus ipsius Athanasij, in qua dicit eum scripsisse plenissimam Fidei declarationem, quam Oriens Occi-

denique venerarentur. Idem planius significat S. Augustinus, qui in Psal. 120. citans integrum versiculum ex hoc symbolo, auctorem nominat Athanasium Episcopum Alexandrinum, & sine nomine Athanasii videtur frequenter versiculis huius symboli, vt li. 5. de Trinit. 8. epist. 478. ad Pasent. Enchir. cap. 36. serm. 295. de tempore. Denique in Concilio Tolitano 4. c. 1. circa annum Domini 633. recitatur ex hoc Symbolo confessio fidei. Idem Athanasius epist. ad Serapionem probat Spiritum sanctum non esse filij creaturam, quia neque filius est creatura Patris, cum sit idem ordo Spiritus sancti ad filium, qui filij ad Patrem: vbi supponit Spiritum sanctum ita procedere à Filio, sicut filium à Patre. In eadem epistola: *Si filius (ait) quia ex Deo Patre est, proprius ipsius substantia est, necesse est Spiritum, quia ex Deo esse dicitur, proprium esse filij secundum substantiam*: intelligit autem necessarium ex Deo filio, alioquin nihil concluderet: Simile habet in duabus alijs epistolis breuioribus ad eundem. Basilium lib. 3. contra Eunom. in initio de Spiritu sancto sic loquitur: *Dignitate secundum à filio, cum ab ipso esse habeat, & omnino ab illa causa dependeat, pietatis ratio tradit. Hunc locum mendosum & corruptum esse contendebat Marcus Ephesus in Concilio Florentino, sess. 20. Sed ostenderunt Latini codices, in quibus hæc verba leguntur: & ex ijs quæ sequuntur apparet in aliquibus Codicibus fuisse sublata: pergit enim: Quemadmodum filius ordine quidem à Patre secundus est, quoniam ab illo est, & dignitate, quoniam origo atque causa essendi Pater ipse est; natura verò nullo modo secundus, quoniam in vtroque vna est Deitas: ita Spiritus sanctus etsi dignitate & ordine secundus à Filio est, non tamen aliena ipsum esse natura inde consequens est. Ex quibus apparet necessarium intelligendum esse Spiritum sanctum habere esse à filio, alioquin similitudo filij & Patris non esset ad rem. Idem lib. 5. aduersus Eunom. vocat Spiritum sanctum naturale imaginem filij, cap. 11. *Vt se habet filius ad Patrem, sic Spiritus sanctus ad Filium, quia propter Verbum Dei est filius, verbum autem filij est Spiritus sanctus. Quæ nullo modo vera esse possunt, nisi Spiritus sanctus procedat à filio. Eodem penè repetit lib. de Spiritu sancto, cap. 17. Gregorius Nyssen. hom. 4. in orationem Dominicam, vt ex ipso citat Gennadius in defensione Concilij Florentini, cap. 1. habet hæc verba, Spiritus sanctus & ex Patre dicitur, & ex filio præterea esse ostenditur. ait tamen hunc locum sublatum esse à Græcis, Belsarion loco notato citat alium locum ex libro ad Ablabium, vbi ait Spiritum sanctum distingui, eo quod credimus aliud quidem causam esse, aliud verò ex causa, & ex eo quod ex causa est. Vbi causam vocat Patrem, filium id quod ex causa, Spiritum sanctum ex eo quod ex causa est, id est ex filio. Gregor. Nazian. oratione 5. de Theologia comparat processionem Spiritus generationi Seth, qui ab vtroque parente fuit, significans Spiritum sanctum esse à Patre ac filio. Cyril. Hierosolym. Cateche. 17. de Spiritu**

Spiritu sancto sic loquitur: *Qui Patri ac filio semper adest, non qui ab ore & labijs Patris & filij loquendo formetur, quod profecto inane esset, nisi putaret procedere ab vtroque. Chrysoft. homil. 1. de Symb. Ille est Spiritus sanctus de Patre ac filio procedens. Hom. 2. Spiritum sanctum dicimus Patri & filio æqualem, & procedentem de Patre & filio. Alia testimonia ex hoc auctore citantur ab alijs. Epiphan. hæresi 69. Vnus est Spiritus, Dei Spiritus ex Patre procedens, & de filio accipiens: hoc autem accipere de filio, opponit creationi, negat enim spiritum sanctum esse à filio creatum: sic sæpius in tota illa disputatione, in Anchorato dicit Spiritum sanctum esse spiritum Patris & filij, & ex Patre & filio tertium: ibidem ait esse ex Christo, ab vtrisque à Patre & filio. Didymus lib. 2. de Spiritu sancto inducit Christum de Spiritu sancto loquentem. Non est, inquit, ex se, sed ex Patre & me est, hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à Patre & me illi est. Paulo infra, Non potest à filio loquente audire quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur à filio, id est procedens à veritate, & solator manans de consolatore. Paulo post. Non alia est substantia Spiritus sancti, præter id quod datur ei à filio. Cyrillus Alexan. lib. 11. in Ioan. de Spiritu sancto ait, à Verbo est secundum emissionem ad esse atque subsistere. lib. 13. Thesau. 2. Spiritum sanctum Dominum similiter appellat, sicut ex ipso filio & in ipso naturaliter existentem. Paulo post. Ex filio autem naturaliter ac substantialiter Spiritum sanctum sicut ex Patre prouenire credimus. Sic ferè de rest. fid. ad Theodos. vltra med. & l. 5. 6. 7. de Trinit. Extat præterea epist. Concilij Alexand. ad Nestorium, quæ est ipsius Cyrilli, in qua leguntur hæc verba, Spiritus appellatus est Veritatis, & Veritas Christus est, vnde ab isto similiter sicut ex Patre procedit. Hæc autem epistola approbatur in Concilio Ephesino, to. 1. c. 14. in quarta Synodo, act. 5. in quinta Synodo actione vltima: in sexta Synodo act. 7. vt appareat hunc dicendi modum à quinque Concilijs Oecumenicis, iisdemque in Oriente celebratis fuisse confirmatum: Plura alij, sed hæc videntur satis aperte ostendere, non ita probari à Græcis illud loquendi modum Per filium, vt non frequentissimè dixerint Ex filio.*

Non negarim Græcos dum maxime disputarent contra Macedonium & Eunomium ac reliquos πνευματομαχους, non dixisse solitariè atque absolute Spiritum sanctum esse à filio, & negasse filium esse causam, sed id propterea factum est, ne viderentur cum Eunomio sentire: qui vt intelligitur ex Basilio lib. 2. aduersus Eunomium in fin. spiritum sanctum dicebat esse filij creaturam, hæc enim sunt verba Eunomii: filium ingeni esse facturam, Vnigeniti verò Paracletum, idemque cum Eunomio sensisse Macedonium docet Theodoretus lib. 4. de hæz. fab. Cum ergo Eunomius absolute diceret Spiritum sanctum esse à filio, Catholici absolute negant, & ob id etiam interdum negant filium esse causam, & solum Patrem dicunt causam. Nomen enim causæ apud Græcos præsertim Basiliū & Gre-

gorium Nazian. significat principalitatem quandam & primatum in origine, & hoc modo nomen causæ soli Patri propriè conuenit. Sic Basilius de Spiritu sancto ad Amphil. cap. 16. *In horum (inquit) creatione cogita mihi principalem causam eorum quæ sunt Patrem, dein conditricem filium, perfectricem Spiritum sanctum.* Et Gregor. Nazianz. oratione ad Episcopos ex Ægypto nauigantes tres diuinas personas ita describit, *Creatrix dominatio in tribus consistit, in causa, in opifice, in perfectore,* hoc est in Patre, in filio, & spiritu sancto. Ibidem. *Quicquid Pater habet, idem, excepta causa, filij est:* quasi dicat: Pater communicat omnia filio præter paternitatem, & illam eminentiam, ac prioritatem originis, quæ ipsius est propria. Hoc ergo modo negant filij esse causam, & spiritum procedere ex filio, quod sæpe inculcant Græci in Concilio Florentino, non procedere Spiritum sanctum à filio ἀρχὴν, vel ἀρχοὶδῶς, quia reuera filius non est prima & principalis causa modo explicato, cum id conueniat Patri. Facilius dicunt esse per filium, quàm ex filio, quia ut docet Basilius de Spiritu sancto, c. 2. & 3. Hæretici philosophicis rationibus ducti, putabant modum illum dicendi (A quo) conuenire tantum causæ principali. Per quem verò secundarius: quod quamquam nõ est perpetuo verum, ut ibi ostendit Basilius, & planius cap. 5. Ambrosius lib. 4. de fide, cap. 6. & Augustin. 1. de Trin. cap. 6. tamen nonnunquam hanc distinctionem Græci Patres admittunt, ut patet ex Grego. Nazian. oratione in sancta lumina. Damasc. lib. 1. cap. 10. qui dicit his vocibus personarum proprietates significari, atque idcirco ne viderentur admittere filium esse causam principalem Spiritus sancti, maluerunt dicere, procedere à Patre per filium, quasi suam cuiq; personæ proprietatem adscriberent. Nam quia pater est ingenitus, & à nullo procedit, est verò quasi radix & origo diuinarum personarum, dicitur A quo, filius, quia procedit, spirat tamen & cum Patre operatur, dicitur Per quem, & quia in Spiritu sancto omnis diuina emanatio clauditur, dicitur, In quo. Itaque ne viderentur tribuere filio principalem vim spirandi quæ à Patre non pederet, negarunt esse à filio, per filium, tamen propter rationem allatam concesserunt. Non ergo dicunt Rutheni Orientales maluisse dicere, Per filium, cum tam multi ex Orientalibus dixerint A filio.

An credimus Ruthenos hunc Occidentalium loquendi modum postponere, quod alter tutior sit, aptior, & accommodatior? Verum nisi ego vehementer fallor, omnia contra habent. Nam primum ex oratione dogmatica Bessarionis satis constat, quod multis calumnijs expositus esset ille dicendi modus, quibus fidei Catholicæ veritas quibusdam quasi renebris inuolebatur. Deinde D. Thomas qui ad Theologicam normam omnia reuocauit 1. p. q. 36. ar. 3. cum disputaret de hoc dicendi modo quo spiritus sanctus dicitur procedere per filium, non dixit ita dicendum, sed pos-

se eum

se eum dicendi modum admitti, atque ad bonum sensum adduci, cum articulo primo probasset, spiritum sanctum procedere à Patre ac filio, esse necessario certa & Catholica fide credendum.

Sed ut res tota melius intelligatur, ponenda sunt nonnulla: Primo, Spiritum sanctum procedere à Patre ac filio, tanquam ab vnico principio: quod definitur in Concilio Florentino, & antea fuerat decretum in Concilio Lugdunensi, c. vnico. de sum. Trinitate & fide Catholica in 6. & multo antea traditum fuerat ab Augustino lib. 3. contra Maximum Arrianum cap. 17. *Pater, inquit, principium non de principio; filius principium de principio; sed vtrumque simul, non duo sed vnum principium:* quæ quamquã dicuntur ab Augustino de diuinis personis in ordine ad creata, atque ideo tertium addit Spiritum sanctum, quæ tria sicut vnum Deum, ita vnum dicit esse principium, ratione vnus naturæ communis: tamen idem eadem ratione diceret de origine personarum inter sese, quod absolute, & in vniuersum asserit, idem August. l. 10. de Ciuit. c. 23. & l. 5. de Trin. cap. 13. art. 14. eiusdem libri aperte dicit Patrem & filium principium esse Spiritus sancti, nõ duo principia, sed vnum principium, eodemque modo loquitur Anselm. Metanolog. 52. & epist. de process. Spiritus sancti.

Secundo, credendum est procedere Spiritum sanctum à Patre ac filio vnica spiratione, & vnica virtute, quod in iisdem Conciliis definitum est, & ex iis quæ de diuinis processionebus certa fide credenda proponuntur, necessario deducitur.

Tertio, rationem seu formam in quam conueniunt Pater & filius, ad producendum Spiritum sanctum, esse diuinam essentiam, ut includit communicabilitatem per actum voluntatis, quæ quia est vna, ut aperte constat, quamuis conueniat duobus suppositis iam constitutis, tribuit eis rationem vnus principij. Quo fit ut principium spiratiuum Spiritus sancti non dicat in recto quippiam vnum vnitate suppositi, sed vnitate formæ: dicit enim immediate Patrem ac filium, ut conueniunt in eadem numero essentiam communicabilem Spiritui sancto.

Quibus ita positis, ac probe constitutis, si qua dicendi ratio excogitari posset, quæ aut ex vi verborum, aut ratione terminorum, aut ex accommodatione vsus, hæc omnia vel aperte indicaret vel vtrunque innueret, ea loquendi forma in processione Spiritus sancti optima videretur: sed quia hæc excogitata non est, ea censeri debet cæteris præstare, quæ ab illa præstantissima propius absit, & plura idque aptius atque apertius significet. Iam primo cum dicimus Spiritum sanctum procedere à Patre per filium, indicamus quidem vtrunque vnicum primum principium, id est patrem, sed vnica spirationem, & vnica Patris ac Filij vim spirandi ex vi verborum non significamus. Tamen si

enim

e nimis præpositio Per, solitariè posita, potest significare causam principalem, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos, ut affirmat Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 8. quomodo legimus Genes. 4. *Possedi hominem per Deum.* Prouerb. 8. *Per me Reges regnant.* 1. Corint. 1. *Per quem vocati estis in societatem dilecti filij sui.* Tamen cum coniungitur cum altero agente, non vnam aut simplicem significationem continet, siquidem, ut rectè ait D. Thomas prima primè q. 36. art. 2. particula (Per) omne genus causæ, excepta materiali, significare potest. quod si contineat rationem causæ productis actionem, ut manat ab agente, triplex genus causæ complectitur; formalem, cum dicimus artificem per ideam seu artem aliquid efficere; finalem cum per lucri cupiditatem, id est lucri gratia quempiam dicimus agere; efficientem, seu motiuam, ut si dicamus per Principis imperiū Ducem moueri. Certum est autem nihil horum posse significari, cum agimus de Spiritus sancti processione, quia diuinæ emanationes ad intrinsecam causam finalem, formalem, aut extrinsecus agentem nullam habent, & ut intelligatur aliquod principium ad modum formæ, certum est, cum dicimus Spiritum spirari à Patre per filium, non significari formam, quæ, ut supra diximus, est ipsa essentia & virtus spiratiua. sic enim dicendū esset Patrem ac filium spirare per virtutem spiratiuam, seu per essentiam, &c. Si verò Præpositio (Per) continuat vim agendi, ut actio terminatur ad opus, & significat causam non ob quam agens agit, sed cur quippiam ab agente fiat, tunc apertè significat efficientiam causæ agentis, ut cum dicimus artificem manu vel instrumento quippiam moliri, & hoc modo præpositio (Per) ut ibi obseruat Caietanus, improprie usurpatur in processione Spiritus sancti. Ideoque D. Thomas non tam probat quam excusat illū dicendi modum, cum alioquin contineat aliquas imperfectiones: nam supponit inter Spiritum sanctum & patrem intercedere filiū, quod in rigore falsum est, quia Pater & Filius æquè primo & immediate eadem virtute spirant. Deinde nisi prohiberetur ex terminis adiunctis, significaret diuersam rationem agendi in Patre ac Filio: nam si significaret mediationem suppositi, videretur facere filium instrumentum, ut dicimus Regem ius dicere per Prætorum: si mediationem virtutis, indicaret Patrem accipere vim spirandi à Filio, quomodo dicere solemus Prætorum per Regem exercere suam potestatem, id est auctoritate accepta à Rege. Ex quibus constat significari vnum principium Spiritus sancti; sed cum multis imperfectionibus, & admodum confusè & cum periculo errorum, præsertim cum ex simili dicendi modo decepti sint olim Arriani: qui propterea quod legerat omnia facta esse per filium, colligebant filium fuisse ministrum in creatione, atque idcirco esse inferiorem Patre, in quo tamen si errabant ratione terminorum, tamen habita ratione ipsius formæ loquendi non malè concludebant, cum

sape

sape in scripturis præpositio (Per) ministerium atque instrumentū significet. Secundo si respiciamus ipsam spirationem, ac virtutem spirandi, non dubium est ratione terminorum (quia in diuinis omnia sunt vnum, vbi non intercedit oppositio) significari vnicam virtutem ac spirationem, modus tamen dicendi hoc ex se non significat: nam etsi filius acciperet à Patre distinctam facultatem spirandi, & distincta spiratione spiraret, possemus dicere Patrem spirare per Filium, quomodo Rex per Prætorum ius dicit, vbi apertè cernuntur diuersæ facultates, & actiones. Tertio, inde etiam apparet ex vi verborum, non significari vnicam formam in qua cōueniant Pater & Filius: nam alioquin ex vi verborum sicut Rex & Prætor non habent eandem formam seu auctoritatem, ita etiā non repugneret vi locutionis, intelligi diuersā Patris ac Filij naturā, sic dicimus calū agere per causas secundas, cum sint tum naturæ tum facultates admodū diuersæ. Ex quo sequitur, sicuti si non reperiretur in scripturis hic modus dicendi, Omnia per ipsum facta sunt, & alij eiusmodi, potius viderentur negandi quam concedendi, quia non possunt sine errore defendi nisi propter terminos, cum alioquin ex vi sermonis possint trahi ad sensus peregrinos atque erroneos: ita nisi reperiretur hæc propositio apud sanctos, quos necesse est excusare ac defendere, eam videri potius ex natura sermonis negandam, quam affirmandam: tantum abest ut sit alteri propositioni, de qua mox, vlla ratione præferenda.

At cum dicimus Spiritum sanctum procedere à Patre ac Filio: primo quidem significamus originem substantialem à Filio, quo refellitur eorū error, qui solam processionem temporalem admittebant esse à filio: cum enim de vtroque supposito æquè affirmetur, non potest afferri discrimen, nisi euident ratio persuadeat; ut cum dicunt Philosophi, sol & homo generant hominem, quia intelliguntur coniungi in causam primam & vniuersalem cum secunda, & particulari, necessario concludendum est dissimiles esse vtriusque causæ actiones: sic addicimus ex mare & fœmina animal gigni. At cum non appareat in hac Propositione vlla diuersitas, & ex vi terminorum omnis planè distinctio reiiciatur, ea excepta quæ pertinent ad constitutionem personalem suppositorum, conueniens actionem ex æquo vtrique cōuenire, quo fit ut secūdo optimè significetur vnitas tum spirationis tum facultatis spiratiuæ: cum enim aliquid vnum à duobus distinctis emanat, neque cernitur ex terminis, aut ratione probatur distinctio in actione, vnitas potius tum facultatis, tum actionis concluditur, ut allatis exemplis ostendit potest. Tertio significatur æqualitas in producendo, æquè enim dicitur Pater ac filius producere, cum præsertim id postulat natura terminorum. Quarto, satis apertè indicatur vnitas formæ, quorum enim actio formalis vna est, eorum necesse est vnam esse formam ac naturam, ut docet Basilius in Psal. *Quorum* (inquit) *vna natura est, eorum actiones*

actiones eadem sunt. Quinto ac postremo ipsa spirationis natura cernitur, quæ ut refertur ad personam productam necessario postulat duo supposita iam personaliter constituta, quæ ut in vnam naturam, sic in eadem facultatem spiratiuam conueniant: atque idcirco significatur vnum principium spiratiuum Spiritus sancti, quale reuera est, non vnitatem suppositi, sed vnitatem formæ ac naturæ, ut supra dictum est.

Quæ cùm ita sint, nõ video cur Rutheni malint hanc dicendi modum proponere, qui multis nominibus præferendus videtur. Neque satis intelligo cur negent velle se ad aliam confessionem compelli, cum fateantur eundem esse sensum vtriusque formæ, cur item recusent eam Confessionem quam Orientales in Synodo Florentina suis chirographis obſignarunt: si negat velle se eam additionem symbolo suo facere, aut volent suum illum loquendi modum in suis Hymnis & Antiphonis retinere, si rem admittant, quod illis est à Concilio Florentino permissum, in præsentia non videtur reuocandum. Sic autem rem totam paucis concludo. Aut putant idem significari vtraque dicendi forma, aut aliquod in illis discrimen agnoscunt, si non existimant idem significari, Concilio Florentino aperte contradicunt, si contra ipsius decretum vnam formam admittunt, alteram reijciunt, præsertim eam, quam Concilium non modo magis probauit, sed omnibus necessario credendam ac profitendam proposuit: si putant inter eos modos dicendi aliquod esse discrimen, planius loquantur, suamque sententiam explicent, interim intelligant se à Concilio Florentino aperte dissentire, atque ideo contra fidem hand leuiter peccare. Quod si, ut ego quidem existimo, rem ac sententiam probant, sed nolunt compelli ad admittendam additionem factam Symbolo, vel passim vsurpandam hanc locutionem, non videtur ea conditio penitus aspernanda, modo apud populum tollatur scandalum, qui putant Occidentales male sentire.

Quod spectat ad Psalmodiam, preces ac Liturgias, vsum denique Sacramentorum, quod Orientalibus iam diu permissum est, non videtur vltimo modo negandum: quamquam ipsorum libri diligenter examinandi videntur, ne errores atque abusus irreperint, habendaque videtur præcipua ratio eorum quorum mentionem facit Eugenius in Concilio Florentino, præsertim eorum quæ pertinent ad vsum Sacramentorum, vbi non solum in multis discrepant à Latinis, sed egere videntur castigatione.

De Purgatorio si parati sint admittere sanam & Catholicam doctrinam, nihil est dubitandum, curandum vero ut de statu animarum, & felicitate iustorum rectè & cum Catholica Ecclesia sentiant. De Calendario non potest sine scandalo dissimulari, quia necesse est eos in celebratione Paschalis plurimum à Catholica Ecclesia discrepare, nisi noui Calendarij ratio suscipiatur. Quamobrem ineunda erit aliqua ratio, ut salus eorum

eorum solemnitatibus quæ permittenda videbuntur, series festorum mobilium illis cum Occidentalibus constet.

De Processione in festo Corporis Christi non laborarem, multa tamen circa hoc Sacramentum examinanda sunt; Ceremonias circa festum Paschatis diligenter expendendas atque excutiendas puto.

De Sacerdotum Matrimonijs, atque in vniuersum de ipsorum matrimonijs multa consideranda sunt, quia certum est apud Orientales multos esse abusus, nam alicubi non nisi vxorati initiantur, alibi etiam initiati contrahunt matrimonium; nec desunt qui propter adulterium matrimonium soluant, & aliud ineant, erunt etiam fortasse qui secundas nuptias damnent.

Quod dicitur de cæremonijs Ecclesiæ Romanæ, videtur aquisimum iuxta decretum Eugenij in Concilio Florentino de pulsû campanarum citra scandalum non magnopere esse sollicitus.

Vt Matrimonia Græcos inter & Latinos ineantur optandum est, cessante periculo & schandalo.

De Visitatione infirmorum cum sacramento Eucharistiæ, cupio planius doceri, suspicor enim nonnullos esse abusus.

De Monasterijs ac templis facile annuerem, id ipsum de excommunicatis, salua atque integra Romani Pontificis auctoritate.

Hæc habui quæ breuiter dicerem, cætera quæ hic non attigi, ut initio dixi, ad ciuilem prudentiam spectant, non ad Theologum. Itaque illa omnia prudentiæ Illustrissimorum DD. meorum integra atque intacta relinquo, sicut & eorum iudicio atque censuræ superiora quæ scripsi, libens subijcio, &c.

Xx

DE

DE PROCVRANDA CONVERSIONE OM- NIVM GENTIVM

LIBER VII.

De vnione totius Orientalis Ecclesiæ cum Eccle-
sia Catholica procuranda.

Ordo seruandus.

ACTENVS in prima huius operis parte, de his quæ agenda sunt pro iuuandis Græcis, alijsque Schismaticis tractauimus, proximè sequuntur schismatici Orientales, qui abhinc mille annis in hodiernum vsque diem in maxima versantur infelicitate, perpetuisque vexantur infortunijs & calamitatibus: & licet olim ingens fuerit tam Alexandrinæ quam aliarum Ecclesiarum Orientis gloria & splendor, at vbi Concilium Calcedonense, sanctumque Leonem Pontificem, ac Romanam sedem omnium matricem Ecclesiarum spreuerunt, innumeræ secutæ sunt clades, quæ abhinc tantis sæculis vsque ad nostra tēpora cōmuni cum dolore piorū omniū cernuntur. His igitur tanquam nationibus olim florentissimis, quarum prisca patres ecclesiam Catholicam insigniter illustrarunt, meritò post Græcos debetur hic locus, in quo tam de erroribus & ritibus, quam de alijs pro iuuandis his nationibus, & ad rectam fidem, mutuamque charitatem inter nos statuendam Deo inspirante dicemus, obseruato tamen hoc ordine, vt de origine scismatum totius Orientis prima statim frōte agamus, & post, ad Nestorianorum, Cophthorum, Abyssinorum (quos non immeritò Orientalibus nationibus annumeramus, parent enim Alexandrino Patriarchæ) Iacobitarum, Armenorum, Georgianorum, & Maronitarum (qui nunc Ecclesiæ Romanæ obediunt) errores, ritus, & alia, quæ pro harum nationū exactiori notitia, vtilitate, & salute conducere possunt, descendamus. Demum de omnibus erroribus, qui huiuscemodi populis cōmunes sunt, eorumque confutatione, atque etiam in genere de agēdi modo cum illis, vt fidei veritatem agnoscant, differemus, additis quibusdam instructionibus

hibus ad hunc finem vtilissimis. Et quia omnes propemodum nationes istæ Græcorum erroribus scætant, Lectorem ad supradicta, quæ contra Græcos allata sunt remittimus; insuper pro maiori ministrorum informatione decisiones aliquot, siue responsa à Gregorio decimotertio, pro Maronitarum natione edita, quæ maximam lucem in iuuandis schismaticis conferre possunt, in huius libri calcem reieciimus.

In referendis aliquibus præfatarum nationum erroribus, ac ritibus, sequemur virum non minus pietate, quâ doctrina insignem Leonardum Episcopum Sidoniensem, quem Gregorius XII. summus Pōtifex Nuntium, & Visitatorem Apostolicum simul cum Patre Ioanne Baptista Romano Societatis Iesu ad Orientales nationes destinauit: Hic autem ferè totum lustrauit Orientem, ac diuersarum nationum, ac rituum Patriarchas, Episcopos, virosque alios doctos allocutus, eorumque Religionem, & fidem, simulque errores simul attentè scrutatus; postea omnium ferè illarum Ecclesiarum statum obtulit Sixto V. Pontif. Max. cum quadriennium in ea legatione insumpsisset; est autè apud me manuscripta narratio accuratè conscripta, vbi Armenorum, Nestorianorum, Iacobitarum, & Maronitarum errores qui nunc inter has nationes grassantur, recenset.

LIBRI VII. PARS I.

De origine scismatum Orientalium. Cap. I.

ACTVRI igitur de Orientalis Ecclesiæ erroribus, maximè de illis qui hodie apud Iacobitas, Cophthos, Abyssinos, Armenos, Georgianos, ac demum Nestorianos magis vigent, operæ pratium duximus omnium errorum originem ac progressum, prius, etsi leui, vt aiunt brachio, attingere.

Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, floruit Theodosij iunioris Imperatoris, & Cælestini Summi Pontificis temporibus, circa annum Domini 427. Hic auctore Gennadio, & Socrate lib. 7. cap. 32. in id summo studio laborauit vt Christum Dei filium ex virgine Maria natū, hominem dumtaxat, non etiam Deum esse doceret, atque ideo Mariā Christotocon, id est Christi matrem, non autem Theotocon, id est Dei matrē esse diceret: postea verò sanctæ & inculpatæ vitæ merito, Christum obtinuisse vt dignus haberetur cui se diuinitas coniungeret.

Duas itaque in Christo ponebat naturas, duas itidem in eo dicebat esse personas, vnā diuinitatis, alteram verò humanitatis: nec vnum Christum in Deitate & humanitate sentiebat, sed separatim atque seiunctim,

alterum docebat esse filium Dei, sed hominis tantum Matrem appellabat. Denique Christum esse tantum hominem dicebat, cui Natiuitatem, Passionem & Resurrectionem attribuebat: Addebat autem filium Dei potestatem vnium fuisse filio hominis multis modis, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed tantum accidentaliter habitationem sicut in templo suo. Secundo per vnionem affectus, voluntatis, & dilectionis. Tertio per operationem, quia filius hominis erat instrumentum quo utebatur verbum in operibus miraculosis. Quarto secundum participationem, quia verbum illi homini impertiuit nomen & dignitatem suam, eo modo quo imagines sanctorum nominibus eorum interdum appellatur, & propter eos etiam honorantur & adorantur. Hæc fuit Nestorij hæresis.

Vincentius Lirinensis in libro quem aduersus prophanas hæresum nouitates scripsit, censet Nestorium vt Apollinaris hæresim declinaret in foueam hanc incidisse. Apollinaris, inquit, hæreticus, nolebat in Christo duas esse substantias, vnã diuinã, alterã humanã, vnã ex patre, alterã ex matre: sed ipsã verbi naturã putabat esse descissã, quasi aliud eius permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem, & cū veritas dicat ex duabus substantijs vnũ esse Christum, ille contrarijs veritati ex vna Christi diuinitate duas adferebat factas esse substantias.

Nestorius autem contrarijs Apollinari morbo, dum se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos vult esse filios Dei, duos Christos, vnũ qui Deus sit, alterum qui sit generatus ex matre; atque ideo asserit sanctã Mariã, non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, sit natus. Hæc Vincentius, Nestorius volens suã hæresim Constantinopoliam euulgatã per totum orbem dilatari, sua scripta misit ad diuersas orbis provincias, & inter alias ad Aegypti Monachos, quorum nonnulli ab eo seducti, suis erroribus consenserunt, quorum causã magni inter eos excitati sunt tumultus & dissidiã. Demum ne Oriëtis Episcopi Nestorij hæresi insicerentur, coacta fuit anno Domini 432. octauo autem Cælestini Papæ Synodus Ephesina, in qua post multa, damnata est Nestoriana blasphemia; vt rē totã latius Card. Baro. annal. 5. sub eundem annum.

Deinde Eutyces Monachorum Pater Constantinopoli, eorum qui tempore Ephesini Concilij aduersus Nestorianos præstantius cæteris dimicauerunt, antesignanus cum in Nestorij hæresim summo odio ferretur, eo profiliit, vt non duas tantum esse in Christo personas ex Christianæ fidei præscripto negaret, sed nec duas in Christo naturas vellet asserere, eosque putaret Nestoriano laborare morbo, qui duas confiterentur in Christo distinctas.

distinctas, & inconfusè coniunctas esse naturas.

Præterea impiè docebat, (vt accuratè inter alios explicat Card. Bellarm. tomo 1. lib. 3. de Christo Domino, c. 2.) in Christo post incarnationem vnã tantã fuisse & esse naturã, factã per conuersionem diuinitatis in carnem: quia Verbum caro factum est: at vnũ fieri alterum est verti in illud. Vnde assererat diuinitatem verbi natã, passã, mortuã & sepultã fuisse: ita tamen vt Christi caro non sit eiusdem nature cum nostra, sed tantum apparens & phantastica: vt potius verbum simulauerit se hominem, & natum, passum, &c. quam reuera fuerit. Quia videtur indignum Deo, quod vera fuerit caro, verè natus, passus, &c.

Accusatus Eutiches apud Flauianum, & apud Concilium quoddam Prouinciale Constantinopolitanum tunc fortè congregatum, ac nolens resistere, condemnatur à Concilio, ac postea agente Imperatore Theodosio apud Leonem Pontificem, Ephesi Concilium Eucumenicum anno Domini 449. seu potius Synodus prædatoria seu latrocinium Ephesinum 128. Episcoporum congregatur, in qua præside Dioscoro Alexandrino Patriarcha, reclamantibus Apostolicæ sedis legatis (nempe Iuliano Episcopo Renato Presbytero, Hilario Diacono, quos S. Leo miserat) ob summã Dioscorigi iniquitatem & potentiam impius Eutiches absoluitur, & eius hæresis approbatur. S. Flavianus, & alij plurimi Episcopi Catholici cõdemnantur, plerisque Episcopis (vt Baronius notat tomo 6. Annal. circa annum Christi 449. ex quo breuẽ hanc historiam seriem desumpsimus) per minas & vim, intetatis exiliis, catenis, fustibus, & gladiis, ad subscribendum adactis, repugnantibus verò & acclamantibus Sedis Apostolicæ Legatis, & contestantibus quæ per vim & metum extorquerentur, nullius roboris esse. Quæ contestatio licet non sit in actis illius Pseudosynodi, vt pote à Dioscorigi notarijs confectis, est tamen de illa expressa mentio in pluribus literis S. Leonis, tum ad Theodosium Imperatorem, tum ad alias personas, tandem Legati Pontificis fuga elapsi post multa pericula & insidias Romam redierunt. At certior factus summus Pontifex Leo eorum quæ in illa Synodo gesta sunt, Romæ Concilium coëgit, in quo Pseudosynodus Ephesina damnatur, ac omnia eius acta rescinduntur.

Impius Dioscorus Alexandriam reuersus, anathema ausus est intorquere in Romanum Pontificem, coactis decem Episcopis, lachrymãtibus & gementibus ad subscribendum facinus hætenus inauditum: At post multa Episcoporum dissidia à S. Leone urgente & instãte Marciano Imperatore anno Domini 451. in Oriente, nempe in ciuitate Calcedonensi, Concilium Eucumenicum indicitur, in quo sexcenti & triginta Episcopi conuenerunt, præsentibus Legatis Romanæ sedis, in quo Concilio damnata est hæresis Eutyche & Dioscorigi Episcopi Alexandrini, qui & ab Episco-

Episcopatu, & ab omni ecclesiastica fuit deiectus ac depositus functione: similiter sancitum est vt Ephesinum sub Dioscoro Concilium celebratū Concilij nomen non obtineret.

Præter Episcoporum sententiam, præter sedis Apostolicę confirmationem accesserunt etiam ad corroborandam Synodū Calcedonensem sanctissimorum virorum qui his temporibus illustrabāt Orientalem Ecclesiam, & miraculorum virtute nitebant, qui eandem se fidem se tenere & verbis testati sunt, & crebra miraculorum editione confirmarunt, quales fuerunt Euthimius, Auxentius, & alij sanctissimi monachi.

Dioscorus verò à suo Episcopatu depositus, ac simul cum alijs hæreticis relegatus vita functus est, ac Alexandriæ loco eius ordinatus Episcopus Proterius, ingens tamen seditio & tumultus Alexandriæ excitatur propter Dyoscori relegationem, ac teste Euagrio lib. 2. c. 5. eo vsque inuauit vulgi studium in improbißimum & nequissimum Dyoscorum, vt post eius mortem diuinos etiam honores ei Ægyptij detulerint, qui & vsque in hæc tempora, tam in Alexandrina quam in plurimis alijs Ecclesijs ab Eutichianis hæreticis deferuntur.

Ægyptij hæretici exilio propter Eutychianam hæresim mulctati, mortuo Imperatore Marciano veniunt Alexandriam, ac irruentes in sanctum Episcopum Proterium eum occidunt, & eius loco Timotheum quendam Eutichianum subrogarunt, Legatosque mittunt ad Leonem Pontificem, profitentes Alexandrinam Ecclesiam non admittere synodum Calcedonensem, quare anno Domini 459. Synodus Constantinopolitana 73. Episcoporum, admittente Genadio Episcopo Constantinopolitano, presentibus Apostolicę sedis Legatis à S. Leone missis congregatur, in qua de confirmando fidei decreto in Concilio Calcedonensi, & abolenda penitus Eutichiana hæresi sancitum est, ac demum Timotheus inuasor Ecclesiæ Alexandrinę longè in exilium ab Imperatore Leone relegatur, suscepto in eius locum Timotheo alio viro Catholico.

Tandem postquam Euticheti & Dyoscoro à sancta quarta Synodo Calcedoniensi dignitas abrogata est, qui illorum dogma defenderunt, vt testatur Nicephor. lib. 18. c. 14. Ecclesiast. histor. Facta ab Ecclesia Catholica defectione segregatos siue ambigentes seipfos appellarunt, neque vilo modo, vt quæ rectè in Concilio sancto statuta essent comprobarent adduci potuere. Ij in duodecim sectas dissecti sunt, ex quibus per vniuersum Orientem multa millia hæresum pullularunt. Ex quarum sectatoribus quidam (vt notauit Prateolus, verbo, Acephali) Eutichianistę vocati sunt, alij Acephali, alij Monophysistę, alij Theodosiani, alij Iulianistę, alij Tritheitę, alij Agnoetę, alij Theopaschitę, alij Armenij, alij Seueritę, alij Aphartodocitę, alij Phantasiastę, alij Manichæi, alij Phartolatę, alij denique

niq̄ue Scenolatę sunt appellati.

Antesignani vero præcipui post Eutichetem, & Dioscorum fuere Seuerus Monachus, qui sex, lues, atque perditio fuit totius Orientalis Ecclesię, Petrus Damapheus, Theodosius, Iulianus, Alicornasius, Guinus, & alius eiusmodi infelicitum mortalium chorus, omnes isti professione Seueriani, hostesque Concilij Calcedonensis, vt Baronius refert tomo 7. anno Christi 535. inter seipfos more hæreticorum pugnarunt, vt plane acciderit, hoc veluti portento quodam, vt belua sine capite (ita Acephalorum hæresis appellata) eadem pluribus prodierit armata capitibus inter se pugnantibus: nam ex eis primum eminuit caput Seuerus, ex quo denominati sunt Seueriani; ex hoc vero plura alia capita pullularunt, nempe Gaianus ex quo Gaianitę, Theodosius ex quo Theodosiani, Iacobus ex quo Iacobitę, Themistius ex quo Themistiani, numerat adhuc aliud caput Ioannes Damascenus, nempe Barsanium, ex quo Barsaniani, siue Semidalitę, de quibus ait. Hij cum omnia Graianorum & Theodosianorum decreta defendant, aliquid tamen præterea addiderunt de suo, symbolis Dioscori relictis, vt à reliquis Dioscori sectatoribus noscerentur: quorum impiorum dogmatum teste Nicephoro, lib. 18. c. 54. Ecclesiast. histor. sectator atque restaurator fuit Iacobus quidam Syrus genere obscurus, prorsus & nulla gloria vir, à quo maxima ex parte Syrorum gens vsque in hodiernum diem Iacobitę est denominata.

Hæc etiam morbi contagione Sergius Archiepiscopus Constantinopolitanus maximè infectus est, per quæ Monothelitarum siue Monotophytarum hæresis, teste Nicephoro vt supra, admodum est propagata. Fuerunt enim Motholitę inter Accipholos præcipui, & à quibus post Dioscorum & Eutichetem, tanquam ab infecto fonte maxima Orientis pars fuerit infecta: hi enim subtilius hæresim suam velantes, prædicto Iacobo apud Syros prædicante, magnam Orientis partem infecerunt. De Monothelitarum hæresi Nicephorus vt supra c. 45. ita scribit. Quod verò, inquit, fuerit Monotophytarum dogma, à quibus tanquam à radice pessima plurimę alię hæreses pullularunt, seu circulus aut catena ex sese dependentes modo dicam: cum etenim conuenientes in Christo naturas quamlibet per seipsum discernunt, duas eas esse necessitate adducti consentunt. Cū vero vtramque in verbi incarnatione vniunt, non duas illi inconsensibili modo conuenientes naturas, sed vnam compositam naturam statuunt. Nobis enim vnam subsistentiam compositam dicentibus, illi vnam potius naturam compositam inferunt, & rationem sententię suę exemplo confirmantes dicunt, hominem animam obtinere & corpus, & aliam animæ naturam esse, aliam que item corporis, si quis quamlibet per seipsam cõtempletur, cum vero illæ coierint, hominem efficere, vnam naturam compositam

positam obtinentem. Non enim inquit duas naturas hominem dici oportet, sed vnam compositam. Atque ad eundem modum de seruatore Christo opinantur: illum videlicet ex duabus quidem constituisse naturis, post vnionem autem duas illas naturas in vnam euasisse compositā, quod sane Ecclesia tanquam piaculum propus auerfatur.

En inquit) Card. Baron. Tomo 7. vt supra in quo vepres, atq; duneta, inuita loca, so. zbra, abditioque recessus per rupes & precipitia, pr eruptaque scopula, immanū ferarum latibula incurrerint, à recto fidei tramite aberrātes humanæ mētes: En quomodo monstrum monstro iunctum concipiat, pariatque horrenda spectra, atque deformia simulacra! vt ex his prudens quisque intelligere valeat (secundum illud Iob c. 38) vbi lux habitet, & tenebrarum quis locus sit, vt quisque ducat vnumquodque ad terminum suum, & intelligat semitas domus eius: cognoscat scilicet vbi sit fides Catholica; vbi vero hereses habitent. At non hic finis protectorum, alia adhuc prodierūt ex cornuta bestia capita, vt longe ista superet tricipita conficta à Gentilibus monstra: vel septem capitum Hydrā, preter enim eas superius recensitas ex Setero progenitas hereses ad eundem pertinere tradit Nicephorus lib. 18. c. 49. Cauocabdātas à loco quodam ita denominatos hæreticos, Angelitas, etiam & Damianistas, ita dictos ab Episcopis, & locis ijdem nominibus appellati: Nam Angelitas ab Alexandria loco cui nomen erat Angelū, dictos tradit, quibus præterea addit, & Terraditas, Petritas, atque Paulitas, quorum alij Petrum, alij Paulum Seuerianos, sed ab inuicem desidentes confectabantur.

Gignebantur hæc monstra potissimum in Aegypto, que mox post ortum in seipsa vngulas conuertebant, & dentes: vt plane acciderit Aegyptiis secundum illud propheticum Iſaie 19. Concurrere faciam Aegyptios aduersus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, ciuitas aduersus Ciuitatem, & regnum aduersus regnum, & dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus eius, & cōsiliū eius precipitabo: & interrogabunt simulacra sua, & diuinos suos, & pythones, & ariolos, donec tot scelera consecuta est que subditur vltio: Et tradam Aegyptum in manus dominorum crudelium & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Ad hæc planè hereses deducūt populos, vt post abominaciones secum vebāt seruitutem atque desolationem, quam cunctis manifestam ob oculos positam, tam in Aegypto quam alijs orbis Regionibus à Catholica fide refugis, nemo non videt. Hactenus Baronius.

His igitur hæresibus Orientalis ecclesia ad miserrimum perducta erat statum, vbique luctus, vbique dissidia, non solum aduersus Orthodoxos conflictantibus hæreticis, sed & ipsis inter se pugnantibus, adeo vt omnes ecclesiæ in separatas factiones diuiderentur, & eorum præfides inter se ipsos minime vellent communicare, vnde plurimę in Oriente dissensionēs ortæ sunt, qui rerum infelicissimus status vsque in hodiernum diem Ecclesiam illam ipso Pharaonis iugo durior opprimit, nec tamen tot à Deo

Deo inflētis supplicijs, tot Turcārum flagellis ac calamitatibus oppressa non resipiscit. Nationes vero precipuę quę hodie in Oriente prædictis scatenerroribus, alijsque hæresibus quę ex illis veluti ex impurissimo fonte emanarunt, sunt Nestoriani, Iacobitę, Cophti, Abyssini, Armeni, quibus adiungemus etiam Georgianos, de quibus sigillatim acturi hunc ordinem seruabimus. Primo harum nationum errores, ritus, moresque recensebimus, ac obiter quicquid in vnaquaque natione fuerit dignum proferemus. Deinde breuiter præcipuos & veluti capitales errores enarrabimus, tandem pro iuuandis his nationibus Deo fauente aliqua adducemus.

CAPVT II.

De Nestorianorum natione, & eorum erroribus.

DE Nestorij impia blasphemia diximus præcedenti capite, qui duas in Christo non solum naturas, sed & personas agnoscebat, vnam Diuinam, alteram Humanam, nunc de Nestorianorum Orientaliū qui in Babilonia, Persia, atque in alijs Asiæ regionibus versantur erroribus disseramus.

Errores vero in quibus hodie Nestoriani versantur, teste Episcopo Leonardo, & vt accepimus etiam ex relatione Fratris Abdelmesihii procuris Eliæ, Chaldeorum in Babylonia Primatis, siue Patriarchę, hi precipuè sunt.

Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum vespertinis horis in aliquibus Ecclesijs cum Patribus adhuc inuocant Chaldęi, Sanctum vero Cyrillum damnant & anathematizant.

Humanam in Christo naturam, absque persona humana non esse perfectam existimant; ideo duas in Christo asserunt esse personas. Fatentur tamen Christum à primo instante conceptionis esse perfectum Deum & perfectum hominem.

Beatissimam Virginem non vocant Dei genitricem, ne videantur, vt aiunt, asserere cum Iacobitis Virginem genuisse ipsam diuinam naturam trium personarum Diuinarum, cum dictio Dei contineat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & de eisdem prædicetur. Ideo vocant Sanctissimam Virginem Dei verbi genitricem.

Vniuersali sacro Concilio Ephesino primo, & alijs carere videntur.

Clerici omnes apud Chaldæos, & etiam illi Laici qui alios deuotione excedunt, sacram Dominici corporis communionem in manibus pro-

prijs recipientes sub vtraque specie communicantur, ceteri vero laici corpus Domini sanguine intinctum ore assument.

Nuptias in gradibus prohibitis sine superioris licentia etiam in secundo gradu contrahunt.

Sacerdotes mortua prima vxore, secundas & vltiores faciunt nuptias.

Monachi saepius in Monasteria Maadronitas, id est Monachas, siue Diaconissas ingredi & pernoctare permittunt.

Patriarcham non per electionem sicut & aliae nationes creant, sed potius per renuntiationem de vno in alterum, quasi iure haereditario.

Afferunt in fide ab Apostolis tradita nullum Chaldaeorum fuisse haereticum.

Hac de erroribus Nestorianorum orientalium qui in aliquibus Asiae Regionibus versantur, sunt etiam Nestoriani in India Orientali in ciuitate S. Thomae, alijs & oppidis, de quibus Antonius Possevinus 2. Tomo apparatus, verbo Nestorianorum, alios refert errores.

Porro (inquit) cum anno 1599. Goënsis Archiepiscopus in Orientali India Christianos qui dicuntur S. Thomae vna cum Patribus Iesuitis diligentissime visitasset, Synodumque fidei Catholicae, atque discipline Ecclesiasticae restituendae habuisset, factum est vt blasphemiae omnes Nestorianorum non solum interius quam vnquam antea factum fuisset innotescerent, verum etiam plurima eorum volumina siue purgarentur, siue abolerentur. Cum autem, etsi ea lae Europaei non ita sint inquinati, quemadmodum est magna pars eorum qui degunt in Asia, expedit tamen vt qui à sede Apostolica eo mittentur eosdem errores ita norint, vt premuniti solidis Ecclesiae argumentis, eorum populorum salutem facilius curent, librosque erroribus scatentes aut comburant aut facilius expurgent. Sane in ea visitatione à Patribus Societatis partim combulti, partim expurgati sunt sequentes libri.

| | |
|--|---|
| Hudae, & Gaza, hoc est. | Breuiarium, & Thesaurus. |
| Liber qui prenotatur, | Expositio Abbatis E. Saia. |
| Liber, qui dicitur | Memra. |
| Alter, qui inscribitur, | Margarita fidei |
| Alius prenotatus, | Liber Patrum. |
| Alius dictus. | Liber Synodi. (Saluatoris.) |
| Alius cui titulus, | Liber Historiae B. Virg. ac de infantia |
| Liber ordinum, Liber homiliarum, Liber expositionis Euang. Liber | |
| Io. Bar. Caldon. | |

Qui omnes libri, vt diximus, varijs erroribus & haeresibus aspersi, (Nestorianorum praecipue) preterquam quod Nestorium, Dioscorum, &

& alias eiusmodi pestes, tanquam sanctos & Ecclesiae vniuersalis capita venerabantur, pluraque fidei dogmata negantes, ea inuertebant, siue ad Sanctissimam Trinitatem, siue ad Christi Domini Resurrectionem, siue ad personam filij spectantia: Primatum autem Ecclesiae sibi arrogantes, eum in B. Petri legitimo successore haud agnoscebant. D. etiam Cyrillum Alexandrinum, qui eorum haesum fuit strenuus expugnator, detestabantur, & pleraque alia tenebrarum plena docebant.

Quin & integrum volumen passim ignis consumpsit quod inscriptum erat Spar Sammane, id est liber medicamentorum, plenum erat enim nominum Daemoniorum, Veneficiorum, superstitionum, quo vtebantur ferè omnes Cassanares, & ipse potissimum defunctus. Pseudo Archiepiscopus duo volumina apud se habebat Thesauri loco, vbi & cor eius.

Libellus alius, qui dicebatur (Spar Pesa) id est liber sortitum, raquam vbique creditus est igni: fuit enim semper praecedenti medicamentorum libro coniunctus.

Volumen aliud in quo vita multorum Nestorianorum continebatur, (relicta tamen apud illos D. Thomae Apostoli, & Georgij Martyris historia) expurgatum est detruncatis nominibus illorum haereticorum, sicuti & plures aliae blasphemiae alijs in libris reperiae, inter quas reprobabant Concilium Prouinciale.

Quaedam item in nouo Testamento ab haereticis deprauata restituta sunt. Nam quod D. Lucas habet cap. 6. vbi Christus Dominus dixit: Mutuum date nihil inde sperantes. Codices Syriaci habebant Mutuum date, & ne amputeris spem hominis, putabant autem modicam vsuram non esse peccatum.

Lucæ 10. secrevit Iesus è Discipulis suis alios septuaginta, deerat dicitio (duos) sicut & inferius, in eodem capite.

In Actis Apostolorum capitulo 20. vbi dicitur: Regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo: positum erat nomen Christi loco Dei. Nolunt enim posse dici Ecclesiam Dei sanguine redemptam esse, quippe qui negent communicationem idiomatum in Christo.

Epistola prima Ioannis cap. 3. vbi dicitur: In hoc cognouimus charitatem Dei, ablatum erat nomen Dei, ob eandem rationem supra allatam, sequitur enim statim: Quoniam ille animam suam pro nobis posuit: Quod contra Nestorianos erat.

Item ibidem cap. 4. loco versiculi, Omnis spiritus qui soluit Iesum, in Syriaco habebatur: Omnis spiritus qui non confitetur Iesum venisse in carne non est ex Deo. Vera enim lectio molesta erat Nestorianis soluentibus Iesum in duas personas, vnioremque hypostaticam cum humanitate scindentibus.

Item ibidem cap. 5. deerat integer iste versus: Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo. Pater, &c.

Ad Hebræos cap. 2. ubi dicitur sed gratia Dei pro omnibus gustavit mortem. In Syriacis habebatur: Ipse enim propter Deum pro omnibus gustavit mortem.

in Euangelio Ioannis deerat integra historia Adulteræ. Apocalypsis etiam B. Ioannis, & alia desiderabantur, quæ etiam in Bibliorum Regiorum Syriaca editione desiderantur.

CAPVT III.

De Nestorianis qui in Ecclesiæ Catholicæ vnione persistunt.

INter Nestorianos tamen Asiaticos quamplures sunt qui Apostolicæ sedis parent, hij obedientiam prestiterunt Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tempore Pontificatus sæcl. mem. Papæ Iulij iij. & vetus nomen Chaldæos, siue Assyrios Orientales nimirum sese appellantes, reiecto Nestoriano um cognomine, recuperarunt; et pro Capite ac superiore suo habuerunt fratrem Simonem Sulaca ordinis S. Basilij, qui Romam ferebat dictam obedientiam, fuitque confirmatus Patriarcha à Sancta sede Apostolica eiusdem nationis, cum eodem titulo Ecclesiæ Mozal, quam aduersarius ipsius possidebat. Posteaque reuertebatur præfatus Patriarcha in Caramit, & quosdam Archiepiscopos & Episcopos ibi ordinabat, omnesque subditos suos in eadem obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmabat, reijcique iussit inuocationem Nestorianam quæ tunc temporis à Diacono in Ecclesia fieri solebat. Publicabat etiam professionem Sanctæ fidei Catholicæ Roma portatam, alioque Nestorianos in suam deuotionem, sedisque Apostolicæ obedientiam inducere incipiebat, sed subornatione & fraude Patriarchæ Dry aduersarij sui captus, tandem à ministris turcarum occisus fuit.

In Visitationem & confirmationem huius nationis & Patriarchæ missus fuit à sede Apostolica Episcopus Ariansis Ordinis S. Dominici, qui propter persecutionem antedictæ Patriarchæ factam, Sulacæ videlicet post reformationem quarundam rerum, coactus fuit cum Assyrijs quibusdam, in Indiam ad Regna Ormus & Goa, ubi animam Dei reddidit, migrare. Socius autem ipsius Frater Antonius eiusdem ordinis, cum Archiepiscopo Ermete Elia, discipulo præfati Patriarchæ, Sulaca permultos Chaldæos

Chaldæos qui sunt in Coccin, & India Sancti Thomæ visitauit, Romamque reuertens Episcopus Vici à Papa Pio quinto sæcl. mem. creatus est.

Eidem Patriarchæ Sulaca successit Pater Abdesu eiusdem ordinis S. Basilij qui venit ad Consilium Tridentinum, Romæque obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub Pontificatu Papæ Pij quarti sæcl. mem. præstitit, Confirmationem Apostolicam cum eodem titulo Ecclesiæ Musal reportauit; Reuertensque in Caramit & Seert quamplurimos Sacerdotes Episcopos & Archiepiscopos ordinauit, eiusque deuotioni multæ ciuitates Chaldæorum Nestorianorum sese submiserunt, sed paucillos post annos ex hac ad meliorem vitam in Monasterio Ciuitatis Seert migravit; ijque successit Frater Aatalla eiusdem ordinis, qui non habuit Confirmationem Apostolicam, quia eandem Romæ non postularat: Regebat tamen Patriarcharum, nationesque sua assistentia & consilio præfati Archiepiscopi Ermitij Elia, reuersi ex India & Persiam.

Post mortem verò huius Patriarchæ Aatallæ, cum Archiepiscopus de Gelu & Salamas, obedientiæ Patriarchæ aduersarij, cum omnibus suis subditis qui sunt in confinijs Persiæ. sub Sangiaccato de Zeinalbach renunciaffet operâ & studio Archiepiscopi Ermetis Elia, eidem nationi Assiriæ sese adiungebat, Fuitque electus Patriarcha a Prælatis eiusdem nationis, ac sub Pontificatu Gregorij Papæ 13. sæcl. memoriæ, Romam procuratorem suum, præfatum Archiepiscopum Ermetem Eliam misit, qui nomine Patriarchæ sui, debitam Sedi Apostolicæ obedientiam prestitit & professionem sanctæ fidei emisit; Exinde Apostolicam confirmationem & pallium nomine præfati Donha Simonis Patriarchæ sui, in publico consistorio obtinuit; atque ita compluribus mensibus in sanctæ fidei dogmatibus eruditus & de obedientiâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præstandâ certior factus, Romam discessit anno 1582. bullas Apostolicas, pallium Patriarchale, multa insuper ornamenta à Sede Apostolicâ Patriarchæ suo collata deferens, admonitus etiam de omni eo quod sibi penes eundem Patriarcham, nationesque illas exequendum foret.

CAPVT IIII.

De natione Chaldeâ Assyriâ.

CHaldæi Assyrij Caramitani, prædictæ Patriarchæ subiacent, deuoti & morigeri Sedi Apostolicæ, & magistris, qui liberos suos præcepta & constitutiones fidei edoceant, summopere desiderantes.

Hæc natio & Assyria, quatuor habuit Patriarchas, quorum tres à Se-

de Apostolica confirmati fuerunt, qui quamquam titulum Ecclesiæ Musal in Babylonia habuerint; hæc tamen propter alium Patriarcham sibi aduersantem, eamque occupantem, illa potiri nequiverunt, prorsus ut prædicti Patriarchæ varijs in locis modo in Charanit, modo in Serit, residere coacti fuerint, simulque hic postremus Patriarcha in Zeinalbach, in confinibus Persiæ, agere compulsus fuerit; estque hæc natio in hodiernum usque diem sub duobus Patriarchis diuisa, quorum hi Chaldei Assyrj orientales à nobis nuncupati, alij verò Nestoriani dicti sunt.

Horum Orientalium Chaldeorum ditissimi ac potentissimi in Ciuitate Amit resident, qui cum Prælatis suis, obedientiam Sedis Apostolicæ conseruare impendio adlaborant, nec non augmentare, indeque quam plurimos Nestorianos in suam sententiam allectos sibi associarunt. Potentiores autem, & ditiores nationis Nestorianæ subditi Patriarchæ aduersario, illi sunt qui incolunt ciuitatem Mozal & Gesire in Babylonia, sub quo Patriarchatu magnus est gentium numerus, modernusque Patriarcha Elias vocatur, in Monasterio Patriarchali Sancti Ermetis iuxta eandem ciuitatem Musal degens. Hic etiam Patriarcha quondam obedientiam Sedi Apostolicæ præstitit; attamen cum professione sua mittit Religiosum quendam, litterisque ad suam Sanctitatem directis, & ad Dominationem vestram Illustrissimam, quibus etiam sese sanctæ Romanæ Ecclesiæ reunit atque conciliet, quem Romanus appulsurum, vnà cum præfatis Assyrjjs hic operior, illum qui penam Venetæ commisi, eo quod mecum adducere illum nequirem, hæc tamen Episcopus Sydonensis.

Habet autem in præfenti hic Patriarcha (vt ex fide dignis Chaldæis Romæ agentibus accepi) sub se viginti duos Episcopos, territoria sexcenta & amplius, quorum ad minus viginti duo vrbes sunt florentes & opulente, & in quauis earum Nestorianæ familiæ quingentæ domicilia habent; At in Masul, mille, constantque singulæ domus quadraginta circiter personis. Alia autem territoria minuscule, ducentas, vel trecentas familias Nestorianas complectuntur.

Extant ibidem ad minimum triginta ordinis S. Antonij Monasteria, in quibus 15, vel 20. viuunt Monachi; in eo autem in quo Patriarcha fixam habet sedem, septuaginta circiter Religiosi monasticam vitæ normam profitentur.

Porro Patriarcham & Episcopos Monachos fuisse necessum est.

Degunt hi Nestoriani in Mesopotamia, seseque ad Baldach usque extendunt; in India etiam Orientali crebre sunt Nestorianorum familiæ huic Patriarchæ subditæ, qui eis Episcopos præficere solet.

De reductione Nestorianorum & Machariorum in Concilio Florentino

tino facta, vide in bulla Eugenij quarti, quæ incipit. Eugenius ad perpetuam rei memoriam. Benedictus sit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, &c. In quo Nestorij prauitas damnatur, qui purum hominem Christum esse, & Beatissimam Virginem Deiparam, non Dei, sed Christi genitricem esse assererat. Macharij Antiocheni impietas similiter reijcitur, qui quamquam Christum verum Deum & hominem esse profiteretur, diuinam tamen tantummodo in eo voluntatem & operationem, humanitati eius parum tribuens, esse assererat. Thimotheus Archiepiscopus Tarsensis nomine Chaldeorum in Cypro existentium, supradictam detestationem ac dogma suscepit. Ysaac Nuncius Eliæ Episcopi Maronitarum hæresim Macharij reprobatur. Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1445. septimo Idus Augusti, anno quintodecimo. Fuit autem hæc vnio facta post reductionem Armenorum, Iacobitarum, & Mesopotamiæ populorum, eorumque inter se vnionem; verum quia non fuit vniuersalis omnium Nestorianorum, sed tantum eorum qui sub Patriarchatu Insulæ Cypri agebant, idcirco litteræ Apostolicæ, consulto à nobis hic præmittuntur.

Denique professio fidei Catholicæ per Abbatissimum Nestorianorum Patriarcham, facta, habetur in fine tomi S. Bibliothecæ SS. Patrum, & Salacam etiam Nestorianorum Patriarchæ, habetur in tomo Bibliothecæ eiusdem.

CAPVT V.

Errores & ritus Ecclesiæ Alexandrinæ, & nationis Cophtæ, qui hac ætate grassantur.

Patriarchæ Alexandrino (qui hodie Marcus nominatur,) vt refert Guilielmus Tyrus lib. 14. de bello Sacro c. 22. suo tempore obedebat Ægyptus, Lydia, Pentapolis, & omnes aliæ Prouinciæ quæ sub Preti Ioannis imperio viuunt, inter has omnes nationes degunt Ægypti, hoc est Ægyptij quos nos Cophtos appellamus, alij Cophtos nuncupant, quia Græce idem quod circumcisi sonat affirmarunt, qui nomine acritibus Christianis ex parte vtuntur, qui & Christiani præcituræ vulgo vocantur: hi autem quamuis per lauacrum regenerationis renati sint, Iudæ-

Iudæorum tamen ritu præputia ponunt, & veteri quodam errore circumcisionem usurpant: numerat vero Ægyptus quinquaginta circiter Cophitarum millia, sed fere innumeros Æthiopia, hi omnes parent prædicto Patriarchæ, qui vulgariter etiam nominatur Patriarcha nationis Cophitorum: hi quamuis Christiano nomine gaudeant, re tamen ipsa Heretici ac plane Schismatici sunt, variisque scæt erroribus, ritibusque diuersis ab his qui in Ecclesia latina florent. In primis enim Patriarcha Alexandrinus disiunctus ac separatus est à capite omnium Ecclesiarum Pontifice Romano, à tempore Concilij Calcedoniensis. Deinde inter celebrandum Missam Cophiti inuocant Seuerum, Dioscorum & Iacobum eius primum discipulum, eosque patres & sanctos vocant, ostenduntque tam externis actionibus, quam verbis, se nos Latinos habere excommunicatos, & hæreticos, ac proinde Latinorum praxim ac conuersationem ad instar Iudæorum fugiunt. Vnam tantum in Christo Domino profitentur naturam, voluntatem & operationem. Duas verò naturas voluntates & operationes confiteri reculant, ne Christus prout ipsi asserunt in duas etiam diuideretur personas. Licet Spiritum S. à Patre & Filio procedere credant, verba tamen illa, Filioque, in symbolo non recitant.

In hymno trisagio addunt illa verba, qui crucifixus est, dicentes, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis miserere nobis.

Serenissimum Dominum nostrum Papam in ijs quæ sunt fidei posse errare, & Christianæ religioni contraria docere, si iniquus fuerit & voluerit, opinantur. Præter Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum. vniuersales Synodos, nulla alia Concilia vniuersalia hæcenus susceperunt.

Concilium Chalcedonense, & Sanctum Leonem Papam expresse damnant.

Vana vel falsa per Deum iurare non reputatur ab eis peccatum, & illi qui in partibus Ægypti, aliena furantur peccare minimè existimantur.

Circa Sacramentorum vero administrationem pariter errant, nam à Baptismo exordientes, in primis ratum non habent hoc Sacramentum, ne quidem in summa necessitate, si ab alio quam à Sacerdote conferatur, idque præcisè in Ecclesia, etiam si baptisandus de vita periclitaretur, nec etiam ante quadragesimum vitæ diem, quod extra Cayrum maxime in Scitia adeo strictè obseruatur, vt ne quidem imminente præsentissima morte, ante hunc ætatis diem paruulis Baptismus conferatur.

Modus autem baptizandi talis est. Defertur nimirum Infans ad templum, ibidemque ad instar Missæ cum Diacono & subdiacono officium celebratur, sine tamen consecratione vel communicatione, & deinde baptizandus

baptizandus ritu Græco aque immergitur, verba autem Latinorum modo adhibentur.

Statim etiam à Baptismo paruuli chrismanentur, vngunturque Deo sancto in fronte, in pectore, in iuncturis, in renibus, alapa autem non infligitur. Dein vestiuntur cingunturque, & hæc quidem media nocte fieri solent. Postremo autem Missa More solito celebratur, cum cōsecratione, cōmunicatusque Sacerdos, & Ministri sub vtraque specie, Sanctum Eucharistiæ Sacramentum sub eisdem speciebus nouiter baptizato conferunt.

Eucharistiæ sacramentum omnibus sub vtraque specie confertur, fitque in fermentato. Diaconi & Subdiaconi (sine quibus nunquam celebratur) semper cum Sacerdote quoties celebrant, communicant: plebei autem Laici rarissimè extra festa Paschalia. Ministri autem hi solum sunt viginti annorum, aut circiter, qui nunquam confessionem suorum peccatorum faciunt, etiam si singulis diebus communicent; proinde moris est ante vigesimum aut circiter annum nunquam sacramentum pœnitentiæ recipere.

Infirmis autem neque oleum sanctum, neque Eucharistia administratur.

Conferuntur quoque ordines excepto Presbyteratu omni ætati, etiam immediatè post Baptismum paruulis, simulque dantur tonsura, & quatuor gradus, & Diaconatus & Subdiaconatus, nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Vbi sacros ordines recipiunt, castitatem & abstinentiam pollicentur, ieiunare videlicet diebus Mercurij & Veneris, & tempore aduentus, & quadragesimæ: hisce enim temporibus ad occasum vsque solis, quando etiam Missam celestare moris est, ieiunant, insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri ordines conferuntur, pro eis spondent, & hæc vota obseruant ipsorum parentes, donec decimum sextum ætatis annum aut circiter attigerint.

Matrimonium contrahitur in præsentia Sacerdotis & in facie Ecclesiæ, idque ad formam Romanam, quamquam plures ceremoniæ & solemnitates adhibeantur. Id ipsum autem quauis iam consummatum dissoluitur quandoque (quamquam raro) assumente sibi marito aliam coniugem, coniugesque alium maritum. Vtuntur autem hi (vt refert Præteolus verbo Cophiti) in suis Ecclesiis libro quodam fabuloso quem fecerit Petri appellant, & in Missis legunt Euangelium Nicodemi. Hæc ille.

Olim omnes Cophiti circuncidebantur, sed hodie, vt ipsi asserunt, Alexandria & Memphi, seu Cairi, non amplius circumciduntur, forsan post synodum Memphiticam, de qua infra. & si qui alibi circumcisi reperiuntur, Mahumetanorum vi circumciduntur. Verum à parentibus, statim Crucis

CAPVT VI.

Pro adiuuandis Cophtis, siue natione Alexandrina.

INter Pontifices alios qui Cophtorum conuersionis studio flagrarunt
præcipuus extitit Gregor. 13. qui multis legationibus pacis & vniõnis
ad illam gentem missis, eos ad Ecclesiæ Sanctę gremium magna cum
solicitudine adduci curauit.

Re igitur à Legatio Summi Pontificis feliciter incepta, post aliquas
de fide cum Cophtis disceptationes, concilium Memphis cõgregatur, fuit
autem Memphitica Synodus auctoritate Gregorij. Pont. max. anno
1582. in mensem Decembris indicta, qua tres habuit subinde sessiones, in
quibus de ablegandis antiquis Nestorij, atque Dioscori hęresibus, iungē-
disque animis Cophtorum, qui & Christiani Pręcincturę dicuntur, cum
Catholica Romana est actum.

Interfuerunt primo confessui Episcopi & Principes viri

Secundo autē Patriarcha Alexandrię, qui in eos, atque Æthiopiã habet
antiquitus iurisdictionem, Abbates Cœnobiõrum & Primarij viri triginta.

Tertio item iisdem cum Patribus Societatis Iesu Ioãne Baptista Romano
in primis, quos pietas eiusdem Pontificis Max. eò suo nomine vt præ-
sēnt Synodo cum Pontificio diplomate allegauerat.

In primo autem confesso de occasione disunctionis eius gentis à Ro-
mana Ecclesia loquuti sunt, ita vt nostri in pseudosynodum Ephesinam
conijcerent culpam, quam Dioscorus Episcopus hęreticus coegerat haud
legitimam, neque synodi nomine dignam. In ea enim monstrarunt re-
ceptam fuisse Eutichetis insaniam, duas negantis in Christo naturas,
quam Hęresim Calcedonense legitimum Concilium è sexcentis ac trigin-
ta Patribus Leone primo Pontif. max. summa consensione damnasset.
Quo facto eorum Cophtorum maiores homines minime malos certe non
doctissimos, idem fuisse ratos, duas naturas in vnam verbi coniunctam
hypostasim, ac duas cum Nestorij hypostasēs copulare. Id quod antea
vera Ephesina Synodus exploferat. Inde igitur consequentium errorum
fontem ac seminarium extitisse.

Cum autem demum indagandę è suis scriptis (quę vix habebant, &
ea quidem exesa vetustate) tempus petijissent, dimissa tunc est Synodus.

In secundo igitur confesso, cum Cophti mordicus suas hęreses se re-
tenturos

tenturos assererent, contraque nostri antiquissimas Synodos, fidemque
quam illi à B. Marco accepissent, obijcerent, vrgerent quoque duas in
Christo naturas denegari, nil esse aliud, quàm miscere, ac perturbare vni-
uersa: & eodem simul negare mendacio, Diuinum verbum humanam
induisse naturam, id quod Christianę aures non ferunt: in alterum men-
sem reiecta est Synodus.

At in tertio confesso, Deo aspirante Circumcisionis lex primum fuit
abrogata. Deinde post sex horarum disputationem de duabus Christi
naturis, tandem Synodus vniuersa diuino afflatu concordissimè sanxit,
quod ad rem attinet vna cum Catholicis sentiendum, anathematis pœna
proposita, si quis Christum altera natura spoliaret. Qui cum idem Deus,
idem sit verus homo, & diuinã habet à Patre iam inde ab omni æternitate
naturam & humanam; sumpsit ex matre definitis tēporum spatijs; Co-
phtes autem quãquam à duarum abstineãt naturarum appellatione, non
tamen ab ijs Deum & hominem Christum esse negat: Sed ab ea loquen-
di ratione idcirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere
videatur hypostasēs. Sic peracta quidem res est, Calend. Februar. anno
1583.

Sed etsi manus dedere veritati, Sathanas tamen omni conatu prohi-
buit, quin chyrographo quod confessi fuerant confirmarent, tum Pa-
triarchæ Vicario id procurante homine pessimo, qui que ea ratione con-
sequi se posse Patriarchatũ sperauerat, tum morte ipsius Patriarchę; Tur-
cis quoque, nostris in terrimum carcerem coniectis, quasi Orientalem
illum tractum, siue Pontifici max. siue Regi Catholico subijcere vellēt.
Quæ calumnia licet paulo post fuit agnita Turcis, tamen Proregi accepta
fuit occasio, vt quinque aureorum millia nostri persoluerent si vellent
liberari quam summam Cophtis, & mercatoribus numerantibus, cha-
ritas Gregorij Pontif. max. liberaliter restituit. Tum redire coacti sunt
Romam, vbi & deinceps Maronitarum qui degunt in monte Libano se-
minarium auctum est, ac fides subinde in eas oras propagatur. Ex his
perspicuum erit, quò collineandum sit ab his, qui posthac à Sede Apo-
stolica missi, tantum negotium in Oriente sint tractaturi.

In domo Cayri Bibliotheca est, in qua plurimi Sanctorum Doctorum
& Patrum libri Arabico idiomate conseruantur: quales sunt S. Hiero-
nymi, S. Gregorij Nazianzēni, S. Basilij, Traditiones Patrum, multaque
alia scripta, suntque homines quamplurimi scelicis satis ingenij, & me-
morix, vbi per otium, licet summam ex horum librorum lectione iucun-
ditatem & frugem haurientes, docti quandoque euadunt. Tempore Pa-
pæ Clem. VIII. legatio ficta Alexandriæ Ecclesię ad Romanum Pon-
tificem delata est, qua Marcus Patriarcha, & cum eo omnes Ægypti Pro-

uinciae alieque sibi coniuncte ipsum ut par est summum Ecclesie caput vniuersalemque Pastorem agnoscebant, ut late in fine 6. Tomi Cardinalis Baron. scripsit: re tamen postea diligentius examinata cuiusdam Barto- nis impostoris fuisse mendacium ac figmentum apparuit.

Quanta vero his temporibus angustia laboret Alexandrina Ecclesia sub immani Turcarum dominio, que his subduntur tibi facile indicabunt, ut plane terribilem Dei vindictam aduersus eam, & omnes orientales, ubi defecerunt a comunione Apostolicae Sedis immixtam nemo prudens absque mentis horrore, animique pauore, valeat contemplari. Ut de ea lugubre illud Hieremiam carmen sit occinendum. Haccine est urbs perfecti decoris, gaudium vniuersae terrae? Quae enim omnium orientalium Ecclesiarum florentissima & opulentissima erat, eodum paupertatis & angustiae re- daeta ipsis etiam Sacerdotibus, indumentis necessariisque subsidiis ca- ret, variisque alijs modis inopia premitur. Dei namque diram hanc esse vindictam, ut Sacerdotes laborent inopia, quisque intelliget qui Domini sententiam in Eli filios, & eorum posteros promulgatam attendit, cum fore dicit ut rogaturi essent, ut admitterentur ad vnam partem Sacerdo- talem, ut comederent buccellam panis. Et quod ait ipse Dominus per Malachiam, Ad vos mandatum hoc facerdes: si nolueritis audire mittam in vos egestatem, &c. Iteratumque plane quod per Isaiam de Aegypto praedixerat: Tradam Aegyptum in manum Minorum cru- delium, & rex fortis dominabitur eorum Tale iudicium & reliquos subi- turos qui ab Apostolica sede rebellat: ut cladibus pressi cogantur tandem cognoscere & inuocare Matrem, cuius se filios esse negarant. Sed non de- sperandum post tot secula quibus Ecclesia Alexandrina angustijs & miserijs oppressa est, quod tandem e tenebris emergens ad lucis radium apertis ocu- lis salutem impetrabit, secundum illud Propheticum: Clamabunt ad Do- minum a facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnatorem qui liberet eos, & agnosceatur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptia Dominum in die illa, & colent eum in iustitijs.

CAPVT VII.

De natione, erroribus ritibusque Abyssinorum ac
methodo illos iuuandi.

Sub Imperio Regis potentissimi, quem Europei Presbyterum Ioanem
vocat, inter magnos etatis nostrae Monarchas merito recensendi, ut
qui

qui inter vtrumque Tropicum a mari rubro ad Aethiopicum fere oceanum perringit, degunt Abyssini; his autem Alexandrinus Patriarcha praest, cui in suis ritibus omnis subijcitur Aethiopia, quam & per Memphiticis administrat Episcopos. De Aethiopum moribus, fide & Religione, alijsque illius Regionis proprietatibus consulat lector Franciscum Aluaresium qui diligenter admodum quae in sua legatione obseruauerit descripsit, & Ioannem Bermuoesium qui suam quoque legationem ad hos Abyssinos lingua Lusitanica edidit, ac Damianum a Goës in libello de rebus Aethio- picis ad Clemetem VII. qui insertus in historia Lusitanica, vel simul cum libello de moribus gentium circumfertur, ac denique Patrem Ludouicum Guzman Prouincialem Societatis Iesu Tomo primo de missionibus suae Religionis.

Est in his regionibus magnus vtriusque sexus Monasteriorum numerus Monachi quadragesimale ieiunium, quod apud ipsos quinquaginta diebus continetur, aqua ut plurimum & pane obseruant, etsi plures eo tempore etiam a pane abstineant, herbis dumtaxat contenti: Sacerdotes Presby- terique sunt coniugati, Missam celebrant, processiones crucibus, tribu- lisque peragunt: plura apud Aluaresium de eorum viuendi more & Religione. Illud vnum subijciam Abyssinos maiori ex parte recte sentire de Primatu Romani Pontificis: in primis id constat ex literis ipsorum Imperatoris Dauidis (quae apud Damianum Goës) ubi Dauid Aethiopiae Rex poten- tissimus, & ipse prorsus agnoscit Romanum Pontificem caput omnium, atque adeo etiam patrem suum in epistola ad Clementem VII. P. M. ap- pellant, haec eius verba: *In nomine Dei Patris omnipotentis creatoris caeli & terra, visibilium & inuisibilium. In nomine Dei Filij Iesu Christi, qui est idem cum ipso a principio mundi; & est lumen de lumine, & Deus verus de Deo vero. In nomine Dei Spiritus Sancti Dei viui qui processit ex Deo Patre. Has litteras ego Rex mitto, cuius nomen Leones venerantur, & Dei gratia vocor Arani Tinghil, id est, Christus Virginis, filius Regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis per manum Mariae filius Naue per car- nem; Filius Sanctorum Petri & Pauli per gratiam. Pax sit tibi iuste Domine Pater san- cte, potens, pure, sacrate, qui es caput Pontificum omnium; & neminem melius, cum nemo possit tibi maledicere, qui es vigilantissimus supra animas curator, & amicus peregrinantium: consecratus Magister & predicator fidei, & earum rerum Locus, quae conscientiam offendunt; amator optimorum morum, vir sanctus, quem omnes laudent & benedicunt. O felix sancte Pater, ego tibi reuerenter obedio, cum sis pax orantium, & cum cuncta bona merearis; & ita aequum est, ut omnes tibi obedienciam praestent, sicut sancti Apostoli praecipunt, & apud Deum hic verè iustum est. Ita etiam praecipunt ut vene- remur Episcopos, Archiepiscopos & Praelatos. Similiter ut te loco Patris amemus, & loco Regis vereamur; & tibi uti Deo, fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter ad terram genibus flexis, tibi Pater Sancte, sincero admodum corde quod tu pater meus es, & ego filius tuus, &c.*

Deinde

Deinde Nicodemus Abbas Æthiops, & Hierosolymitanus, Vicarius Patriarchæ apud Sanderum de visibili Monarchia Ecclesiæ Anno 1432. Palam est inquit, eos qui à Romana Ecclesia defecere, corruisse; & dum quisque suam fidem veriorum prædicat, quæ à Dæmone est, relicta Apostolorum sententia, in vias sui sensus abiisse omnes: Æthiopicam tamen integram liberam perdurasse, quia nequaquam perfidia & voluntaria defectione ut alia Ecclesiæ peccasset; ac propterea in seruitutem & exterminia non incidisse, sed locorum distantia, & itinerum periculis seiunctam fuisse, nec non Pontificum negligentia accidisse, ut nulla visitationis memoria, aut litterarum ratio apud eos à quingentis annis extaret; Nihilominus Æthiopes tanta veneratione sedem Romanam colere, ut pedes eorum osculentur qui Roma veniunt in Æthiopicam, vestiumque eorum partes rapere, & reliquiarum loco seruare. Nec mirum, si enim Regina Saba abijt Hierusalem ut audiret sapientiam Salomonis, plus quam Salomon summus Pontifex est: Regem item Æthiopum tanti facere Romanum Pontificem & Latinorum fidem, ut nihil æquè in votis habeat, atque ut cum Romanis iungatur Æthiopes, & se Pontificis subdat pedibus; auidissimeque amplexurum esse quæ de concordia ineunda stantur in Synodo. Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fateatur, suoque splendore orbem illustrare: Cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Imperatores, & Reges inclinantur: nec se Legatos disputandi gratia mittere, sed ut summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequantur. Quis enim, ait, solilumen auferat? Ingens est, inquit, & vetusta Latinorum scientia, & orbi nota, nec oportet Discipulum esse supra Magistrum: Hæc ille in suis litteris Anno millesimo, quadringentesimo quadragesimo primo, die decimo octavo Octobris, ad Eugenium iiii missis. Addit his omnibus, se assuturum Pontifici inscijs Iacobitarum Patriarcha, & Saracenis, ne vi, vel ambitione aliqua impediatur.

Sed quid de hoc sit multa sunt in quibus à nobis Abyssini disident, quorum aliqua ut veræ fidei Catholicæ contraria, emendari & corrigi oportet, utpote quæ vel manifestam hæresim, aut crassam, vel forte inuincibilem continent ignorantiam, alia vero ad diuersitatem cultus, siue sacerdotum rituum referenda sunt: breuissimè igitur de harum gentium erroribus, ritibusque dicemus.

Errores

CAPVT VI.

Errores qui Abyssinis attribuuntur.

DE erroribus Abyssinorum certò aliquid definire sane difficile videtur. Primo quia Scriptores non pauci qui de natura harum gentium, moribus, & fide commentarios ediderunt, eos ut veræ Religionis cultores commendarunt: Et si authores alij, Orientalis Ecclesiæ rituum ignari, consuetudines etiam in illa gente laudabiles censeat, imò & in alijs etiam rebus Abyssinorum errores accusantibus alijs, plures etiam eos ab hac nota excusent. Quare ægrè ferrem, ante exactum examen recitatis tot illis imponere errores, nisi in vnoquoque breuiter aliorum opiniones referrem.

Primus error. Cum Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarchæ (à quo Abyssini simul cum religione errores ebiberunt) à fide catholica in multis defecerit, sectantes eius vestigia in eandem foueam lapsi sunt: Nam ut nunc omittam Dyoscori errorem quem Abyssini sicut & alij Orientales sequuntur & colunt, in alijs tamen rebus tum ad fidem tum ad ritus spectantibus Æthiopes ab Alexandrina Ecclesiâ non rectam neque integram fidei Christianæ regulam sequuntur. Et imprimis licet reuerentiâ aliquâ Romano Pontifici exhibeant, non firmiter sentiunt de primatu Romanæ Ecclesiæ, ut videre est apud Franciscum Aluaresum in historia Æthiopicæ cap. 72. quamuis Zagarabus illius gentis quasi Episcopus, in declaratione religionis & rituum Abyssinorum, Summi Pontificis primatum apud ipsos ex cõstitutionibus Apostolicis teneri fateatur, qui in hac re subscribere videtur sententiæ Nicodemi Abbatis superius relatæ.

2. Errant præterea & consequenter Abyssini tria tantum Concilia Generalia recipientes, nempe Nicænum, Constantinopolitanum primum & Ephesinum, ut videre est apud Diamanum Goës in confessione Zagazabi. Quare cum sanctam Synodum Calcedonensem non admittant, inter hesitantes hæreticos merito sunt annumerandi: Hi enim teste Nicephoro lib. 18. cap. 45. historiæ Ecclesiasticæ, & Leontio de sectis hæreticorum, postquam Euticheti & Dioscoro à Catholica Synodo dignitas abrogata est, qui illorum dogma amplectabantur ab Ecclesia recedentes, ambigentes siue hesitantes se ipsos appellarunt, hunc tamen errorem simul cum alijs Orientalibus attributis suo loco conuincimus.

3. Cum Matrimonium ex Christo, sancta que vniuersali Ecclesia indissolubile sit, quamdiu alter coniugum vixerit, Abyssini diuortium ex le-

ui etiam

ui etiam causa permittunt, ita vt superstite altero coniugum, vt affirmat Aluarezus in Historia Æthiopica cap. 18. alter vxorem ducere possit: nec mirum est vt ij qui diuortium ab Ecclesia Catholica fecerunt, cuius coniunctio indissolubilis cum Christo capite per matrimonium designatur, in diuortium Matrimonij carnalis contra expressam Christi sententiam facileruant.

4. De Sacramento Confirmationis neque extremæ vnctionis, non inuenio apud Æthiopum scriptores expressam aliquam mentionem: proinde mirandum non est, si infirmati in fide iades inueniantur. Forte Sacramentum Confirmationis simul cum Baptismo conferunt, vt affirmat Zagazabus quod & ex veteribus aliquos fecisse constat: sed tunc errant existimantes Confirmationem à simplici sacerdote posse ministrari: quod est contra Concilium Florentinum.

5. Errant præterea grauius Abyssini circa Sacramentum Baptismi, dum in die Epiphaniæ teste Aluarezio, benedicto prius aquarum itagno trina immersione tam mares quam fœminæ præmissa forma Baptismi, quotannis rebaptizantur: qui ritus in vsu est (vt Possesinus docet in cõmentario de rebus Moscouiticis ad Religionem spectantibus) apud Græcos orientales. Error tamen hic quantum conijcere possum, à Nouatiano-rum hæresi ortum habuit, qui falso existimantes non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi lapsos, vt illi sine spe non remaneret; alterum Baptisma Abyssini admiserunt, (vt ex eodem Aluarezio non obscure colligitur) oblici constitutionum Apostolicarum in quibus lib. 2. cap. 41. & lib. 6. cap. 15. Apostoli pœnitentes non per secundum Baptisma sed per manuum impositionem, hoc est per pœnitentiam recipiendos expressè docent, & non recedentes quod in symbolo Nicæno dicitur Confiteor vnum Baptisma.

6. Præterea simul cum Baptismo Abyssini Circumcisionem colunt, non quia existiment vt ipsi fatentur, circumcisionem nunc esse ad salutem necessariam, sed vt in omnibus Christo Domino vt ipsi dicunt assimilentur. Ita Zagazabus apud Goës, & alij quamplures auctores, quamuis non deficiant historiographi, qui ritum circumcisionis apud illos in vsu versari ea solum de causa æstiment, vt simili signo se originem à pro-sapia Dauidica ducere profiteantur: ita tenet Genebrardus lib. 1. Chronograph. & alij historiographi quam plures. Tamen si velimus huius ritus altiores radices quærere, forte aliam non contemnendam inueniemus rationem, si præmittamus circumcisionis vsum, non solum ad Hebræos, sed & ad alias nationes extraneas, vt Ægyptios, & Æthiopes, & Colchos permanasse, sic Herodorus lib. 2. testatur, qui apud Ægyptios, & Æthiopes antiquissimum huius ceremoniæ vsum agnouit, quem sequuntur

Diuus

Diuus Cyprianus sermone de ratione circumcisionis, & D. Hieronymus in Ieremiæ 9. Prædicti autem populi non utebantur eo signo, vt resacra, Sacramentum aliquod continete, neque ad profitendam legem, vt Hebræi, sed solum ex humana quadam consuetudine, præsertim cum hoc facerent ad imitationem quandam, (vt Cyprianus docuit) suorum parentum. Quare cum Æthiopes circumcisionis antiquæ obseruatores ritum hunc, non vt legem Mosaicam, sed vt morem maiorum obseruarent, tempore prædicationis Euangelicæ, vel non fuerunt à paterna traditione prohibiti, vel ab ea impediti iterum ad vomitum redierunt, sicq; in hunc vsque diem permanere: quare in hoc forsam materialiter tantum errant, vt latius prosequar in cap. sequenti de iuuandis Abyssinis.

7. Alius etiam error Abyssinis consequenter attribui solet, nempe legem veterem simul cum noua censere obseruandam, quod tam ex circumcisione, quam alijs ritibus, & obseruationibus Iudaicis aliqui voluerunt colligere: id tamen manifestò non constat, nam si legem veterem nunc ab ipsis obseruandam tenerent, nulla ratione affirmarent circumcisionem quæ in lege veteri fuit in præcepto, non esse necessariam ad salutem. Et licet sabbathum obseruent, & à sanguine & suffocato abstineant, id non vt obseruatoribus legis, sed vt antiquæ traditionis Ecclesiæ Orientalis cultoribus tribuendum est. Quid vero censendum sit de circumcisione & alijs ritibus veteris legis, infra dicemus.

8. Errant insuper Abyssini existimantes animas rationales non creari; sed per feminalem propagationem non aliter ac brutorum traduci; qui fuit antiquus Tertulliani, & Apollinaris error, vt refert Augustinus; hæresi 86. & D. Thomas 2. contra gentes cap. 86. de quo errore infra.

9. Detestanda etiam est Æthiopum hæresis credentium animas Infantium decedentium ante Baptismum, eo solum saluari quia orti sunt à parentibus fidelibus. Existimant enim Eucharistiæ virtutem à matre tempore prægnationis susceptæ prodesse infanti in vtero existenti, ita affirmat Episcopus ille Zagazabus, & Aluarezus cap. 19. Quare cum Pelagianis peccatum originale de medio tollere videntur, hi enim (vt author est D. Augustinus lib. 2. contra Iulian. cap. 2. & 3.) non esse in hominibus, maxime vero in filijs fidelium, peccatum originale temere affirmarunt. Et nostra ætate Bucerus & Caluinus, in filijs fidelium negant peccatum originale, quos dicunt sanctos nasci, & saluari sine Baptismo.

10. Præterea traditiones sanctas non admittunt, solumque verbo Dei scripto fidem dicunt se habere (vt Aluarezus cap. 78.) numerantq; inter scripturas sacras Apostolorum canones, quorum doctrina, vt catholica & de fide in omnibus gubernantur,

11. Nullas pro defunctis oblationes habent, nec sacra faciunt pro viuis, fortè, vel quia existimant illis non prodesse, aut quia Purgatorium cum Græcis non agnoscunt: quamuis Zagazabus in confessione sua fidei Purgatorij meminerit: imo & ipse Aluarezus parum constans contrarium affirmat in sine cap. 105. Et hoc verius existimo, nam in Canone Missæ Æthiopicæ, quam ex lingua Chaldaica transtulit Genebrardus, orant pro Patribus Concilij Constantinopolitani, & Ephesini; & in orationibus quæ in Catechizandis sacrum baptismum suscepturis apud eundem Genebrardum Tomo 6. Bibliothecæ sanctæ circumferuntur, similiter orant sæpius pro defunctis.

CAPVT IX.

De varijs Abyssinorum ritibus.

Cum in Ecclesia varij sint ritus, quos prudenter ratione diuersarum gentium Apostoli instituerunt, Abyssinorum gens, si quæ maximè antiquorum rituum est tenacissima. Exponam igitur eorum præcipuas obseruantias, vt sic constet quid inter Catholicam Romanamque Ecclesiam, atque Æthiopicam inueniatur discriminis.

Primus ritus, In primis Sacerdotes Græcorum more ante Sacerdotium vxores ducunt, & in Sacerdotio eis vtuntur.

Secundus, Cum Græcis non solum tenent Sabbatho ac Dominico die non esse ieiunandum, idque ex Apostolorum Canonibus præceptum existimant: sed etiam antiquam Orientalis Ecclesiæ de obseruatione Sabbathi, simul cum die Dominica consuetudinem sequuntur: quare in quadragesima Sabbatho & Dominica die vescuntur carnibus.

Tertius, Abstinent præterea (vt ipsi arbitrantur) ex Apostolorum decreto à sanguine, & suffocato, nescientes præceptum illud aduersus Idolorum cultores latum fuisse, habentque præterea in alijs ciborum delectum.

Quartus, Pueri ante quadraginta dies baptismo non abluuntur, statim vero vt baptizantur Eucharistia illis confertur, retinentes in hoc antiquum Ecclesiæ vsus approbatum à sancta Synodo Tridentina sess. 21. cap. 4. de qua optime Paulinus Nolæ Episcopus in Epistola ad Seuerum fratrem hoc carmine scripsit.

*Inde parens sacro ducet de fonte Sacerdos
Infantes niueo corpore, corde, habitu:
Circundansq; rudes festis altaribus agnos
Cura saluferis imbuuit oracibus.*

Quintus,

Quintus, Quotidie secundum antiquos Apostolorum canones, vel saltem diebus festis omnes comunicant, ministraturq; Eucharistia etiam laicis sub vtraque specie. In matrimonio saltem affinitatis gradus non verentur. Nam vt olim in lege, frater fratris defuncti vxori sine vlla dispensatione matrimonio copulatur, vt tradit Aluar. cap. 76.

Sextus, Sancto Quadragesimæ ieiunio integram addunt hebdomadam, & totius anni spatio quarta & sexta feria ex Apostolorum traditione ieiunium obseruant, eo quod his ferijs ablatus fuerit sponsus, nam quarta Domini traditionem pactus est Iudas, sexta vero crucifixus est pro nobis benignissimus Iesus.

Septimus, In sacra altaris oblatione azymo pane (teste Aluarezio cap. 9.) vtuntur, quamuis alij fermentato affirment, musto vero ex vuis pæsis confecto loco vini.

Octauus, Supremum tam in temporalibus, quam spiritualibus iudicium tenet Imperator, ad eumque omnes causæ tam Clericorum, quam Monachorum deuoluuntur: quamuis Patriarcha suam etiam spiritualem exerceat potestatem.

CAPVT X.

Pro iuuandis Abyssinis.

Non videtur res vlla vehementiori desiderio aut sollicitudine maior à Sede Apostolica procuranda, quam per amplæ Ecclesiæ Æthiopicæ vnio; quippe præter animarum multitudinem quæ à recta veritatis semita, in ea aberrant, hoc magis dolendum accedit, quod errores quibus inuoluuntur, quodammodo inuoluntarij existant: etenim in eos non ex superbia aut pernicacia aliqua aduersus S. Ecclesiam lapsi sunt, sed propter aditus, per quos ad eos vera Ecclesiæ illuminatio & auxiliatio dimanare poterat, sibi præclusos; accedit huc, quod promptissimos semper ad fidelitatem & obedientiam Sanctæ Ecclesiæ præstandam sese exhibuerint. In hoc solo difficultas omnis sita est, vt via & modus cum Æthiopicis communicandi detegatur, qui veluti propositam sibi fidem, iam inde à temporibus Salomonis in hodiernum vsq; diem firmiter amplexi sunt, ita pariter à præsentibus erroribus extricati (quos salubrium institutionum penuria, & simul eoquod Patriarchæ Alexandrino subsint, imbibent) facili negotio ad Euangelij synceritatem reuocari poterunt, multisque animabus, (proh dolor) tot ærumnas, vigilias, ieiunia aliaque rigorosas obseruantias, ex sola ignorantia, perperam & absq; merito sibi imponi patiuntur, veridica salus adducetur.

Bini ad communicandum eum Æthiopicis patent accessus; Prior per Cayrum ductu Carabanz, quæ in Æthiopiâ transfretat, qui tamen ob assiduas & strictissimas Turcarum vigilias, perarduus ac periculosus foret: siquidem Christianorum nemo, cum detectione confœderationis Christianorum Europæorû cum Æthiopicis, in Æthiopiâ citra præsentissimum vitæ discrimen concedere posset. Accedit huc, quod Patriarcha Alexandrinus, & ceteri Copti idem maximoperè vereantur, ne scilicet Abyssini, reiecta vnione cum Ecclesia sua, Romano Pontifici adherent, ideoque vehementer aduigilant, ne Europæi ad interiorem penetrarent Æthiopiâ. Quocirca nisi Arabs quis foret, vel talem sese fingere posset, assumpto mercatoris habitu, supra dictâ viâ, nullo modo patet ad eundem locum. Nisi id fiat per nauigationem Portugaliæ, mare rubrum transfretando per statum Barganensium, qua alias ad communicationem transitus patuit; verum modò Turca terras omnes Presbyteri Ioannis mari Rubro confines inuasisse dicitur: atque ideo ad patefaciendum aditum hunc, Lusitanorû classem aliquem illorû portum expedientissimum necesse foret inuadere, armorumque vi manu tenere, quemadmodum alij plures in India Orientali occupantur; res procul dubio summi momenti. Ac primum Presbytero Ioanni res patefacienda foret, quo terrestri expeditione, nostrisque naualibus certæ victoriæ reportarentur, præcipuè cum loca ista tam remota sint ab ijs in quibus Turca suas copias fouet, ac præterea Persiano Turcam alijsque Principibus vndique prementibus. Atque eo pacto Æthiopes nostris coniuncti Ægyptum & Terram sanctam possent forsân recuperare: habent enim illi certas prophetias, firmamque spem, quod Latinis vniti Terram sanctam sint occupaturi.

Alia insuper via est facilior forsân magisque expediens, scilicet per Regnum Congi, cui adiacet Regnum Damut, quod subest iurisdictioni Presbyteri Ioannis, quamquam inter Regnum Congi, & Damut, Regnum quoddam gentilium interiacere credatur, quo non obstante si primum Presbyter Ioânes certior factus foret per litteras Sacerdotis suæ per Abyssinû aliquem trãslatas ex ijs qui Romæ degunt, vel etiam qui Hierusalem proficiscuntur, quibus Sua Sanctitas indicaret se legatos suos mittere ad Regnum Congi, ac proinde rogaret, ab eo Vice regem Damut interpellari ac moneri, vt viam illam ad vicinum Regem patefaceret, periculaque & impedimenta quoad fieri posset maxime remoueret, ac saluos securusque in Damut perduceret, atque inde ad præfati Regis Curiam. Aliæ præterea ad Regem Congi scribendæ forent litteræ, quibus Legatorum prædictorum liber per Regna ista transitus peteretur, ac sic vel per vnâ vel per aliam viam, vel per Congum vel Damut securus aditus inueniretur,

tur, ac quæ à Gentilibus obijci possent impedimenta euitarentur.

Abyssini proximi sunt vnioni cum Ecclesia Romana, tum quia non obscurè percipiunt Ecclesiam Alexandrinam varijs esse erroribus affectam, ac proinde ab impurissimo fonte non posse fidei puram emanare doctrinam, quam ob causam teste Aluaresio cap. 98. Imperator Cyriacus decreuerat non vltra acceptare in Regnis Æthiopiæ Patriarcham ab Alexandrina Ecclesia missum, aiebat enim se potius velle Regna perire, quam Patriarchis hæreticis obedire & ob eam causam quam maximo desiderio ferebatur, vt Romanus Pontifex sibi de Patriarcha prouideret, fuitque in hac opinione & sententia vsq; ad mortem. At post ipsum Imperator Alexander eius filius tredecim annis in Patris opinione permansit, sed eadem coactus necessitate Ministrorum mutauit sententiam: tum etiam quia apud illas gentes prædictio quædam à Patribus deriuata circumfertur, Patriarcharum numerum vltra centesimum non extendendum, qui numerus iam est impletus. Habent etiam alias prophetias quibus per aduentum Europææ gentis in Regiones illas, magnum ipsis promittitur emolumentum. Ac demum cum ipsi sint à Turcis inclusi, nec portu aliquo gaudeant, sperant Europæorum auxilio & armis liberari portumque obtinere. At quæ maxime expedire videtur, vt illi ab Ecclesia Alexandrina, quæ origo & occasio est illorum damnationis, discedant.

CAPVT XI.

De Æthiopica lingua & de alijs pro vnione Abyssinorum.

Marianus Victorius Reatinus vsus in hoc Petri cuiusdam Æthiopicæ lingue Æthiopicæ eruditissimi ope, institutiones siue regulas quasdam quibus hæc lingua commodè perdisci posset composuit, nunquam antea à latinis visas, Romæque edidit Anno Domini 1550. opus sanè vtile ac eruditum, cuius hæc est inscriptio. Caldaicæ siue Æthiopicæ lingue institutiones. Nam vt ipse Victorius affirmat, sicut Chaldæa lingua pædet ab Hebræa, ita à Chaldæa pendet Syriaca, Arabica, & Æthiopica: quamobrem Chaldæa ipsæ quoque sunt appellatæ: quæ quinque lingue tanta inuicem conuenientia ac similitudine conjunctæ copulatæque sunt, vt qui vnâ optime calleat, aliam quoque haud parua ex parte intelligere possit. Docet etiam linguam Æthiopicam omnium celeberrimam esse, atque earum quæ ab ipsa Chaldæa seu Babylonia exoriuntur emendatissimâ, vt quæ ab

omni bellorum externorum incurfione, expers, immunis, incorruptaque femper permanferit.

Deinde de huius linguæ origine in prædictarum institutionum agens, fic ait: Æthiopicâ linguam quam Chaldæam vocant Æthiopes, veluti quæ à Chaldæa Babylonica exoriatur, Hebraicâ quâ maxime fimilem effe haud dubium eft: quod euenit quia ab Hæbræa non fecus quam Syriaca, Arabica, ac etiam Babylonica, quam Aſyriacam etiam appellamus, originem ducit. Scimus tamen Æthiopes contrarium aſſerere, velleque Hebraicam poſtერიorem, & à ſua progenitam potius effe. Vt cumque ſit, ſatis ex hoc conſtat facillime perdiſcere hanc poſſe, qui Hebraicam ipſam calleat, ſiquidem maior nominum pars vtriuſque linguæ communis eſt, ſuntque eadem fere in Grammatica regulæ, idem dictionis genus, ijdemque in deſcribendis ſignandisque vocabulis literis ritus: nam vbi Hæbræi punctis lineiſque exterius literæ appoſitis vocales explicant, Æthiopes quoque idem faciunt, differuntque in hoc vno quod lineam ipſam punctumque exterius haud aſcribunt, ſed ipſiſmet literis coniungunt. Eſt & alia differentia, quod interdum Æthiopes non ſolum lineam non adiungunt, ſed etiam partem ipſiuſmet literæ detruncant, atque reſcindunt. Haftenus Victorius.

Præterea lingua Æthiopica fuerunt olim Romæ Biblia conſcripta typiſque mandata, ego autem epiftolas tantum D. Pauli vidi. Genebrardus Miſſam quam Æthiopes celebrant, ſimulque alias cæremonias circa puerorum Baptiſmum in linguam latinam tranſtulit, quæ hodie inſerta eſt Tomo 6. Bibliothecæ Sanctorum Patrum.

Pro iuuandis Abyſſinis maxime præderit conſtitutiones ſiue canones Apoſtolorum cum doctiſſimi Turriani commentario præ manibus ſemper habere. His enim Abyſſini in fide & moribus tanquam vni ex libris Canonicis fidem adhibent, illiſque gubernantur: vtuntur verſione 70. Interpretum, quare oportebit dum cum illis agitur vti hac etiam verſione.

Qui Abyſſinorum res omnes noſſe deſiderat, attentiſſime legat Albuſreſij hiftoriam, quam prius ipſe Luſitanica lingua edidit, poſtea vero in Hiſpanam, ac tandem Italicam traducta circumfertur. Pro erroribus vero ac ritibus certo diſcutiendis illius Zagazabi Æthiopum quaſi Epifcopi apud Damianum Goës de Abyſſinorum fide & Religione declaratio attentè erit perlegenda, quia nullibi apertius huius gentis fides, mores, religio, ritulque conſpiciuntur.

Inter alia media vnioni Abyſſinorum cum Eccleſia Latina maxime conducentia, ac quæ maxime expedire videntur, vt illi ab Eccleſia Alexandrina, quæ origo eſt illorum damnationis, diſcedant, illud potiſſimum ſe offert vt Sanctiſſimus provideat, & vt clarius loquar, diſpenſet, vt ex Abyſſinis

Abyſſinis ipſis ad Patriarchatus, Epifcopatus aliarumue dignitatum adminiſtrationem poſſint perſonæ digniores aſſumi. Nam ex decreto Concilij Nicæni tam Patriarcha quam Epifcopi, debent effe alterius nationis, vt conſtat ex Canone 30. de Patriarcha & Epifcopis lib. 3. Concil. Nicen. cuius verba ſunt.

Vt non poſſint Æthiopes creare neque eligere Patriarcham. Quin potius eorum Prælati ſub poteſtate eius ſit qui tenet ſedem Alexandria, ſit tamen apud eos loco Patriarcha, & appelletur Catholicus: non tamen ius habeat conſtituendi Archiepiſcopos vt habet Patriarcha: ſiquidem non habet talem poteſtatem. Et ſi acciderit vt ſi Concilium in Græcia habeatur, fueritque præſens hic talis Patriarcha Æthiopum, habeat ſeptimum locum poſt Prælatum Seleucia quæ eſt in Prouincia Babylonia in Regno Zabur: & quando facta fuerit ei poteſtas conſtituendi Archiepiſcopos in Prouincia ſua, non licebit ei conſtituere aliquem ex illis. Et quicumque non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

Circa hoc decretum notandum, eam praxin hodie pro electione Patriarchæ ſeruari, vt refert Zagazabus, quod Religioſi ex Abyſſinis qui Hieroſolymis degunt, eligunt ſiue nominant Patriarcham ex natione Cophorum, quem confirmat Patriarcha Alexandrinus. hic electus & conſtitutus totius Æthiopiæ Patriarcha, poſtea ex ipſis Æthiopicis maxime aptis & idoneis creat Archiepiſcopos, quibus vniuerſa Æthiopia regitur & gubernatur: illi autem ſunt qui maiori ex parte vnionem cum Eccleſia Romana conantur impedire. Igitur vt Abyſſinorum Imperator alijque Procera illius nationis allicerentur ad vnionem cum Eccleſia Romana procurandam, hoc vnum inter alia iuuaret maxime, vt ſummus Pontifex de plenitudine poteſtatis vtpote ſuperior Conciliorum decretis, in rebus ad regimen ſpectantibus diſpenſaret in prædicto canone, vt tam Patriarcha quam Epifcopi deinceps ſumerentur ex ipſis Abyſſinis.

Denique vt Abyſſini facilius reducantur, oportebit ſane illos ritus & cæremonias illis permittere, quæ ſalua fide Catholica tolerari poſſunt, maxime in principio, quoadulque firmentur in fide. Sed quia magna eſt apud Authores aliquos de Circumciſionis ritu apud illas gentes vſitatio, præter ea quæ ſuperius annotauimus, placuit hic breuiter aliqua pertractare,

CAPVT XII.

An Abyssinis ab Ecclesia Catholica permitti possit
ritus Circumcisionis, non tam Religionis quam
honoris gratia introductus.

IN hac re in primis de fide statuendum est, circumcisionem, sicut & alia legalia post Euangelij promulgationem omnino extinctam esse, & non solum mortuam, sed obseruantibus mortiferam: ita definitum est in Concilio Florentino sub Eugenio quarto. Cherinthus enim, & alij Hæretici existimarunt legem veterem non cessasse, sed nunc simul cum noua obseruandam esse, teste Epiphano hæresi 28. & August. hæres. 8. Idem tenuit Ebion, vt docuit Ireneus lib. 1. cap. 26.

Secundo certum est, obseruantiam aliquorum legalium non vt legalia sunt, posse adhuc licite obseruari, & de facto obseruantur à Catholicis; Et vt clarius constet de hac propositione, prænotare oportet quatuor modis posse cæremonialia obseruari.

Primo, vt legalia sunt, id est ad seruandam legem, ex cuius institutione erant introducta, qua ratione præcisè ea seruauit Christus Dominus, vt patet de Circumcisione. Secundo, non vt legalia solum, sed etiam vt figuralia, erant enim cæremonia ista per se primo instituta in lege veteri, vt figura Christi venturi, vt optimè docet D. Thomas 1. 2. quæstione 104. art. 3. in corp. & hac ratione seruauerunt cæremonias illius legis Patres antiqui. Tertio modo possunt seruari cæremonia istæ, neque vt legalia neque vt figuralia, sed tantum ad protestandam excellètiã diuinã, vt ostenderetur cæremonialia legis mala non fuisse, sed bona, & à bono authore, atque vt ita Synagoga cum honore sepeliretur. Quarto modo possunt cæremonialia obseruari prorsus materialiter, materialiter inquam sine vlla formalitate, neque respectu ad legem veterem, sed ob alios fines licitos, & ab Ecclesia approbatos, sicut hodie celebratur festum Pentecostes alijs rationibus quam in veteri testamento. olim enim solemnitas erat festiuitas, quia illa die data fuit lex vetus, hodie tamen quia illa die data est lex spiritus & vitæ, vt docet D. Thom. 10. quæst. 103. art. ad quartam. Et in Ecclesia latina fit in pane azymo consecratio, nec ob id censetur iudaizare, quia Iudeis panis azymus fuerit in vsu. Imo & Sancti Patres Ecclesie Orientalis ritum de obseruantia Sabbathi laudant, nec ob id Ecclesia illa cum Synagoga consentit, cum sint vtriusque diuersissimi illius obseruantia

seruantia fines, & causa.

Quare tria sunt in cæremonijs istis necessariò distinguenda. Primum est, vis ipsa obligandi quam habebant à lege, ob quam rationem dicuntur legalia. Secundum, considerare oportet finem siue rationem formalem illarum qua ratione erant figuralia. Tertium, ipsam exteriorem cæremoniam materialiter sumptam, quam nunc appello ipsam substantiam actus. Hoc posito non est dubium, quin nunc seruare legalia vt figuralia, vel vt legalia, neque etiam ad demonstrandum à Deo eorum obseruationem emanasse, illicitum impiumque esse. Seruare tamen legalia materialiter tantum, hoc est nullo respectu ad prædictos tres modos, certum est licere, sicut qui circumcideretur ob medicinam, vel abstineret à carnibus porcinis ob salutem, vel Sabbathum seruaret in Beatæ Mariæ Virginis honorem, quo etiam sensu circumciduntur multæ ex gentibus nationes, vt supra ex D. Hier. & Strabone retulimus.

Duo restant examinanda. Primum, An Abyssini seruent Circumcisionem vt legalem, vel vt figuralem, quia neutro modo sine manifesta hæresilicet, An vero tantum materialiter hoc abutantur ritu. Secundum, An supposito, quod excusentur à culpa, an ratione circumstantiæ scandali aliarum Ecclesiarum sit ab Ecclesia Romana tolerandus huiusmodi abusus? Primà quæstio partim pendet à facto, nempe quo fine circumciantur, nam in hoc non est vna sententia illorum authorum, qui Abyssinæ gentis ritus moreque referunt, alij namque more Hebræorum affirmant circumcidit, alij ob Christi imitationem, alij denique vt profiteantur se à Iudaica profapia originem ducere: tamen quidquid sit de opinionum diuersitate circa finem, Primum constituo, si Abyssini circumcisionem obseruent vt legalem, vel figuralem, eos errare cum hæreticis Ebionitis, qui temere legem veterem cum noua obseruandam existimabant. Secundum deinde assero, Circumcisio si ab Abyssinis non Religionis sed honoris causa obseruetur, nempe, vt profiteantur se à Dauidica profapia ducere originem, non ob id erunt damnandi quia circumcisione tantum materialiter vtuntur. Vnde optimè Gulielmus Reginaldus in suo Caluino. Turcismolib. 2. cap. 9. Abyssini (inquit) Christiane quidem, & cum vera Christianorum fide infantes baptizant, & circumcidunt, nobilitatis antiquissimæ, nullo meriti aut Iudaicæ fiduciæ respectu, quo posito, nollem eos propter circumcisionem magis damnare, quam si propter medicinæ causam abstinerent à carne porcina, quam tamen lex Mosaica prohibebat. Hæc Guil.

Solum ergo est difficultas an si circumciantur ad imitationem Christi Domini sit licita huiusmodi circumcisio Ca, 3. parte quæst. 37. art. 1. tenet partem affirmatiuã, cuius sententiæ adheret Bartholomeus de Med. 12. quæst. 103. art.

Contrariam sententiam tenet Sotus lib. 2. de ius. & iu. q. 5. art. 4. qui expressè huius gentis de circuncisione ritum damnat: & Sotum sequuntur iuniores aliqui, Suarez, 3. p. dicta quæst. 37. art. 1. & Gregori^o de Valen. 12. d. 7. quæst. 7. pun. 7. ea potissimum ducti ratione, quia Christus seruauit Circuncisionem vt legalem, sed Abyssini seruant Circuncisionem ad imitationem Christi: igitur videntur seruare vt legalem, quod fieri non potest sine errore, quæ sententia probabilior & certior apparet, quam erudite confirmat Valen. vt supra.

Secunda difficultas est, An dato quod circuncisio in sensu præfato in illis gentibus excusetur à culpa, an ob scandalum aliarum Ecclesiarum sit permittenda. Cajet. in affirmatiuam partem manifestè inclinatur, quamuis tandem, ytpote in re grauisima Ecclesiæ iudicium desideret his verbis:

Ego vero tam in hac difficultate, An oporteat Ecclesiam Romanam in illis gentibus. Circuncisionem approbare, vel saltem permittere, libentius ipsam Ecclesiam, quàm alios audirem Authores.

CAPVT XIII.

De erroribus Abyssinorum hac nostra ætate grassantibus.

Postquam ex varijs authoribus præfatos Abyssinorum errores collegeram, euenit, vt dum casu Illustrissimi Cardinalis Sanctæ Seuerinæ Bibliothecam perscrutarer, in examen quoddam ab Illustrissimis Cardinalibus iussu Sanctissimi Domini Papæ Sixti V. de quodam monacho Abyssino factum inciderim, qui requisitus speciatim de Abyssinorum fide, ac Religione, apertum omnium illorum rituum, ac errorem testimoniū reddidit, quod nulla ratione trāseundum existimaui, vt maior ac certior ipsorum cognitio haberetur, licet si quis attente Zagazabi Episcopi Abyssinorum (cuius sapius mentionem fecimus) confessionem perlegerit, multum hos Testes discrepare inter sese reperiat: neque enim miror, cum rerum Diuinarum adeo ignari sint, vt quid credendum sit, etiam monachos fugiat.

Fratris

Fatris Teclæ Mariæ presbyteri Abyssini, legati pro Lusitanis existentibus in Abyssinorum ditone, religionis Abyssinorum, coram Illustrissimis Cardinalibus Romæ facta declaratio, Die prima mensis Iulij & sequentibus anno 1594.

Rueredus Frater Teclæ Mariæ Teclæ Nebiat filius, de Ciuitate Henza Mariani, prouincia Xeuæ Regni Æthiopiæ, Sacerdos, & Monachus ordinis Sancti Antonij, & Monasterij Libani eiusdem Prouinciæ, ætatis suæ annorum 45. de mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctæ Seuerinæ nationis Æthiopiæ Protectoris, à me infraposito examinatus ad opportunas interrogationes eidem Arabicè, propositas, respondit vt infra.

Interrogatus primo quid sentiant & credant Æthiopes de Deo, & Sanctissima Trinitate? Respondit: Nos Æthiopes credimus in Deum vnum, & Trinum in personis, Patrem sc. & Filium, & Spiritum Sanctum: Pater est ingenuus, filius est genitus à Patre tantum, & Spiritus Sanctus est procedens à Patre & Filio.

Interrogatus an Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio tanquam à duobus principijs, & duabus spirationibus, vel tanquam ab vno principio, & vnica spiratione. Respondit, Tanquam ab vno principio & vnica spiratione.

Interrogatus quæ persona Sanctissimæ Trinitatis est incarnata. Respondit, Persona Filij, id est Verbum Dei Patris.

Interrogatus de Incarnatione Christi Domini nostri. Respondit Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.

Interrogatus quot naturas, voluntates, & operationes profitentur Æthiopes in Christo Domino nostro? Respondit, Post vnionem in Christo Æthiopes profitentur vnā naturam, vnā voluntatem, & vnā operationem, sine tamen mixtione & sine confusione: in qua quidem opinione scio Æthiopes & Coptos, & alios orientales maxime aberrare à veritate.

Interrogatus an Æthiopes profiteantur in Christo vnā naturam ex duabus resultantem. Respondit hoc non dicere Æthiopes, sed profitentur simpliciter vnā naturam, sine mixtione, & sine confusione, & illam asserunt esse diuinam.

Item interrogatus de veneratione Imaginum. Respondit, Imagines apud Æthiopes sunt tantum depictæ, & non sculptæ, quas Æthiopes maxime venerantur ratione representationis & relationis, & ab eis thurificantur.

Interrogatus de libris Canonicis vtriusq; Testamēti. Respondit, Apud nos Æthiopes vtrumq; Testamentum est diuisum in libros 81. quos omnes dixit haberi in Ægypto; & absque libro nomina omnium librorum non recordari.

Item interrogatus quot Concilia vniuersalia tenent Æthiopes, & quid confiteatur in eis. Respondit, Apud Æthiopes sunt tantum tria Concilia vniuersalia: Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum: quid vero contineat, quodque eorum legi, sed nescio modò omnia recitare.

Interrogatus, an Æthiopes acceptent concilium Chalcedonēse, & quid in eo contineatur? Respondit, Hoc Concilium Æthiopes damnant, quia in eo decretum est, duas esse naturas in Christo, duas voluntates, & duas operationes, & damnatus est Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Interrogatus an Æthiopes damnent Sanctissimum Papam Leonem. Respondit, In libris & historijs Æthiopum extat Papam Leonem damnasse Dioscorum, & Dioscorum damnasse Papam Leonem, quia Concilium Chalcedonēse confirmauerat, & duas in Christo posuerat naturas, voluntates & operationes.

Interrogatus vero quid ipse sentiat? Respondit, Ego ab annis circa quindecim semper professus sum in Christo Domino duas naturas, duas voluntates, & duas operationes, & omnia Concilia habita auctoritate summi Pontificis Romani, ligare omnes Christianos, quia est Pontifex totius Christianitatis.

An sciat quot Concilia habita sunt vniuersalia post Concilium Chalcedonēse? Respondit nescire.

Item interrogatus quot sunt Sacramenta Ecclesie? Respondit esse septem, S. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, & à Christo Domino esse instituta.

Interrogatus quibus verbis formalibus baptizant Æthiopes? Respondit, Quod post plurimas orationes dicunt, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Interrogatus quæ est materia huius Sacramenti? Respondit, est aqua naturalis.

Interrogatus quis est Minister Baptismi? Respondit, Apud Æthiopes baptizat Sacerdos, & in absentia Sacerdotis Diaconus, præter quos nullum alium vidi baptizare.

Interrogatus

Interrogatus quam intentionem debet habere baptizans in baptizando? Respondit illam, quam habet Ecclesia Catholica, Faciendi scilicet Christianum.

Interrogatus, quoto die baptizantur infantes in Æthiopia? Respondit, Mares baptizantur post quadraginta dies, & fœminæ baptizantur post octuaginta dies, nisi fuerit mortis periculum, quia tunc statim baptizantur.

Interrogatus, quis est effectus baptismi? Respondit, Effectus est, vt homo efficiatur Christianus, & de Ecclesia, ac de membris Christi.

Interrogatus an Æthiopes circuncidant filios? Respondit, Æthiopes ab antiquissimo tempore, vsque ad hodiernum diem in tota Æthiopia filios circuncidunt in proprijs domibus absque vlla cæremonia, sed propter quandam antiquam consuetudinem in maribus præputium, in fœminis verò nympham circumcidentes.

Interrogatus, an credant Circumcisionem esse adhuc necessariam ad salutē? Respondit, Sciunt iam ipsam cessare, & non esse amplius necessariam.

Interrogatus quare dicantur baptizari Æthiopes igne, & signare in fronte? Respondit Nullus est in Æthiopia, qui baptizatur igne, sed in quibusdam Prouincijs tantum signant se in fronte nonacula, vel ad oculorum & visus sanitatem, vel, vt aliqui referunt, ex mandato cuiusdam Regis Æthiopiæ, vt differant à Mahumetanis.

Interrogatus quare dicantur Æthiopes se ipsos singulis annis baptizare? Respondit, Æthiopes singulis annis propter solemnitatem Epiphaniæ exeunt ad flumen, & ibi multæ dicuntur orationes à Presbyteris, & omnes lauantur in flumine, & multi ibi pernoctant maxima cum festiuitate ob deuotionem Baptismi Domini nostri Iesu Christi, sed nemo se baptizat, prout dicunt.

Item interrogatus de Sacramento Confirmationis de materia, forma, & ministro? Respondit Confirmatio, apud nos confertur à Sacerdote, vna cum Baptismo, & vngitur infans Chrismate in fronte, In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Interrogatus de effectu ipsius Confirmationis? Respondit, nescire, sed credit dari vt confirmetur Christianus in fide.

Interrogatus an singulis annis conficitur apud eos Chrisma? Respondit, Chrisma mittitur eis à Patriarcha Alexandrino, à quo solo conficitur, & non ab Episcopo, & mittitur septimo quoque anno, & rarius cum peregrinis qui redeunt à peregrinatione terræ Sanctæ, & in omnibus Ecclesijs antiquum Chrisma conseruatur.

Interrogatus ex quibus rebus fit Chrisma? Respondit, Ex balsamo & oleo, & ex pluribus floribus, & rebus odoriferis.

Item interrogatus de Sacramento Eucharistię, & eius materia? Respondit, Materiam esse panem ex frumento, & vinum ex vva, sed in pluribus Prouincijs Æthiopię in vino expresso ex vva passa, aqua lota, & infusa per aliquas horas eadem aqua.

Interrogatus, quę sunt illa verba, quibus transsubstantiatur panis in corpus, & vinum in sanguinem? Respondit, Sunt illa verba quando Sacerdos dicit: Et accepit panem in manibus suis, & eleuatis oculis in cœlum ad Deum Patrem suum, benedixit dicens, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et similiter accipiens calicem benedixit & sanctificauit dicens, Accipite & bibite. Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.

Interrogatus quis est Minister? Respondit, Solus Sacerdos, & effectus est remissio peccatorum.

Interrogatus an omnes Æthiopes communicantur sub vtraq; specie? Respondit, Omnes Æthiopes Laici & Clerici cōmunicantur sub vtraq; specie, Sacerdos ministrat corpus, Diaconus vero sanguinem cochleari.

Interrogatus an infantes communicantur? Respondit, infantes in die baptismi communicantur in hunc modum: Sacerdos ponit indicem in Calice, & sanguine perfusum imponit in ore infantis. Et post baptismum in ore puerorum qui carent vsu rationis vsque ad decennium imponitur digitus auricularis Sacerdotis sine sanguine, deuotionis causa.

Interrogatus an Æthiopes celebrent in pane fermentato vel in azymo, & quid sentiant de celebrante in azymo? Respondit, Æthiopes in fermentato celebrant, & illi qui in azymo celebrant, conficiunt etiam. Et nos in tota Æthiopia feria quinta in Cœna Domini singulis annis in huius rei memoriam in azymis celebramus.

Item interrogatus quid sentiant Æthiopes de Purgatorio? Respondit, Æthiopes, credunt animas post mortem detineri in quodam loco, qui lingua Æthiopica vocatur Mecan aarast. i. locus alleuiationis, in quo detinentur animę penitentium, quę decesserunt ab hoc sæculo, non perfecta peccatorum eorum satisfactione.

Interrogatus an animę bonorum post mortem statim fruuntur beatitudine, & malorum puniantur in inferno? Respondit, Sunt nonnulli in Æthiopia qui opinantur quod animę bonorū requiescant in Paradiso Terrestri, in quo fuit creatus Adam, vsq; ad diem iudicij. Sunt alij qui credunt, animas iustorum statim post mortem frui earum Creatore in Paradiso.

Item interrogatus quę sunt peccata mortalia, & quot sunt? Respondit, Illa esse peccata mortalia quę fiunt cōtra præcepta Domini quę cum sint quamplurima, nescio numerare.

Interrogatus an peccata voluntatis quę non transeunt in actum exterioriorem

riorem sunt mortalia. Respondit, mortalia esse, si desiderio & concupiscentiæ consensum præstitit homo.

Interrogatus an quis possit saluari extra fidem mediatoris Dei & hominum Iesu Christi? Respondit, neminem saluari posse.

Interrogatus de ijs, qui sunt modo in lege naturę, ad quos nondum peruenit notitia Euangelij? Respondit, Credo Deum etiam ipsis prouidisse, vt aliquo modo possint saluari, cum præcepta naturę seruauerint.

Interrogatus quid sentiant Æthiopes de Indulgentiis? Respondit, Credo acceptas esse apud omnes, ipsasque vocant benedictiones, vsu vero earum cupio intelligere.

Interrogatus de Inuocatione Sanctorum? Respondit, Sanctorum inuocationem apud Æthiopes esse maximè acceptam, & eorum intercessionem apud Deum omnes profitentur.

Interrogatus de Simonia, & de ijs qui fauore aut conuentione ordinantur in Sacerdotem, in Episcopos, & in Patriarcham? Respondit, prohibitum esse sacris Canonibus.

Interrogatus quę differentia sit inter Æthiopes & Cophtos in rebus fidei? Respondit, nullam esse differentiam inter eos, & in omnibus rebus concordare. sunt enim sub eiusdem Patriarchę obedientia, in aliquibus tamen vidi eos differre, videlicet, in gradibus prohibitis Æthiopes non cōtrahunt, Cophti vero in secundo & sequentibus gradibus contrahunt passim cum licentia, & sine licentia eorū Episcopi, vel Patriarchę.

Similiter Cophti extra Ciuitates in villis & ruri nullas obseruant festiuitates, neq; dies Dominicos: Æthiopes vero vbique maximè obseruant.

Item Æthiopes obseruant sabbatum, quod non faciunt Cophti.

Similiter Æthiopes vbique in tota Æthiopia filios & filias circumcidunt, Cophti vero, Memphi, siue Cairi tantum ab aliquibus annis, quidam non circumcidunt.

Item in ceremonijs Missę Cophti multum differunt ab Æthiopibus, nam Cophtorum Sacerdotes sine Planetis, & Diaconi sine Dalmaticis celebrant, & capite cooperto quadam tobalea lanea, & corpus Dominicum & Calicem nunquam eleuant in Missis, quę ceremoniæ non sunt apud Æthiopes.

Interrogatus an sciat in quibus rebus differant Æthiopes & Cophti à fide Catholicę Sanctę Romanę Ecclesię? Respondit, differre præcipue in sequentibus.

Dioscorum Alexandrinum, & Iacobum primum eius Discipulum, & Seuerum Antiochenum inuocant in Ecclesijs cum Sanctis Patribus.

Concilium Chalcedonense & Sanctum Leonem Papam non recipiunt.

In Christo Domino nostro vnam tantum naturam, vnam voluntatem, & vnam operationem profitentur.

Hymnum ter sanctum recitant cum additione illorum verborum, Qui crucifixus est pro nobis.

Cum hac tamen expositione vt terna sanctificatio applicetur Sanctissimi Trinitati, illa vero verba, Qui crucifixus es pro nobis, applicentur tantum Christo Domino nostro.

Circuncisione vtuntur Cophti & Æthiopes, & Sabbatum obseruant Æthiopes tantum.

Item interrogatus vbi, quando, à quo, & quibus ordinibus fuerit initiatus? Respondit, Anno ætatis meæ quinto decimo in Ecclesia Sanctæ Mariæ Monasterij Denobi Prouinciæ Xeuæ in Æthiopia, fui ordinibus initiatus à Iosepho Cophto Æthiopiæ Archiepiscopo in hunc modum: Archiepiscopus ante Missæ celebrationem totondit caput meum in quinque locis, in modum Crucis, & chrismate me vnxit in fronte, orationes recitâdo lingua Ægyptia, & in faciem meam insufflauit, & in eadem hora, inter celebrandum fecit me ostiarium & lectorem siue Psalmistam & Acolythum, & Nescidiaconum, siue Subdiaconum, & Diaconum Euangelij, & Sacrosanctam Communionem mihi dedit, & longo tẽpore post anno ætatis meæ trigesimo in Ciuitate Bed, in Dembia Æthiopiæ, in Ecclesia Sancti Georgij ab Archiepiscopo Marco supradiçti Iosephi successore initiatus sum Sacerdotio.

Interrogatus an verba formalla singulorum ordinum audiuit Archiepiscopum protulisse in collatione ordinum? Respondit ipsum Archiepiscopum protulisse, Sed ego non audiui, neque significationem intellexi, quia celebrabat lingua Ægyptia, quam prorsus ignorabam.

Interrogatus an in collatione singulorum ordinum tradita fuerit ei materia ab Archiepiscopo, & an ipse manibus suis illum tetigisset, videlicet in ostiariatu clauis Ecclesiæ, & ostium aperuerit, & capanulam pulsauerit, in lectoratu librum Lectionum vel Psalmistam tetigerit. In exorcistatulo librum Exorcismi vel Missale, in Acolythatu candelabrum cum candelâ extincta & vrceolũ vacuum. In Subdiaconatu calicem vacuum, cum patena vacua superposita, & vrceolos cum vino & aqua, & bacile cum manutergio, & librum epistolarum, & an capiti eius fuerit ab eodem Archiepiscopo impositus amictus, & manipulus brachio eius sinistro, & indutus fuerit tunicella. Et in Diaconatu an librum Euangeliorum tetigerit, & Stola super humerum eius fuerit imposita, & dalmatica vestitus. Et in Sacerdotio an tetigerit Calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia, & an Archiepiscopus & Sacerdotes capiti eius manus imposuerint, & an sibi aptata fuerit stola ante pectus in modum Crucis, & *an* indutus

dutus fuerit casula sine planeta, & manus eius tactæ fuerint oleo Catechumenorum.

Respondit, Certo scio me in omnibus supradiçtis ordinibus nullam materiam vel instrumentum in collatione ordinum mihi ab Archiepiscopo traditam esse, neque illam me tetigisse, neque me vestitum aliqua veste singulis ordinibus competente, neque capiti meo manus Archiepiscopi fuisse impositas, neque oleo sancto manus meas vnctas fuisse.

Sic præterea Archiepiscopum nostrum in Æthiopia simul coordinare duo millia, & plures Clericos, eodem die, & singulis sex ordines simul conferre, absque præuio examine, & absque aliquo scrutinio, examine, delectu, approbatione, scriptura vel notatione & propter ordinandorum multitudinem non posse singulis materiam tangendam tradere: & vidi eundem modum obseruari in omnibus ordinationibus à nostris Archiepiscopis successiue, licet secus obseruetur in Ægypto, vbi non, tanta Clericorum multitudo simul & turmatim ordinatur, & materia singulis ordinibus competens tangenda ordinando traditur.

Interrogatus an sciuerit supradiçtos Archiepiscopos Iosephum & Marcum, à quibus initiatus est, tempore suæ ordinationis fuisse schismaticos, & extra Communionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Respondit, nesciuisse. Imo potius certo credebat, tunc temporis ipsos esse Catholicos, vna cum omnibus Æthiopibus, & Cophtis, & Sedi Apostolicæ in omnibus obedire, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem habere, & credebat Christianos omnes in rebus fidei conuenire, sed ea quæ superius dixit, sciuit postea dum esset Hierosolymis & in Ægypto.

CAPVT XIV.

De natione Iacobitica, ac de eorum erroribus.

DE Iacobitis ita scripsit Nicephorus libro 18. c. 45. Historiæ Ecclesiasticæ: Quis vero, inquit, Iacobus fuerit, vnde Iacobitæ nomen acceperunt, æquum esse puto vt hic referam. Altius autem narrationem petam. Postquam Eutycheti & Dioscoro à sancta quarta Chalcedonensi Synodo dignitas abrogata est, qui illorum dogmata defenderunt, facta ab Ecclesia Catholica defectione διακρινομένως, hoc est, segregatos siue ambigentes se ipsos appellarunt: neque villo modo vt quæ recte in Concilio sancto statuta essent comprobarent, adduci potuerunt. Ij in duodecim sectas dissecti sunt: ex quibus multa millia hæresum pullularunt. Ex quarum sectatoribus quidam Eutychianitæ vocati sunt, alij Acephali, alij

Monophysitæ, alij Theodosiani, alij Iulianistæ, alij Tritheitæ, alij Agno-
 tæ, alij Theopaschitæ, alij Armenij, alij Seueritæ, alij Aphthartodocitæ, alij
 Phantasiastæ, alij Manichæi, alij Phthartolatæ, alij denique Scenolatæ
 sunt appellati. Hactenus Nicephorus, qui cap. 52. Historiam Iacobita-
 rum prosequens: Iacobus porro (ait) à quo nunc quoque, vt iam dixi-
 mus, Iacobitarum hæresis denominata celebratur; Syrus genere fuit, ob-
 scurus prorsus & nulla glória vir, qui etiam Zauzalus propter summam
 tenuitatem est cognominatus. Hic Eutyctis & Dioscori, Gnaphaique,
 ac præterea Petri atque Seueri dogmate recepto, magnopere id apud Sy-
 ros propagare studuit. Idem quoque vt supra Nicephorus: Enimvero
 (inquit) quem diximus Iacob, Monophysitarum opinionem apud Syros
 prædicante, magnum exortum est dissidium. Nam qui rectæ opinioni ad-
 hæserunt, Melchitæ appellati sunt, quod sanctam quartam Synodum &
 Imperatorem ipsum (Melchi enim Syris Rex est) confestarentur. Qui
 autem diuersum fenserunt, multa variaque habuere nomina, Iacobitæ ta-
 men maximè sunt nominati, propterea quòd eo quem dixi, Monophysi-
 tarum hæresis studioso Iacobo adhærent. Qui etiam anathemati tradi-
 ti sunt, vt Monophysitæ scilicet & Theopaschitæ.

Postea vero alium etiam hæresum examen ad se pertraxere, quæ Tri-
 nitatem consubstantialem credentes vnâ naturam post vnionem in
 Christo esse docuerunt, sacram quartam Synodum repudiantes, ac dein-
 cept omnes sanctos Patres reiicientes. Et quod maximum est Diuinitati
 ipsius vnigeniti perpeccionem tribuerunt. Ter sancto illi hymno appendi-
 cem hanc Qui crucifixus est pro nobis, appendentes. Talis Iacobitarum
 hæresis radix extitit. Iacobus quoque Armeniorum sectæ dux fuit. Hæc
 Nicephorus.

De natione Iacobitica Leonardus Episcopus Sidoniæ, Nuncius atque
 visitator Apostolicus per Serenissimum D. Papam Gregorium XIII. in
 legatione sua ad partes Orientales, quam manu scriptam vulgari
 lingua reliquit, inter alia disserens inquit: Natio Iacobitica disper-
 sa est per ciuitates, terras, & oppida Syriæ, Mesopotamiæ, & Ba-
 byloniæ, mixta alijs nationibus, numerum quinquaginta millium do-
 mum obtinens, cuius præcipua pars paupercola est, quotidianoque la-
 bore victum quaritat. In Aleppo, & Caramit multæ sunt diuites & ho-
 nestarum facultatum familiæ, aliæque in commercio & mercatura vi-
 tam ducentes.

Ecclesia Patriarchalis huius nationis est in Mesopotamia, extra Ciui-
 tatem Moradim, in monasterio Zafram, sed Patriarcha residet in Ciui-
 tate Caramit ad maiorem sui commoditatem & quietem. Hæc natio sub-
 dita est Patriarchæ Dauid, sed ab Episcopo Thoma Vicario Generali
 fratreque

fratreque maiori ipsius Patriarchæ gubernatur. Sub cuius obedientiâ
 modernè viuunt inferiores Prælati, Ioannes Metropolitanus Hierosoly-
 mitanus, à Iacobitis dictus quintus Patriarcha, Michaël Archiepiscopus
 Damascenus. Iacobus Archiepiscopus Edesse dictæ Orfa, vel Raha.
 Minas Archiepiscopus Saur, Effrem Archiepiscopus in eadem Prouin-
 cia, Iacobus Archiepiscopus Bisuairiæ, Abraham Episcopus Aatafræ,
 Melchez Episcopus Sancti Melchi in Tur, Iesu Episcopus Monasterij
 Deirloomor, Abelmedich in Prouincia Tur, Elias Episcopus in Salach,
 Elias Episcopus in Monasterio Sanctæ Crucis in Zaz, Gazel Episcopus
 in Tarach, Dauid Episcopus in Maaden, Pilatus Metropolitanus in Mu-
 sal & oriente, Gazel Archiepiscopus de Miaferichin, Archiepiscopus Mo-
 nasterij de Mar Abihai, Ananias Episcopus Sancti Bertonix, Ioannes E-
 piscopus de Hartbert, Isaach Archiepiscopus Cypri, Simeon Archiepi-
 scopus Caramitanus. Habet Episcopus.

In supradictis Prouinciis multa sunt monasteria eiusdem nationis,
 Ecclesiæ quoque, Religiosi, & Diaconi, ac Clerici innumeri, quos non
 potui visitare propter repulsam, quam passus fui ab Episcopo præfato
 Thoma Vicario Generali: visitabam tamen templum Iacobitarum in
 Tripoli, in Aamanin, Damasco, in Neph, in Hierusalem, in Aleppo, in
 Orfa, & in Orbis, & in Monasterio de Mar Abihai: in Gargar: inter qua-
 rum partium Ecclesias Hierosolymitanam & Aleppi benè instructam &
 excultam inueni, cæteras autem sine imaginibus & malè gubernatas. as-
 seruabatur siquidem Sacramentum in pyxidibus ligneis, sine lumine aut
 lampade, fontesque Baptismales aqua carentes, quia quoties baptizant
 aquam fontemque de nouo benedicunt, altarium quoque ornamenta vi-
 liissima, Missæque officium sordidè satis ac stupidè peragebatur. Ex oleis
 sanctis solum chrisma in Ecclesijs asseruabatur, quod Miron vocatur, be-
 nedicaturque à Patriarcha omni septennio, cum multis floribus, rebu-
 que odoriferis. Oleum Catechumenorum non habent: oleumque extræ-
 mæ vnctionis Sacerdos in lucernis à quatuor partibus in modum Cru-
 cis accensis benedicat, eoque agrum multis prius euangelij & Oratio-
 nibus recitatis inungit.

Sacramentum autem Confessionis rarissimè apud nationes illas fre-
 quentatur, multiq; communicant sine auriculari confessione.

Refert idem Leonardus Sidoniæ Episcopus, se Iacobitarum Patriar-
 chæ vnionem cum Ecclesia Catholica proposuisse, eandemmet aliàs desi-
 deranti, cumque ad præcipuos Catholicæ fidei professionis articulos
 ventum esset, vbi de Chalcedonensis Concilij acceptatione mentio firei
 cœpit, non nihil subsistere visus, inquit, Haudquaquam fas esse rem hanc
 vna in populum vice, idque continuo tractu euulgari, sed paulatim ipso-

que temporis progressu, datâ nimirum prius Apostolicæ sedi obedientia, eidemque iustâ exhibitâ beneuolentiâ. Tandem ad Dioscori condemnationem procurrimus, ubi summo cum feruore, absit, absit, inquit, excommunicatum esse Dioscorum; Damnatu non est, imo vero sanctitate fulget Dioscorus, velut primarius Iacobiticę nostrę nationis parens: hoc recipi nulla ratione potest. quippe si casu Iacobitica natio resciret nos in damnatum consentire Dioscorum, absque morâ & nostro priuaremur Patriarchatu, & ab vniuerso populo ingenti cum feruore saxi obrueremur. Cumque lectione procedente in secundum tertiumque Constantinopolitanum Concilium incideremus, licet Iacobitę adiungant in Trisagio, Qui crucifixus est pro nobis, dicantque in Christo Domino nostro vnâ esse naturam, vnâ voluntatem, vnâque operationem resultantem ex duobus, dixit tamen Vicarius se Trisagium & Crucifixionem soli Christo Domino nostro applicare, non autem Sanctissimæ Trinitati, ceterisque absque contradictione applausit, præsertim vero Sanctæ Apostolicę sedis primatum pro superiori capite agnouit, ac supremam S. D. N. Papę auctoritatem in singulis suorum Ecclesijs, obedientię promissionem admisit.

Percunctabatur deinde, quamobrem Chalcedonense Concilium in Dioscorum excommunicationem fulminasset, cum & eruditione & religiosę ac sanctę vitę præsticia polleret. Cui ego; Fuisse à Chalcedonensi Concilio excommunicatum, quia acta Eutychez approbaret, & in suâmet hæresi, alijsque innumeris in dicto Concilio enumeratis contumaciter & superbe peristeret.

Sed ipse contra aiebat, Dioscorum nunquam Eutychez opinionem approbasse, cum ipsi Iacobitę Dioscoriani sint, ac semper Eutychez errores vnâ cum auctore suo condemnarint, & etiam nunc condemnent, qui duas naturas in vnâ confundebat, at ipsi contra hanc opinionem asserant duas in Christo naturas esse vnitas, vnâque factam naturam personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione tamen aut confusione, referebatque corruptam in ipsorum libris Dioscori historiam, quâ eum iniquè & immeritò in præfato Chalcedonensi Concilio, damnationis & excommunicationis sententiam perpeffum nitebatur probare.

Aduersus hunc ipsius discursus, multis illi rationibus palâ faciebam, Dioscorum iusto excommunicationis tejo fuisse confossum, & reprobatum, historiamque de eo confictam omnino falsam esse: verum is pertinaciter reijciebat omnia, negabatque quæ de Dioscoro obijciebantur. Frequentius igitur affirmabam, si Catholici dici, Sanctęque Romanę Ecclesię obedientiam præstare decreuissent, ipsos obligari, perferre in omnibus Chalcedonense Concilium vnâ cum Sancta Romana Ecclesia à

diuino

diuino spiritu gubernata, sequi, & amplecti. Quare Dioscorum damnerent, adinventionesque ac inanem verborum superfluitatem contra dicti Concilij determinationes, reijcerent, omissoque illo dicendi modo, nempe Vnâ naturâ personatam de duabus naturis non personatis, sine mixtione & confusione, sed liberè vnâ personam, & duas naturas, duas voluntates, & duas operationes in Christo, iuxta idem Concilium à sancta Romana Ecclesia probatum confiterentur.

Tunc autem respondit Latinos nec Græcos potuisse excogitare & inuenire hoc temperamentum vocum & terminorum, in propositione ista, quemadmodum doctè Iacobitę inuenerunt, & quidem in significatione eandem esse, cum ea quam Ecclesia Latina obtinet, & verbis solum differre affirmabat. hæc Leonardus Episcopus.

CAPVT XV.

Hæreses & errores nationis Iacobitarum ex eorum Catechismo collecti.

Breuitè vero referam errores omnes, quos ex Catechismo Iacobitarum, qui Romæ in Bibliotheca Cardinalis S. Seuerinæ tam in Arabica, quam in Latina lingua conscriptus habetur, colligere potui: tum vt errores illius Gentis clarius cognoscantur, tum vt si quando ipsam ad Ecclesię gremium (vt in Domino speramus) redire contingat, facilius Catechismi errores emendentur, & ad fidei regulam componantur.

In primis frustra Iacobitę in suo Catechismo probare conantur, Christum Dominum nostrum vnâ habere naturam, & vnâ voluntatem, ac vnâ operationem, plurimas allegantes auctoritates, cum ex eisdem autoritatibus oppositum potius colligatur.

Sanctum Leonem Summum Romanum Pontificem, quia duarum meminit naturarum, cum Arrio & Nestorio, & alijs Hæresiarchis malignè annumerant, vt hac via magno afficiantur erga Ecclesiã Catholicam odio, vtque à duarum naturarum mentione omnes abhorreant.

Seipfos Syros vocant, & falso se iactant Cophtos, Abyssinos, Armenos, & Nubianos ipsos sequi in fide; cum ipsi cæteris sint multo minores ac pauciores, & Rege destituti.

Prostentur Christum ante & post adunationem esse vnâ naturam vnitam & compositam ex Diuinitate & humanitate, & vnâ personam compositam ex Diuinitate & humanitate. Et vnâ voluntatem compositam ex Diuinitate & humanitate. Et vnâ operationem & modum

ex Diuinitate, & apparentem ex corpore.

Contradidunt sibiipsis asserentes operationem voluntatis apparere ex Diuinitate personæ Verbi creatoris æterni, & operationem apparere ex humanitate vnita eidem Verbo: Non intelligentes communicationem idiomatum asserunt Græcos & Latinos errare dum vocant Christum modo Deum, modo hominem, deinde falsò præsupponunt eosdem credere quaternitatem in Diuinis, duas credendo in Christo naturas.

Falsò etiã vocant eosdem Arrianos, quia duas in Christo naturas, voluntates, & operationes credant.

Falsò præterea asserunt Latinos credere in vnam Christi voluntatem, & eosdem esse sub trium Conciliorum anathemate, quia quartum Chalcedonense acceptarunt Concilium.

Existimant se esse in communionem Catholicæ & orthodoxæ Ecclesiæ, alios vero extra eandem existere.

Sanctum Leonem Summum Romanum Pontificem bis cum hæresiarcho annumerantes, falsò & malignè asserunt eum addidisse in Sanctissima Trinitate vnam naturam, vnam voluntatem, & vnam operationem, & in quaternitatem credidisse.

Falsò etiam & malignè asserunt Niceni Concilij Patres prohibuisse mentionem duarum naturarum in Christo, & duarum operationum, & duarum voluntatum.

Licet fateantur in Christo duas esse naturas personali vnione vnitas, dicunt tamen illam vnionem esse non secundum Græcorum communicationem, neque secundum congruentiam Nestorianorum, sed per compositionem vnionis apparentis in professione Iacobitarum, duarum scilicet naturarum vnitarum, sicut est vnio ignis cum ferro.

Nullam videntur facere differentiam inter vnionem, & compositionem, neque inter personam & naturam.

Asserunt in Christo vnam esse naturam, & vnam personam, & Verbum humanatum coæquale esse Deo Patri Diuinitate, & humanitate, & esse constrictum corpore, & inconstrictum anima.

Falsò etiam præsupponunt Christum diuidi in duas personas, si duæ in eo connumerentur naturæ, & voluntates, & operationes.

Errant dicentes tertium vniuersale Concilium (Ephesinum scilicet) fuisse coactum contra Macedonium, cum fuerit contra Nestorium.

Particulam Filioque non exprimunt in Symbolo.

Hæreticorum more ad confirmanda sua dogmata aspidum oua alijs fouenda supponentes, quæ Iacobitarum sunt, S. Ioanni Chryostomo attribuant, vt sua ipsorum scripta insignibus titulis illustrata diuulgentur.

Asserunt Dei Verbum gigni ab æterna essentia.

Asserere

Asserere videntur Diuinam tantum in Christo esse naturam.

Damnant qui prædicant Christi indumentum, id est, humanitatem permansisse creatam.

Vocant Dei Verbum Creatorem, compositum, & damnant qui Christo refert seruitutem, & qui post vnionem duas in Christo ponit naturas, & duas voluntates.

Asserunt omnes Christi operationes esse cælestes, & si quam operationem Christus fecit humanam, illam fecisse prouisione quadam.

Asserunt Christum esse creatum & non creatum, & in multis sibiipsis contradidunt indistinctè loquentes.

Plurima referunt apocrypha.

Sibiipsis contradidunt asserentes licuisse per humani oculi applicationem, Diuinam videre & perspicere essentiam, prædicentibus Prophetis Christum appariturum in figura humana: asserentes paulò inferius Diuinam essentiam in hoc mundo esse inuisibilem.

Errant, & sibi ipsis in eodem Catechismo contradidunt, asserentes formationem corporis Christi non in instanti, sed quadraginta dierum spatio fuisse factam.

Beatissimæ Virginis Mariæ sanctificationem à peccato in Christi conceptione factam esse asserunt.

Asserunt corpoream Christi figuram esse æternam, & de ea Deum dixisse: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Negant Angelum Gabrielem dixisse Beatissimæ Virgini ipsam parituram filium duas naturas & voluntates habentem, quod Arrium dixisse asserunt.

Asserunt Christum sepelisse Adami imaginem in sepulchro, & illam resurgere fecisse diuinam & æternam: vnde asserere videntur, naturam humanam fuisse conuersam in Diuinam.

Asserunt æternam imaginem & humanam figuram factas esse vnione vnam imaginem, siue figuram, & æternam per humanam subsistere, & per eam factam esse Dominum, & Christum, & Deum, & sæculorum Iudicem.

Asserunt omnes justos manere in terra vsque in diem iudicij, secundum Christi aduentum à cælo expectantes.

Asserunt Angelos esse ex duabus substantijs scilicet ex igne & lumine.

Asserunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, quoniam est prima causa, & capere à filio secundam causam, cum sit ipse tertia causa in proprietatibus & vna in essentia.

Asserunt non concedi perfectionem nominis Dei nisi in his gloriosis nominibus, Trinis in personis, & Vnicis in substantia.

Asserunt

Asferunt animam iustificari ex opere suo bono.

Hi sunt errores qui potissimum hodie apud nationem Iacobitarum versantur, vt ex eorum Catechismo clarissime constat. Contra præcipuos Iacobitarum errores infra latius acturi, nunc pro adiuuanda eorum natione non erit abs re, vñionem ab eis cum Ecclesia Catholica olim in Concilio Florentino strictissimo obedientię vinculo celebratam, in memoriam reuocare: quia iuuat etiam maximè ad fidem Catholicam stabiendam contra præcipuas eorum hæreses quædam commemorare.

CAPVT XVI.

Constitutio Concilij Florentini sub sanctissimo Patre & D. N. Eugenio IV. super vñione Iacobitarum siue Iacobinorum.

Eugenius Episcopus Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Cantate Domino quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuersa terra. Exalta & lauda habitatio Sion: quoniam magnus in medio tui Episcopus Israel. Cantare profecto, & exultare in Domino decet Ecclesiam Dei pro hac grandi magnificentia, & gloria nominis sui, quam hodie clementissimus Deus operari dignatus est. Toto siquidem corde laudare & benedicere saluatorem nostrum nos conuenit, quia Sanctam Ecclesiam suam nouis quotidie accumulatis incrementis: quamquam autem in populam Christianam sua beneficia omni tempore multa & magna sunt, qua luce clarius erga nos suam immensam charitatem offendunt: si tamen accurate inspicimus: que & quanta his diebus nouissimis diuina clementia facere dignata est: iudicare certè poterimus, hoc nostro tempore plura ac maiora, quam à multis retro acti temporibus sua charitatis munera extitisse. Ecce enim nondum exacto triennio in hac Sancta Oecumenica Synodo saluberrimam trium magnarum nationum vñionem Dominus noster Iesus Christus pro sua infatigabili pietate ad commune perenneque totius Christianitatis gaudium, tam copiose effecit. Vnde actum est vt totus fere oriens gloriosum Christi nomen adoret, ac non parua septentrionis portio post longa dissidia cum Sancta Romana Ecclesia in eodem fidei ac charitatis vinculo iam conuenerint. Primo Greci, vbi qui subsunt quatuor Patriarchalibus sedibus multas gentes, nationesq; & idiomata continentibus, deinde Armeni multorum populorum gens: hodie vero Iacobini magni etiam per Aegyptum populi, Sanctæ Sedi Apostolicæ sunt vñiti. Et cum nihil saluatori nostro Domino Iesu Christo gratius sit, quam mutua inter homines charitas, nihilque nomini suo gloriosius, atque Ecclesiæ vtilius esse possit quam vt Christiani omni inter se sublato dissidio in eadem simul fidei puritate conueniant, merito nos omnes & cantare præ gaudio, & iubilate in Domino debemus: quos vt tantam Christi-

sianae fidei magnificentiam diebus nostris videremus, diuina miseratio dignos effecit. Suam igitur cum alacritate annunciamus magnalia hæc in vniuersa Christianorum terra: vt sicut nos pro gloria Dei & exaltatione Ecclesiæ gaudio inenarrabili repleti sumus, ita & alios tanta lætitiæ participes faciamus: vt omnes vno ore magnificemus & glorificemus Deum, & suæ maiestati prout dignum est magnas quætilianasq; gratias agamus pro tot tantisque beneficiis innumerabilibus hac ætate Ecclesiæ suæ Sanctæ collatis. Et quoniam qui opus Dei diligenter exercet, non modo meritum ac retributionem in cælis expectat, sed etiam apud homines amplam gloriam laudemq; meretur: Venerabilem fratrem nostrum Ioannem Iacobinorum Patriarcham huius sanctæ vñionis cupidissimum, à nobis & tota Ecclesia merito laudandum & extollendum, ac communi Christianorum fauore cum tota sua gente dignum iudicamus. Is enim à nobis per nostrum oratorem, ac literas excitatus, vt ad nos & hanc sanctam Synodum legationem mitteret, & se ac suam gentem in eadem cum Ecclesia Romana fide vniret dilectum filium Andream natione Aegyptium, Abbatem Monasterij S. Antonij apud Aegyptum, in quo & habitasse, & mortuus esse sanctus ipse Antonius perhibetur, Religione & moribus non mediocriter institutum, ad nos & ipsam Synodum destinauit. Cui deuotionis zelo accensus imposuit atque commisit, vt fidei doctrinam quam Sancta Romana Ecclesia tenet & prædicat, nomine ipsius Patriarchæ & suorum Iacobinorum reuerenter susciperet, deserendam postea per eum ad ipsum Patriarcham, & Iacobinos, vt & ipsi eandem agnoscerent ratamq; haberent, & in suis regionibus prædicarent. Nos igitur, quibus voce Domini commissum est pascere oues Christi, ipsum Andream Abbatem per nonnullos huius sacri Concilij insignes viros super articulis fidei, & Sacramentis Ecclesiæ, & quibuscunque ad salutem spectantibus diligenter examinari fecimus, & tandem quantum visum est necessaria fore, exposita eidem Abbati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ siue Catholice, & per ipsum humiliter accepta, hanc qua sequitur necessariam & veram doctrinam hodie in hac solemnī sessione sacro approbante Oecumenico Concilio Florentino in nomine Domini tradidimus. In primis igitur Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proponit deinde Concilium, & confitetur fidem Sanctissimæ Trinitatis, reprobandos omnes hæreticos contra illam tenentes, & libros tam veteris quam noui testamenti enumerat, omnia fere vt in professione fidei Catholice ab Orientalibus emittenda, de qua infra: & idea consulto omitterimus, maxime quia Iacobitarum errores potius circa Incarnationis quàm Trinitatis mysterium versantur. deinde infra profequitur Concilium.

Firmissime credit, profitetur, & prædicat vnā ex Trinitate personam Deum verum, Dei filium ex Patre genitum, Patri consubstantialem, & coeternum in plenitudine temporis quam diuini Concilij inscrutabilis altitudo disposuit, propter salutem humani generis veram hominis integramque naturam ex immaculato vtero Mariæ Virginis assumpsisse, & sibi in vnitatem personæ copulasse tanta vnitatem. vt quicquid ibi Dei est non sit ab homine separatum, & quicquid est hominis non sit à Deitate diuisum. Atque vnus & idem indiuisus: utraque natura in suis proprietatibus perman-

nente Deus. & homo Dei filius, & hominis filius, equalis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem, immortalis & aternus ex natura diuinitatis: passibilis & temporalis ex conditione assumpta humanitatis.

Firmiter credit & profitetur & predicat Dei filium in assumpta humanitate ex Virgine vere natum, vere passum vere mortuum & sepultum: vere, ex mortuis resurrexisse in celum ascendisse sedereque ad dexteram Patris, & venturum in fine seculorum ad viuos mortuosque iudicandos.

Anathematizat autem execratur, & damnat omnem hæresim contraria sapientiæ. (Et dānatis hæreticis omnibus contrariū sentētibus addit) Anathematizat etiā execratur, & dānat Eurychem Archimandritam, qui cum intelligeret, iuxta Nestorii blasphemiam veritatem incarnationis excludi, & propterea oportere quod ita Dei verbo vnita esset humanitas: & Deitatis & humanitatis vna esset eadēque persona: ac etiam capere non posset stante pluralitate naturarum vnitatem persona: sicut Deitatis & humanitatis in Christo posuit vnā esse personam, ita vnā asseruit esse naturam: volens autem vnionem dualitatem fuisse naturarum, sed in vnā naturam in assumptione transisse maxima blasphemia & impietate concedens: aut humanitatē in Deitatem, aut Deitatem in humanitatem esse conuersam.

Anathematizat, execratur & damnat Macharium Antiochenum, omnēsque similia sapientes: qui licet vere de naturarum dualitate, & personæ vnitatem sentiret: circa tamen Christi operationes enormiter oberrauit, dicens in Christo vtriusque naturæ vnā fuisse operationem vnāque voluntatē. Hos omnes cum hæresibus suis anathematizat Sacrosancta Romana Ecclesia affirmans in Christo duas esse voluntates, duasque operationes.

Firmiter credit, profitetur & docet neminem vnquam ex viro feminæque conceptū à D'aboli dominatu fuisse liberatum: nisi per fidem mediatoris Dei & hominum Iesu Christi Domini nostri: qui sine peccato cōceptus, natus, & mortuus humani generis hostem peccata nostra delendo solus sua morte prostrauit, & regni celestis introitū, quod primus homo peccato proprio cum omni successione perdidit, reserauit, quæ aliquādo venturū omnia veteris testamenti sacra, sacrificia, sacramēta, ceremonia præsignarūt.

Firmiter credit, profitetur & docet legalia veteris testamenti, seu Mosaica legis quæ diuiduntur in ceremonias sacra, sacrificia, Sacramenta: quia significandi alicuius futuri gratia fuerant instituta: licet diuino cultui illa ætate congruerent, significato per illa Domino nostro Iesu Christo adueniente, cessasse, & noui testamenti sacra cepisse. Quemcunq; etiam post passionem in legalibus spem ponentem, & illis velut ad salutem necessarijs se subdentem quasi Christi fides sine illis saluare non posset, peccasse mortaliter. Non tamen negat à Christi passione vsque ad promulgatum Euangelium illa potuisse seruari: dum tamen minimè ad salutem necessaria crederetur. Sed post promulgatum Euangelium sine interitu salutis aternæ asserit non posse seruari. Omnes ergo post illud tempus Circumcisionis & Sabbati, reliquorumque legalium obseruatores alienos à Christi fide denunciat, & salutis aternæ minimè posse esse participes.

participes: nisi aliquando ab his erroribus respiscant. Omnibus igitur qui Christiano nomine gloriantur, præcipit omnino quocunque tempore, vel ante vel post baptismum, à Circumcisione cessandum: quoniam siue quis in ea spem ponat, siue non, sine interitu salutis aternæ obseruari omnino non potest. Circa pueros verò propter periculum mortis, quod potest sepe contingere, cum ipsis non possit alio remedio perueniri, nisi per Sacramentum Baptismi, per quod eripiuntur à Diaboli dominatu, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta aut octuaginta dies, seu aliud tempus, iuxta quorundam obseruantiam, sacrum baptismum differendum: sed quantum primum fieri potest, debet conferri: ita tamen quod mortis imminente periculo, mox sine vlla dilatione, baptizentur etiam per laicum, vel mulierem, in forma Ecclesiæ, si desit sacerdos: quemadmodum in Decreto Armenorum plenius continetur.

Firmiter credit, profitetur & predicat, omnem creaturam Dei bonam; nihilque reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: quia iuxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem: illamque Mosaica legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam, ad ceremonialia asserit pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt, & efficacia esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato dicit illi tempore congruisse, quo ex Iudeis atque gentilibus, qui antea diuersis ceremonijs moribusque vivebant, vna surgebat Ecclesia: vt cum Iudeis etiam Gentiles aliqui communiter obseruarent, & in vnum Dei cultum iudæique conueniendi præberetur occasio, & disensionis materia tolleretur: cum Iudæis, propter antiquam consuetudinem, sanguis & suffocatum abominabilia viderentur: & esu immolatiij poterant arbitrari gentiles ad idololatriam redituros. Vbi autem eoque propagata Christiana Religio: vt nullus in ea Iudæus carnalis appareat, sed omnes in Ecclesiam transeuntes, in eisdem ritus Euangelij ceremoniasque conueniant, credentes omnia munda mundis, illius Apostolica prohibitionis causa cessante, etiam cessauit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denunciat, quam societas admittit humana: nec inter animalia discernendum per quemcunq; siue virum, siue mulierem, & quocunque genere mortis intereat quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari & Ecclesiastica disciplina, possint & debeant multanone negata dimitti, quia iuxta Apostolum omnia licent sed non omnia expediunt.

Firmiter credit, profitetur, & predicat nullos extra Ecclesiam Catholicam existentes non solum Paganos, sed nec Iudæos, aut hæreticos, atque schismaticos, aternæ vitæ fieri posse participes, sed in ignem aeternum iuros, qui paratos est Diabolo & angelis eius, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati. Tantumque valere Ecclesiastici corporis vnitatem: vt solis in ea manentibus ad salutem Ecclesiastica Sacramenta proficiant, & ieiunia, elemosinæ, ac cetera pietatis officia, & exercitia militia

Christiane premia eterna parturiant, neminemque, quantas, unque elemosinas fecerit, & si pro Christi nomine sanguinem effuderit, posse saluari, nisi in Catholica Ecclesia gremio, & unitate permanferit.

(Exprimit deinde Synodos Cœcumenicas, nempe Nicenam, Constantinopolitanam, & primam Ephesinam, easque amplectitur & approbat, de Calchedonenſi verò & de alijs, quas Iacobitæ non admittunt, addit.) Amplectitur, etiam, approbat, & suscipit Sanctam Calchedonenſem Synodum, quartam in ordine vniuersalium Synodorum, Sexcentorum & triginta Patrum, temporibus præfati Beatissimi Leonis prædecessoris nostri, & Marciani Principis celebratam, in qua hæresis Eutyriana cum suo auctore Eutyche, & Dioscuro defensore damnata est: & diffinitum est, Dominum nostrum Iesum Christum esse verum Deum & verum hominem & in vna eademque persona diuinam humanamque naturas integras, inuictas, incorruptas, inconfusas distinctasque mansisse, humanitate agere qua hominis sunt: & Deitate que Dei. Quos damnat, damnatos habet; quos approbat, approbatos.

Amplectitur etiam, approbat, & suscipit Sanctam quintam Synodum secundo apud Constantinopolim tempore Beatissimi Vigily prædecessoris nostri & Iustiniani Principis celebratam: in qua Sacri Calchedonenſis Concilij definitio de duabus naturis & vna persona Christi renouata est, multique Origenis errores suorumque sequacium, præsertim de demonum aliorumque damnatorum penitentia & liberatione, reprobati atque damnati sunt.

Amplectitur etiam, approbat, & suscipit sanctam tertiam Constantinopolitanam Synodum, centum & quinquaginta Patrum, que sexta est in ordine vniuersalium Synodorum, temporibus Beatissimi Agathonis prædecessoris nostri, & Constantini quarti huius nominis Principis, congregatam, in qua Macharij Antiocheni Episcopi, & sectatorum hæresis condemnata est: & diffinitum est in Domino nostro Iesu Christo duas esse perfectas integrasque naturas & duas operationes, duas etiam voluntates, licet esset vna eademque persona, cui vtriusque nature competereut actiones, Deitate agente que Dei sunt, & humanitate qua hominis sunt.

Amplectitur etiam, & veneratur & suscipit omnes alias vniuersales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congregatas, ac celebratas & confirmatas, & præsertim hanc Sanctam Florentinam: in qua inter alia Græcorum atque Armenorum sanctissima vniõ consummata est, & multa circa vtramque vniõnem saluberrime diffinitiones editæ sunt: prout in decretis de super promulgatis plene continetur, quorum tenor in hunc modum sequitur.

Positis deinde alijs decretis Sacrosanctę Synodi circa vniõnem tam Græcorum quam Armenorum, in quibus fidei nostrę fundamenta stabiliuntur ac declarantur, in fine Bullę siue Decreti vniõnis cum Græcanica natione, addit. His omnibus explicatis præfatus Andreas Abbas, nomine dicti Patriarchæ, ac proprio & omnium Iacobinorum, hoc saluberrimum Synodale decretum cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis,

statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam: nec non quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & reuerentia suscipit & acceptat. Illos quoque Doctores & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, ipse reuerenter suscipit, quas unque verò personas & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobabat & damnat, ipse pro damnatis & reprobatis habet, profitens tanquam vera obedientia filius, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolica ordinationibus & iussionibus fideliter & semper obtemperare. Lecto solemniter in præſenti Synodo hoc decreto Latino sermone, mox in Arabico præfatus Andreas Abbas ipsum Iacobinorum Decretum publice ibidem prælegit, atque infraſcripta verba in scriptis Arabicè subiunxit, que in continenti Latine recitata sunt: Beatissime Pater Domine Eugeni Sancta Romana Ecclesiaque vniuersalis summe Pontifex, verèque Christi Vicarie, ac Beati Petri successor, & sanctissima vniuersalis Florentinensis Synode, totum hoc Sanctum decretum cum insertis & sanctis decretis vniõnis Græcorum & Armenorum, quod nunc in vestra præſentia publicè lectum est, Ego Andreas humilis Abbas S. Antonij, orator Reuerendi Patris Domini Ioannis Patriarchæ Iacobinorum, habens ipsius decreti per plures dies plenam notitiam & instructionem, cognosco confiteorque omnia in ipso decreto contenta, diuina ac Catholica veritati consona existere. Nomine igitur præfati Domini Patriarchæ omniumque Iacobinorum, ac meo, quemadmodum vestra sanctitas attestatur, præfatum saluberrimum Synodale decretum, cum dictis insertis decretis omnibusque suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis & statutis: omnemque doctrinam in ipso descriptam nec non quicquid tenet & docet sancta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia cum omni deuotione & reuerentia suscipio & accepto. Illos quoque Doctores, & sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipio; quas unque verò personas & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobabat & damnat, pro reprobatis & damnatis habeo; pollicens nomine quo supra ipsum Patriarcham Iacobinorumque, & me ipsum tanquam vera obedientia filios, vestris & sedis Apostolica ordinationibus & iussionibus fideliter & semper obtemperaturos. Datum Florentiæ in publica sessione Synodali, solemniter in Ecclesia domus Sanctæ Mariæ nouelle, apud quam nunc residemus, celebrata, anno incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo, pridie nonas Februarij, Pontificatus nostri anno vndecimo.

CAPVT XVII.

De natione Armena eorumque erroribus.

DE Armenis & eorum erroribus scripserunt inter alios Vincentius Be-
luacensis in speculo historiali lib. 30. c. 98 & ex eo ad verbum S. An-
toninus 3. p. tit. 19. c. 8. §. 10. & de nouitatibus apud eos, idem Anton. tit.
21. cap. 5. in princ. Guido Carmelita, Rodolphus Armacanus, & nouissi-
mè Prateolus lib. de sect. hæret. verbo *Armeni*.

Hæreses & errores præcipui nationis Armeniæ iisdem ferè sunt cum er-
roribus Iacobitarum & Græcorum: Dicunt enim in Christo Domino nostro
vnam naturam esse, vnam voluntatem, vnamque operationem. Dioscorum
colunt. Trisolum habent Concilia vniuersalia. Adiungunt Trisagio, Qui
crucifixus est pro nobis.

Cum Græcis Spiritum Sanctum, non à filio, sed à solo Patre, procedere:
Sacramentum Eucharistiæ non in Azymo, sed solum in fermentato cõfici;
nullam animam antè diem vniuersalis Iudicij fore beatam: nullum denique
esse Purgatorium, in quo animæ ex hac luce migrantes purgentur, affir-
mant; ac proinde neque orandum esse pro defunctis.

Præter hos etiam errores, alijs quamplurimis scatent, de quibus latissi-
mè Guido Carmelita in libro quem de hæresibus edidit. Primò asserunt,
Adamum & Euam nunquam carnali copula coniungendos, si in eo statu
quo illos Deus condiderat, permãssent, humanam speciem aliter propa-
gandam asserentes.

2. Ab omnibus etiam Sacramentis virtutem conferendi gratiam tollunt.

3. Rebaptizant eos qui iam semel Baptisma susceperunt in Ecclesia Ro-
mana, in ea dicentes non esse verum baptisma, propterea quod apud Latinos
non esse veram & Catholicam Ecclesiam affirmant, sed solum penes ipsos.

4. Dicebant etiam Baptisma alicui conferri non posse, nisi eidem cõ-
feratur & Eucharistiæ Sacramentum.

5. Christum quoque adeo necessarium ad verum Baptisma perficiendum, vt
nisi baptizandus ipso Christinate vngatur, non baptizatum conferent.

6. Asserebant rursus pueros non indigere Baptismo ad deletionem pec-
cati originalis, vtpote qui pueros negarent ante Baptisma vllum pec-
catum originale habere.

7. Item, Beatos essentiam Dei non videre, sed claritatem quandam illius
essentiæ, in qua visione asserunt supremam constare beatitudinem.

8. Fatentur, Deum esse mendacem, propterea quod cum Deus dixisset, Cain
futurum

uturum vt à nullo homine occideretur, seipsum tamen occiderit qua ex re
conuincunt Deum protulisse falsum, cum Cain fuerit ab homine occisus.

9. Item negant illi, verum Christi corpus realiter in Sacramento Eucha-
ristiæ sub panis & sanguinem sub vini speciebus, contineri.

10. Rursus sic vinum in calice apponunt, vt nullam penitus misceant
aquam, eam asserentes minimè miscendam esse.

11. Asserunt etiam hunc sacratissimum cibum, nec prodesse quicquam,
nec etiam obesse.

12. Item inferni penam non esse perpetuam, dicentes Christum, cum ad
Inferos descendit, omnes animas inde eduxisse.

13. Negant in nuptiis contrahendis aliquod esse Sacramentum, asseue-
rantes illam maris & femine indissolubilem coniunctionem non esse Sa-
cramentum, neque per illam aliquam gratiam conferri coniunctis.

14. Et quauis dicat originale peccatum nullum esse, fatetur tamè Baptisma
esse necessarium ad vitam æternam consequendam. Paruos verò, qui abiq;
Baptismo decedunt, negant vitam beatam possidere, sed eos dicunt in paradisi-
sum terrestrem migrare, si filij sint fidelium; si verò infidelium filij extiterint,
illos dicunt descendere in Infernum cum suis parentibus.

15. Docent rursus, omnes homines ante passionem Christi fuisse dånatos
ob primorum parentum peccatum atque transgressionem. Dicunt enim, eo-
rundem priorum parentum peccatum adeo fuisse exitiale & noxiu, vt toti po-
steritati vsque ad Christi passionem nocuerit, eamque posteritatem ad infernum
abduxerit: non quidem propter originale vitium, quod à primis parentibus
contraxerunt nascentes (quia vti iam diximus, nullum esse astruunt) sed
ob proprium primorum parentum peccatum omnes damnatos esse affir-
mant, etiam si ipsi in se nullum habuerint peccatum.

16. Dicunt item, nullum fuisse futurum peccatum, si Dæmones non fuissent,
qui homines ad tentationem impellerent: ex quo inferebant, peccatum ef-
se simpliciter à Dæmone, & nullo pacto à libero arbitrio.

17. Dicunt etiam esse aliqua peccata ita prorsus irremissibilia, vt à nullo
sacerdote remitti possint, cõtra illud quod Christus dixit Petro Matt. 16.
*Quodcuq; ligaueris super terram erit ligatum & in calis, & quodcuq; solueris super
terram erit solutum & in calis* Vbi qui totum dicit, nihil excludit.

18. Docent quoque Christum surrexisse à mortuis die Sabbati, post pa-
rasceuen, hora sexta, cum tamen eum surrexisse tertia die omnes scriptura
testentur, iuxta quod ipse saluator promiserat Luc. 18. & Matth. 12.

19. Item omnes homines in sexu virili resurrecturos, nullumque post
resurrectionem, futurum esse femineum sexum.

20. Negant denique vllum Sacramentum gratiam conferre posse susci-
pienti, quantumlibet ad illius susceptionem animam suam præparet.

CAPVT XVIII.

De quibusdam Armenorum ritibus.

Recensitis his & similibus Armenorum erroribus, addit Niceph. li. 8. histor. Ecclesiast. cap. 53. Dicunt (ait) habere constitutiones multifarias diuinorum ministeriorum, præter Ecclesiæ traditionem & consuetudinem. Atque vt Monophysitas se esse satis ostendant, digito vno à læua dexteram versus, se ipsos cruce consignant.

Et Crucem Sanctâ, magno Parasceues die, sub terra abscondunt, vsque ad magnum Dominicum diem. Tum verò cum lumine per plateas & angulos circumeuntes hinc & inde eam quarunt, & inuentam proferunt.

Tempore autem procedente alios ritus & ceremonias, quæ pietate salua vel obseruari vel omitti possunt, complexi sunt, peculiaria ieiunia instituentes, & sabbatis atque diebus Dominicis magnæ sanctæ Quadragesimæ, lac, caseum, & oua comedentes, & per panem azymum sacrificiû peragentes, atque id quod Alzibini dicitur ieiunium, paulo ante eû diem, quo carniû mesus interdicitur, seruantes. Hactenus Nicephorus. Hæc autem constitutiones, de quibus Niceph. paulo antè, sunt de quibusdâ Armenorû ritibus qui maiori ex parte à consuetudine omnium Ecclesiarû & à pietate alienissimi videtur, de quibus, alijq; Armenorû cõsuetudinibus, S. Antonin. vt supra, sic ait: Armeni siquidè in Sabbato Paschæ comedunt oua & caseû in vespere, dicunt enim quod Christus resurrexit in vespere sabbati.

Item post Pascha comedunt carnes per omnes sextas ferias, quæ sunt septem vsque ad Pentecosten.

Diem natalis Domini nesciunt, nullaque festa, vel Vigiliâs custodiunt, nec quatuor tempora nouerunt.

Per totam quadragesimam non celebrant, nisi die Sabbati vel Dominicæ, quia dicunt hominem ieiuniû frangere quoties celebrat. Propter hanc etiam causam in sextis ferijs non celebrant, ne ieiunium frangant.

Diebus autem, quibus carnes comedunt, celebrant, quia tunc non ieiunant. Multa verò ieiunia faciunt.

In septimana ante Septuagesimam, quia dicitur ieiunium S. Sergij, à secunda feria vsque ab Sabbathum ieiunare incipiunt.

Et in sabbatho, & in Dominica carnes comedunt:

Idem in hebdomada sequenti faciunt.

In quarta & sexta ferijs oleum & pisces non comedunt, nec vinum bibunt, nec etiam per totam Quadragesimam.

pluſque

Pluſque peccare qui in quadragesima comedit pisces, vel oleum, aut vinum bibit, quàm illum qui ad lupanar vadit.

Porro in septimana ante quadragesimam ita strictè ieiunant, quòd in secunda feria penitus abstinent. In die Martis aliquid, sine tamen oleo, & vino manducant. Et in die Mercurij omnino nihil, & in Sabbatho comedunt carnes. Et hoc quidem ieiunium faciunt maiores.

Infantes autem duorum mensium Sacramèto communicant, & quoslibet indifferenter.

Tantum odium inter Georgianos & Armenos existit, quòd Georgianus dicit: *Si quis vestrum habeat spinam in pede fixam transiens ante Armenorum Ecclesiam, debet spinam sustinere; nec se ad pedem suum euellendi causa inclinare, ne per hoc videatur, ante Armenorum Ecclesiam, ab omnibus Christianis vili pendendam, se inclinare.*

Omnes hi alijque plures Armenorum nationi ascribuntur errores, nõ quòd omnes Armeni illis inhæreant, sed quia eorum aliqui aliquibus ex his, alij verò alijs teneantur hæresibus.

Armenorum errores aperuerunt, atque confutarunt præcipui Patres Chalcedonensis Synodi, Græci item atque Latini, qui de Christi Domini incarnatione scripserunt, quòd & strenuè recerunt etiam Scholastici Theologi, quin & Ricardus Randalphus hoc præstitit, vnde viginti libris quos aduersus Armenorum errores conscripsit, sed cautè legendus est: interdum enim dum alios corrigit, ipse in errores lapsus est, quos Thom. Vualdenſis & alij confutarunt. Et ex Antiquioribus contra Armenorum errores scripserunt Proclus Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Armenos. S. Nicon in tractatu de pessima Armenorum Religione. S. Thom. in opusc. de Armenorum erroribus, & præcipuè Concilium Florentinum in Bulla Vnionis Armenorum.

CAPVT XIX.

Pro iuuandis Armenis.

A Armeni Asiam incolunt in ea parte, quæ est inter Taurum, & Caucasum montes constituta, quorum patria Armenia dicitur à Cappadocia vsque ad Caspium mare protensa; cum autem illi Catholicam fidem fuerint edocti, tempore Constantini Imperatoris, sedem Romanam & Apostolicam venerati sunt, vt ex eorum libris, maxime ex Actis B. Gregorij, magni Præsulis Armeniæ virique sanctissimi constat. Referunt enim Armeni inter Imperatorem Constantinum, & Tiridatem Regem Arme-

norum, Sanctumque Gregorium (quem Illuminatorem vocant, quia per illum ad fidem & baptismum fuerunt adducti) & B. Siluestrum Papam vnionem olim fuisse initam; ac deinde inter orientales nationes nulla est, quæ ita firmiter Petri sedi adhaerit vt Armeni. quam verò ob causam ab Ecclesia defecerint conijcere licet ex historicorū scriptis, nimirū propter Decreta Concilij Chalcedonensis sub Leone primo & Martiano Imperatore celebrati, quòd videlicet in eo ipso Concilio Euryches Abbas Constantinopolitanus, & Dioscorus Alexandrinus Episcopus, quorū opinionem Armeni sequebantur, damnati fuissent. Nam quòd tēpore Philastrij Brixienſis Episcopi, & B. Augustini nondum ab Ecclesia seiuncti essent, ex eo constat, quòd neuter eorum Armenorum hæresis mentionē faciat, Armeni itaque his hæreticis fauētes decreta Concilij Chalcedonensis admittere contempserunt.

At postea in Concilio Florentino, tempore Eugenij iiii. celebrata est Armeniorum vnio cum Ecclesia Catholica, quamuis nunc apud Armenos ipsos, sicut nec apud Græcos, vnionis in illo celeberrimo Concilio, præſente Imperatore Palæologo factæ, nullum ferè existat vestigium: & quauis hodie aliqua illorum pars à Romana dissentiat Ecclesia, maior tamen eorum numerus, ac præcipuè Patriarchæ & Episcopi, paratissimi sunt ad redintegrandam, & confirmandam eandē vnionem, præstandamque obedientiam Apostolicæ sedi. Quemadmodum nuper à Religiosis nostri Ordinis, iussu Clementis VIII. Sanctæ memoriæ Papæ, in Perſarum Regis ditionem, salutis animarum causâ penetrantibus, relatione fide digna accepimus.

Natio Armena, quæ copiosissima est, teste Leonardo Episcopo Sidonienſi, (qui à Gregor. xiiij. missus, omnes ferè Orientis Prouincias illustrauit) duobus Patriarchis principalibus subiecta, quorum vnus est Armeniæ maioris, residens in Monasterio & Ecclesia Ecmeazin, propè ciuitatem Eruan in Persia. Alius autem Armeniæ minoris, residens in ciuitate Sis in Cilicia, hodie dicta Caramania. Alij insuper Patriarchæ inter eandē nationem fauore Turcarum creati reperiuntur, suntque exactores tributorum, quæ familiæ Armeniæ Turcis reddere tenentur. Alij etiam sunt coadiutores electi eorundem Patriarcharum cum consensu Episcoporū & populi. Alij insuper sunt Primates, aut potiùs Patriarchæ eiusdem nationis, in vltimis partibus Persiæ, & in Constantinopoli, qui quanquam vi iuris subditi sunt huic Patriarchæ Armeniæ maioris, quandoque tamen eum non recognoscunt.

Familiæ, quæ huic Patriarchatui maioris Armeniæ subsunt, excedunt numerum centum & quinquaginta millium, præter monasteria quam plurima, Episcopos, Sacerdotes, Religiosos & Diaconos permultos.

Huius

Huius Patriarchatus Magistri & Cōcionatores Armenica lingua, Morabitur dicuntur, quibus natio ipsa non minorem obedientiam quam ipsismet Patriarchis præstat.

In prouincia Neuum, in ipsa quoque Persia, in duabus ciuitatibus degunt Armeni Catholici, qui Archiepiscopo Dominicani ordinis alijsque; fratribus eiusdem familiæ, subduntur, qui Latino ritu ac sub obedientia Romanæ sedis viuunt.

Patriarcha verò Armeniæ minoris habet sub ditione sua viginti quatuor Prælatos Episcopos, & Archiepiscopos, & ad duodecim Episcopos superiores vicinioreſque; Ecclesiæ Patriarchali, spectat electio Patriarchæ, quandoque tamen à populo Armeno, fauore & iussu officialium Turcarum, Patriarchæ creantur; postmodumque ab Episcopis & Archiepiscopis consensum obtinent, præcipuique populi fauore Coadiutor cum futura successione, ei deputatur, qui è Magistro & prædicatore post mortem præfati sui prædecessoris, à populo in Patriarcham recipitur & confirmatur.

Familiæ huic Patriarchatui subditæ numero circiter viginti millium recententur, aguntque in ciuitatibus, villis & castellis Syriæ & Ciliciæ, suntque viginti Monasteria centum Religiosorum, Sacerdotes trecenti, Diaconi & Clerici quam plurimi, qui eleemosynis propriaque industria viuunt. Hęc ex prædicto viro pijsimo Leonardo Sidonienſi Episcopo: qui veritati consentanea pro eius temporis ac rerum statu referebat. Verum Rex Perſarum hac tempeſtate armorum vi, & potentia tam maiore quam minorem Armeniam à Turcarum tyrannide vindicauit, ac suo subegit imperio. Pro iuuandis Armenis legendus est Guido Carmelita; extat quoque Romæ professio fidei Armena lingua edita: cetera quæ dixerimus infra pro iuuandis Schismaticis Orientalibus, consideranda sunt in Armenorum ad fidem reductione: nunc verò sufficiat pauca ex vnione ab Armenis cum Ecclesia Catholica in Concilio Florentino facta referre.

C A P V T X X.

De vnione Armenorum, Decretum à Sancta Synodo Florentina sub Eugenio iiii. Pont. Max. editum.

Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriã. Exultate Deo adiutori nostro: Iubilate Deo Iacob omnes vbique, qui nomine censemini Christiano, Ecce enim iterum Dominus recordatus

miseri cordiæ suæ alium disidiæ lapidem nongentis & amplius inueteratissimis annis de Ecclesia sua auferre dignatus est: Et qui facit concordiam in sublimibus, & in terra pax est hominibus bonæ voluntatis, optatissimam Armenorum unionem sua ineffabili miseratione concessit. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Intuens namque piissimus Dominus Ecclesiam suam, modò ab his qui foris sunt, modo ab his qui intra, non paruis agitari turbinibus; ut inter ipsas respirare angustias, & ad resistendum fortior assurgere valeat, multis eam quotidie modis consolari & roborare dignatur. Nam & pridem magnam illam Græcorum unionem multas longè lateque continentium nationes & linguas: hodie verò hanc ipsam Armenici populi, qui per Septemtrionem, & Orientem in magna copia diffusus est, in eodem fidei & charitatis vinculo cum sede Apostolica stabiliiuit. Hæc profectò tam magna & miranda sunt diuinæ pietatis beneficia: ut non solum pro vtroque, sed ne quidem pro altero, satis dignas suæ Maiestati referre gratias possit intellectus humanus. Quis non vehementer admiretur vno eodemque tam breui tempore, duo sic præclara, & tot sæculis desiderata opera in hoc Sacro Concilio fuisse tam feliciter consummata? Vere à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Quæ enim hominum prudentia vel industria, nisi gratia Dei & cepisset & perfecisset, has tales ac tantas res explere potuisset. Laudemus iugiter & toto corde benedicamus Dominum, qui facit mirabilia magna solus, ipsique psallamus spiritu, psallamus & mente, oreque & opere, quantum sinit humana fragilitas, pro tantis muneribus gratias agamus, orantes & obsecrantes, ut quemadmodum ipsi Græci, atque Armeni vnum cum Ecclesia Romana effecti sunt, ita fiant & cæteræ nationes, præsertim Christi caractere insignitæ, & totus denique populus Christianus, omnibus odijs, bellisque extinctis, mutua inuicem pace ac fraterna charitate quiescat & gaudeat. Ipsos autem Armenos magnis laudem præmijs dignos esse merito censemus. Ut primum enim à nobis ad Synodum accersiti sunt, tanquam Ecclesiasticæ auidi unitatis, spectabiles, deuotos, & doctos oratores suos, cum sufficienti mandato de suscipiendis videlicet, quicquid Spiritus Sanctus hanc Sanctam Synodum illustrauerit, ex remotissimis Regionibus per multos labores marisque pericula, ad nos & hoc Sacrum Concilium destinarunt. Nos verò tota mente, ut nostrum pastorale decebat officium, cupientes tam Sanctum perficere opus, sæpè cum ipsis Oratoribus de Sancta vnione cõtulimus. Et ne vel parua huic Sanctæ rei dilatio fieret, deputauimus de omni statu huius Sacri Cõcilij viros Iuris Diuini & humani doctissimos, qui cum omni cura, studioque & diligentia rem istam cum ipsis pertra-

arent

arent oratoribus, ab eis accuratè inquirentes eorum fidem, tam circa diuinæ unitatis essentiam, & diuinarum personarum Trinitatem, quam Domini nostri Iesu Christi humanitatem, & septem Ecclesiæ Sacramenta, & alia ad fidem orthodoxam & ritus vniuersalis Ecclesiæ pertinentia. Multis itaque ac habitis disputationibus, collationibus, & tractationibus. Postquam non mediocrem testimoniorum inspectionem, quæ ex Sanctis Ecclesiæ Patribus & Doctoribus deducta sunt, & earum de quibus agebatur rerum discussionem: tandem expedire iudicauimus, ne vlla in futurum de fidei veritate apud ipsos Armenos hæsitatio esse valeat atque idem per omnia sapiant cum sede Apostolica, vniouque ipsa stabilis ac perpetua sine vllò scrupulo perseueret, ut sub quodam Breui cõpendio orthodoxæ fidei veritatem, quæ super præmissis Romana profitetur Ecclesia, per hoc decretum sacro hoc approbante Florentinensi Concilio, ipsis oratoribus ad hoc etiam consentientibus traderemus.

Deinde Sancta Synodus exponens Armenis fidei, nostra arcana, tradit symbolum Constantinopolitanum, assertitque, in Christo duas naturas & vnã personam, & quod Iesus Christus consubstantialis Patri sit secundum Diuinitatem, & nobis secundum humanitatem, & in eo sint due voluntates & due operationes. Deinde explicat septem sacramentorum formam materiam, & effectum eorum, ac nouissimè refert & amplectitur Sancti Athanasij Symbolum, quæ à nobis consilio omittuntur, quia nimis longa; & serè omnia (exceptis his quæ ad Sacramenta pertinent) repetuntur in professione fidei infra à nobis in fine huius tractatus adducenda. Demum lecta Bulla vniõis Græcorum cum Latina Ecclesia, prosequitur Concilium dicens.

His omnibus explicatis prædicti Armenorum oratores nomine suo, ac sui Patriarchæ, & omnium Armenorum hoc saluberrimum Synodale decretum in omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis omnem que doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet & docet Sancta Romana sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & obedientia acceptant, suscipiunt & amplectuntur. Illos quoque doctores & sanctos Patres quos Ecclesia Romana approbat, ipsi reuerenter suscipiunt: quascunque verò personas, & quicquid Romana ipsa Ecclesia reprobat & damnat, ipsi pro reprobatis & damnatis habent. Profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & iusionibus fideliter obtemperare. Lecto autem solemniter in nostra, & huius Sanctæ Synodi præsentia memorato decreto, mox dilectus filius Narses Armenus, nomine ipsorum Oratorum, in idiomate Armenico publicè hæc quæ sequuntur legit, quæ incontinenti dilectus filius Basilius, ordinis fratrum minorum, noster & ipsorum Armenorum communis interpres, publicè sermone Latino in hunc modum ex scripto legit. Beatissime Pater. &

Sanctissima Synode, totum hoc Sanctum decretum, quod nunc Latine coram vestra publice lectum est presentia, fuit nobis pridie de verbo ad verbum in nostro idiomate clare expositum & interpretatum, quod quidem nobis optime placuit & placet.

Ad maiorem autem nostre mentis expressionem, eius effectum summam repetimus. In ipso continetur.

Primo, qualiter populo nostro Armenorum traditis Sanctum Symbolum Constantinopolitanum, cum illa additione Filioque, ut in Ecclesijs nostris, diebus saltem Dominicis maioribusque festiuitatibus, intra Missarum solemnia, decantari seu legi debeat.

Secundo diffinitionem quarti vniuersalis Concilij Chalcedonenis de duabus naturis in vna Christi persona.

Tertio diffinitionem de duabus Christi voluntatibus & operationibus, in sexto vniuersali Concilio promulgatam.

Quarto declaratis, quod ipsa Chalcedonenis Synodus, & Beatissimus Leo Papa, recte de duabus in vna persona Christi naturis veritatem diffinierunt, contra impia Nestorij & Eutychnis dogmata, iuberisque ut ipsum Beatissimum Leonem tanquam Sanctum, & fidei columnam veneremur. Atque non solum has tres Synodos Nicenam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, sed & omnes alias vniuersales auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, reuerenter suscipiamus.

Quinto breuem formulam Sacramentorum septem Ecclesie, videlicet baptismi, Confirmationis, Eucharistie, Pœnitentie, Extreme Vnctionis, Ordinis, & Matrimonij, declarando quæ sit cuiusque Sacramenti materia, forma, & Minister, quodque in sacrificio altaris, dum calix offertur, vino paululum aquæ admisceri debet.

Sexto quandam compendiosam Beatissimi Achanasij fidei regulam, quæ incipit, *Quicumque vult saluus, &c.*

Septimo Decretum vniuersalis conclusæ cum Græcis in hoc Sacro Concilio pridem promulgatum, continens, qualiter Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter procedit, & quod illa additio, Filioque licite ac rationabiliter ipsi Symbolo Constantinopolitano fuit appositæ. Quodque in pane triticeo, azymo vel fermentato corpus Domini conficitur. Quid etiam credendum sit de pœnis Purgatorij & Inferni, ac vita Beata, & de suffragijs quæ pro defunctis fiunt. Item de plenitudine potestatis sedi Apostolicæ tradita à Christo, Beato Petro & suis successoribus, atque de ordine Patriarchalium sedium.

Octauo decernitis, ut de cætero Armeni has festiuitates infra scriptis diebus more vniuersalis Ecclesie celebrare debeant, videlicet Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, vicesima quinta Martij, Natiuitatis B. Iohannis

nis Baptistæ, vicesima quarta Junij; Natiuitatis saluatoris nostri, secundum carnem, vigesima quinta Decembris; Circumcisionis eiusdem, prima Ianuarij; Epiphaniæ, sexta eiusdem Ianuarij; Præsentationis Domini in templo, seu Purificationis Beatæ Mariæ, secunda Februarij. Nos igitur oratores, nomine nostro nostrique Reuerendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, sicut & vestra Sanctitas in ipso Decreto attestatur, hoc saluberrimum Synodale Decretum, cum omnibus suis capitulis, declarationibus, diffinitionibus, traditionibus, præceptis, & statutis, omnemque doctrinam in ipso descriptam, nec non quicquid tenet & docet Sancta sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, cum omni deuotione & obediencia, acceptamus, suscipimus, & amplectimur. Illosque Doctores & Sanctos Patres quos Ecclesia Romana approbat, reuerenter suscipimus. Quascunque verò personas, & quicquid ipsa Romana Ecclesia reprobat & damnat, nos pro damnatis & reprobatis habemus. Profitentes tanquam veri obedientiæ filij, nomine quo supra, ipsius sedis Apostolicæ ordinationibus & infusionibus fideliter obtemperare. Datum Florentiæ in publica sessione Synodali solemniter in Ecclesia maiori celebrata, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo, decimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno i x.

De Armenis, qui post reductionem Græcorum etiam ipsi instructione fidei, secundum Romanam Ecclesiam, susceperunt ab Eugenio Papa iij. in Concilio Florentino, scribit idem S. Antonin. in eadem 3. parte tit. 22. cap. xi. §. i. in fine. Quod insuper Armeni & aliqui ex India miserunt Oratores suos Florentiam ad Dominum Eugenium postulantes & supplicantes instrui & erudiri, in ijs quæ sunt fidei, à Romana Ecclesia, & vniri cum ea in charitate Christi: qui examinati, in paucis reperti sunt dissentire à Catholica fide, & in illis subiecerunt se correctioni Apostolicæ sedis; quæ de concilio Prælatorum decreuit, eos in ritibus suis, qui non sunt contra veritatem fidei, tolerari; sicut & Græci, licet dissimiles sint à moribus Latinæ Ecclesie. In aliquibus verò, qui à fide vera discrepabant, prohiberi, ut qui Sacramentum Confirmationis non habebant in vsu conferendi illi nationi, docentes eos, illud, sicut & cætera Sacramenta, debere accipere, credere, & conferre, & aliqua alia: quibus determinationibus acquiescerunt. Ex quibus collige tolerandos esse

ritus aliarum nationum, etiamsi ab Ecclesia Romana dissentiant, dummodo in alijs

Catholicè sapiant: & hæc de Armenis.

CAPVT XXI.

De Georgianis, (alio nomine Iberis,) & eorum erroribus.

Inter ceteras Schismaticorum nationes, qui Orientalem regionem inhabitant, non sunt minoris notæ Georgiani, quorum Prateolus in libro de vitis & sectis Hæreticorum, verbo Georgiani, ritus, mores ac simul errores breuiter refert.

Georgiani (inquit) sunt ij, quos Iberos appellant Cosmographi, gens barbara & bellicosa, & quæ (authore Pio 2. huius nominis. Romanorum Pontifice in sua Cosmographia) Armenico & Medico cultu utitur, Scytharumque more viuit, quorum cognati sunt & cõtermini. Habitat enim hæc natio in interiori Armeniæ parte ad septentrionem, & Euxinũ versus: quam Magnus Pompeius Romano Imperio subiecit: sed sub Constantino Cæsare, Helenæ filio, & Syluestro Papa, verbi Dei fœdera & fidem futuri regni suscepit, circa annum Domini 325.

Qui licet hodie Christum colant, procul tamen ab Apostolica sede, veritatis Magistra, colunt: & barbaris circumfusi gentibus, non omnem puritatem Euangelij seruant. Nam in Sacramentis & alijs plerisque rebus, Græcorum errores sequuntur. Eorum Clerici rotundas circumferunt coronas, more nostro, Laici verò quadratas. Illustriores illorum mulieres Amazonum instar, armis in prælijs utuntur. In officijs Ecclesiasticis & scriptis, quidam eorum lingua Græca, alijque Chaldaica utuntur.

Georgiani verò appellantur, à Diuo Georgio, quem velut præcipuum patronum, & in suis prælijs contra Paganos velut signiferum & propugnatores in genti honore venerantur. Quocumque tendunt, turmatim incedunt, vexillum diui Georgij imagine insignitum circumferentes, cuius ope & auxilio se in bello maxime iuuari credunt. Archiepiscopum habent, qui in monte Sina claustrum diuæ Catharinæ incolit, cui per omnia, vt nos summo Romanorum Pontifici, obtemperant. Cur verò tanto in honore Diuum illum Georgium habeant, fit inde quod ille primus ad fidem Christi Armenos Iberosque conuertit, diuinumque dogma apud eos disseminauerit: quamuis Ruffinus & Sozomenus lib. secundo cap. sexto, & sequenti, & post eos Nicephorus lib. 8. cap. 34. mulierem captiuam tanti boni illis causam præstitisse asserant. Quæ cum aliàs semper pudicè castèque vixerat, tum captiua quoque nihil de pietate sanctioreque instituto remisit. Nam diu noctuque pietatis exercitia exhibebat, ieiunij

nij plurimum vacabat, continueque precationibus insistebat. Hactenus Prateolus: quam mulierem fuisse Barbaris admirationis magnæ, ac suo exemplo & oratione, & miraculis, Reginam & Regem illius prouinciæ, ad fidei cognitionem perduxisse, latius prosequitur idem Prateolus: sed hæc pro Georgianorum erroribus sufficient; hi enim facile ex his, quæ contra Græcorum errores scripsimus, conuincuntur.

De Georgianorum ad fidem Christianam conuersione, Ruffinus in historia Ecclesiastica lib. 1. cap. 11. à quo omnes alij acceperunt, vt Nicephorus lib. 8. cap. 34. Sigibertus in Chronicis, Genebrardus in Chronographia lib. 2. sub Sancto Marco Papa I. Supplementum Chronicorũ lib. 9. qui in eum errorem lapsus est, vt putarit Iberiam esse, quæ hodie Scotia nuncupatur; cum reuera aliud sit Iberia in continenti terræ, aliud Iberia insula prope Britanniam, & tunc aliud Hibernia, seu Irlanda Insula, aliud Scotia quæ contigua est Angliæ, & pars antiquæ Insulæ Britanniæ.

Eorum conuersionem ad fidem per captiuam mulierem, præter Ruffinum vt supra cap. 10. tradunt Sozomenus lib. 2. Ecclesiast. histor. cap. 6. Cassiod. lib. 3. cap. primo, Theodoretus lib. primo Ecclesiast. histor. cap. 24. Nicephorus lib. 8. cap. 34. Socrates lib. primo cap. 16. & alij post ipsos.

De Schismate Georgianis immisso à Patriarcha Antiocheno, & eorum erroribus Vincentius Beluacensis in speculo historiali lib. 30. cap. 93.

De eorum moribus, & de Catholico pro Patriarcha deputato, & quod Græco ritu viuant, & de alijs si quis plura desiderat, legat S. Antoninum 3. parte histor. tit. 19. cap. 8. §. 9. qui §. 10. in fine agit de odio quo afficiuntur Georgiani aduersus Armenos, de quo supra diximus.

Addam verò ea quæ de eorum moribus breuiter retulit Raphael Volaterranus lib. 11. de sectis Syriæ. His inquit proximi, siue, vt nonnullis placet, ijdem sunt Georgiani quæ gens & ipsa Christiana, bello fortissima & vicinis formidata, cognominata, vt ferunt, à Diuo Georgio, cuius vexillum in bello contra Infideles gestant. Ego tamen non minus putauerim eos esse posse, quos Plinius Georgos appellat in ea fere regione. Igitur ij, quod procul sint à ritu orthodoxo, aberrant, Græcorum ferè sectantes errorem, eadem & in sacris libris lingua vtentes. Sacerdotes eorum dirosquallore petafari incedunt, crinibus oblongis, barbaque ad pectus promissa, sacrificant etiam more Græcanico, in calice molliunt ossam, quam prius Sacerdos ipse cochleari argenteo delibat, deinde volentibus delibandam modo simili præbet. Venere quondam ad Cortadinum Principem Damascenum, dum nostri obsiderent Damiatam, questum, sese, cū Christiani sint, ab eo neglectos, ac inexpugnata tunc Hierosolyma minime vocatos. Sepulchrum dominicum immunes adeunt ab omni vectigali, cū & ipsi quoque Saracenis vicinis beneficium compensent. Nostra memo-

ria miserunt legationem ad Pium ij. Pontificem, cum è Conuentu Man-
tuano se in Urbem reciperet. Hæcibi.

Bernardus Lucemburgus in Catalogo Hæreticorum, editione quarta
verbo Georgiani: Habent inquit Archiepiscopum qui est in Monte Sina
in Claustro S. Catharinæ, cui obediunt per omnia, vt nos Domino Papa.
Errores Græcorum sequuntur in Sacramentis & alijs: Clerici eorum ro-
tundas habent coronas, laici verò quadratas: nobiles eorum mulieres mo-
re Amazonum armis in prælijs vtuntur. In officijs & Scripturis lingua
Græca vtuntur, alias Chaldaica.

Paulus denique tertius, anno Domini 1545. Regi Georgianorū aman-
ter, vt fidem Catholicam conseruet & oratores ad Sedem mittat, scripsit,
& Stephanum Colynzamelectū Nesciouanensem in Armenia, deputauit
in Nuntium & oratorem ad Reges Georgianorum & Armeniæ, vt habē-
tur hodie Bullæ in Secretaria domestica Pontificum. Rex verò ad Pon-
tificem maximum dedit literas sub hac forma:

Miseratione Dei Symeon Rex Cardelij totius Iberiæ, & Orientis.

EXcelse, & splendidissime, & sanctissime, & beatissime Domine no-
ster, Pater noster, & Papa, pastor pastorum, princeps principum, &
decime tertie Apostolorum, Pater noster, & Papa Magnæ Romæ, aurea
tuba, organum Dei inflatum, Petre iudex, & clauicularie regni cœlestis,
Paulæ Doctōr gentium, qui ascendit vsque ad tertium cœlum, & raptus
est vsque ad paradysum, & audiuit ineffabilia verba, quæ dici nō possunt:
totius orbis prædicator, ipsarum Ecclesiarum luminare, vbi sancta, & ve-
neranda sepulcra Apostolorum, vbi requiescunt sanctæ Reliquiæ ipsorum,
& Dominator Ecclesiæ Catholicæ, & Gubernator magnæ & illustri-
sime Romæ, sicut Sol, qui vertitur per totam Occidentem, Maxime Prin-
ceps, Papa Romæ, sicut Syluester, Regum Vates, Domine & Dominator
& Pater Spiritualis, Sanctissime Papa, profundam genuflexionem faci-
mus, & salutamus Sanctam dexteram eius. Benedictus sit Deus Pater, &
Filius, & Spiritus Sanctus, cum Domina, & pura Matre, filij Dei genitri-
ce Sanctissime. Et si nobis mandas per Sanctitatem tuam, qualiter venit
huc Procurator Magnæ Scythiæ Ecmiacensis, nomine Ter Iacob, & acce-
pimus venerandam scripturam tuam, sed nos nesciuimus intelligere eam,
& de ore retulit nobis, quod erat præstantius: gauisi sumus propter hono-
ratissimam, & sanctam tuam Celsitudinem, & Regum laudem, & victo-
riam, & gloriam, & exultauimus lætitia sempiterna, gratias agentes Deo
omni-

omnipotenti, & Dominæ nostræ Deiparæ, & Sanctæ Virgini Mariæ, &
Venerandæ, & viuificanti Cruci. Deus omnipotens, & Miserator maio-
rem fortitudinem, & victoriam det nobis, & Christianis ab impijs Aga-
renis, nobis, & omnibus Orthodoxis populi Christiani, & gloriam, &
spem, & consolationem: & confundat eos, qui sunt extra fidem. Precamur
Optimum Deum; vt sustentet imperium maximæ Sanctitatis tuæ: & per
orationes tuas sanctas liberet nos ab iniurijs inimici. Et etiam refero san-
ctitati tuæ, quod beatissimus, sanctus, & à Deo corona datus fuit Rex, &
pater meus Chirluar Saphi, vt Sanctitas tua audiuit, propter religionem:
quoniam propter amorem Christi, impij Agareni occiderunt eum in bello,
& accepit Martyr finem, & sanguinem suum effudit, & nunquam vo-
luntate eorum fecit: postremo & nos auxilio Dei accepimus thronum
patris nostri, & ex tunc à bellis non cessauimus diu noctūque inter pulue-
rem, & pluuias. Quot bella, & angustias, & mœstias propter amorem
Christi accepimus, & alia mala passi sumus? donec vulnerati fuimus in
prælio, & inclusi fuimus in carcere in manibus Persarum, & Dei volun-
tate, & auxilio eius, & per orationes tuas Sanctas liberati sumus, & iterū
sedimus in throno nostro, & iterum non quieuius à bello, cum Otto-
manis feris, & transferunt plura prælia primis cū Ottomanis, vt opinor,
vos audiuisse, quot mœtores, & angustia? Sed non occubuimus his vsque
ad caput n eum, & vitam meam cum paruulo filio meo, vt effunderem
sanguinem meum, propter Crucifixum Christum meum, & Deum meū:
donec vixero, non parcam vitæ meæ à bello vnum pugillum, sanguinem
dulcis mei, & Domini mei, & Dei mei non vacuū dimittam. Nunc Chri-
stianitas, & totus mundus est in te, & in manibus tuis, o Domine mi San-
ctissime, nunc da virtutem, & auxilium, vt saluetur populus Christianus,
Deus retribuat tibi Regnum Cœleste, & nos cum auxilio Dei, & per pias
preces tuas sanctas, donec vixerimus, non faciemus voluntatem Agare-
norum. Sed in nos deinceps quis scit, quid velit fieri? Veremur ne conuer-
tatur bonitas in insipientiam, & incidamus in impietatem. Ideò refero
Sanctitati tuæ, vt scias ex parte mea, quod bene valeo, & caput meum
& vitam meam pono ad mortem propter Christianitatem. Et etiam re-
fero Sanctitati tuæ, da auxilium, & misericordiam Christianis, & salua
eos à manibus iniquorū. Et precor, & rogo ne nostri obliuiscaris in ora-
tionibus tuis sanctis omni tempore: Et præcipue ne obliuiscaris scribere
nobis, vt sciamus sanitatem tuam, & Populi tui, piorum Christianorum
vt cor nostrum cognoscas: ore suo referet Sanctitati tuæ Ter Iacob Sa-
cerdos, sanctæ orationes tuæ sint nobiscum. Amicus animo, & corpore.
Amen Anno 7104. Christi 1546. Idichion 9.

CAPVT XXII.

De Maronitarum natione.

Maronitæ, non ab hæretico nomine Maron sunt cognominati, vt falso sibi Prateolus & alij per suaserunt, sed potius à sancto Marone, cuius Monasterij Monachi Maronitæ dicebatur, vt accuratè colligit Card. Baron. Tomo 7. sub annum Christi 518: ex Synodo quadam Tyri eodem tempore celebrata: ad quam aliqui Archimandritæ contra Hæreticos Eutythianos literas scribentes. Inter hos primo loco habetur subscriptio Alexandri Archimandritæ Monasterij S. Maronis, qui Maronitæ dicebantur, omnes professores & defensores tunc Catholica veritatis. Et licet postea à fide declinantes anno 699. ab Ecclesia Catholica discedentes, teste Prateolo, Eutytheti, Dioscoro, & Monosophitis hæreticis ad hæserint, tandem abolito diro schismate, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem Catholicam, diuino affante spiritu, redierunt. Celebrata est hæc cum Ecclesia Catholica vnio per manus EymERICI Antiocheni Patriarchæ, ac postea eorum Patriarcha Generali interfuit Concilio Romæ celebrato sub Innocentio huius neminis tertio, circa annum Domini 1215. quare de Maronitis pauca inserenda huic operi existimaui, vt si forte Euangelici operarij in illum Orientis tractum aliquando pro animabus Deo lucrâdis mittantur, morum ac Religionis istius Catholicæ gentis non ignari, illis etiam consulere possint.

Maronitæ igitur, teste Antonio Possuino in Apparatu, verbo Maronitæ, Libani montis in Syria incolæ, sub eorum Patriarcha, pietatem ac fidem erga Romanum Pontificem & sedem Apostolicam, vni ex omnibus Orientis populis sat integram, à tempore Innocentij iij. retinuerunt. Eorum Patriarcha, qui dicitur Maronitarum, qui que appetit Antiochenus vocari, cum apud sese extet eius nominis monumentum in antiquis scriptis aliquot, monachus est: (Monachi enim sunt, nisi & antea sint, quicunque ad Episcopatus euehuntur) & octo, nouemue sub se Suffraganeos habet Episcopos. In monte Libano, qui valdè protenditur, ac cuius ambitus est septingentorum millium passuum Patriarchæ est sedes in Monasterio, seu Cœnobio, in quo paulo plus viginti Monachi degunt, qui Monachi dicuntur S. Antonij. Abest id Cœnobium Tripoli Syriæ, (vbi Mercatores agunt Turcæ, Iudæi, alij, & paucissimi Christiani, qui sacellum habent domi) viginti quinque passuum millibus. Porro cum in monte Libano Ciuitas nulla, pagi tantum, & hi frequentes, neque exigui sint, omnes Ca-

tholici

tholici sub vnus Patriarchæ spirituali ditione viuunt. Duos Principes, siue Præfectos habent, qui Diaconi (licet Laici) ab ijs vocantur, qui que Iuridicundo ijs præstant, qui que Christiani & pij sunt. Tributa pendunt Turcis plusquam ferre possint. Singuli verò, vbi ætatem duodecim annorum exceperint, singulis annis 17. aureos numos. è solo autè siue agris pro singulo spatio, quod sexdecim Spithamas complectitur, aureum quotannis Turcis Quastoribus pendunt: quod tributum nisi certo die persoluant, agri ijs demuntur, aut iacturam ingentem bonorum patiuntur. Cum que eam ob causam Turcæ minitati fuissent; incolas sese missuros Turcas, qui partem illam agrorum, quæ vacua maneret, excolerent, duobus millibus alijs aureis in singulos annos pacti sunt Maronitæ, sese vexationem illam, siue Turcarum commercium redempturos; sic integri ab omni Turcarum consuetudine viuunt. Et verò Maronitæ, non solum in Montis Libani tractum, verum etiã Damasci, Aleppi, & in aliqua Cypri parte sic vitam agunt, vt Patriarchæ suo obediant, & ritû qui apud eos est Catholicum simplici ductu, & singulari propensione sequantur. Excommunicationem, quo vno spirituali gladio Patriarcha sæpè vt cogitur, vt homines vel à peccatis arceat, vel in officio contineat, magnopere verentur ac metuunt.

Cæterum apud Patriarcham diligenter asseruantur diplomata Pontificia Romanæ sedis, iam inde vsque ab Innocentio iij. ac deinceps à reliquis Pontificibus, qui ad eos vel Legatum, aliquando Cardinalem S. Marcelli, vel alios miserunt: cum que in litteris Pontificijs olim admoniti fuissent Maronitæ, vnâ cum Græcis, ne aliquos errores tenerent, sed abijcerent; factum est, vt à quibusdam, qui eò ex Vrbe commigrauerant, existimaretur, iisdem Maronitis erroribus teneri, quibus plerique Græci implicarentur; nimirum processions Spiritus Sancti à Patre dumtaxat, negationis Purgatorij, & aliorum eiusmodi dogmatum. At Maronitæ ingenuè non solum testati sunt, ab ijs erroribus se esse alienissimos, verum etiam plura in suis libris, ac liturgijs demonstrarunt, quibus & Catholica dogmata constanter tuentur, & re ipsa in anniuersarijs caterisque defunctorum officijs crebri sunt.

Quin etiam, cum astu Iacobitarum, apud quos non pauce sunt hereses, varij libri disseminati fuissent inter Maronitas, accidit, vt qui eos reperit, dum ex Vrbe missus est, putaret Maronitarum esse errores, qui reuera sunt Iacobitarum. Quamobrem conquesti sese purgarunt, & nouissimè professi sunt omnem fidem, atque obedientiam Clementi VIII. Pont. Max. qui ad eos allegauit duos Sacerdotes ex Patribus Societatis, simul cum Episcopo, quorum primus fuit Hieronymus Dandinus Theologus, doctus & perspicax, qui etiam generalem confessionem per interpretè ex-

cepit vnus ex illis 2. Diaconis, cui & Eucharistiã sub vna specie porrexit, cum sub duabus soleant communicare.

Huius autem missionis à Pontifice Maximo ad montem Libanũ causa fuit, vt oculis ipsis cerneretur, num, qui sumptus in Vrbe alendo seminario Maronitarum fierent, bene ponerentur: quæque spes aut restituendæ, aut propagandæ Religionis Christianæ in eo esset tractu.

Missus à Pontifice per eundem Dandinum ad Patriarcham apparatus integer holosericus aureus, ad Sacrum Patriarchali ceremonia & indumentis faciendum. Missæ item variæ cistæ librorum Chaldaea lingua curorum in Vrbe, quibus ex liturgiæ, quæ sunt S. Iacobi, Sancti Petri, & S. Sixti pontificis Max. recitari possent, cum in eo tractu nulli essent libri, nisi manu scripti, & hi vel laceri vel erroribus fortè aspersi. Missa item, quæ dicuntur Officia, eadem lingua, ad Deum, ac Beatissimam Virginem orandam. Nam Chaldaea tantum lingua sic in sacris vtuntur, quemadmodum nostri sacerdotes Latina: iique habentur inter eos docti, qui Chaldaicam linguam callent, licet alijs disciplinis ex culti non sint, præter eos alumnos sedis Pontificiæ qui ex Vrbe eò missi sunt, quorum alter iã huius Patriarchæ coadiutor est creatus, & factus Episcopus, vt & alter alterius Episcopatus. Cõmunis porro eorum lingua est Arabica, homines robusti & magno animo, & qui non minimi momenti futuri sperantur, ad rem Christianam bene gerendam.

Abusus autè potius quidã, quàm errores in dogmatibus irrepere apud Sacerdotes illos Mõtis Libani, qui vt efficacius atq; suauius amoueretur, rogauit Patriarcha, vt id mândato summi Põtificis fieret. Hoc enim nomẽ summo apud ipsos est in honore, vt facilè omnes essent obtemperaturi.

Et verò argentei calices à Pontifice Maximo, & instrumenta ferrea ad conficiendas hostias, & vestes aliæ sacræ pro alijs sacerdotibus missæ sunt, ac per eundem P. Dandinum illatæ, quæ omnia gratissima fuerunt.

Commoratus est duobus mensibus in Monasterio Patriarchæ ipse Pater Societatis Iesu cum Socio Sacerdote: quo tempore cū senex Patriarcha, qui iam profersionem fidei, & obedientiam summo pontifici dederat, diem obiisset, alter per Synodum, vt solent, suffectus est, qui eandem fidei profersionem & obedientiam præstitit. Patribus autem Societatis officium quod poterant humanitatis exhibuere Patriarchæ, & Monachi, licet hi viuant parcè, vix quæ obsonijs vtatur alijs, præter orizam, iuscula, herbas. Sacerdotes castè & cõlibes viuunt, sed nullis studijs literarum additi: quod reliquum habent temporis, id præstant culturæ in agris, siue vt operarios ad laborem hortentur, sit quæ vnde & cibus percipi, & tributũ persolui possint. Porro quæ ibidem ab eodem P. Dandino fuere constituta, priusquam inde discederet, hæc ferme sunt.

Nullus

Nullus, saltẽ iunioris ætatis, ad Sacerdotium admittebatur, qui vxorem non duxisset. Cũ igitur à P. Dandino declaratum esset, coniugium sacerdotibus in aliquo Orientis tractu licet vsurpatum, non fuisse tamẽ vnquam ab Ecclesia imperatum, statutum est, ne in posterum quisquam ad id cogatur, sed liberè qui in cõlibatu viuere velint, sacris initiëntur.

Nulla Concio de rebus ad spiritum attinentibus habebatur, sed solum quibusdam diebus festis aliqua Homilia alta voce recitabatur. Decretum est vt aliqui ex doctioribus decernantur, qui singulis diebus festis panem esurienti populo frangant: ad quod præstandum ij præcipuè sunt idonei, qui ex Vrbe Roma alumni ad Montem Libanum iam redeunt. Quorum etiam munus erit, summam aliquam Casuum scribere, quæ varijs in locis à doctioribus Sacerdotibus, alijs indoctioribus explicentur, vt hac ratione omnes in laicis instituendis, & expiandis vnanimis sint. Iam quæ vnum ex Alumnis huic muneri assignauerant.

Cautum porro fuit, ne quis alio Missali vtatur, quàm ex ijs qui missi sunt à Romano Pontifice, vel certè ex antiquis ij tantum in vsu essent, qui à Patriarcha erunt propria manu subscripti; & vni ex suprãdictis Alumnis demandatum fuit, vt eos diligenter inspiceret, atque expurgaret erroribus, quibus à Iacobitis fuerant aspersi.

Cautum item, vt reliqui libri examinarentur, quæ minus Catholicæ veritati consoni viderentur, apud Patriarcham asseruarentur.

Cũ alicubi pueri ad Eucharistiam admitterentur, cautum est, ne posthac ante vsu rationis admittantur.

Nullus Casus erat referuatus. Aliqui igitur grauiores, tum Episcopis, tum ipsi etiam Patriarchæ referuati, vt magis in officio quisque contineretur.

Religiosi Regulares cum liberius viuerent, de disciplina Ecclesiastica in Synodis actum est: Patriarcha pollicitus est, se curaturum vt ea restitueretur.

Cæterum Montis Libani femine sunt verum honestatis exemplar, vestitus earum modestus: si cui ignoto viro obuiam fiunt, vel aliud fugiunt, vel certè faciem quam solam detectam ostendere solent, omnino contemunt. Dum diuinis officijs intersunt, prorsus à viris separatæ in Ecclesia manent, in ea videlicet parte quæ est propè ingressum, vltèrius procedentibus viris: absolutis quæque Diuinis officijs, illæ primum è templo exeunt. Quare non prius viri è suo loco mouentur, quàm illæ omnes discesserint.

At verò tam mulierum, quàm virorum modestia, & continetia ex hoc vno maxime coniectari potest, quòd in toto Monte Libano nulla muliercula

liercula reperitur, quæ turpilucro operam inuet, neque tamen adulteria, aliaue contra honestatem vitia audiuntur. Ex quo facile dignoscitur, quã facile sit iuuare in Domino nationem tam Romanæ sedis deuotam, & in-contaminatam, si ad illam operarij mittantur.

CAPVT XXIII.

Hæreses præcipuæ, quæ Iacobitis, Cophitis, Abyssinis & Armenis attribuuntur.

Restat iam, vt ad ea quæ supra de commemoratis hæresibus attigimus reuertamur, ac renouandæ memoriæ causa, breuius strictiusq; præfatos errores repetamus: quo scilicet & intelligantur iterata planius, & firmitus inculcata teneantur: recensēbimus tamen illos præcipuè in quibus nationes istæ consentiunt: his enim qui aliorum sunt veluti fundamenta, destructis, facillimo negotio alij infirmabuntur.

In primis fere omnes non firmiter sentiunt de Primatu Romani Pontificis, veramque Ecclesiam apud Cophitos, Iacobitas, Armenos, & Abyssinos esse tantummodò credunt.

2. Concilium Chalcedonense contra Eutychem & Dioscorum congregatum damnant, & anathematizant, simul cum S. Leone Pontifice: quare tria tantum Concilia admittunt; & quamuis Eutychem rejiciant vt hereticum, Dioscorum tamen amplectuntur, eique diuinos conferunt honores.

3. Iacobitæ, Cophiti, Abyssini, & ex Armenis quamplurimi simul colunt Baptismum & Circuncisionem.

4. Sacramentum Confessionis auricularis, vt est apud Ecclesiam, Confirmationis, & extreme Vnctionis ferè non agnoscunt. Matrimonium verò ex leui causa dissolubile consentunt.

5. Legem veterem cum noua obseruandam tradunt.

6. Purgatorium, nec pro defunctis preces admittunt; nec Beatos ante Iudicij diem ad Paradisum euolare credunt, & tunc negant Deum facie ad faciem, sed claritatem quandam, & splendorem diuinum visuros.

7. Animas rationales non de nouo creari à Deo, sed per seminis propagationē, ex potentia naturæ educi, sicut & animas brutorum affirmant.

Hi sunt Ecclesiæ Orientis errores præcipui & communes: vt nunc Nestorianorum omittam blasphemias, contra quos breuissimè agemus. Non enim opus est singulis discutere errores: destructis enim primis aduersariorum principis, necesse est vt totum corruat ædificium.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De Concilio Chalcedonensi admittendo, ac de abiurando Dioscoro.

Contra Chalcedonense Consilium acriter ferè omnes Schismatici Orientales inuehuntur, illudque damnare, & anathematizare non verentur: & quamuis Eutychem, hereticum censeant, Dioscorum laudat, eumque Eutychiana hæresi minimè infectum, ac iniuste damnatum à Chalcedonensi Synodo rationibus infra adducendis contendunt.

Contra horum verò Schismaticorum impiam blasphemiam quæ altas in eorum animis misit radices, ac ob id radicitus euellendam, primò constituendum est, vt certum de fide Catholica, Concilium Chalcedonense, in quo Eutyches & Dioscorus fuerunt damnati, fuisse in Spiritu Sancto legitimè congregatum, totam representans Ecclesiam quæ in dogmatibus fidei errare non potest, ac proinde ab omnibus fidelibus esse necessariò acceptandum, ac credendum. Singulæ igitur huius assertionis partes hac ratione confirmantur, quia tunc perfectè, debite ac legitimè congregatur Concilium generale, quando Romani Pontificis auctoritate conuocatur omnes quorum interest de re illa definire: quod constat ex antiquissimo Canone Concilij Niceni, quo statuitur præter sententiam Romani Pontificis non posse generalia Concilia celebrari. Fuit autem Concilium Chalcedonense, à Leone primo Sanctissimo Romano Pontifice congregatum conuocatis 630. Episcopis totius orbis Pastoribus. Præterea neque defuit ratio vrgentissima, ob quam Concilium debuit congregari, nempe hæresis Eutychiana, quæ impudenter asserbat, Christum Dominum ante adunationem, ex duabus constare naturis: post adunationem verò vnam tantum naturam confitebatur: quæ hæresis à Dioscoro Episcopo Alexandrino approbata fuit in Pseudosynodo Ephesina: quare opus fuit, huic tam graui vulneri Orientali Ecclesiæ ab hostibus fidei inflicto, ali-quod remedium adhiberi per generale Concilium, à summo Pontifice congregatum. Igitur fuit legitimum Concilium, in eoque adfuit Spiritus Sanctus: nam si vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine Domini, ibi Dominus est in medio eorum, vt Matth. 18. dicitur: quanto magis si congregentur sexcenti & triginta in nomine Domini: & vt ita dicam, omnes totius fere Ecclesiæ Pastores?

Hoc autem nequaquam dici potest de Concilio Ephesino secundo: nam & defecit auctoritas Romani Pontificis, & ita fuit acephalum, & veluti

Ggg

corpus

corpus sine capite. Defuit etiam forma, nempe Episcoporum consensus, quia fuerunt coacti vi armorum: Nam cum Dioscorus, qui in eo cōuentu præsidebat, infanda Eutychetis acta legisset ac approbasset, & in sui defensionem allegaret, quod tota illic congregata Synodus, secum tamen depositionem Flauiani, quam in omnibus alijs quæ ibidem decreta sunt, cōsensisset; omnes Orientales Episcopi trementes dictis Dioskori, exclamarunt dicentes, quod Dioscorus dicit falsum est; nullus voluntarie consentit. & addiderunt, violenta facta est vis in plagis. in pura charta subscriptus, minabatur nobis mors, mina exilij tendebantur. Milites cum fustibus & armis instabant. timebamus & fustes, & gladios. Vbi gladij & fustes, qualis Synodus esse potest? Milites propter hoc accepit Dioscorus, vt nos terretet, vnde quicquid egimus terrore compulsi egimus, peccauimus tamen omnes veniam postulamus, quia per vim & necessitatem in pura charta coacti sumus subscribere. Imo cum dicerentur in execranda illa Synodo hæc verba, Confitemur ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post verò adunationem vnam naturam (verba fuerunt ista à Dioscoro recitata, & approbata) Omnes Orientales qui tunc astabant Episcopi clamant: Anathema ei, qui dixit ista, hæc Dioskori sunt, ista Pharaonis sunt.

Deinde queri potest à sectatoribus Dioskori, cur prima tria Concilia recipiant, cur non etiam quartum, cum quatuor primis Concilijs, perinde ac quatuor Euangelijs, teste D. Gregorio Papa, fides adhibenda sit, ab omnibus fidelibus: fortasse tunc Ecclesia, cuius autoritate tria priora Concilia congregata sunt, periit, aut potestatem amisit, aut fortasse defuit aliquid in hoc Concilio, quod in solis primis tribus inueniri potuit? At quid illud est? Conferamus Concilium primum, secundum, vel tertium, cum quarta Synodo Chalcedonensi: in tribus prioribus adfuerunt Episcopi vndique vocati, adfuerunt & in quarto: in primo legati sedis Apostolicæ, adfuerunt & in quarto: in primo adfuit Imperator Constantinus, in quarto Martianus per legatos suos: in primo dictum est Anathema Arrianis, in quarto dictum est, Anathema Eutycheti & Dioscoro, illosque vt manifestos hæreticos detestata est. igitur si in primo creditis adfuisse Spiritum Sanctum, cur non idem credetis de quarto, nisi dicatis Spiritum Sanctum Ecclesiam deseruisse, qui missus est, vt doceret Domini veritatem. Frustra igitur recepit tria priora Concilia, qui non recipit quartum, quintum, sextum, & omnia alia legitime celebrata, cum eadem sit de omnibus ratio. At dicunt, Rem nouam, & inauditam, Patrumque sententiæ contrariam, Chalcedonensis Synodus decreuit, & idem à Catholicis non admitenda: sed quantum fuerit SS. Patrum testimonijs decreta Chalcedonensis Synodus, clariùs ex dicendis infra constabit.

2. Indubitatè tenendum est Dioscorum iustissimè à Concilio fuisse condemnatum,

condemnatum, & vt nunc omittam alia, quæ de Dioscoro dici possent, tantum ea hic proferam, quæ in actibus Concilij Chalcedonensis relata fuere.

In tertia actione Concilij Chalcedonensis accusatur Dioscorus ab Eusebio Dorilei Episcopo, qui interpellat Sanctam Synodum, vt scelestissimum dogma Dioskori anathematizare dignetur, ipsum etiam compellere, vt coram concilio compareat. Rursus accusatur à Theodoro Diacono Ecclesie Alexandrinæ, primum de homicidio, secundò de blasphemia in sanctissimâ Trinitatè. Deinde quia cum Origene consenserit, & quòd in Ecclesia eius fuerit. Postremò quòd excommunicationis sententiam contra sanctissimum Apostolicæ sedis Romanæ Leonem Pontificem Maximum protulerit. O rem inauditam! positum, sed non concessum, quòd D. Leo, cum Eutychianam hæresim destruere conaretur, malè fecerit, nēpe ab Episcopo, se inferiore, poterit excommunicari? Si par in parem non habet imperium, quòd minus inferior contra superiorem. Legimus in antiquis rerum Ecclesiasticarum historijs de Marcellino, qui cum Romanus esset Pontifex Vigésimus octauus à S. Petro, & conuictus esset quòd coram Tyranno ob mortis metum obtulisset in templo Isis, ad Concilium ducentorum Episcoporum, cinere conspersum habens caput, clara voce dixit: peccauit coram vobis. Responderunt Episcopi, & Presbyteri omnes: Nemo vnquam iudicauit Pontificem, quoniam prima sedes non iudicatur à quopiam: Tu ipse eris Iudex, ex te condemnaberis: tanta semper fuit, est, eritque auctoritas, & dignitas Romani Pontificis, vt omnes Episcopi non fuerint aui talem Pontificem ob mortis metum peccantem condemnare nec excommunicare. Qualis quantusque fuit Dioscorus, qui tam temerario & nefario ausu ac spiritu ductus, præsumpsit primam sedem, quæ nunquam à quoquam iudicari potuit, nec poterit, iniuria afficere. Meritò quidem contra eum indignatus est Dominus & percussit, sicut quondam Ozaiam, manum suam ad Arcam extendentem; sed hæc omissa taceamus. Quid plura de Dioscoro dicam? Iterum, atque iterum accusatus ab Ichirione Diacono producente alium libellum contra ipsum, qui sic incipit: Sanctissimo ac Beatissimo Vniuersali Archiepiscopo, Patriarchæ Magnæ Romæ Leoni, & Sanctæ Vniuersali Chalcedonensi synodo: vbi de innumeris criminibus Dioscorus accusatur. Præterea productus est alius libellus aduersus eundem per Athanasium Presbyterum de immanibus sceleribus. Item Sophronius Laicus eum accusauit publicè coram Concilio præter alia accusauit illum de adulterio, & quòd iniquè desiderio captus suam vxorem rapuerat: quibus criminibus à Dioscoro patratjs, ac à sancta Chalcedonensi synodo auditjs, perpensjs, & examinatis, verisquè inuentjs, vocatus Dioscorus ad Conciliū, primò per Notarium

tarium eiusdem synodi, ut ad predictas accusationes responderet: ille tam en ægritudinem simulans, noluit venire. Vocatus est secundo, directis ad eum à Concilio litteris, missis tribus Episcopis, qui com non facerent illum ut veniret, & satisfaceret ijs quæ in Concilio de eo ingerebantur, quo adhuc renuente, iterum directæ sunt literæ à sacro Concilio ad illum, quibus iam tertio vocatus est, ut in sacrum illud Concilium veniret ad satisfaciendum simul & Reuerendissimo Eusebio Episcopo, & ijs quæ tunc illi ingerebantur. Alias, si post tertiam (dicti patris) hanc regularem vocationem, ex omni parte nullam habentem suspensionem, aduenire distulerit, præsens sancta synodus ad illum veniet modum, quem contra contumaces, & contemptores synodalis vocationis sumere solet. Dioscorus vero cum in sua adhuc pertinaciæ perseveraret, ac perseverans permaneret, sanctissimus Archiepiscopus Magnæ Romæ Leo per Paschasinum Episcopum, Lacentium Episcopum, Bonifacium Presbyterum tenentes locum eiusdem sanctissimi Pontificis Romani, & per præsentem sanctam synodum, vnam cum ter Beatissimo, & omni laude digno Apostolo, qui est petra, & cardo Ecclesiæ Catholicæ, & rectæ fidei fundamentum, Dioscorum Episcopali dignitate nudavit, & omni sacerdotali orbavit ministerio. His peractis sacratissimum Concilium misit ad Valentinum ac Martianum Imperatores, rationem reddens de his omnibus quæ in his actionibus gesta sunt, in depositione Dioscori, huius causas in eadem epistola breuiter completens, ut Dioscori malitiam, & in eum prolatae iustæ sententiæ sinceritatem considerarent. Propterea miserunt Patres & aliam epistolam ad Pulcheriam Augustam, quæ idem continebat argumentum. Concordes omnes fuerunt, ac sanctissimi Concilij sententijs consenserunt: & præcipuè Anatolius Archiepiscopus Constantinopolitanus firmissimo consensu confirmavit & approbavit, quæ Legati sedis Apostolicæ circa sententiam hanc decreuerunt. Imò cum extaret quædam epistola Pseudoprohimaditarum hereticorum, quam protulerunt in Concilio pro restitutione Dioscori: & hæc legeretur, omnes Episcopi dixerunt, Anathema Dioscoro, Dioscorum Christum deposuit, istas foras mitte petitiones, istas synodum audire non licet: quem ergo talis ac tanta synodus reprobat, & quem Dominus incommunicabilem suis fidelibus reddiderit, quo modo qui eum recipit, ingens piaculum non commiserit, & palam se Christi hostem declarauerit?

Pro confirmatione vero Chalcedonenfis Synodi, ac Dioscori impietatis hic inserendam duximus partem cuiusdam elegantissimæ collationis habitæ agente Imperatore Iustiniano, quam adducit Card. Baron. Tom. 7. Anno Christi 532. inter sex Episcopos Monothelitas ex vna parte, ac quinque Episcopos veritatis Catholicæ propugnatores ex aduerso stantes:

vbi

vbi Archiepiscopus Hypatius Catholicus, Monothelitas seueri Sectatores, (qui in collatione Contradicentes nuncupantur,) qui iam Imperatori scripto sententiam suam tradiderant, sic post collationis initium alloquitur: Chartulam illam peruidimus, in qua tam supra, quàm infra Chalcedonenfè Concilium criminamini, quod aduersus Eutychianam est hæresim congregatum. Propter quod dicite nobis, qualem opinionem de Eutychen habetis? Orientales dixerunt tamquam hæreticus, magis autem princeps hæresis. Reuerendissimus Episcopus dixit: De Dioscoro verò, & secundo in Epheso Concilio, quod ab ipso congregatum est, qualem? Orientales: Tamquam Orthodoxorum. Episcopus dixit: Si Eutychem velut hæreticum condemnatis, quemadmodum Dioscorum, & cum eo congregatos, Orthodoxos dicitis esse, qui Eutychen quidem hæreticum iustificarunt, Flavianum verò, & Eusebium condemnarunt? Orientales: Eutychen tanquam acta forsitan penitentia iustificarunt. Episcopus: Si ergo penituit Eutyches, quemadmodum illum anathematizatis? Illis verò ad hanc responsionem hæsitantibus; rursus Episcopus: In tantum non penituit, quin & antequam implerentur, quæ in Constantinopolitana vrbe aduersus eum gesta sunt, illum quidem tanquam orthodoxum iustificarunt, Flavianum verò, & Eusebium tanquam hæreticos condemnarunt. Si enim penituit Eutyches, rogari oportuit eos, non condemnari. Ut autem dicamus secundum vos, confessionem duarum naturarum esse hæreticam: quam exigebat Eutyches confiteri ab Eusebio & Flaviano, docebat Dioscorus laudare eum tanquam non susceptam duarum naturarum confessionem. Ut autem Consubstantialem Patri secundum diuinitatem, & consubstantialem matri secundum humanitatem, dicere oportuit: Cum omni subtilitate exigere eum, ut confiteretur, & nisi hoc fuisset confessus, suscipi non oportuit. Dioscorus verò non solum quia non exigit ab eo consubstantialis confessionem, sed magis consentit contrariæ eius, & peruersæ confessioni, quæ dicit: Ante vnitionem quidem ex duabus naturis confiteor: post vnitionem verò, vnam naturam. Et compulit omnes qui cum eo erant vociferari: Eutychen quidem Orthodoxum esse, Flavianum verò, & Eusebium impios & hæreticos. Quid ergo vobis de istis apparet?

Contradicentes dixerunt: Reuera oportuit exigi Eutychen à Dioscoro consubstantialis confessionem: sin autem sine ista suscepit eum, & iustificauit, cæcitatem passus est. Episcopus. Si ergo illum cæcitatem passum esse fatemini, ea quæ superius dicta sunt, repetamus. Orthodoxum, aut hæreticum Eutychen dicitis fuisse? Contradicentes dixerunt, hæreticum. & Episcopus. Iustè ergo ab Eusebio acchatur: condecenter verò à Flaviano condemnatus est. Contradicentes dixerunt: iustè, & Episcopus: Si

ergo iuste à Flauiano cōdemnatus est; Iniuſtè & irrationabiliter ſuſcepit eum Dioſcorus, & cum eo congregatum Concilium, an non? Contradicentes Proculdubio apparet quod iniuſtè. Episcopus: Quoniam ergo totum illud vniuerſale Concilium, quod cum Dioſcoro congregatum eſt, conſenſit, ſicut vos ipſi fatemini, iniuſtitia & cæcitati: Oportebat Vniuerſalis illius Concilij iniuſtitias & cæcitates ab altero vniuerſali emendari Concilio, an non? Contradicentes dixerunt: Modis omnibus ita fieri oportebat. Episcopus dixit: Chalcedone itaque iuſtè congregatum Concilium eſt, vt ea quæ Vniuerſale Conciliū deliquerat, vel ſicut vos dicitis, minus viderat, ab Vniuerſali Concilio corrigenterentur. Contradicentes dixerunt: Benè quidem, & neceſſariè congregatum eſt, ſi & iuſtum finem ſuſcepit.

Et infra. Ante omnia inquit Contradicentes: Peccauit Concilium tradens duarum naturarum nouitatem, & c. Contendunt enim hæretici Concilij Sanctiones Beato Cyrillo, Athanaſio, ac alijs Patribus fuiſſe cōtrarias: ſed Catholici manifeſtò oſtendunt Chalcedonenſis Concilij doctrinam Concilij & Patribus valde conſentaneam.

Plura alia Collatio illa ſcitu digna cōtinet, quæ breuitatis gratia omitto.

Conſtat igitur ex hac collatione apertiſſimè ratio ob quam fuerit damnatus Dioſcorus. Sed demus Dioſcorum fuiſſe virum Sanctiſſimum qualem ſectatores ſuorum dogmatum mentiuntur, inhærendumne erit vnus Dioſcori ſententiæ, an potius ſtandum tot Sanctis in Chriſto Patribus congregatis?

C A P V T X X V.

Soluuntur obiectiones Schismaticorum contra Concilium Chalcedonenſe.

Leoncius Byzantius Monachus Oriétalis, in noua Latira S. Sabæ prope Hieroſolymam, vt Antonius Poſſeuinus 2. Tomo, verbo Leoncius tradidit, acerrime contra Eutychianos, Neſtorianos, & Seuerum hæreticos ſcripſit: Idem ipſe Apologiam edidit contra eos qui Synodum Chalcedonenſem calumniantur, & licet librum peculiariè que tractationem qui inſcribitur Solutiones argumentorum Seueri ediderit, in prædicta vero Apologia breuiter hæreticorum argumenta contra Synodum Chalcedonenſem ſoluens, eam vt par erat viro Catholico, laudat dicens: Quia nonnulli à Sancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia recedūt propter cauſam quæ magis eos cum Eccleſia coniungere debebat, cum non poſſem
ferre

ferre vt membrum nullum neceſſarium à nobis auelleretur, exiſtimaui opera precium eſſe ſuſpiciones quaſdam ipſis de Synodo Chalcedonenſi iniectas tanquam vapores quosdam excitatos diſſoluere, ne quis mendacijs contra Sanctos Patres anticipatus, ab ſpirituſuali matre ſua, & noſtra, ab Eccleſia inquam communi abſtraheretur. Conantur enim accuſare Synodum Chalcedone volūtate Dei coactam, tanquam non rectè habentem, ſed potius nouitatem nouorum dogmatum introducentem, & hac ſimulatione vſi ſe ab Eccleſia ſeparant, quos quidem conabimur docere, ſi tamen doceri volunt, non rectè eos ſentire, nec iuſte ad hanc calumniam moueri. Omni igitur patrocinio prætermiſſo, illud ſolum & primum dicimus, quod Sancta Synodus in omnibus cum Synodo Nicena conuenire cernitur; item cum Synodo Conſtantinopolitana 150. Sanctorum Patrum, in quibus de perfecta dogmatum cognitione certarunt, & victoria parta coronam tulerunt; atque ita quidem conuenit vt cum ſententia etià verborum ipſorum ordinem ſeruet, & hæc tanquam leges quaſdam fixas & ſtabiles quæ diſſolui non poſſunt, ſequitur, procul fugiens ab infania Eutychis, & blaſphemum os Neſtorij longe abiiciens, cuius audaciã accuſat ſicut ſapientes illi, & fidei deſenſores. Quod verò ita ſit, & Patres illi reuera hoc certamen ſuſceperunt, vt in commune lucrum conferrent, ex ipſo argumento, & materia licet intelligere, & datum testimoniū producere, omnia enim ipſorum SS. Patrum collegimus, & cum illis ex Synodo inter ſe collata, ijs qui veritatem rectè excutere, & dignoſcere voluerint, propoſuimus. Attendentes igitur ea quæ in Synodo dicta ſunt, facile demonſtrationem capietis, ne minimum quidem Synodum Chalcedonenſem à recta ſententia Sanctorum Patrum diſceſſiſſe.

(Exponit deinde fidem quam Sancta Synodus adhærens Patrum veſtigijs, præcipue B. Cyrilli Alexandrini, profeſſa eſt, & infra addit.) Cum hæc ita ſint, & res ipſæ fere vocem emittant, & clament, quis iam cōtentioſus ἀκότα ἀν πατρῶν, & accuſans reprehendet quæ fortiora ſunt, quam vt reprehendi poſſint, & Synodum criminabitur, quæ cum ijs quidē qui nihil ſani aſſerunt, pugnat, cum Neſtorio inquam, & cum Apollinario, & cum ijs qui cum illis ſentiunt; veros autem Doctores, & Orthodoxos diligit, & adiuuat Cyrillum, & ſimiles; diuinaſque regulas nunquam tranſit; neque quicquam nouum aut propriū parit, quin potius antiquis inhæret tanquam cuidam fundamento immobili, & vt breuiter dicā quæ in Synodo Chalcedonenſi acta ſunt, per omnia cum Sanctis Patribus Concilij Nicæni conſonant, vt ipſa demonſtrant. Quæ illi ſanxerunt Patres Concilij Chalcedonenſis ab illis ſancita expoſuerunt, & interpretati ſunt, & ſe vnā fidem ſcire prædicauerunt, & vnum Symbolum, & ſolū, quod illi tradiderunt, & definierunt præluxiſſe rectam fidem, & omni
reprē-

reprehensione carentem à Sanctis Patribus Synodi Nicænæ expositam & editam, & hanc ἀπαρχήσαντον, id est, intactam manere iusserunt; & hoc Symbolo ab illis edito, eos qui ab errore, aut alia opinione conuerterentur, & salutem consequi vellent, armari & erudiri mandarunt. Hinc igitur liquet eum, qui cum hac Synodo pugnat, bellum cum Nicænâ Synodo suscipere. Reperitur etiam contradicere Sancto Cyrillo: illius enim sermonibus Patres huius Synodi gloriantur, & in omnibus cum fide eius & verbis consonant; ac consentiunt. Postquam igitur docuimus Synodum Chalcedonensem per omnia cum Sanctorum Patrum dogmatibus conuenire, nihilque ab eis alienum habere cognoscimus, quæ sint, & quales hæreses, quibus hæc Synodus repugnat, & quanto opere certat præ impijs dogmatibus dissoluendis. Sic autem cognoscimus.

(Et post pauca Acephalorum argumenta dissoluit dicens) sunt præterea quædam alia quæ Acephali contra Synodum Chalcedonensem obijciunt, quorum etiam meminisse oportet. Aiunt non debere recipi Synodum Chalcedonensem, quia qui in ea congregati sunt, erant iudicio inconstanti, & à se dissentientes: iidem enim Byzantij Eutychem eiecerunt, & hinc Ephesi cum Dioscoro receperunt, eiecto Flauiano: Et rursus iidem Chalcedone Flavianum receperunt, Dioscorum verò eiecerunt. Ad hoc dicimus, non oportere cogitare quæ hominibus euenire solent, multis enim sæpenumero hoc accidit, & fortasse qui existimatione præstant. Caterum, & si quinque, aut amplius, vel etiam triginta, ex sexcentis reperti sunt, ut dicitis instabili sententia & iudicio, non propterea oportet Synodum sexcentorum virorum repudiare, quandoquidem iidem Ephesi etiam cum Dioscoro congregati fuerunt; neque tamen propter eos Synodum talem Ephesinam repudiatis.

Rursus aiunt, si ut Anatolius Constantinopolitanus dixit, non propter fidem depositus est Dioscorus, sed quia excommunicationem fecit Domino Archiepiscopo Leoni, & tertio vocatus est & non venit; quare non recipitis eum? Resp. Dioscorum manifestè fuisse hæreticum, nam in illo Concilio Ephesino approbavit Eutychem errorè, ut latius in fine superioris ca. ostendimus. Ideo autem dixit Anatolius Dioscorum non fuisse damnatum ob fidem, quia re ipsa damnatus non fuit, quod errauerit in Concilio Ephesino secundo, sed quod parere noluerit in Chalcedonensi, cum ter fuisset vocatus. Ut enim constat ex Nicephoro lib. 15. historiarum cap. 4. & ex ipso Concilio Chalcedonensi actione prima post Epistolam Imperatoris ad Dioscorum; ipse initio interfuit Concilio Chalcedonensi, & ibi se ipsum excusauit, quod solus non fuerit in Synodo Ephesina 2. & quod vi potius, atque ignorantia, quam voluntate condemnauerit Flavianum, & securus

secutus fuerit Eutychem: sed ab alijs Episcopis, qui Synodo Ephesinæ interfuerunt, falsitatis conuictus est: & illi quidem venia petita sui erroris, in Concilium admissi sunt: Dioscorus verò interfuit sanè actioni primæ Concilij Chalcedonensis, verum cum multa ei alia crimina in actione tertia obiecta fuissent à Concilio, ut colligitur ex Nicephoro loco citato, & ex Liberato ca. 13. Breuiarij, ter etiam vocatus egritudinis causam præterdens, parere noluit, neque ad Concilium redire, atque ea de causa depositus. Hoc idem colligitur ex actione 16. eiusdem Concilij in exemplari Paschassiani, quod est in fine actionis. Legatur etiam Eusebius lib. 15. cap. 30.

Rursus aiunt quod hæc Synodus hæreticos recepit, & non licet recipere ipsam. Hoc autem dicunt de Theodoro, & Iba, dicimus, non prius Synodum eos recepisse, quam Nestorium anathematizassent.

Rursus dubitant, quare non petierunt à Theodoro ut quæ contra Cyrillum scripserat anathematizaret, respondemus non oportere eos Synodum de hoc accusare, sed Sanctum Cyrillum, is enim cum in communionem cum Orientalibus, & cum ipso Theodoro venisset, non petiuit ab eo ut quæ scripserat anathematizaret. Quod igitur non fecit S. Cyrillus, non debet accusari S. Synodus, non fecisse, tamen si id quod non fecit ille, fecit hæc, cum ab eo petierunt ut Nestorium anathematizaret. Quod si demus hæreticos fuisse illos, neque sic propter hoc Synodus est repudianda. Siquidem & synodus Nicæna septem hæreticos recepit, qui & antea Arriani fuerant, & postea in hæresi persueuerunt, neque propter hæc causam dicitur Synodus centum vndecim Patrum, sed centum sedecim. Siquidem & Iuuenalius Episcopus Hierosolymitanus, & alij multi Episcopi, qui Ephesi cum Dioscoro reperti sunt, Synodo Chalcedonensi interfuerunt, neque tamen propter hoc, ipsi Synodum illam Ephesi repudiant, sed potius amplectuntur. Hæc Leontius, sed plura qui videre desiderat, legat eundem Leontium libro de sectis, præcipue actione 6. & hæc de argumentis historicis quæ hæretici obijciunt in Sanctam Synodum.

CAPVT XXVI.

In Christo Domino post vnitionem duas esse naturas, diuinam & humanam, omnino distinctas.

ACephalii, eorumque sectatores Orientales, Eutychem qui ansam eorum erroribus præbuit nunc anathematizant (teste Leontio de sectis actione quinta) propterea quod Christi corpus non esse eiusdem sub-

stantiæ nobiscum traderet; ipsi vero licet duas naturas antè vnitionem fuisse agnoscant, post vnitionem vero vnã fuisse tantũ, ex his duabus constat, manentibus naturis inter se inconfusis & distinctis, temere affirmant: eodem prorsus modo ac corpus & anima, quæ citra confusionem in homine vnita sunt, vnũ in visibile, alterum inuisibile, vnũ mortale, alterum immortale, hæc non duas naturas sed vnã tantum hominis naturam constituunt. Orientales enim hodie cum non possint intelligere discrimen inter naturam & personam, verentur duas in Christo fateri naturas, ne cum Nestorio duas etiam videantur acclamare personas.

Statuendum igitur est de fide Catholica, Christum nomen esse vnus personæ duas habentem naturas, diuinam scilicet & humanam; hanc vero esse fidem Catholicam, & ad salutem necessariam ex sanctis Conciliorum decretis, ac Sanctis Patribus apertissime probabimus: sed ne ignorantia vocum nobis error contingat, necessarium erit quatuor vocabula, quæ apud Patres passim inueniuntur, paucis explanare. Vocabula autem sunt Substantia, Natura, Persona, & Hypostasis: Sciendum ergo vt optimè aduertit Leontius de sectis actione prima, substantiam & naturam apud Patres idem esse, ac rursum idem hypostasim & personam: & cum Verbum diuinum assumpserit naturam singularem, scilicet Humanitatem & non personam, hoc est hominem, multum interest tum ad Eutythianos tum etiam ad Nestorianos hæreticos conuincendos, scire quid intersit inter personam siue hypostasim, & naturam singularem: vt ea re explicata intelligi facilius possit maximè cohærere & consistere hanc Catholicam doctrinam, Deum assumpsisse naturam non assumptam persona, ac post incarnationem, humanam naturam assumptam esse omnino distinctam, & aliam naturam à natura Diuina. Et quamuis inter omnes constitutum sit in ratione personæ aliquid aliud contineri vltra ea quæ continet ratio naturæ: siquidem significatur ab omnibus vocabulo concreto (vt vocabulo homo) natura vero abstracto, nempe humanitas: sed quid sit hoc quod persona addat siue includat vltra rationem naturæ, & in quo ab ea distinguatur, omisissis varijs dicendi modis breuiter perstringemus.

Persona igitur creata à natura singulari realiter distinguitur tanquam includens ipsam naturam singularem, & præterea aliquid aliud addens re à natura distinctum, quod propriè sit personalitas. Quæ sententiam esse D. Thomæ latè probat 3. p. q. 4. art. 2. Illud vero reale, & à natura realiter distinctum quod persona includit nihil aliud est, quam ipsam personalitatem esse naturæ quendam terminum, & complementum substantiale, quo perficitur vltimo, & constituitur substantia prima completa; qui terminus differt re ipsa à natura singulari, tanquam id quod terminat & complet

plet naturalem ipsius dependentiam ab vltimo termino, in latitudine substantiæ: hic igitur terminus naturæ quo natura vltimo completur, appellatur subsistentia naturæ, personalitas, hypostasis.

Obijcies ex hac sententia sequi, fore aliquam realitatem substantialem in materiali natura, quæ neque sit materia, neque forma, nec compositum ex vtraque. Respondetur si directè intelligas, verum est: indirectè autem & reductiue dici potest, personalitatem istiusmodi pertinere ad compositum ex materia & forma. Nam si per compositum intelligas naturam singularem vt in abstracto significatur, eatenus ad illam hæc personalitas reducitur, & pertinet, quatenus est naturalis terminus & complementum eius. Si autem per compositum intelligas completam hypostasim seu suppositum: ad illud hæc personalitas reducitur tanquam vltimum constitutum eius, vt ex prædictis patet.

Nec Philosophus negare voluit esse aliquid substantiale, quod non directè sit materia, nec forma aut natura ex ipsis composita: sicut satis apparet diuidens in 5. Metaph. & in Prædicamento substantiæ, substantiam in primam, & secundam, hoc est, in essentiam & hypostasim seu suppositum. Sicut enim sententia Philosophi essentia constituitur per gradum aliquem posituum substantialem: ita etiam ex eiusdem mente intelligere debemus, constitui hypostasim seu primam substantiam (quæ maximè substantia est) per gradum etiam aliquem & terminum vltimum substantialem.

Neque valet si obijcias primam substantiam Philosopho esse non nisi naturam singularem ipsam, cum singularitas faciat, vt natura, quatenus singularis est, non sit substantia secunda. Non inquam hæc obiectio valet. Nam inter substantiam secundam & primam completam, qualem intelligere potuit Philosophus, media esse potest substantia prima incompletè & reductiue, quæ nimirum sit natura vt singularis. Cum enim ex natura vt singulari in primis constituatur suppositum accedente personalitate, sicque demum fiat substantia prima completa: non incommodè natura singularis ad primam substantiam reuocabitur, tametsi non sit ipsa sola directè, & complete substantia prima.

Quod si fundamentum quæras cur ita de diuisione substantiæ, atque adeo de ratione suppositi philosophemur? Respondeo illud præcipue esse positum in reuelata doctrina de hoc Incarnationis Mysterio, quæ & naturale lumen, (vt in alijs materijs) illustrat, & tum demum rectè consistit ac defenditur, si sic ratiocinemur, præsertim cum ista quoque secundum naturæ lumen æque probabilia atque alia, videantur.

Ex his fit, personam à natura in multis differre. Primo in essendo: nam natura est quædam forma per quã verbi gratia Petrus constituitur in esse

specifico, est enim natura ipsa essentia rei, persona vero superaddit naturam subsistentiam; quatenus est principium subsistendi in se: quare persona nihil aliud est quam terminus & sustentaculum naturæ. Secundo differunt in operando nam licet ad operandum tam persona quam natura concurrat, tamen diuerso modo: nam suppositum seu persona concurret ut principium quod operatur & subsistit; natura vero est principium quo mediante elicitor opus. Tertio, differunt ex modo prædicandi: nam suppositum seu persona primo dicitur generari, produci, & ratio est, quia simpliciter esse est esse in seipso & per seipsum, id est subsistere, hoc autem est suppositi, quia esse in alio est esse quasi diminutum & natura non dicitur simpliciter esse, sed ratio essendi quia subsistit non in se, sed in supposito. Itæ suppositum dicitur operator & agens, natura autem non est proprie operans sed ratio operandi, ut Ioannes dicitur loqui, natura humana, quod est in Ioanne dicitur ratio loquendi. Præterea assumere naturam & habere se per modum assumptis, est suppositi, habere se per modum assumpti, est naturæ; ratio est quia assumere est totius: natura autem significatur per modum partis. Ecce differentiam seu distinctionem vtriusque, naturæ videlicet & personæ, quam differentiam non cognoscentes, seu dignoscere nolentes Nestorius, & Eutyches simul cum Dioscuro prolapsi sunt in varias hæreses. Nestorius falso putans idem esse naturam & personam, & nullam faciens inter vtrumque distinctionem, & videns in Christo duas naturas distinctas, intulit duas personas. Eutyches vero & Dioscorus dicentes idem esse naturam & personam, cognouerunt in Christo vnam personam intulerunt vnam naturam: itaque tam Eutyches, quam Nestorius ex ignorantia huius discriminis prolapsi sunt in contrarias hæreses, iste in dualitatem personarum, ille in vnitatem naturæ. Ita & hodie Orientales videntes in Christo vnam personam, pro vna persona vnam dicunt naturam: sed quæro ab illis, si natura & persona omnino idem essent, multumque esset inter vtramque discrimen. sequeretur quod in Deo cum sit vna natura, vna etiam esset persona. At habemus in scriptura, Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt: vnde euidenter apparet aliquid discriminis esse inter personam & naturam, cum in diuinis natura sit vna, personæ vero tres. Item peto à vobis cum moritur aliquis homo, vtrum natura moritur, an persona? Natura quidem mori non respondebitis, ergo persona, igitur idem omnino non sunt natura & persona? Propterea cum multæ sint atque adeo innumerabiles hominum personæ, multasne atque innumerabiles naturas hominum dicetis? sed vna est omnium hominum natura, & non vna est omnium hominum persona, ergo differt natura à persona.

Denique

Denique si Orientales renuunt duas admittere in Christo naturas, ne duas videantur admittere personas, cum ex eorum sententia natura & persona idem sint, sequitur quod agnoscentes hanc differentiam inter naturam & personam, facili negotio poterunt vitare errorem quem timeant, & Ecclesiæ Catholicæ conformari: quod si pertinaciter renuat discrimen hoc confiteri, manifeste incidunt in errorem Nestorij, quæ declinare se illa via arbitrantur. Nam fides Catholica prædicat Verbum Dei assumpsisse naturam humanam, igitur si ipsi dicunt idem esse naturam & personam, sequitur quod personam etiam assumpserit, & sic in Christo erunt duæ personæ, ut constituebat Nestorius.

Neque prorsus audienda est aliquorum Orientalium responsio, qui non verentur hoc conuicti argumento fateri Deum etiam assumpsisse personam ut partem perfectionis naturæ (& ut distinguant à Nestorio) addunt hæc quam assumpsit personam non esse operosam, sed otiosam, non enim operatur quicquam, sed feriat & ab opere vacat: sed error iste turpissimus est, & execrandus, nam humanitati assumptæ à Christo nihil perfectionis deest, licet præcipuam non habeat personalitatem, quia perfectius est, & dignius humanæ naturæ subsistere in persona Verbi, quam si subsistat in propria persona. quis enim dubitat naturam humanam sustentatam à diuina persona longe perfectiorem esse in Christo, quam in vnoquoque nostrum, est enim incomparabiliter, & infinite perfectior, subsistens in persona verbi: quæ cum sit infinitæ perfectionis supplet in natura humana perfectionem humanæ personæ. Tum demum, quia si in operibus naturæ nihil otiosum & frustra concedimus, quanto magis in operibus Dei, maxime vero in hoc opere omnium diuinissimo. Secundo quia si admittunt duas personas, à fortiori duas etiam naturas distinctas post incarnationem admittere debent, quia distincta persona naturam distinctam omnino supponit. Tertio quare non etiam admittitis duas naturas, duas etiam voluntates, quarum altera sit operosa, altera otiosa? Quarto quare post incarnationem dicitis vnam naturam & non vnam etiam personam? sed aduersus hunc errorem infra latius oppugnantes Nestorium dicemus.

Præterea absurdissimus error est asserere in Christo ante vnionem duas illas esse naturas: quomodo enim in Christo fuerunt ante vnionem, si ante vnionem non fuit formaliter Christus ut talis. Idque patet manifeste ex plurimis locis Scripturæ, præcipue ex c. 1. Ioanis, ibi enim ille Christus qui habitauit in nobis dicitur ipsum Verbum incarnatum, ut patet ex illo contextu sermonis, *In principio erat verbum, &c. & Verbum caro factum est, & Ioan. 1. habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius gloriam quasi vngeneriti à Patre, &c.* Quomodo igitur in Christo hoc est in Verbo ante vnionem fuerunt duæ naturæ,

H h h 3

naturæ,

naturæ, diuina, & humana; si ante Unionem Verbum non fuit incarnatum.

Rectissime itaque S. Leo epistola decima ad Flavianum cap. ultimo (quæ in Concilio Chalcedonensi fuit approbata) cum illa verba Euty- chetis retulisset: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero vnâ naturam confiteor; ad- dit: Miror tam absurdam, tamque peruersam eius professionem, &c. Cum tam impie duarum naturarum ante Incarnationem vnigenitus Dei filius fuisse dicatur, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.

His igitur præmissis contra errores alios vt certissimū statuamus, Chri- stum Iesum vna constare persona, duabus naturis diuina & humana in- ter se coniunctis, non confusis, salua cuiusque naturæ proprietate: fides enim Catholica agnouit semper in Christo post incarnationem duas inte- gras, & perfectas naturas diuinam, & humanam, quæ sine vlla permixtio- ne ac confusione aut inter ipsas compositione in vera persona Verbi sub- sistant, neque diuinam naturam in humanam, vel humanam in diuinam fuisse conuersam, neque tertiam per commixtionem resultaſſe, sicut ex anima rationali & corpore, vt orientales hodie fatentur.

Primo hæc veritas ex scriptura probatur, & ante omnia duas esse in Christo naturas testantur illa Domini verba Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Nam iste qui loquebatur, secundum eam naturam per quam videbatur, & loquebatur, ac filius ho- minis erat, non descenderat de cælo, aut nunc cum loquebatur erat in cælo. Ergo alteram habuit nempe diuinam, secundum quam descenderat & erat in cælo.

Deinde nullo modo fieri potest secundum eandem naturam Christum esse æqualem Patri, & minorem: at Ioan. cap. 15. *Ego (inquit) & Pater vnus sumus.* & cap. 14. *Pater (inquit) maior me est.* Igitur secundum vnâ fuit æqualis Patri, secundum aliam minor.

Præterea, *Antequam* (inquit ipse Christus Ioan. 8.) *Abraham fieret ego sum.* At idem natus erat temporibus Augusti, nequit autem fieri vt idem secun- dum idem fuerit ante & post Abraham. Item quod S. Thomas Ioan. 20. viderat & tetigerat in Christo, non erat Deus, sed caro, & tamen excla- mauit dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Igitur ille cuius carnem viderat, simul erat verè Deus & homo, quod etiam aperte constat Actorum se- cundo. *Dextera* (inquit Petrus) *dei exultata effudit hoc donum.* Nam exal- tare non est Dei, sed creaturæ, effundere Spiritum Sanctum non est crea- turæ, sed Dei. Item, *Spiritus Sanctus posuit vos regere Ecclesiam Dei quam acqui- siuit sanguine suo, &c.*

Iam

Iam verò illas naturas non esse permixtas satis ex Sacra Scriptura cõ- stat, quæ frequenter asserit naturam diuinam esse prorsus immutabilem: Malach. 3. *Ego Deus & non mutor.* Et Iacobi primo: *apud quem non est transmu- tatio, &c.* itaque stare non potest tertium quod Eutyches dixit, diuini- tatem in humanitatem, aut contra, fuisse conuersam. Nam fieri non po- test vt nullo modo mutetur, vel quod in aliud conuertitur, vel id in quod conuertitur aliud.

Præterea Christum Dominum reuera fuisse natum ex Virgine, passum, mortuum, & sepultum, & resurrexisse tertia die, & postea calos ascēdisse: neque eundem Christum non secundum Diuinitatem, sed secundum hu- manitatem, non simulatam, sed veram, fuisse passum, contra errorem seu potius delirium Eutychetis passim, ac luce ipsa manifestius Scripturæ fa- tentur: sed quia hodie Orientales in hoc etiam Eutychem damnant, non opus est in his amplius immorari.

Restat igitur vt ex Concilijs & Patribus sententiam Catholicã de dua- bus in Christo naturis comprobemus. Plurima sunt Concilia in quibus error iste expresse damnatur. Primo in Chalcedonensi Concilio ex insti- tuto, & præsertim actione 5. in symbolo fidei, vbi sic dicitur: *Confitemur in nouissimis diebus Filium Dei Vnigenitum in duabus naturis, inconfu- se immutabiliter, indiuisè, interparabiliter agnoscendum, nunquam subla- ta differentia naturarum propter vnionem.*

Item in Concilio Constantinopolitano (quod est quinta Synodus ge- neralis) can. 2. 7. 8. 10. 11. Vbi in Canone illo 8. sic dicitur: *Secundum substantiam dicentes carni vnigenitum Verbum vnitum esse, non con- fusionem quandam ad vices naturarum factum fuisse dicimus, magis autem vtraque manente natura hoc quod est vnitum, intelligimus esse carni Verbum.*

Item in 6. Synodo generali actione 4. in Concilio Lateranensi sub Martino Primo consultatione 5. cano. 5. 6. 7. & 8. in Concilio Hispalensi 2. can. 12. & passim in alijs, quibus denique adde Symbolum Athanasij. vbi eandem veritatem Ecclesia profiteretur. maxime in illis verbis: *Vnus autem non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanita- tis in Deum: vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.*

Tertio repugnat iste error orthodoxis Patrũ sententijs. in primis S. Cyrillus Alexandrinus apertissimè varijs in locis hanc veritatem testatur, in epistola 8. ad Nestorium, vbi referens fidem & sententiã Concilij Nicœni: *Licet (inquit) differentes inter se natura in veram sint vnitate coniunctæ, vnus tamen ex vrisq; est filius ac Christus, interim non sublatâ differentia naturarum propter ad- unationem.* Hęc Cyrillus: cuius vestigijs adhærens Sancta Synodus Chalce- donensis 630. Patrum, Cyrilli testimonium referens sic ait,

Synodus.

Malach. 3.
Iacob. 1.

Synodus.

Sequentes igitur Sanctos Patres (& infra) vnum & eundem Christum filium Dominum Vnigenitum in duabus naturis sine confusione, sine mutatione, sine diuisione, sine separatione cognitum vno omnes consensu docemus. Hæc Synodus. Postea adducit verba S. Cyrilli.

Cyrilli ex epistola ad Sucentum.

Considerantes igitur, vt dixi, modum Incarnationis, videmus quod duæ naturæ coierunt inter se secundum vnionem quæ distrahi non potest, sine confusione, sine mutatione. Caro enim caro est, & non diuinitas, & si Deus factus est Caro hominise, & Caro enim Verbum Deus est, & non caro, & si propriam fecit carnem Oeconomicè.

Eiusdem ex eadem epistola.

Duas naturas dicimus, vnum vero Christum filium, Dominum, Dei Verbum factum hominem & incarnatum.

Eiusdem ex libro de fide ad Alexandrinos.

Ego commixtionem non approbo, alienum enim est à fide Apostolica & à recta traditione Dei. Commissio enim deletionem naturarum operatur. Vnio vero ineffabilis, quam qui rectè sentiunt, consentunt, vtramque naturam sine confusione seruat.

Synodus.

Differentia naturarum nequaquam sublatà propter vnionem.

Cyrilli ad Nestorium.

Non tanquam differentia naturarum sublatà propter vnionem.

Synodus.

Quin potius seruata proprietate vtriusque naturæ.

Cyrilli ex epistola ad Sucentum.

Esse enim vnus à nobis dicitur Vnigenitus filius Dei, incarnatus, & factus homo, non propterea commixtus est, sicut illis videtur. Nec in naturam carnis mutata est natura Verbi; imò neque carnis in naturam Verbi, sed in proprietate secundum naturam, vtræque manente simul, & intellecta secundum rationem paulo ante à nobis redditam vnio ineffabilis, & inexplicabilis vnâ nobis demonstrauit naturam filij, sed incarnatam.

Synodus.

Et in vnâ personam, & in vnâ hypostasim concurrente.

Cyrilli ex epistola ad Ioannem.

Et tanquam in vna persona cognitus, vnus enim Dominus Iesus Christus, et si non igneratur diuersitas naturarum.

Præterea

Præterea S. Dionysius Areopagita cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia: Diuina (inquit) bonitatis infinita clementia benignissime omnino prouidentia nosiri, nec sic quidem (post peccatum) omisit per seipsam operari, nostrorum omnium veraciter sine peccato particeps facta, nostræque humilitati inserta, absque confusione vlla, & maculatione veræ & integerrime Diuinitatis suæ.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. cum agit de Christi generatione ex Virgine: Duplex, inquit, erat Christus: homo quidem id quod apparebat: Deus vero quod intelligebatur. Comedebat quidem vt homo verè, ita vt nos similes enim nobis corporis affectiones habebat: vt Deus autem quinque panibus aluit quinque millia, &c.

S. Athanasius in Euangelium de Sanctissima Deipara: Sanctificata, inquit, superuentu Spiritus Sancti Virgo eum gestabat, qui ex sua propria essentia Dei erat filius pro vnica eius diuinitatis natura, & gignit eundem incarnatum & hominem factum, secundum duarum naturarum proprietatem, eundemque duplicem & vnum ex duobus constantem inconfuse, immutabiliter, atque indiuisim credi oportere statuimus. Et infra: Deus interim perfectus & homo perfectus: vnus ratione vnus personæ; duplex tamen natura.

S. Basilius lib. primo contra Eunomium post medium: sicut formam, inquit, assumpsisse serui, in essentia humane naturæ Dominum nostrum natum esse significat: sic cum dicit in forma Dei esse (ad Phil. pp. 2.) Diuina essentia proprietatem penitus declarat.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. in Christi Natiuitatem: Missus, inquit, est, verum vt homo, duplici enim natura erat, siquidem & fatigatus est, & fame & siti laborauit, & angore correptus est, & lacrymas fudit, vt lex naturæ ferr.

Innumera Patrum tam Græcorum, quam Latinorum possemus testimonia adducere: qui plura desiderat legat Theodoretum in Dialogo Immutabilis, & in Dialogo Inconfusus, vbi prolixè testimonia omnium ferè Patrum qui ante ipsum fuerunt adducuntur. Idem fecere S. Leo in suis Epistolis, B. Vigilii lib. 5. contra Eutychetem, Celasius in lib. de duabus naturis, & nouissime omnia Patrum & Doctorum vsque ad nostra tempora testimonia congecit Author Thesauri Catholici lib. 2. de Christo saluatore.

Denique error iste repugnat etiam manifestè rationi; sed antequam vterius procedamus, notandum est pro explicatione huius controuersie ex D. Thoma 4. contra Gentes cap. 41. quod vniri aliqua in natura non est, quod duæ naturæ adinuicem quomodocumque vniantur: Nam reuera in Christo duæ naturæ vnitæ sunt, sed quod illæ duæ naturæ conueniant in vna tertia natura, vel essentia, quæ aliquo modo ex naturis vnitis constituitur, sicut quod aliqua duæ naturæ in persona vniantur, dicit quod eadem persona in duabus naturis subsistat, munusque ac rationem per-

sona exerceat in ordine ad utramque naturam ipsam sustentans. & proprias utriusque naturae operationes exercens. Hoc supposito, Probatur. Tunc aliqua duo ununtur in natura, quando ununtur in aliqua essentia, quae ex unione duarum naturarum resultat: sed implicat naturam Diuinam & humanam hoc modo uniri, ergo, &c. Probatur minor: Nam quae ununtur in natura, necessario habent mutuum & intrinsecum ordinem inter se, imo & essentialem dependentiam ad inuicem: sed implicat naturam Diuinam habere aliquo modo ordinem, quia forma totalis, qualis est humanitas, cum per se loquendo sit totum, & non pars, nequit intrinsece & substantialiter ordinari ad alterius naturae compositionem. In quo distinguitur humanitas ab anima rationali, quia haec & quaecunque alia forma propria natura non est substantia totalis, sed potius pars alterius naturae integræ: & ita dicit intrinsecum, & substantialem ordinem ad naturam, cuius est pars, & ad aliam partem simul componentem: at humanitas & quaecunque forma totalis non dicit talem ordinem per se, & substantialem, ergo, &c.

Secundo probatur, quando aliqua duo ununtur in natura, talis natura in qua fit unio, semper est perfectior alijs naturis, quae in illa ununtur: continet enim perfectionem utriusque: sed implicat dari naturam perfectiorem essentia Diuina; ergo nulla natura potest esse terminus huius unionis.

Tertio probatur. In Christo post unionem sunt duae formae: ergo sunt duae naturae. Consequentia patet, quia forma, natura, & essentia, idem pollent. Antecedens probatur ex illo ad Philippenses 2. *Qui cum in forma Dei esset, formam serui accepit.* Sed forma Dei & forma serui sunt duae formae: ergo, &c.

Quarto, in sacris literis post unionem contraria enunciantur de Christo, nempe ea quae sunt potentiae Diuinae, & quae sunt infirmitatis humanae: sed contraria de eodem secundum idem enunciari non valent: ergo enunciatum secundum aliam, & aliam naturam & ex consequenti non est in Christo tertia aliqua natura ex duabus resultans.

Postremo Christus est verus Deus & verus homo, ut constat ex Sacra Scriptura; ergo vere habet naturam diuinam & humanam; non enim fieri potest ut diuina natura & humana fiant vna natura, ut ostendit D. Thomas 3. p. q. 2. art. 2. hac euidenti ratione.

Quia si ex diuinitate, & humanitate fit vnum, vel fit vnum ordine & compositione, eo modo, quo ex pluribus lapidibus fit vnus acervus, vel vna domus: sed hoc dici non potest: quia Christus non esset vnus per se, sed per accidens: item non esset vnus simpliciter, sed multa simpliciter, & vnus secundum quid: quorum vtrumque derogat veritati Incarnationis. Vel fit vnum

vnum per se, per transmutationem, eo modo, quo ex elementis fit mixtura, & hoc affirmari non potest; tum quia natura diuina est omnino immutabilis, & sic neque ipsa potest in aliud conuerti, neque aliud in ipsam: tum quia id quod ex mixtione resultat, ut constat ex articulo primo de Generatione cap. de mixtione, non est eiusdem substantiae cum missilibus; & sic Christus neque esset confubstantialis Patri, neque matri, quorum vtrumque fidei aduerfatur. Vel fit vnum per se, absque vlla transmutatione: sed neque hoc potest dici, nam fieret vnum modo quantitatio, sicut ex diuersis membris fit vnum corpus: & hoc non, cum natura Diuina sit incorporea: vel eo modo quo ex materia & forma fit vnum, & hoc est adhuc impossibilius; tum quia natura diuina, & humana sunt entia completa in actu, & ex duobus entibus in actu nequit vnum per se fieri; tum quia natura diuina nullius potest esse forma, praesertim corporis: tum quia alia species inde resultans, esset pluribus communicabilis, & ita essent plures Christi: tum denique quia Christus alias neque esset naturae diuinae, neque humanae, differentia enim addita variat speciem, sicut vnitas numerum.

Ut vim huius rationis Patrumque sententiam manifestam, effugiant Iacobitae, hodie aliam excogitarunt suam haeresim propagandi viam, dicentes in Christo Domino duas naturas fuisse vnitas, ac post unionem in illo veram fuisse diuinitatem, veramque humanitatem, vniam tamen factam fuisse naturam personatam ex duabus naturis non personatis sine tamen mixtione, aut confusione. Quare licet concedat Christum ex duabus constasse naturis, renunt tamen concedere illum induabus naturis subsistere, ne videantur cum Nestorio duas ponere in illo personas. Sed ferè idem est iste errandi, siue dicendi modus cum alijs. Nam vel illae naturae non personatae sunt ante unionem distinctae inter se, & hoc nequit intelligi, ut iam supra confutauimus. Vel illa natura personata, quae resultat ex duabus naturis Diuina & humana, est tertia natura composita ex duabus, sicut homo ex anima & corpore, & hoc est quod Patres Concilij, & ratio ipsa demonstrat esse erroneum. Si autem volunt dicere personam Christi esse compositam ex duabus naturis, hoc est subsistentem in illis, hic sensus Catholicus est: sed tunc fatendum est cum Ecclesia Catholica duas esse in Christo naturas perfectas, indistinctas, neque inter se commixtione aliqua aut compositione coniunctas, duas itidem voluntates & operationes, ut iam infra etiam ostendere curabimus.

CAPVT XXVII.

Soluuntur argumenta Eutychetis, & aliorum.

Argumenta quibus vsi sunt Eutyches, & eius sectatores tam veteres, quam noui ad sui erroris confirmationem, facili negotio soluantur. Primum est quod Ioannis 1. dicitur: *Verbum caro factum est. Est igitur natura Verbi conuersa & mutata in humanam: sicut aqua illa conuersa fuit in vinum, de qua simili loquendi modo dicitur Ioan. 2. Cum vidisset archiriclinus aquam vinum factam, & c.*

Respondeo primo, si hoc argumentum valeret, falsum etiã esset quod Eutychiani dixerunt, naturam illam vnam, quæ in Christo mansit, fuisse reuera Diuinam. Etenim quod in aliud conuertitur minimè manet: vt neque mansit aqua, postquam facta est vinum. Secundo dico, illo modo loquendi, cum scilicet vnum dicitur factum aliud; non semper in Scriptura significari conuersionem, sed solum accessiõnem aliquam sine interitu prioris. Vt cum dicitur ad Galat. 3. *Christus pro nobis factus est maledictum: vel cum dicitur Luc. 2. factus annorum duodecim, & c.*

Ita hoc explicant Athanasius in Epistola ad Epictetum, & Gregorius Nazian. in epistola 1. ad Cleodoniũ, & Ambrosius de Incarnationis Domini Sacramento cap. 6. & Theodoretus in Dialogo 1. vbi prædictos Patres pro ea interpretatione citat, & eam inde cõfirmat, quod statim Ioan. de eo ipso verbo Incarnato subiungit, *Et habitauit in nobis & vidimus gloriã eius, & c.* Vnde euidenter apparet, Verbum non propterea esse destitisse. Item ex eo quod alibi Incarnatio verbi sic describitur, vt manifestum sit mansisse post eam salua natura sua Verbum. Nam ad Philip. 2. dicitur. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Et ad Hebræos 2. *Semen Abrabæ apprehendit.* Manet autem omnino is qui quippiam accipit & apprehendit.

Tertio dico ex illo ipso loco Ioan. 1. potius reuinci euidenter errorem Eutychetis. Nam si Verbum caro factum est: ergo mansit in Christo post vnionem vera caro, & natura humana, quod Eutyches negabat. Manet enim id in quod aliud dicitur euadere, sicut mansit vinum illud in quod euasit aqua, & manet etiam dignitas Consul, cũ dicimus de aliquo quod sit factus Consul.

Secundũ argumentũ Ioa. 1. dicitur: *Verbũ caro factũ est.* In Cõcilio Chalcedonensi act. 1. post epistolam Cyrilli ad Ioannem Antiochenum, Eustachius Episcopus Beritensis, testatus est S. Cyrillum asseruisse, non oportere intelligi duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam.

Respon-

Respondeo sensum esse, quod non sint in Christo duæ naturæ supposito distinctæ reipsa, & separatæ, sicut sensit Nestorius, sed naturam Diuinam cum humana natura coniunctam, in vna & eadem diuina persona. Ita enim illud dictum Cyrilli intelligendum esse definitum est in V. Synodo generali, can. 8.

Et eodem modo debet accipi, quod dixit Gregorius Nazianzenus epistola prima ad Cleodonium, Carnem esse Deificatam: & quod in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 5. definitur, naturam Dei Verbi fuisse incarnatam, quod etiam asserit Damascen. lib. 3. cap. 6. His enim modis loquendi à Patribus significatur solum illa realis & substantialis coniunctio diuinitatis cum humanitate in vna & eadem persona Diuini Verbi, non autem aliqua vtriusque naturæ confusio.

Tertium argumentum est, quod aliqui antiqui Patres dicant, naturam Diuinam fuisse mixtam cum humanitate. sic enim scribit S. Cyprianus in lib. de vanitate Idolorum: *Carnem Spiritu Sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur. Hic Deus noster, hic Christus est.* Et S. Gregorius Nyssenus in Orat. Catechetica cap. 25. Incarnationem appellat nostræ naturæ cum diuina commixtionem. Similiter loquitur Irenæus lib. 3. cap. 21. & Vigilius lib. 1. contra Eutychetem.

Respondeo hoc vocabulo mixtionis Patres fuisse vsos, ad significandũ vnionem illam esse omnino realem, & substantialem, sicut est suo modo mixtio elementorum in vno & eodem substantiali supposito, non autem ad significandum quod sit mixtio propriè.

Quartum argumentum. S. Athanasius in Symbolo dicit: *Sicut anima rationalis & caro, vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.* Est igitur vnica natura in Christo sicut in vno alio homine.

Respondeo minimè id sequi, non enim est sensus, ita ex humana & diuina natura fieri vnam naturam, sicut fit ex anima & corpore vna humanitas, sed sicut ex anima & corpore fit vna substantia quæ est natura, ita etiam ex vnione naturæ humanæ & diuinæ in persona Verbi, constare similiter substantiam quandam vnicam, quæ est Christi persona, vt subsistens in vtraque natura.

Quintum argumentum (quo maximè nitetur Eutyches) Si in Christo sunt duæ naturæ, Ergo etiam duæ personæ. Qui fuit error Nestorij.

Respondeo nihil minus sequi. Est enim alia ratio naturæ quam personæ. Vnde etiam in Diuinis, vbi natura & persona re non distinguuntur, credimus esse personas tres, quamuis earum tantum sit vnica natura. Possunt igitur in Christo vice versa esse naturæ duæ, & persona vnica. Et hæc tenus de errore Eutychetis.

CAPVT XXVIII.

De duabus Christi voluntatibus.

Non solum Eutyches, qui in Christo non esse naturam humanam veram ausus est affirmare, consequenter ab eo voluntatem humanam adimebat, sed & hæretici alii Orientales, qui naturam humanam in Christo confitebantur, in eo non fuisse voluntatem humanam temere affirmarunt. inter quos fuerunt Monothelitæ, sic nuncupati ab assertione vnius voluntatis in Christo, eo adducti fundamento, propterea quod omnia operatur Christus ex nutu diuinæ voluntatis.

Sed hic error breuiter & manifestè conuincitur primo testimonio ipsius Christi Luca 22. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Vbi vtramque voluntatem apertissimè distinguit. Item Ioan. 6. *Descendi de celo, non ut facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me, Patris.* Ex quo loco confirmatur hæc veritas in Synodo VI. generali act. 17. vbi damnatur hic error.

Secundo ex his quæ supra contra errores alios ex fide constituta sunt, ducitur manifestum argumentum. Etenim vera natura humana sine voluntate humana non consistit, vt est etiam ratione naturali perspicuum. Sed verbum diuinum assumpsit veram humanam naturam, eiusdem speciei, cuius est natura aliorum hominum. Ergo etiam voluntatem humanam.

Et confirmatur: nam potentia naturales proxime spectant ad naturam. Vnde videmus in Diuinis, quamuis tres personæ sint; tamen quia est vna natura, vnicam esse voluntatem. Sed in Christo sunt duæ naturæ, ergo vnaquæque suam habet voluntatem. Denique huc etiam pertinent Patrum testimonia, quibus supra probauimus duas in Christo naturas perfectas, & in particulari in Christo esse duas voluntates docent Athanasius lib. de Trinitate, Gregorius Nyf. contra Apollinam. Epiphanius sermone 69. contra Marcionistas & B. Cyrillus Alexandrin. cuius testimonium magni faciunt omnes Orientales in sermone 10. in Matth. *Subest quidem in Christo pauior passionis propter humanitatem: comescitur autem statim virtute inhabitantis verbi: Ait enim Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis humanitas quidem hoc ait: nam secundum quod Deus est, non est extra voluntatem Patris. Sicut enim vna est Deitas, ita vna est Patris & Filij voluntas.* Idem li. 4. in Ioannē. *Voluntaria quidem passio, eo quod ita voluisset diuina natura, inuoluntaria autē quantum ad carnem recusantem mortē, & secundam quod Christus homo erat* Idem li. x. *Sicut consubstantialis est, ita & conuoluntarius proprio genitori, vnius enim essentia vna perfecti voluntas est.*

Nec

Nec valet quicquam argumentum hæreticorum. Nam etsi Christus omnia ex nutu diuinæ voluntatis operaretur, non quia ex vna diuina voluntate omnia operaretur, sed quia humana eius voluntas erat diuinæ conformis.

Porro ipsdem argumentis patet in Christo fuisse, etiam intellectum creatum præter diuinum, quia est etiam humanæ naturæ potentia naturalis. Quod ex scriptura etiam patet *isaie 52. Ecce intelliget puer meus.* Et Matth. 8. *1. isaie 52. Audiens Iesus miratus est, quod pertinet ad intellectum.* Item ex Augustino l. 83. qq. q. 80. contra Apollinaristas qui animam rationalem, & intellectum in Christo negabant, inferentes quod tunc Verbum beluam quandam cum figura humani corporis suscepisset.

Item ipsdem argumentis efficitur, reliquas animæ potentias sensitivas esse in Christo atque etiam liberum arbitrium. Nam liberum arbitrium nihil aliud est quam voluntas ipsa, prout tendit in sua obiecta cum indifferentia quadam. Neque obstat quod Christus nullo modo peccare potuerit? Nam potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrij.

Vnde Augustinus in lib. de prædestinatione Sanctorum c. 15. de Christi impeccabilitate loquens, An ideo, inquit, in illo non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato seruire non poterat.

CAPVT XXIX.

De duabus Christi Domini operationibus.

Orientalium etiam hodie error est qui etiam fuit quodam Monothelitarum, in Christo tantum fuisse vnicam operationem nempe Diuinam, tametsi diuersa per illam operaretur. Idque probabat, quia omnia fiebant ab eodem Verbo Diuino. Damnatur hic error in VI. Synodo act. 4. 8. & 9. vbi inter cætera sic legimus: *Das naturales operationes indiuisæ, inconuertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Iesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est, diuinam, & humanam.* Ponunt autem illæ particule Indiuisæ, inconuertibiliter, ad ostendendum ab vna & eadem persona Verbi vtriusque generis orationes salua differentia ipsarum perfectas esse.

Plena etiam sunt Euangelia manifestissimis Christi operibus, quibus ostendi possit duas esse in Christo operationes. Primum enim vna est Patris & Filij operatio, sicut & natura, vt patet ex illis locis: *Omnia quæ Pater habet mea sunt. Et quæcumq; Pater facit, hæc & filius similiter facit.* Ne quis autē putaret alia Patrem, alia Filium operatione operari, alibi ait: *Pater in me manens*

manens ipse facit opera. Item non potest filius quicquam facere nisi viderit Patrem facientem. Quod autem filius præter hanc Diuinam operationem, aliam diuersam habeat, non commune cum Patre, adeo apertum est, vt superuacaneum videatur, id velle probare. Nam quod inter homines conuersabatur, loquebatur, ambulabat, comedebat, oculis, manibus, pedibus, reliquisque corporis membris & animæ sensibus & potentijs operabatur; id certe Patri commune cum eo non erit, nisi quis Patrem incarnatum esse dicat simul cum filio: quod est nefas dictu. Cumque filius solus, & non Pater, nec Spiritus Sanctus naturam humanam assumpserit, corpusq; & animam habuerit, certe ea quæ per animam & corpus exercebat, Patri aut Spiritui Sancto tribui non possunt, sed soli filio: & quis vnquam dixit Patrem esurisse, fatigatum ex itinere, seu illum super puteum collocatum cum Samaritana, disputasse in templo cum Iudæis, aliaque huiusmodi multa fecisse, quæ de Christo referunt Euangelistæ? An etiam illud Patri tribuendum est, quod Lucas de Christo ait: *Et erat subditis illis*, & quod Patre sæpè orauerit, quod & missum à Patre in mundum, dicit: quodque ait non suam gloriam querere, sed patris, & eiusmodi alia plurima. Nimis profecto obtusæ mentis est qui hoc non videt, minus obstinatæ qui cum viderit, tamen credere non vult, cum præsertim id senserint omnes Catholici Patres.

Præterea illi qui in Christo concedunt duas naturas, vt omnes tenent Catholici, necesse est vt duas confiteantur voluntates, duas operationes, cum ad naturæ veritatem pertineat operatio ei conueniens. Vnde Ambrosius l. 2. de fide ad Gratian. c. 4. *Nunquid potest vna operatio esse, vbi diuersitas est substantia?*

Atque eodem argumento conuincitur in Christo fuisse non tantum operationem humanam: sed etiã plures humanitatis operationes, quales sunt aliorum hominum. Tametsi omnes illæ potuerint, maximè in Christo, dici vnica operatio, si spectemus earum quasi principium, nimirum humanam rationem ac voluntatem in Christo, qua dirigebantur seu imperabantur omnes.

Fundamentum vero illorum hæreticorum nullius profus momenti est: quamuis enim idem Verbum diuinum esset principium omnium Christi operationum tanquam suppositum, non tamen illas omnes efficiebat per eandem naturam, vt per formam, sed per diuersas, scilicet per diuinam & humanam. Itaque diuersæ omnino eius operationes fuerunt.

Sed vt in Catholico sensu aliqua Patrum dicta commodius intelligantur, ex sententia Theologorum doctissimorum notandum est, operationum in Christo triplex genus distingui posse. Nam primo quædam fuerunt tantum diuinæ: vt creatio & gubernatio mundi. Secundo, aliæ Christi operationes

rationes fuerunt humanæ tantum, vt deambulatio, comestio. Quas operationes ideo dico humanas tantum, quoniam conueniunt etiam aliis puris hominibus naturaliter, tametsi & à supposito diuino eiusmodi operationes Christi proficerentur, & ad eas diuinitas generali concursu cooperata sit, quod falso ac temerarie negauit Duran. in 3. dist. 18. q. 1. quia nimirum in vniuersum alioqui existimat, Deum non concurrere immediate efficiendo ad effectus causarum secundarum.

Tertij generis operationes possumus in Christo nominare mixtas seu duplices, id est, partim diuinas, partim humanas: quia licet vno eodemq; vocabulo significantur, vere tamen sunt duplices: vt iustificatio impij, suscitatio mortuorum, & aliorum miraculorum patratio. Huiusmodi enim nominibus partim significamus actionem diuinam principalem, quæ scilicet sua vi attingit principalem effectum, (nempe gratiam, vitam miraculose restitutam, &c.) partim etiam actionem humanam, videlicet instrumentalem humanitatis Christi quæ à verbo Diuino, tanquam instrumentum vsurpata, contulit etiam miraculose aliquid ad eiusmodi effectus; vt vox Christi reuocantis ad vitam Lazarum, &c.

In quibus actionibus & illud animaduertendum est, peculiari quadam ratione diuinam actionem Christi principalem, humanitati adscribi; & vicissim instrumentalem actionem humanitatis, diuinitati. Quam ob causam appellauit etiam has actiones duplices & mixtas. Quia enim principale agens effectum attingit conferente ad id instrumentum; peculiari ratione actio principalis agentis pertinet etiam ad instrumentum. Vnde dicimus scannum v. g. à serra fieri, quia participatur veluti à serra actio principalis artificis conficiens scannum. Et rursus quoniam principale agens vsurpat instrumentum eiusque actionem ad effectum principalem: ipsi etiam peculiari ratione adscribitur actio propria instrumenti. Vnde dicimus artificem secare v. g. scannum, cum proprie secet serra.

Illæ igitur Christi operationes, iustificatio, suscitatio mortuorum, &c. duplices atque etiam mixtæ à nobis dicuntur: non tantum quia huiusmodi nominibus partim significatur actio diuina, partim actio humana, vt dictum est, sed etiam quoniam diuina illa actio, quæ significatur, peculiari ratione adscribitur, non tantum diuinitati, sed etiam humanitati tanquam instrumento. Itemque vicissim actio humana, quæ illis nominibus significatur, tribuitur ratione peculiari diuinitati, quæ eiusmodi actione instrumentali vititur. Et sic recte tum diuina, tum humana huiusmodi actio mixta, atque duplex dici potest, ex parte etiam sui principij seu causa.

Ac de hoc quidem tertio genere operationum Christi intelligendum est, quod B. Dionysius libro de diuinis nominibus cap. 2. differit de operatione

racione Christi, quam vocant theandricam, id est Dei, & hominis simul. Item illud quod B. Leo in epistola 10. ad Flavianum cap. 4. scripsit: *Agit (inquit) vtraque forma (id est natura) in Christo cum alterius communione quod propriū est; verbo scilicet operante quod Verbi est; & carne exequente quod carnis est.*

At in vniuersum ad istud tertium operationū genus referendæ sunt omnes sententiæ similes quibus significari videatur Christum per vtramque naturam communiter seu simul fecisse, quod fecit. Hoc enim non ita ab Orthodoxis dicitur, quia sit tantum vna & eadem vtriusque naturæ operatio: sed quia vicissim vtriuslibet naturæ operatio quantumuis propria, & distincta, tribuitur suo modo alteri etiam naturæ (vt explicatum est) atque ita vtraque natura agit cum alterius communione, in illo quidem genere tertio mixtarum & duplicium operationum.

CAPVT XXX.

In Christo Domino non duas, sed vnicam tantum esse personam contra Nestorianos.

Indubitata est apud Orthodoxos omnes affirmatiua pars huius sententiæ: pro eius tamen intelligentia explicare oportet, in quo proprie consistat hæc vnio quæ facta est duarum naturarum in persona Christi. Omnis igitur alijs philosophandi modis, tenendum erit hanc vnionem in eo consistere, quod natura humana careat propria substantia, assumptaque sit à Verbo, ad ipsam substantiam Verbi. tribus siquidem modis possunt aliqua vniri, primo vt partes rei essentielles, quomodo materia & forma, genus & differentia, ex quibus resultat composita natura, quo certe modo non est facta vnio in Verbo: vnio enim partium essentialium ex imperfectis ad perfectum procedit. Secundo, vt accidens & subiectum, vel substantia cum substantia, ex quibus resultat forma accidentalis: at neque Verbum est subiectum humanitatis, neque ex vnione cum Verbo resultat accidentalis perfectio. Tertio, cum substantia quæ alioquin per se subsisteret, trahitur ad substantiam alterius, & ab illo dumtaxat pendet: qualis vnio Verbi & humanitatis: quæ solet quibusdam declarari exemplis.

Primum est animæ cum corpore: nam separata per se subsistunt, vnita vero, vna vtriusque est substantia: sed cum vtrumque sit natura imperfecta, neutrumque trahat aliud ad sui substantiam, sed pendeat à tertia, quæ totius compositi est, deficit in eo exemplum: nam nec Verbum est natura imperfecta, nec à tertia pendet substantia, sed ad suam trahit substantiam naturam humanam.

Secun-

Secundum est ferri igitur, quod proprietates & ferri, & ignis habet, sed maxime deficit. Nam calor Deum representans sustentatur à ferro, non est substantia, nec dicitur ferrum, quæ non consonant Verbo hypostaticè vnito.

Tertium hominis, in quo duæ accidentales formæ, vt medicina & Iurisperudentia: vnum enim suppositum est, variæ tamen appellationes, & cōmunicatio idiomatum: verum huiusmodi formæ non trahuntur ad substantiam propriè hominis. Nam accidentium propriè non est subsistere. Quartum est arboris, verbi gratia, piri, cui inseritur ramus mali. Nam illa pirus est substantia prima, atque ideo suppositum verum, nec pendet à ramo infuso, quem tamen sustentat, qui alioquin per se existeret, siue subsisteret, atque iam vocatur pirus & malus, producit pira & mala, ac dici potest pirus malus, & è contra. Quod si malus ille forsitan siccaretur, & reuifesceret, non propterea pirus mutaretur, sed tota mutatio contingeret in ramo.

Ita Verbum instar magnæ arboris suscepit ramusculū humanæ naturæ, suo trunco à cælesti Agricola mirabiliter insertum, vnde Verbum Deus & homo, opera diuina & humana egit: nec Verbum ab humanitate, sed hæc ab illo dependet. Cumque per passionem & mortem humanitas quodammodo aruisset, ac deinde per Resurrectionem reseruisset, nulla mutatio in Verbo, sed tota in humanitate contigit.

In hoc tamen exemplum deficit, quod ramus non sit arbor perfecta: caret enim radicibus & trunco, & quod antequam insereretur per se reuera subsisteret.

Vnionem igitur hypostaticam in eo consistere probatur. Primo, quia ex scripturis habemus vnam esse in Christo personam, duas vero naturas: at si duæ substantiæ essent, duæ quoque personæ. Quid enim in natura intellectuali singulari totali addit substantia; nisi personalitatem? si vna, non cōmunicauit humanitas suā Verbo, vt omnes fatentur, cum propria caret: igitur Verbum suam humanitati, in hoc igitur consistit incarnationis mysterium.

Secundo Epistola Alexandr. à Cōcilijs probata Ephes. & Chalcedonēsi: *Si quis (inquit) non confitetur carnī secundum substantiam vnitum Dei Patris Verbum, anathema sit. Item: Si quis in vno Christo diuidit substantias post vnionē, anathema sit, &c. Conc. Chalced. Salua vtriusq; nature proprietate, & in vnā personā ac substantiā concurrente, Vnigenitū filium, & Deum Verbum agnoscimus. Synod. Generali quinta: Si quis introducere conatur in Mysterio Christi duas substantias, vel personas, & vnā personam dicit per dignitatem & honorem, & adorationem, & non confitetur Verbum carnī substantialiter vnitum, & propterea vnam esse eius substantiam, &c., anathema sit.*

Kkk 2

ERRO

Error igitur fuit Nestorij & sectatorum eius, Christum non vnica persona, sed duabus contineri, Diuina scilicet increata, & creata humana; quarum altera (scilicet Diuina) sit filius Dei, omnipotens creator; altera vero, scilicet creata, tantum sit filius hominis, natus, passus, mortuus; ita vt non idem omnino secundum eandem personam fuerit Filius Dei, & filius Virginis, creator & factus, impassibilis & passibilis.

Quoniam autem scriptura de Christo loquitur, tanquam de vno; vnū, seu vnam personam, ipsum esse ac dici aiebat Nestorius, non vnitatem simpliciter substantiali, aut naturali, sed secundum quid, & per accidens, propter varias rationes quas possumus colligere ex testimoniis Cyrilli, sicut eas etiam rationes Concilio Ephesino, & aliis Synodis collegit diligenter Beatus Thomas 3. p. q. 2. art. 6.

Nempe primo propter inhabitationem vnius personæ in altera, scilicet diuinæ in creata, tanquam in templo. Vnde dicebat Christum secundum creatam personam, non esse Deum sed Deiferum, & ideo ipsum nominari Emanuel, quod significat nobiscum Deus. Secundo propter coniunctionem affectus, quoniam fuerit voluntas personæ creatæ, cum voluntate personæ diuinæ prorsus conformis. Tertio propter communionem operationis: quia persona creata fuerit instrumentum verbi Diuini. Quarto propter communionem eiusdem dignitatis & honoris diuini, qui etiam illi personæ creatæ, tanquam templo diuinæ personæ tribueretur. Quinto quoniam ob dictas rationes filius hominis dicebatur quadamtenus filius Dei, & e contrario: itemque homo, Deus; & vicissim.

Fuisse hanc Nestorij sententiam, accuratè collegit præ aliis Gregor. de Valentia 1. 3. p. q. 2. disp. prima, puncto 2. tū ex Canonibus Concilij Ephesini, & quintæ Synodi generalis, tum ex testimoniis S. Cyrilli, testimoniatque Sanctæ Scripturæ, & Patrum breuiter recēset, quibus Nestorianorum hæresis facile conuincitur: quæ etiā nos in hoc capite ac parte adducimus.

Fuit autem error Nestorij (vt ex dictis apparet) errori Eutychetis per extremum contrarius. Nam Eutyches sic personam vnam Christi confitebatur, vt naturas etiam confunderet, faceret quæ ex vtraque vnam. Nestorius autem ita naturarum differentiam credidit, vt vnicuique illarum personam suam distinctam attribueret. Ecclesia Catholica incedit mediā via, quæ & naturas contra Eutychetem distinguit, & contra Nestorium retinet personæ vnitatem.

Quam sententiam Ecclesiæ orthodoxam ita declararunt Patres in Conc. II. Constantinopolitano, (id est in Sancta Synodo generali) can. 4. Cum multis, inquit, modis vnitatis intelligatur, qui iniquitatem Eutychetis & Apollinarij sequuntur, in peremptionem eorum quæ conuenerunt colentes, vnitatem secundum confusionem predicant. Theodori autem & Nestorij sequaces diuisione gaudentes, affectualem

affectualem vnitatem introducant. Sancta vero Dei Ecclesia virisq; perfidie impietatem reiciens, vnitatem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum substantiam.

Pro hac sententia orthodoxa, contra prædictum errorem Nestorij, vrgent aliqui, Christum fuisse verum Deum, & verum hominem; quasi contrarium ponatur secundum opinionem Nestorij: sed nisi aliter argumētum formetur, non videtur satis firmum. Concessit enim Nestorius Christum verum Deum & hominem verum fuisse, quamuis secundum aliam, & aliam personam, ex quibus Christus constaret. Quare id propriè cōtra illum est probandum. Vnam & eandem personam Christi fuisse verum Deum, & verum hominem.

Id autem potest Primo probari ex scriptura sacra, quinque modis, seu quinque generibus testimoniorū. Primo sic: Christus ita fuit verus Deus, & verus homo, vt & homo ille qui Christus est, verè & propriè fuerit Deus: & vicissim Deus ille, verè & propriè homo. Sed nisi concedatur secundum vnam & eandem personam, fuisse Christum verum Deum, & verum hominem, hoc verum non erit. Ergo id omnino concedi debet. Minor probatur. Quoniam hæc propositio: Homo est Deus, non potest propriè & verè concedi nisi aliqua sit substantialis identitas subiecti & prædicati, hoc est, Dei & hominis, siquidem nomen tum Dei, tum hominis significat substantiam. & in omni enunciatione affirmatiua significatur ut significatur, rationalem formalem prædicati, & rationem formalem subiecti conuenire in vnum & idem, quod sit vtrumque. At ea identitas substantialis minime hic existit secundum naturam diuinam & humanam, vt patet. Ergo necesse est eam concedere secundum personam quæ eadem significatur verbis illis, Deus & homo.

Iam probatur Maior ex scriptura in illis locis, quibus Christus de se loquens, tanquam de homine qui cum hominibus conuersabatur, affirmauit simpliciter se esse Deum, atque adeo Dei coæternum, & coequalē filium.

Vt Ioan. 8. Tu quis es? Dixit eis Iesus, Principium qui & loquor vobis. Et Ioan. 10. Ioan. 8. Ego & Pater vnum sumus. & Marci 14. ad Pontificem interrogantem Ioan. 10. num esset Filius Dei: Ego inquit sum. Et Ioan. 4. Marci. 14. O mulier si scires donum Dei, & Ioan. 4. quis est, qui dicit tibi, & c. Et Ioan. 13. Ioan. 3. Nemo ascendit ad calum, nisi qui descendit de Ioan. 9. calo, Filius hominis qui est in calo (nempe vt idem Deus) Et Ioan. 9. ad illum natum cæcum, Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, Quis est Domine, vt credam in eum? Dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est, At ille ait, credo Domine. Et prociens adorauit eum. Idem patet ex illo testimonio Gabrielis Luc. 1. Luc. 1. cæ I. Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei, id est ille homo quem cōcipies. Et ex illo ibidem, Elisabethæ: Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini ad me? Et ex illo Apostol. ad Philip. 2. Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo: Philip. 2.

lem Deo : vt omittam similia testimonia plurima.

Secundò, quia nisi eadem persona filij Diuina Dei sit etiam homo; nequaquã verè & propriè credi potest, Verbum Diuinum incarnatum esse, factumque hominem. At hoc verissimè & maximè propriè creditur vt patet Ioan. 1. & fatemur in Ecclesiæ Symbolis. Ergo non secundum aliam personam creatam, sed secundum illam ipsam diuinam quæ est Verbum & Filius Dei, Christus est homo. Maior probatur. Quia vt albus verbi gratia non dicitur, per eam albedinem quæ est in altera persona, sed per eam quam in sua ipsius persona habet : ita neque Filius Dei homo dici & esse potest per humanitatem in altera persona existentem, neque Verbum incarnatum per carnem alterius personæ. Quod argumentum passim attingitur in Concilio Ephesino primo, vbi Nestorius damnatus est.

Tertio, quia scriptura sacra vbique loquitur de Christo, tanquam de vna & eadem persona, sicut est vnusquisque alius homo. Impium igitur est, Christum non vnicam sed plures interpretari personas. Assumptum patet ex illis locis omnibus, in quibus Christi persona significatur Pronominibus illis singularibus, Ego, hic, ille; qui loci passim occurrunt. Deinde etiam peculiariter ex his, 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Est igitur vnus & idem Iesus (id est filius Mariæ) & Christus filius Dei viui, vt Matth. 16. ait Petrus. & 1. Ioan. 2. *Quis est mendax nisi qui negat, quoniam Iesus est Christus.* Et 1. Ioan. 4. *Omnis Spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Hoc enim maximè est Christum soluere, tollere duarum naturarum in ipso vinculum, quod est vnitas personæ. Neque obijciat aliquis in exemplaribus Græcis, quæ modo extant, non legi illud, Qui soluit, sed Qui non confitetur, &c. Fuerunt enim eiusmodi exëplaria olim ab hæreticis in eo loco corrupta, vt in historia tripartita lib. 12. cap. 4. videre est. Nec dubium est quin illo modo verè legamus. Cum ita contra hæresim hanc Nestorij citauerit eum locum S. Leo Pontifex in epist. 10. ad Flavianum approbata in Concilio Chalcedonensi act. 5. Et rursus ibidè. *Quisquis confessus fuerit quoniam Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Et cap. quinto. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est Filius Dei.*

Quarto quia constat ex scriptura hominem Christum non per adoptionem, vt alios Sæctos, sed longè excellentiori modo esse Filium Dei, vt patet manifestè ex illo Matth. 16. *Tu es Christus filius Dei viui.* Et Lucæ 1. *Vocabitur altissimi filius.* & Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi gloriam vni- geniti à Patre,* & ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, vt adoptionem filij- rum reciperemus.* Et aliis eiusmodi euidentibus testimonijs, quibus hoc ip- sum

sum probatur. Si autem homo Christus non diceretur Filius Dei, nisi ob illas rationes quas assignabat Nestorius, scilicet propter inhabitationem Dei in illo, tanquam in templo, propter affectus conformitatem, propter rationem instrumenti, propter dignitatem & honorem, propter appellationem Dei, solus esset Filius Dei per gratiam & adoptionem, vt alij Sancti. Nam alij Sancti sunt etiam templum Dei 1. Corinth. 13. *Nescitis quoniam templum Dei estis;* Et per illos etiam tanquam per sua instrumeta Deus operatur, 2. Corinth. 5. *Tanquam Deo exhortante per nos.* Et 1. Corinth. 12. 2. Cor. 5. *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus, & affectu cum Deo coniunctissimi* 1. Cor. 12. sunt 1. Corinth. 6. *Qui adhaeret Domino, vnus Spiritus est.* Et appellatio Dei eis tribuitur. Psalm. 81. *Ego dixi, deus es.* Et denique cum sint etiam templum Dei, si ob id solum Christus habet dignitatem & honorem diuinum (vt voluit Nestorius) illis quoque eadem ratione honor diuinus deferri posset. Cum igitur longè excellentius (vt probatum est) Christus sit Dei filius, quam alij Sancti: fatendum est, eum non ob illas rationes quas assignauit Nestorius, sed plane natura esse Dei filium, atque adeo eundem esse substantialiter Deum.

Quinto, nam nisi eadem omnino persona, quæ est Deus, esset etiam Christus homo, impiè illi homini qui Christus est, eundem honorem, quem verbo Diuino, tribueremus, quantumcumque esset Dei templum. Non enim idem honor templo aut domui, & inhabitanti debetur. Alioquileret mundum quoque adorare quatenus in eo habitat Deus. Quod tamen manifesta esset Idololatria. At diuinum honorem esse Christo homini tribuendum, Nestorius etiam fatetur. Ergo, &c. Quare rectè in Ephesina Synodo can. 7. ita scribitur: *Si quis vel vt hominem Iesum, operante Deo Verbo, dicit adiuuum, & vnigeniti gloriam tanquam alteri, prater ipsum existenti tribuit, anathema sit.* Quod idem habetur Can. 8.

Notandum est autem, argumenta hæc, quæ directe probant, Christum secundum vnã & eandem ipsius personam fuisse Deum & hominem: simul etiam probare, illam vnã personam, secundum quam Christus fuit Deus & homo, fuisse Diuinam, & non creatam. Nam vt est impossibile diuinam naturam per creatam personam hypostaticè terminari: ita est impossibile personam eam esse creatam quæ eadem subsistit in natura Diuina & humana, atque adeo est Deus & homo. Subsistit enim persona in natura aliqua non aliter, quam hypostaticè terminando illam, vt patet ex ijs, quæ de ratione personæ, differuntur. Et hæc tenus de prima probatione assertionis Orthodoxæ contra Nestorium petita ex sacra Scriptura.

Secundo probatur eadem assertio ex fidei Symbolis. Nam in Symbolo Apostolico,

Apostolico, ipsum filium Dei Patris unicum credimus, conceptum esse de Spiritu Sancto, & natum ex Maria Virgine, passum sub Pontio Pilato, &c. Ac similiter in Symbolo Nicæno, Credimus in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, &c. qui (idem) incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus &c. Et in Symbolo Athanasij: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus: Unus omnino non confusione substantiæ, sed Unitate personæ, &c.*

Tertio probatur ex Conciliis. Concilium Ephesinum can. 2. *Si quis non constiterit, carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unum esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit.* Et can. 3. *Si quis in vno Christo diuidit substantias post Unitatem, sola societate coniungens eas, quæ secundum dignitatem est, vel etiam auctoritatem, & potestatem, & non magis conuentu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.* Item can. 4. *Si quis in personis duabus, vel subsistentijs, eas voces quæ in Apostolicis scriptis & Evangelicis continentur diuidit, vel quæ de Christo dicuntur à Sanctis, vel ab ipso: & aliquas quidem ex ijs velut homini, qui præter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptauerit: aliquas vero tanquam Deo dignas soli Verbo Dei Patris deputauerit, anathema sit.*

Item in Concilio Chalcedonensi act. 5. approbantur & recipiuntur prædicti Canonès Concilij Ephesini. Item in Synodo quinta generali can. 5. *Si quis in Mysterio Christi conatur introducere duas substantias vel personas, & introducis duabus personis, vnã personam dicit per dignitatem & honorem, sicut Theodorus, & Nestorius insipientes conscripserunt; & non constiterit Dei Verbum carni substantialiter vniri, & propterea vnã eius substantiam, vel vnã personam, anathema sit.* Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Martino primo can. 2. Et in Synodo 6. act. 4. & in Concilio secundo Hispalensi cap. 13. &c.

Quarto probatur ex Patribus. Ac imprimis B. Cyrillus in libro de Incarnatione Domini, & in Apologetico pro duodecim capitulis, & in alijs ferè omnibus suis operibus, vbi etiam multa veterum testimonia pro se adducit. Cæsarianus libros septem de Incarnatione scripsit contra Nestorium, iussu S. Leonis I. & in fine libri septimi, plurima recitat Græcorum & Latinorum Patrum testimonia.

Præter ea quæ isti adducunt possumus alia quædam afferre. Sanctus Ignatius in Epist. ad Ephes. *Filius (inquit) Dei qui ante secula natus est, ipse in vtero portatus est à Maria secundum Dei dispositionem, ex semine Dauid & Spiritu Sancto.*

B. Iustinus Martyr in lib. de recta fidei confessione circa medium: *Unus (inquit) est filius, & qui mortuus est, & qui id quod mortuum erat excitauit. Cum ergo de vno filio contrarias voces audies, ea quæ dicuntur, naturis tribue: ac si magnum quiddam*

quiddam & Diuinum, diuine id natura tribuito; si quid paruum & humanum, humane adscribito. Sic enim & verborum discrepantiam vitabis, cum sua, vtraque natura recipiet; & filium unum omnia secula antecessisse, & nouum ex scripturis habere.

S. Irenæus libro 3. contra hæreses à cap. 18. vsque ad 22. probat multis testimonijs Scripturarum, vnum & eundem esse Iesum filium Mariæ, & Verbum Dei Patris. Athanasius in Epistola ad Epictetum circa finem: *De solo, inquit, Mariæ filio scriptum est, Verbum caro factum est. In quibus ostenditur ad reliquos sanctos verbum factum esse, prophetandi gratia, ex Maria autem ipsum Verbum, carne assumpta, hominem prodiisse.* Et infra: *Non quod filium à Verbo segregemus: sed quia eundem hunc esse agnoscimus, per quem omnia facta sunt, & per quem nos liberati sumus.*

Gregorius Nazianzenus epistola prima ad Chelidonium: *Si quis, inquit, Virginem Mariam nequaquam Deigenitricem esse credit, is etiam à Deitate sit separatus. Si quis duos introducit filios, vnum quidem ex Deo Patre, secundum autem ex Matre, & non vnum & eundem, adoptione filiali, quæ promissa est ijs qui recte credunt, exciderit. Si quis non adorat Crucifixum, anathema sit, ac Dei annumeretur interfectoibus.*

Basiliius libro quarto in Eunomium, exponens illud: *Dominus creauit me, Accipiendum est (inquit) verbum Genuit de Deo Filio: Creauit autem, de eo qui formam serui suscepit. In omnibus vero his non duos dicimus, Deum per se, & hominem per se. Unus enim erat, sed iuxta intelligentiam cuiusque naturam reputantes.*

Damasceus lib. 3. de fide cap. 9. *Ipsius (inquit) Verbi hypostasis, vtriusque natura hypostasis existens nullam insubstantem esse permittit, &c.*

Et ex Latinis Patribus S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos c. 8. Ambr. li. de Incarnat. Domin. Sacram. cap. 5. Hiberius de Trinitate lib. 2. Hieronymus in c. 14. Matth. Augustinus in Enchiridio ca. 5. & li. 13. de Trinit. c. 17. & alibi sæpe. Ac denique Leo Papa nihil frequentius repetit in omnibus suis sermonibus & Epistolis.

CAPVT XXXI.

Soluuntur Argumenta Nestorij.

Argumenta omnia Nestorianorum Sophistica sunt, ac facile dissoluantur duobus sequentibus fundamentis.

Primum est: non idem proprie esse Christum hominem, & Christi humanitatem, seu carnem seu corpus. Nam vocabulum homo significat personam,

personam, quæ in Christo (vt probatum est) non fuit nisi diuina: Humanitas vero, &c sunt nomina significantia tantummodo naturam itaque non debet intelligi de ipso Christo hominis, quicquid de eius humanitate seu corpore dicitur.

Hinc respondetur ad illud Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, quod pro Nestorio obieciat Theodoretus contra secundum anathematismum Cyrilli Templum enim diuinitatis suæ appellat ibi Dominus non personam aliquam distinctam a sua propria, sed suam humanitatem seu corpus, vt apparet etiam ex verbis illis, quæ Ioannes subiungit: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

Ex eodem quoque fundamento respondetur ad testimonium Basilij in Psal 39 quod citabat Theodoretus in refutatione quinti anathematismi Cyrilli, Basilij enim ibi non ait (vt falso citabat Theodoretus) hominem Christum esse Deiferum, sed carnem Christi (σάρκα) Deiferam esse quatenus nimirum altera Christi natura potest dici esse in altera per hypostaticam vnitonem.

secundum fundamentum est, Christum hominem non fuisse hominem purum, vt sunt alij homines, sed hominem & Deum, vt pote in duplici natura, diuina & humana subsistentem; ac proinde de illo secundum aliam & aliam naturam affirmari posse, quæcunque conueniunt vero Deo, & vero homini, excepto peccato vt infra videbimus suis locis

Hinc soluitur, id quod teste Theodoro lib. 4. hæreticarum fabularum obieciat Nestorius, non enim Deum significare Deum homini vel humanitati vnitum; sed tantummodo Deum; ac proinde beatam Virginem neque esse neque debere dici Matrem Dei Assumptum namque est falsum. Nam cum Deus humanitati vnitus, sit verus Deus; ipsi quoque omnia ea conueniunt, quæ competunt Deo vero, atque adeo etiam Dei nomen, & consequenter B. Virgo verissime est mater Dei, hoc ipso quod est Mater Dei, cum humanitate vniti. Quanquam ante hoc quidem Incarnationis Mysterium, nomen Dei non aliud, quam solum Deum significabat, Peractio autem eo Mysterio, suapte ratione id nomen significat etiam Deum humanitati vnitum.

Ex eodem quoque fundamento patet responsio, ad ea quæ Nestoriani obieciabant dici de Christo quandoque, velut de homine, qui non sit *Matth. 26.* Deus Vt quod ipse compellat Deum suum *Matth. 26. Deus Deus meus. vt quid dereliquisti me?* & quod consolationem ab Angelo accipit, &c. *Luc. 22.* Quandoque autem velut de Deo, qui non sit filius hominis: Vt quod fuerit ante Abraham, atque adeo etiam ante Mariam; atque adeo etiam quod non sit ei Maria consubstantialis, sicut oporteret, vt esset eius Mater &c. Respondendum est enim ex hac differentia attributorum Christi, nõde-

bese

bere colligi diuersas esse in eo personas, sed diuersas naturas, per quarum alteram, scilicet humanam, conueniant vere Christo Deo, quæ sunt humana atque adeo etiam vt sit patri consubstantialis; per alteram autem, scilicet diuinam, conueniant eidem Christo homini diuina.

Item responderur facili ex eodem fundamento ad illud Apostoli: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo,* Philip. 2. ex quibus Verbis Theodoretus (initio Nestorianus in Commentario eius loci argumentabatur nihilum Dei non esse factum hominem sed induisse hominẽ. Sed perperam hoc colligebat. Nam habitu inuentus vt homo, & in similitudinem hominum factus filius Dei dicitur, non quia vere non sit factus homo; sed quia sine mutatione sui homo factus est, perinde ac homo sine mutatione suæ substantiæ vestitur, vt ex sancto Augustino lib. 83. qq. q. 73. declaratur. Quod autem Apostolus ait: *In similitudinem hominum factus*, veritatem potius confirmat naturæ humanæ à Christo sumptæ, vt potè aliorum hominum planè similis. Dato etiam quod *σχηματι* ibi idẽ sit quod figura, vt exponit illic Chryostomus & Theophylactus: tamen sentus esse posset, Christum externa tantum figura & similitudine fuisse talem hominem, quales sunt alij, nempe hominem purum. Sed prior interpretatio que est etiam d. Thomæ in eum locum mihi magis probatur & melius coheret cum verbis illis antecedentibus, *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, vbi de Vera essentia humanitatis assumptæ sermo est.

CAPVT XXXII.

Secundum fidem Catholicam Beati in Deo non tam claritatem, quam ipsam diuinam intuentur essentiam.

Dupliciter contingit videre aut cognoscere rem aliquam, primum quasi ipsam intuenendo sicuti est, quod est videre per suam essentiam; Deinde per effigiem aliquam, & similitudinem sui, sicut apicum abiente in imagine ipsius, & Deum in effectis eius quodammodo agnoscimus in vno quidè perfectius quàm in alio fuit ergo error Armenorum, apud Armeanum lib. 14. questionum contra illos, cap. primo, & recentiorum Græcorum, vt narrat idem auctor asserentium Deum nec à Beatissimis secundum essentiam suam clare videri, nec posse, sed tantum per quendam illius similitudinem, aut lucem ab eo derivatam. Eundem errorem illis ascribunt Alpinus de

Castro contra hæreses verbo Beatitudo, heresi prima, & Gabriel Prateolus in suo Elencho, verbo Armeni. Tametsi Nicephorus lib. 18. cap. 53. eorum recensens errores, inter illos hunc non connumeret. Huic Armenorum errori aliqui ex Græcis Patribus adhæsisse videntur. Contra hunc errorem fide Catholica tenendum est, Beatos videre Deum per essentiam. hæc veritas clarè ex Sacra scriptura colligitur. Primus locus Matth. 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Quem ita intelligit D. Augustinus epistola 112. cap. 4. Hilarius Can. 4. in Matthæum, imo Augustinus ex hoc loco id esse de fide videtur deducere; ait enim, *Scimus, posse Deum videri, quoniam scriptum est, Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt, &c. An forte dicere non debui Scimus, sed Credimus, quia scriptum est in scriptura, Cui credimus. Et respondet statim optime dictum esse Scimus, quia cum apparuerit similes ei erimus: quia videbimus eum, sicuti est; eo quod id tanquam certum credebat.*

Secundus locus est Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in calis est.* Vbi Faciem substantiam ipsius Dei sicuti est, interpretantur Hilarius canone 18. & in illud Psalm. 118. *Deprecatus sum faciem tuam.*

Tertius locus est 1. ad Corinthi. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Dicit, Vt cognitus sum, vt explicat Theodoretus, hoc est. Sicut notus & familiaris qui vultum amici clarè intuetur: Hieronymus. *Perfectè sicut à Deo cognitus sum; Chrysostomus & Theophyl.* Ita ei occurrã visione, sicut ipse me præuenit, cum prius me cognouit. Alij, Cognitus sum, pro edoctus sum, positum putant. Quod si in alia vita Dei essentia perse non appareret, sed in aliqua luce ab ipsa deriuata, absque dubio in enigmate adhuc & sub obscuro velamine, non facie ad faciem videretur: nec cognosceremus sicut cogniti & familiares, sed ex parte tantum, licet perfectiori modo quam in via. Aenigma enim, teste Augustino 15. de Trinitate cap. 9. est similitudo quædam obscura ad intelligendum, cum per vnã rem aliam significare volumus. Cum ergo quæuis lux aut creatura à Deo deriuata, sit magis diuersa res ab ipso Deo, quam vna creatura ab alia; efficitur, multo magis, illam ænigma esse Dei; quam vna creatura alterius esse potest.

Quartus locus est 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est: ibi enim sermonem esse de Deitate, non de humanitate Christi patet primo ex contextu. Nam paulo ante de Patre, hoc est de Deo locutus fuerat, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus: & de seodem prosequitur, cum dicit: Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, id est Deo, quoniam videbimus eum sicuti est: eum in-*
quam

quam qui dedit nobis vt filij Dei simus. cum vero postea subiungit. *Et scitis quia ille apparuit, vt peccata nostra tolleret*, loquitur etiam de Deo qui in carne apparere dignatus est.

Secundo patet ex definitione Ecclesiæ: Euaristus in prima sua epistola ex illo 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est*, disertè affirmat Dei substantiam à Beatis videri. Id ipsum Concilium Francofordiense in epistola ad Episcopum Hispaniæ his verbis asserit: *Prædicemus eum (scilicet Christum) Deum verum, & viuum, & verè filium Dei, vt ad eius beatissimam visionem peruenire mereamur, in qua est æterna beatitudo & beata æternitas.* Probauerat autem ante medium Epistolæ ex illo 1. Ioan. 3. visionem hanc futuram esse Dei, sicuti est. Ad hæc Eugenius 4. & Concilium Florentinum tersione vltima in litteris Vnionis, quæ ab vniuersa Synodo, verè fuere receptæ & subscriptæ, licet postea fraudibus cuiusdam ex Græcis Patriarchis Imperator Græcorum resiliit: inter alia definiunt eos qui suscepto baptisate, vel peracta pœnitentia in gratia decesserint, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsam Deum Trinum & Vnum sicuti est. Denique Benedictus 11. in quadam extrauaganti, quam referunt Maior in 4. q. vltima, & supplementum Gabrielis in 4. d. 4. q. 2. artic. 3. dub. 3. definit Animas defunctorum qui in gratia decesserunt ante diem Iudicij, ex visione clara & fruitione Dei, verè esse beatas.

Secundo ex Patribus plures quoque & magni nominis idem nobis tradiderunt. Dionysius de cælesti Hierarchia c. 4. Martialis in epistola ad Tolosanos cap. 27. Origenes 1. Periarchon c. 5. explanans illud Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* & Nazianzenus oratione 25. in fine vbi sic ait: *In hoc igitur commune nomen (scilicet Dei) crede, & prospere incede, & regna: atque hinc ad alterius vitæ beatitudinem transibis. Ea porro, vt mihi quidem videtur, in expressiore horum cognitione, ac comprehensione sita est.* Apud Patres vero comprehensio præclara Dei visione accipitur. Fusius tamen Irenæus lib. 18. ca. 38. idem docet. Consentit Augustinus epistola 112. de videndo Deum cap. 4. & 8. quod enim in fine epistolæ dubitat, an ab Angelis Deus nunc videatur, non obstat: de omnibus enim beatis in Augustino dubium est, nū ante diem Iudicij Deum clarè intueantur: non tamen dubitat, an aliquando Deus videndus sit.

Neque obstant aliqua S. Scripturæ loca, Exodi 23. *Non videbit me homo & viuet, & 1. ad Tim. 6. Lucem habitat, &c. quem nullus hominum videt, nec videre potest.* 1. Pet. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere, ergo non respiciunt.* præterea sunt aliqua loca SS. Patrum, vt Chrysost. qui videtur negare Deum clarè videri. Pro responsione primo notandum quadrupliciter intelligenda esse illa loca Scripturæ, primo vt negent Dei visionem comprehensiuam; ita Chrysost. hom. 14. in Ioan. Epiph. August. Gregor. & Dionysius

cap. 9. de diuin. nomi. Secundo quod Deus non potest videri oculo corporeo, seu phantasia naturali bene tamen videri potest intellectu. ita Aug. epist. 111. & 112. & Chrysol. Tertio vt sit Deus inuisibilis viribus naturæ. ita Epiphani. hæresi 70. sed bene poterit videri per gratiam. Matth. 11. *Nemo nouit Patrem nisi filius & cui uoluerit filius reuelare.* Quarto, & est Durandus, quod intelligitur non posse videri Deum in hac vita de lege ordinaria, & Angeli desiderant prospicere non quia careant illa visione. sed quia nunquam fastidiunt: mo ille locus est pro nobis, non enim desiderat rem impossibilem: & illud Ioan. 1. *Deum nemo uisit unquam, Unigenitus*, &c. Iansenius explicat de comprehensua visione, adde quod nullus viribus proprijs uideri, vt posset primus auctor alijs enarrare quæ uiderat, & ibi commendatur auctor prædicationis euangelicæ. Quinto Unigenitus qui est in sinu Patris hæc enarrauit nobis; & notandum quod licet Deus sit infinitus, tamen continetur sub ente, quod est obiectum intellectus, ideo ex auxilio gratiæ potest intellectus eleuari ad uideandum Deum, Angelus uero licet sit finitus, non tamen uideri potest oculo corporeo, quia est extralitudinem obiecti ipsius oculi, ueluti neque sonus potest uideri. Deinde excusatur Chrysolomus qui explicandus est per alia loca, ubi negat Deum uideri. & addit exactè uel perfectè, quod idem est ac dicere Deum non comprehendi, uide Sixtum uenensem in Bibliotheca l. 6. annot. 182. & Durand. in 4. dist. 39.

CAPUT XXXIII.

Pœnitentia quæ in Ecclesia Catholica agitur, est Sacramentum a Christo Domino institutum.

A pud plurimos ex Orientalibus ignotum est pœnitentiæ Sacramentum, cuius fere nullus est usus, imo inter aliquas ex his nationibus nolunt relapsos à fidè admittere, ad absolutionem & reconciliationem cum Ecclesia, etiam pœnitentes, ut olim Nouariani, & Montanista hæretici faciebant. Probatum autem pœnitentiam quæ agitur in Ecclesia Catholica esse Sacramentum à Christo institutum.

Primo ex potestate quam Christus Dominus dedit Apostolis suis, & ipsorum successoribus, ad dimittendum uel remittendum peccata. Matth. 18. Ioan. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ista enim sine gratia Sacramenti fieri non possunt.

Secundo ex omnibus requisitis ad essentiam Sacramenti, etiam iuxta ipsorum hæreticorum placitum. Enumerant enim octo requisita ad perfectam

fectam rationem Sacramenti quæ ordine recensuimus. Primum est ut sit signum externum. Hoc in pœnitentiæ Sacramento sunt actus pœnitentijs, qui confitentur peccata sua, & Verba absolutionis. Ego te absoluo; hoc est, Remitto tibi peccata tua.

Alterum requiritum ut signum illud externum habeat mandatum à Deo. Tale habet pœnitentia ex Verbis Christi, Matth. 18. Ioan. 20.

Tertium, ut mandatum hoc sit in nouo Testamento. Etiam hoc certum est de Sacramento pœnitentiæ ut patet ex loco Ioan. citato & ex Paul. 2. Cor. 5. *Posuit in nobis uerbum reconciliationis, & pro Christo legatione fungimur.* Quorsum enim daret Christus Apostolis absoluendi potestatem, nisi etiam ut ea uterentur quando opus esset, iuberet?

Quartum, ut sit ritus perpetuus. Talis utique est pœnitentiæ Sacramentum, quod semper fuit, semperque durabit in Ecclesia usque ad finem mundi.

Quintum, ut signo illi addita sit promissio gratiæ Diuinæ. Et hoc manifestum hic est. Nam promissa peccatorum remissio magna est gratia. Ioan. 20.

Sextum, ut sit promissio gratiæ iustificantis. Talis maxime est in hoc Sacramento post acceptum Baptismum: cum sine eo non detur in Ecclesia remissio peccatorum.

Septimum, ut promissio illa gratiæ signo aliquo externo adiuncta & uestita sit. Hoc in primo requisito ostentum est.

Octauum, ut ea promissio gratiæ non tantum in genere annuncietur, sed etiam in particulari singulis applicetur. Et hoc quoque manifestè sit in Sacramento pœnitentiæ ubi singulis pœnitentibus legitime datur remissio peccatorum. Ex doctrina ergo adhuc hæreticorum sequitur, Pœnitentiam esse Sacramentum.

Deinde Testimonijs Patrum Græcorum. S. Ioan. Chrysostomus (inquit) solum cum uos regenerant. sed etiam postea condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. S. Cyrillus lib. 13. in Ioan. c. 56. Duobus modis dicit remitti peccata à Sacerdotibus, ut Dei ministris per Baptismum, & pœnitentiam. Theodoret. in Epitome diuinorum decretorum cap. de pœnitentia dicit: Sacrorum mysteriorum Baptismi, & Pœnitentiæ figuras fuisse in testamento ueteri ablutiones, & Sacrificia. Vbi non solum coniungit Theodoretus Pœnitentiam cum Baptismo, sed etiam utrumque, mysterium (quæ uoce Sacramenta nominari solent) appellat.

Tertio probatur ex fide & moribus totius Ecclesiæ Dei, quæ semper credidit & frequentauit hoc sacramentum inter alia septem: ut testantur Sacri Canones de pœnitentia 33. q. 3. Et omnes Theologi 4. Sentent. dist. 14. Quæ tandem omnia confirmantur auctoritate, & decretis SS. Conciliorum Florentini & Tridentini, illius in Institutione Armenorum huius iess. 14.

cap. 1. & can. 1. cuius verba sunt: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica penitentia non esse: verè & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties in peccata labuntur post Baptismum, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostra institutum; anathema sit.*

Hoc autem penitentia Sacramentum necessario requirit tres actus, penitentis nimirum veram contritionem, confessionem, & satisfactionem, quibus accedit ex parte Sacerdotis actus absolutionis, idque cõstat primo ex huius Sacramenti propria essentia. Nam ad ea saltem duo sunt necessaria, vt & in alijs Sacramentis: scilicet signum externum, & verbum probatum: illud materia, hoc formæ rationem habet. Materia in hoc Sacramento sunt actus penitentis: forma sunt verba Sacerdotis, dicentis, Ego te absoluo.

Actus porro penitentis ex natura rei debent esse tres: scilicet: Contritio seu dolor cordis de peccatis commissis; Confessio eorundem integra, ordinario Sacerdoti facta: & satisfactio pro peccatis temporarijs luen-dis ob peccata commissa, & dimissa: alioqui esset penitentia simulata, non vera.

Deinde probatur auctoritate omnium Theologorum lib. 4. Sent. dist. 16. quam confirmavit Concil. Florentinum in Decretis de Sacramentis. Et nouissimum S. Concil. Trident. sess. 14. can. 4. cuius hæc sunt Verba: *Si quis negauerit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in penitente, quasi materia penitentia, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem; quæ tres partes penitentia dicuntur: aut dixerit duas tantum esse penitentia partes, terrores scilicet incussos conscientia, agnito peccato, & si lem acceptam ab Euangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.*

CAPVT XXXIV.

Vnctio extrema verè est Sacramentum Ecclesiæ.

HÆc veritas etiam contra ipsos Orientales primo probatur ab auctoritate Scripturæ Sacre, Iacob. ca. 5. vbi Apostolus ex doctrina Christi, de cura infirmorum scribit: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Hæc verba omnes Sacri interpretes hæctenus de Sacramento Vnctionis extreme intellexerunt.

Secundo ex fide & obseruatione Ecclesiæ Dei, quæ à temporibus Apostolorum

stolorum hæctenus credidit & docuit esse septem Sacramenta. inter quæ etiam numeratur Vnctio extrema. Et semper in vsu fuit etiam Vnctionis hoc Sacramentum, vt ex sequentibus testimonijs clarescet.

Tertio ex testimonijs totius antiquitatis. Ita enim D. Augustinus ser. 215. de Temp. *Quoties aliqua infirmitas superuenerit. Corpus & sanguinem Christi ille qui aegrotat accipiat: & inde corpusculum suum unget: vt illud quod scriptum est impleatur in eo, infirmatur aliquis &c.*

Et lib. 2. de visit. Infirm. cap. 4. *Nec prætermittendum est illius Apost. Iacobi præceptum: infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Subiungit: *Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus: imo per Apostolum suum Dominus.*

Et D. Hieron. in cap. 14. Osee, ad verba: *Et erit quasi oliua gloria eius. San- Osee 14. tum virum inquit, & conuersum ad Dominum oliua fructifera comparat. quæ dicit in alio loco: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Cuius fructum sibi quinque sapientes Virgines parauerunt: ex quo vulnere mitigatur tumor, languentia membra quiescunt, in tenebris lumen accenditur, unguentur in agone certantes.*

Præterea D. Chrysostomus l. 3. de Sacerdotio cap. 6. *Non modo, inquit, dum nos Deo regerant, sed & postea condonandorum peccatorum habent potestatem. Infirmatur enim quis in vobis aduocet, &c. vt antea Iacob 5.*

Antiquior his Innocentius Papa 1. Epist. ad Decentium relata cap. II. *lud superfluum dist 95 statuit licere etiam Episcopo Vnctionis Sacramentum infirmis dit pensare: quod Iacobus Apostolus dumtaxat presbyterorum meminerit, ne oneraret hac cura Episcopos solos.*

In Concil. Niceno I. Canone 69 obiter fit mentio benedictionis olei Infirmorum.

In Concilio Cabilonensi quod habitum est sub Carolo Magno Can. 48. ita statutum legimus, *Secundum B. Apostoli Iacobi documentum cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicuntur à Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis &c. Non est itaque parui pendenda huiusmodi medicina qua anima & corporis medetur languoribus.*

Post hæc tempora celebratum est Concilium Florentinum, in quo institutio Armenorum facta est, quæ inter alia etiam continet doctrinam de septem Ecclesiæ Sacramentis.

Quarto probatur Catholica veritas rationibus euidentijs. Quarum prima, quod Vnctio hæc habeat signum exterius, & promissionem gratiæ & mandatum perpetuæ obseruationis, & destinatum ministrum. vt ex verbis Apost. Iacobi manifestè constat. At ista sunt essentialia Sacramenti cuiuslibet: itaque & Vnctio infirmorum de qua B. Iacobus loquitur est Sacramentum.

Alteratio est, ex necessitate huius Sacramenti; nam cum omnis homo

judicetur à Deo secundum statum in quo moriens inuenitur iuxta verba Dei Ezech. cap. 18. Hinc fit vt Diabolu si nullo alio tempore, certe sub agonem mortis ei omnium maxime insidietur vt ad desperationem vel aliud genus peccati eum pertrahat. & à Deo auertat. Facit ergo Sacramentum hoc, vt homo contra istiusmodi Diaboli machinationes muniatur, & securus emigrat.

Denique confirmantur hæc omnia decreto S. Concilij Tridentini sess. 14. in qua post explicatam doctrinã de hoc Sacramento, Can. 1. sic definitur ac statuit: *Si quis dixerit Extremam Vnctionem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum, & à B. Iacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

CAPVT XXXV.

De Confirmationis Sacramento.

Confirmationem Orietales non tam vt verum Sacramentum gratiã conferens quam vt ritum dumtaxat Institutionis puerorum qui baptizantur colere videntur. At Confirmationem esse verum Sacramentum à Christo Domino institutum probatur, Primo ex his quæ ad essentiam cuiuslibet Sacramenti pertinent: quorum tria sunt scilicet, primum signũ sensibile, secundũ promissio gratiæ, tertium mandatũ dispensationis seu vsus. Quæ omnia etiam in hoc Sacramento inueniuntur. Primum, Signum sensibile quo Apostoli hoc Sacramentũ acceperunt. fuit singulare. Vt in spiritu vehementi & linguis igneis Act. 2. Signum vero quo Apostoli hoc Sacramentum aliis dispensarunt fuit impositio manuum cũ oratione Act. 8. *Tũ imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum Sanctũ.* In qua impositione manuum etiam subintelligitur vnctio in fronte cum Chrismate vt testantur antiquissimi Doctores Ecclesiæ. Promissio gratiæ fuit cum Christus suis Apostolis promisit, missurum se eis Spiritum sanctum, Ioan. 14. & 16. Luc. vlt. *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto: & Act. 1. Accipietis virtutem Spiritus Sancti & eritis mihi testes, &c.* Hæc enim fuisse iustis factam promissionem & iam baptizatis vt fortiores euaderet in fide, nullus negabit. Deinde mandatũ dispensationis huius Sacramenti habemus ex factis Apostolorum. Ipsi enim Spiritũ Sanctũ dederunt credentibus, haud dubie iussu Christi, Act. 8. & 19. Quod ergo olim dictum est Sacramentum Impositionis manuum: postea dictum est sacramentum Confirmationis: mutato quidẽ nomine, sed manentibus signis exterioribus iisdem & verbis.

Secundo

Secundo probatur ex testimoniis antiquissimorum Doctorem Ecclesiæ. vt D. Ambrosij lib. 3. de Sacrament. ca. 2. vbi scribit: *Sequitur spiritualẽ signaculum: quia post fontem sequitur vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur.*

Et D. August. lib. 2. contra literas Petilianus cap. 104. *In hoc (ait) unguento Sacramentũ Chrismatis vult Petilianus interpretari: quod quidem in genere visibiliũ signaculorũ Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse in hominibus pessimis.*

Sic D. Hieronymus in Dialogo cõtra Luciferianos; postea quã hæreticis interrogantibus, vbi scriptum sit, *Episcopus, baptizatis per impositionẽ manũ dare Spiritũ Sanctum* responderet: *In Actibus Apostolorum: mox (subiungit) Sed etiam si Scriptura auctoritas nõ subesset totius orbis in hæc partẽ cõsensus instar præcepti obtineret.*

Et D. Gregorius Homil. 17. in Euang. sub fin. *Per nos (inquit) fideles ad sanctum Baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionẽ manũ nostrarum à Deo Spiritum Sanctum percipiunt: atque ipsi ad regnum celorum pertinent: & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus.* Rufus li. 3. epist. 9. *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos vngant pectore. vt Episcopi post modũ vngere debeant in fronte.*

Accedunt his alij multi Patres à Bellarmino citati Tomo 2. l. de Confirmat. cap. 6. Itemque ceteri qui de sacramentis ex professo tractant. Magister sentent. cum omnibus Theologis scholæ lib. 4. tent. dist. 7. D. Thom. part. 3. q. 72. Addantur & sacri Canones de Consecrat. dist. 5. et tit. de sacr. Vnct. 9. per frontis Chrismationem. aliorumque fumorum Pontificum, Conciliorumque decreta, quæ Bellar. libr. de Confirmat. recenser.

Tertio vilitatibus seu effectis huius sacramenti (Vt est corroboratio fidelium ad fidem Christi conseruandam, & ad eam profitendam publicè, quoties opus fuerit, etiam cum periculo facultatum & vitæ. Vt etiam est fortiter resistere insidijs ac tentationibus Diaboli quibus nos ad quauis peccata pertrahere molitur.) accedunt miracula per hoc sacramentũ olim ostensa quorũ aliqua recenser Bellarminus antea notato c. 6.

Confirmantur denique hæc omnia autoritate & Decreto S. Concilij Tridentini, cuius sess. 7. de hoc Sacramento Confirmationis Can. 1. Verba hæc sunt: *Si quis dixerit confirmationem Baptizatorum, otiosam ceremoniam esse & non potius verum & propriũ sacramentum aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesim quamdam qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem corã Ecclesia imponebant, anathema sit.*

Et Can. 2. *Si quis dixerit iniurios esse Spiritui sancto eos qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuant, anathema sit.*

Denique Can. 4. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinariũ ministrum non solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*

M m m 2

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Matrimonium non posse dissolui propter adulterium.

Marci 10.

NVlli Christianorum licitum est, vt Orientales falso existimant, & ex Græcis aliqui, dimissa vxore adulterij, vel alterius rei causa aliam ducere. Hoc aperte docuit Christus Dominus Marci cap. 10. cum ait: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Ita quoque apud Lucam Christus loquitur: *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit mœchatur? & qui dimissam à viro duxerit mœchatur.* Luc. 16. E quibus verbis necessario sequitur, Si vxor non est dimittenda nisi ob fornicationem iuxta mandatum Christi Matth. 5 & dimittens vxorem suam non potest alteram ducere, Ergo nullatenus possunt disiuncti ad alias nuptias transire.

Luc. 16.

Præterea si nemini licet dimissam ducere in vxorem, oportet eam esse adhuc ligatam vinculo prioris mariti: alioqui non potest ratio inueniri, cur pœnitens facti, non possit alteri nubere.

Ad hæc Apost. Paulus vult dimissam viro suo reconciliare. At si vir alteram vxorem duceret, non esset amplius locus reconciliationis cū priorre. Vnde idem Apost. docet mulierem alligatā esse legi Matrimonij quāto tempore vir eius viuuit. Vicissim ergo & maritus alligatus erit legi isti, quanto tempore vxor eius viuuit, 1. Corinth. 7.

Secundo ex autoritate & obseruatione totius Ecclesiæ Dei. Nam à temporibus Apostolorum vsque in hodiernum diem non legitur permissum dimittentibus vxores suas ob adulterium aut alias causas, vt ducerent alteras, viuentibus adhuc dimissis iuxta cap. Gaudemus de diuortijs, & multa alia cap. 32. q. 7.

Tertio ex euidentijs rationibus. Quarum prima à mystica significatione matrimonij. Nam vt antea ostentum est, Matrimonium significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, quæ est indissolubilis. Itaque & matrimonij vinculum erit indissolubile.

Ratio 2. à contrario absurdo. Si enim Matrimonij Vinculum per adulterium dissolueretur, vtrique coniugi liceret ad alteras nuptias transire. Ita multi ex industria adulterium committerent, vt à priori coniuge liberati, alijs nobilioribus, locupletioribus magisque dilectis coniungi possent. Vel multi mariti ob aliarum desiderium, suos vxores
etiam

etiam innocentes adulterij accusarent. Quod & D. Hieron. cap. 19. in Matth. annotauit.

Ratio 3. ex occasione dissidiorum inter veros parentes, & nō veros si in eodem loco habitarent. Naturalis enim amor filiorum non potest extinguui. Vera quippe mater dimissa non poterit obliuisci filiorum suorum: ideoque nisi nouerca noua ducta à suo marito eos foueat, ac tractet vti ipsa voluerit, erit occasio iurgiorum, querelarum, & accusationum multarum. Grauiora autem pericula timenda forent, si parens verus dimissus sit, & vxor eius nubat alteri, qui fit vitricus filiorū. Et sanè nemo impedire poterit, quin filij sæpe accurrant ad veram matrem, aut verum patrem, si à nouerca, aut vitrico durius tractentur.

Ratio 4. ex publica inhonestate: Quid enim inhonestius quam vocare nouercam matrem filiorum, matre vera adhuc viuente? aut vitricum patrem, quanto tempore verus pater viuuit?

Confirmantur denique hæc omnia Decreto S. Concilij Tridentini sess. 24. Can 7 cuius verba sunt: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet iuxta Euangelium & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, Matrimonij vinculum non posse dissolui: & vtrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge viuente, aliud Matrimonium contrahere: Mœcharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit: & eam qua dimisso adultero alij nupserit, Anathema sit.*

Ac demum Matrimonij vinculum esse indissolubile etiam in casu fornicationis alterius coniugis, magno consensu affirmant veteres Patres, vt Iustinus in Apologia ad Antoninum. Euaristus epistola 2 Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. Hieronymus in cap. 19. Matthei, Augustinus, Ambrosius in c. 16. Lucæ. Innocentius 1. epistola 3. ad Exuperium. & communiter interpretes in cap. 7. 1. ad Corinth & in cap. 10. Marci. & in cap. 19. Matthei.

Neque veritati Catholicae obstat locus ille Matthei 19. *Quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchabitur, ex quo colligunt licitum esse diuortium ob fornicationem; nam respondetur apud Mattheum Christum exceptionem illam (nisi ob fornicationem) non ideo fecisse, vt indicaret Matrimonium fore cum alio licitum, quando propter fornicationē primus cōiunx dimittitur: sed vt indicaret nō fore dimissionē illicitā cum sit propter fornicationem. Vnde cū Christus dicit, *Quicumque dimiserit, nisi ob fornicationem, subaudire debemus peccat, & illicitè facit dimittendo. Quod vero sequitur, & aliam ducit; & qui dimissam duxerit, mœchatur, vniuersaliter, de omni qui dimittit siue propter, siue præter causam fornicationis accipiendum id est. Ita SS. Patres cōmuniter eam Christi sententiā intellexerūt, neq; Christus tale diuortium approbauit**

probavit in casu fornicationis alterius coniugis, quale erat illud de quo Iudæi interrogabant, vtrum esset licitum quacunque ex causa. Quinimo illū Iudæorum errorē coarguere Christus voluit responsione sua, quod existimarent tale aliquod diuortium propter aliquam omnino causam liberum esse (saltem per se spectata lege diuina) in quo nō dimitteretur vxor, sed alia etiam duceretur. Contra Christus generatim dicit, illud diuortium adulterium esse secundum legem diuinam.

Neque vero nouum hoc est, vt cum quis respondet, non modo respondeat directe ad id, de quo interrogatur, sed etiam corrigat errorem qui supponitur in interrogatione. Ita igitur in proposito: cum Iudæi putarēt sibi licere aut etiam per se, & ex ordinaria lege sine peculiari dispensatione, esse licitum tale diuortium, in quo dimitteretur vxor, & alia duceretur; ac eo errore supposito tantum interrogarent de causis propter quas id facere liceret; Christus responsione sua duo facit. Nam primo remouet eum errorem quem ea interrogatio supponebat, affirmatque tale diuortium adulterium esse, idque confirmat ibi ex lege diuina lata in prima institutione coniugij. Deinde simul etiam respondens ad ipsam formam interrogationis docet, licitum diuortium, id est, dimissionem in perpetuum, absque eo quod alia ducatur, solum habere vnam causam, nimirū fornicationem.

CAPVT XXXVII.

Legem veterem omnino esse iam abrogatam.

ERror fuit olim veterum Hæreticorum legem veterem non cessasse, sed perpetuo seruandam vna cum noua; iā Cherintus teste Epiphano hæresi 28 Augustino hæresi 8. & Ebion teste Ireneo li. i. c. 6. sunt Eubionij & Nazaræi teste Augustino hæresi 9. & Epiphano hæresi 18. Huic etiam errori adhærent hodie aliqui ex orientalibus, vt ex superioribus satis constat aperte. Hos tamen omnes errores redarguit Paulus scribens Galatis, qui eodem errore fuerant infecti, dicens: Prius autem quā veniret fides sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pedagagus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides iam non sumus sub pedagogo. Et iterum de duobus testamentis loquens sub figura duorum filiorum Abrahamæ, ait: sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, prosequeretur eum qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Hęc ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio libera. Itaque

que fratres non sumus ancillæ filij sed libera, qua libertate Christus nos liberauit. Ecce Paulus aperte testatur eijciendam esse legem veterem, quæ tāquam ancilla fuit legis Euangelicæ. Et rursum in eadem Epistola: Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Eua-
Gal. 5.
 cuati estis à Christo qui in lege iustificamini. Agraria excidistis, Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium sed fides quæ per Charitatem operatur. Et in Epistola ad Hebræos de eadem re disputans ait: Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticū
Heb. 7.
 erat (populus enim sub ipso legem accepit) adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem, & non secundum Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est vt & legis translatio fiat. Et iterum: Reprobatio quidem fit precedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deū. Demum de hac re ab ipsis Apostolis in vnum congregatis, in illo celeberrimo Hierosolymitano Concilio data est definitio: quoniam (vt Apostolica refert historia) quidam descendentes de iudæa, docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundū legem Moysi, nō potestis saluari. Surrexerant enim quidam de hæresi Pharisæorū, qui crediderunt, & dicebant oportere circumcidi, & seruare reliqua omnia quæ Moyses in lege præceperat. Ob quam doctrinam facta est non modica seditio, resistentibus assertioni huic Paulo & Barnaba. Propter quod apostoli & seniores conuenerunt Hierosolymā, vt de hac re definirent. Habitaque matura, prout decebat, rei examinatione, protulerunt sententiam quam per epistolam suam miserunt his qui erant Antiochiæ: in hunc modum: Visum est enim Spiritui sancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quā hæc necessaria, vt abstinatis vos ab immolatis simulacrorū, & sanguine, & suffocatione à quibus custodientes vos bene ageatis. Hęc Conciliū Apostolorum. Quis erit ergo qui tā illustri Concilij definitioni repugnare audeat? Nullus certe nisi demens aut infidelis ille fuerit, & certe si lege Euangelica data adhuc oporteret obseruare legem veterem, contra eandem legem visus fuisset facere Deus qui talem in Leuitico condidit legem, sororem vxoristuz in pellicatum eius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente. Quæ quidem recte præcepta sunt, ne si forte aliquis simul vxori, & sorori illius iungeretur, inter simul habitantes excitaretur zelus, vnde contentio rixaque generata fuisset. Prius quidem synagogam sibi desponsauerat Deus: huiusmodi ror est Ecclesia, quam etiam Deus sibi coniungere optabat: verum vt nulla esset contentionis inter eas occasio, noluit secundam superducere viuente prima.

Deinde legem veterem cessasse in morte Christi Domini, conuenienter omnes Patres ij qui communiter exponunt illud dictum Christi Ioan. 19.

Consum-

Consummatum est, id est, absolutum est mysterium redemptionis, quatenus erat meritis Christi perficiendum, quo lex vetus inprimis, vt ad finem & terminum suum referebatur.

In cuius signum mortuo Christo velum templi scissum est, vt ea re significaretur totam summam legis veteris tunc adimpleri & antiquari. Et hoc est quod Theologi dicunt, legem veterem in morte Christi fuisse mortuam ac sepultam. An vero ab illo instanti fuerit mortifera, ita vt illius obseruatio esset obseruatibus mortifera cōtrouersia est inter doctos.

Pro qua oportet aduertere tria præceptorum genera in lege veteri cōtineri: quorum alia ad singulorum vitam & mores componendos & formandos pertinebant, & ideo moralia dicuntur. Alia vero ad Cæremonias & ritus eligionis, qua debitus Deo cultus, honor & veneratio deferretur, & vocantur cæremonialia præcepta. Alia denique spectabant ad bonam reipublicæ administrationem ciuilem, quibus humana ciuium salus, & pax ac tranquillitas conseruatur: & hæc iudicialia præcepta nominantur. Quo fit vt in sacris litteris sæpè hæc tria coniungantur: Præcepta Cæremonia, iudicia. Primum (vti diximus) ad mores refertur: secundum ad ritus & cæremonias sacrorum: tertium ad ciuilem populi gubernationem.

Iudicialia igitur præcepta, vt rectè D. Thomas docet 1. 2. q. 104. ar. 3. nõ fuere mortifera à morte Christi etiam si fuerint mortua quia non erant illa præcepta figuræ Christi venturi, nec referebantur principaliter ad significationem mysteriorum Christi, sicut & cæremonialia quæ vt fuerunt mortifera, vel à morte Christi, vel à promulgatione Sancti Euangelij, vt alij Patres volunt: Quia cum cæremonia illæ principaliter spectabant ad cultum illi populo conuenientem secundum significationem mysteriorum Christi venturi, quare post passionem Christi iam cultus ille cæremonialis erat falsus, quia iam Christus non expectabatur: ac ideo post mortem Christi cessasse de fide est. Præcepta vero moralia quæ ex lege naturæ deriuantur, seruari debent, non tamen quia in lege veteri fuerint præcepta, sed quia natura duce tenemur seruare.

Neque obstat quod Actorum 15. Apostoli iusserunt *abstinere à sanguine suffocato*: & addiderunt illud se oneris tantummodo inter alia necessaria velle imponere. Viguit igitur post Christi passionem illa cæremonia. Confirmatur quoniam in Concilio Gangrensi est multis annis post id decretum innouatum.

Respond. cum D. Tho. quæst. 103. art. 4. ad tertium, non fuisse id præceptum ad cultum, sed materialiter in alium finem, vt scilicet posset facilius ex Iudæis & gētibus vnus populus coalescere, si eo genere abstinentia sese gentiles cum Iudæis qui maximè à suffocato & sanguine abhorrebant,

rebant, in communi conuictu confirmarent. Ad confirmationem autem Respondet Sorus, tunc temporis etiam durauisse illam causam propter quam eodem respectu erat vtile ab ijs abstinere.

CAPVT XXXVIII.

De animæ rationalis productione.

ERrant deinde Orientales credentes, animas per traducem gigni ab animabus parentum, sicut corpora à corporibus, atque adeo ab Adami anima omnes propagari, quæ olim fuit Tertulliani sententia.

Stabilienda est contra hunc errorem veritas Catholica. Hæreticum est dicere Animam intellectiuam traduci cum semine: ita sentit D. Thom. 1. p. q. 114. art. 2. Probatum primo ex Sacra Scriptura quæ semper ascribit productionem animæ ipsi Deo, & non alteri, vt Genes 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. & factus est homo in anima viuente.* Et Iob 31. *Nunquid non in utero fecit me & formauit me in vulua vnus?* Hoc certe intelligi nõ potest de formatione hominis quoad corpus cum illud etiam formetur à parente per virtutem feminæ. Oportet igitur id intelligi de formatione hominis quoad animam, quam solus Deus creat. Et quamquam in Hebraico textu, hic locus non ita plane legatur, tamen paruipendi non potest autoritas vulgaræ editionis quam Ecclesia sanxit habendam esse pro authentica. Præterea P sal. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Et Zachar. 12. *Fingens spiritum hominis in eo.* Et Ecclesiast. 12. *Spiritus reuertatur ad Dominum qui dedit illum.* Et quamquam hæc fere testimonia per se sola non plane cōuincant, vt Augustin. epist. 28. de aliquibus huiusmodi testimoniis notat; tamen magnum habent pondus ob Ecclesiæ auctoritatem, quæ eam esse vim horum locorum Scripturæ intellexisse viderur.

Et ratione etiam conuincitur, quia nulla virtus actiua agit vltra suum genus; sed anima intellectiua excedit totum genus corporeæ naturæ, cum sit substantiæ spiritalis. Nulla igitur virtus corporea eius effectiõne valet attingere, atqui omnis actio seminalis facultatis est à virtute corporea, cum spectet ad potentiam vegetatricem corpori prorsus in hærentē. Ergo fieri non potest, vt animæ intellectiua virtute seminis deriuentur. Secundo, cum generatio alicuius est causa, cur aliquid sit; eius dissolutio causa item est, cur aliquid pereat; atqui dissolutio corporis non affert interitum animæ rationali: siquidem immortalis est: ergo neque corporis generatio erit ei causa, vt esse incipiat. at seminis traductio propria causa est generationis corporis, non igitur causa est generationis animæ. Tertio, omne

agens naturale, sicuti agit dependenter à materia, ita non producit nisi quod à materia dependet: sed anima rationalis non ita se habet: cum extra corpus coherere valeat. Non ergo anima rationalis ab agente naturali producitur, sed aliam habet originis suæ causam. Ob hæc & alia quæ antiquos Patres non latuerunt, D. Chrysostr. hom. 1. de incomprehensibili Dei natura: *Anima, inquit, inspirantur, corpora effigantur*: Et Procopius Cæzæus in Gen. 1. c. ad illa verba: *Hoc nunc os de officio meis. & caro de carne mea*, oraculum ait non dixisse, Et anima de anima mea, caro scilicet non gignit animam. Lege Gregorium Nyss. disputatione de anima & resurrectione.

Ex quo fit animam rationalem à Deo creari, quod hac ratione demonstrat D. Thomas lib. 2. contra gent. c. 87. Omnis substantia quæ producitur, aut generatur per se, aut per accidens; aut creatur. sed animæ rationales non generantur per se, cum non consistant ex materia & forma: neque per accidens, quia cum sint formæ corporum, oriuntur per eorum generationem ex virtute seminali, quod improbatum est: superest ergo ut per creationem esse accipiant. Huc spectat, quod cum animæ humanæ omnibus formis physicis naturæ dignitate præstent, sintque in suo esse subsistentes: oportet eas nobiliorem habere originem, & more aliarum substantiarum intellectualium per creationem produci.

Neque huic veritati obstat quod Genes. 2. dicitur *Deus requieuit ab omni opere, quod pararat*. Primum quia non dicitur Deus absolute requieuisse, sed requieuisse ab opere quod pararat videlicet illis primis sex diebus. Ut sit sensus, Deum mundi opificium absoluisse sex diebus, atque ita die septimo destituisse mundi machinam condere. Item, quia ut interpretatur D. Thom. lib. 2. contra gentes c. 84. & in 2. dist. 18. q. 2. art. 1 ad 7. Beatus Albertus Magnus in summa de homine q. 15. Istiusmodi quies Dei intelligenda est secundum cessationem à novis speciebus condendis non autem à novis individuis, quorum similia secundum speciem præcesserint. Quare cum omnes animæ intellectiue, omnesque homines sint vnius speciei, nihil repugnat prædictæ quieti Deum quotidie animas creare.

Illud tamen oportet advertere duas actiones Dei interuenire in animæ productione, prima qua Deus producit animam, & hanc ipse solus facit, sine interuentu causarum secundarum, eo modo quo creauit Angelos,

Altera etiam tunc actio Dei interuenit, ad vniendam animam corpori, & hanc cum agente naturali facit: quæ tamen ita intelligenda sunt, ut non prius tempore anima existat, quam vniatur corpori.

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCVRANDA.

LIBRI VII. PARS II.

CAPVT I.

De iuuandis Orientalibus.

Licet Orientis Ecclesiæ errores & clades innumeræ, quibus tot annis obruta permansit; illarum gentium ob sua peccata, obduratam iam habere frontem, & obstinatam mentem, & ideo à Deo Optimo Maximo derelictæ videantur: tamen nos animare debet ad meliora speranda is, apud quem non est impossibile omne verbum, qui quærentibus seriuò regnum Dei, eiusque gloriam, animarum lucra multa solet adjicere; atque ita hoc vltimo sæculo in remotissimis Indijs, ad ortum, occasum, & meridiem, deletis idolis tropæum Crucis passim excitauit, cum hæc mundi plaga, quæ vergit ad Orientem, restet, in qua necesse etiam sit Euangelium recte annuntiari, magnum in ea ostium aperiri posse orthodoxæ fidei experientia ostendit, si summi Ecclesiæ Patris longanimi ut ita dicam diligentia quâ potissimum tot alia regna iugo Christi fuere subiecta, negotium hoc promoueat.

Insudarunt olim summi Pontifices pro tuenda fide in Ecclesia Orientali, maximosque labores & pericula subiere, ac nostro etiam sæculo magnopere student Orientalibus nationibus opem ferre, auxiliumque in omnibus præstare: præcipuus tamen Gregorius XIII. dignus æterna memoria Pontifex, præter alios operarios, quos in Indias, in Angliam, Constantinopolim, aliatque orbis partes misit, etiã in Alexandriâ Aegypti, Syriâ, Palestinâ cum Libano monte Babyloniamque; aliquot destinauit, qui huius tractus nationes diuino verbo, & ipsorum sanguine, ac pijs etiam muneribus à Pontifice ipso missis, ad fidem, atque pietatem allicerent. Præcipuus in Orientem Legatus fuit Leonardus Episcopus Sidoniensis, & Apostolicus Nuntius, qui in Orientem, cum alijs etiam viris doctis & pijs (inter quos P. Io. Baptista Romanus, Societatis Iesu) à summo

Gregorij
XIII zelus
pro iuuandis
Orientalibus.

Leonardus
Episcopus Sidoniensis
Legatus in Orientem

Pontifice ad Patriarchas illos Orientales, ad aliosque Metropolitans & Episcopos, vestimenta sacerdotalia, argenteos calices, libros etiam aliquos lingua Arabica conscriptos, aliaque pretiosa dona deferentes, missi sunt; plurimique tam ex Patriarchis illius tractus, quam Episcopis, & Archimandritis fidei professionem, vnionemque cum Sancta Romana Ecclesia iam pridem retentam confirmarunt; alij de nouo emiserunt, & alij propter magna sibi pericula tam à Turcis, quam à falsis fratribus imminente fidei professionem oportuni tempore reseruarunt. Stant hodie in Bibliotheca Illustrissimi Domini Cardinalis de S. Seuerina, qui tunc totius Orientis protectione gaudebat, quamplurium Patriarcharum, aliorumque Episcoporum Orientalium fidei professiones Arabica lingua conscriptæ, eorum sigillis & subscriptionibus firmatæ, ac in Latinam etiam linguam traductæ. Et vt Gregorio XII. è viuis discedente huius missionis fructus consisterent, seminarium instituit, in quo pueri Orientalium, & Maronitarum excepti, in Catholica doctrina erudiantur, vt inde in patrias sedes reuersi suos docere possint, quæ ad cultum Christi pertinent, & in officio fidei continere. Quare postea Clemens VIII. post Gregorium XII. ad montem Libanum duos sacerdotes, (vt iam supra de Maronitis agentes latius scripsimus) è Patribus Iesuitis misit, vt certior fieret; num sumptus qui in Vrbe Seminario Maronitarum, & aliorum Orientalium fiunt, bene ponerentur; quæque spes aut restituendæ aut propagandæ religionis esset in Oriente.

Melles quidem in Oriente iam alba sunt ad metendum, solum superest, vt summi sanctæ Ecclesiæ Pontifices mittant falcem & huic negotio incumbant, præcipue vt nobis coniungantur: sed vt hoc fiat, non est opus vnus diei, aut legationis, sed & longanimitatis, & non intermissa perseverantia, & frequentissimis legationibus opus est, quæ omnia disponunt animos ad Catholicam fidem ritumque suscipiendos, quoad usque opus Dei perficiatur. Maximè vero oportet, vt Christianis in regionibus illis sub Turcarum ditione inopia alijsque calamitatibus oppressis succurratur: id enim præstitit Romani Pontifices ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad ætatem nostram, qui Christianorum Catholicorum inopia eleemosynis abundè subleuarent.

Huius rei testis est Epistola Dionysij Episcopi Corinthiorum vetustissimi ad Ecclesiam Romanam, in qua sic alloquitur Romanos: *Apud vos iam nos inuenerunt, ut omnes fratres varijs assueritis beneficijs, & Ecclesijs permultis, que in quaque ciuitate sunt, vta mitteretis subsidia. Sic plane nos solam egentium subleuatis inopiam, verum etiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem feritis: et que ita per ea beneficentia subsidia, que iam primis Ecclesiæ vestrae iactis fundentis passim mittere consueuistis, cum suis Romanis, Romanorum consuetudine seculi et*

seruatis; quam quidem certe Beatus Sother vester Episcopus, & hactenus custodiuistis diligenter, & valde suo propenso studio adauxit. Idque non modo opes in Sanctos reficiendos delegatas benignè subministrando, verum etiam fratres ad ipsum aduentantes, tanquam pater indulgens ac clemens in liberos beato ac pio sermone ad virtutem cohortando. Hæc Dionysius. Testatur porro Eusebius hanc consuetudinem *Euseb.*

(de qua Dionysius) Ecclesiæ Romanæ suo adhuc tempore maxime seruatum. Hinc Paulus Diaconus scribit à Symmacho Papa abundè missum, *Pauli Diaconus.* vnde se alere possent Episcopi Africani, qui suis eiectionibus in Sardinia exulabant. Liquet ex Epistolis Gregorij Magni, quantum Pontifici *Greg. Magn.* Romano semper curæ fuerit in singulis totius orbis regionibus egentes Catholicos subleuare vel benignè ijs facere. Ob id Romæ videmus esse cunctis nationibus vel remotissimis, hospitales aedes cum suis redditibus, excitatas ab antiquis temporibus ita vt neque Chaldæis sua domus, neque Indis & Aethiopibus desit: tot verò actantur sumptus à Pontificibus Romanis factos ac fieri indies ad inopiam subleuandam egentium.

Et cum longe sit certissimum Orientales nationes in summa penuria spiritualium instructionum versari, rationi quam consentaneum est, ac officio huius sanctæ Sedis incumbit, data occasione quam citissime operarios, qui non querant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, ad eas expedire. Cauendum tamen sedulo est, propter exploratores occultos, ne per Romanam diuulgetur rumorque spargatur, tales à Summo Pontifice, tanquam Reformatores, aut aliorum negotiorum expediendorum causa missos esse, sed secretò tanquam aliud acturi vadant.

Deinde omnium sibi gratiam conciliantes, sint etiam propenso in Orientales animo, non scrupulosi non ignari, nimiumve zelosi: in hoc enim casu minus inest mali peccato nimis dissimulationis, quam in altero extremo: dico in nimio zelo, hoc quippe plus damni quam vtilitatis causare posset: non oportet quemquam exasperare, nam casu quo Turca huiusmodi rei fieret conscius, seuerius aliquod edictum statueret, ita vt in perpetuum aditus præcluderetur Ecclesiæ conatibus, atque omnis spes præscinderetur: quamobrem cum omnibus quam humanissimè, & quoad fieri potest amicabiliter erit agendum.

Si cetera inter Ministros paria sint, omnibus præferendi erunt ex iisdem partibus oriundi, & Arabico idiomate vtentes, idque multas ob causas, & præsertim quia tanta non est Turcarum in eos suspicio, vel persecutio.

Proximè secundum hos conuenientissimi sunt huic Missioni Franci, quia benignius à Turcis recipiuntur, maximè habitis litteris à Rege Franciæ, aut ipsius Legato Constantinopoli residente. Post quos idonei etiam sunt qui Gallicam linguam callent, pro talibus enim haberentur, & à

Seminarium pro Orientalibus institutum.

Christianis inopia & tyrannide oppressis à S. S. conu. succurrendis. Dionysij Corinthi.

Quinam operarij & quo modo in Orientem mittendi.

Francis ibidem negotiantibus fauore afficerentur præcipuè virtute literarum à supradictis obtentarum.

Apti insuper sunt & alij. habito saluo conductu, seruatisque statutis, & ordinationibus Turcarum, modo in iis conditiones requisitæ illucescât.

Minori dispendio, fastidio, periculo, & suspitione mitti poterunt aliqui earundem Religionum ibidem habitantium, utpote S. Francisci, S. Dominici, Basilij, S. Benedicti, &c. dummodo apti reperiantur, eosinquam ex illis Monasteriis euocando, & transferendo per Generalem eorum, modo hunc, modo illum, sub aliquo prætextu, & honesto colore.

Expediens autem foret exhortari ad hanc rem Generales Religionum, aut Procuratores eorundem Romæ residentes, atque insuper exposcere Catalogum omnium Orientalium, quos curæ suæ subiectos habent, & quinam ex ijs vel pro præfenti, vel pro futuro huic functioni convenientes reperirentur, quod non ita nouum vel ab vsu alienum videbitur, si Martinum Quintum in memoriam reuocemus, qui totius orbis literatissimorum ac præstatiuum virorum nomina penes se in scriptis asseruabat.

Omnibus ad hanc functionem idoneis repertis, locus Romæ in propriis eorum Monasteriis assignandus esset: vt ibidem in rebus ad similem missionem necessariis instruerentur, docerentur ac penitus perfecti redderentur: & quidem vt alacrius se huic operi accingant, seruati zelo succendendi & inflammandi sunt, atque alij etiam spe quadam animandi, tanquam si foret probatio quædam ad maiora.

Præterea non minima difficultas est, & quæ Schismaticos Orientales forsitan magis in schismate detinet, quod Dioscorum aliosque Schismaticos antesignanos; quos Ecclesia Catholica hæreticos censet, ipsi vt viros sanctissimos colant, & tam in Missæ Sacrificio quàm alijs communibus precibus, solemniter inuocent: sicut & apud Moscouitas etiam contingit, qui, asserente Antonio Possuino in sua Moscouia, licet res planè fabulosa sit, corpora quorundam, qui Schismatici fuerunt, integra sese habere gloriantur per quos miracula frequenter edi, cæcis visum restitui, egrotos sanari constanter affirmant. Vt plurimi periculi res esse videatur, si quis illorum corporum eleuet præconceptam animis sanctitatem, aut quasi dubius quærat, num ij verè Sancti, Martyresque fuerint. Inter alios autem numerantur Cleba, & Boris, Petrus Metropolitæ, Alexius, quorum corpora extare aiunt Moscouæ. Hæc Possuinus. Vnde hodie Iacobitæ aliaque Orientalium nationes, vt legati à Greg. XIII. missi, experti asserant, facillimè summi Pontificis primatum agnoscebant, vnus naturæ in Christo errorem, aliosque similes non sine animi promptitudine confitebantur: at cum ventum fuisset, vt Dioscorum abiurarent, ita ægrè tulerunt, vt ob id potissimum legati re infecta reuenterentur.

Ant. Possu.

Non

Non minorem Orientales, sicut & Græci omnes arbitrantur difficultatem in recipiendo Calendario Romano emendato cuius emendatione renuît admittere: quare oportet vt operarij qui mittendi sunt. huius emendationis causas rationesque cognoscant, vt qui erudiendi sunt. capaces huius Sanctæ nouitatis fiant. De qua re videndi sunt Antonius Posseuin. in Refutatione aduersus Dauidem Chytræum, & Christophorus Clauius, qui librum hæc de re absolutissimum edidit Romæ. Quod si non facile se Romano Kalend. accommodauerint, ferendi sunt, dum in alijs substantiam Catholicæ fidei amplectantur.

Iuuandi sunt, & vrgendi Orientales ferè eisdem argumētis, quibus Græci ipsi, desumptis à supplicijs à Deo optimo Maximo illis postquam à Romana Ecclesia deticiere inflicti. Si enim respiciamus Aegyptum, ceterasque Asiæ prouincias, agitur annus fere millenimus, ex quo ille à nobis discesserūt, hæreticis Nestorio, Eutyche, Dioscoro, ac præcipuè Monobitis Ecclesiam perturbantibus, (vt cætera omittam) vix aliquis ex illis proferri poterit qui fuerit excellenti præditus doctrina: corruerunt enim in summa tam liberalium artium, quàm Theologiæ, ac caelestium disciplinarum fundamenta, ac ipsi in turpissimam prolapsi sunt ignorantiam.

Deinde operarij maximo studio curabūt, vt ex Christianis tã Græcis quàm Iacobitis, Armenis, Nestorianis, Coptis, alijsque nonnulli qui præstantiori polleant ingenio Romam mittantur linguarum, literarum, aliarumque scientiarum ediscendarum gratia: quos Romæ benignissimè recipiendos admonebunt, Græcos in Collegio Græco & alios in Collegio nationum vltimarinarum, ac ibi amicè tractandos, & educandos: & quod amplius est cum conseruatione rituum ipsorum, vt nimirum postquam bene instructi fuerint, & eruditi ad vtilitatem, ac emolumentum earundem nationum, in suam singuli patriam reuertantur. Illud autem maximè aduertendum vt sint bonæ indolis adolescentes, bonisque moribus imbuti, apti dociles, atque ingenij perspicacis, quique principia quædam linguarum habeant, & ætatis sint conuenientis, Græci videlicet à duodecimo anno ætatis vsque decimum quintum vel decimum sextum ad summum: aliarum vero nationum à duodecimo, vsque ad decimum octauum annum aut vigesimū, qui cum transmittendi fuerint, securè & mercatorio more diligenti cura nauibus committantur.

Curabunt deinde libros aliquos Græco, Arabico, Chaldæo vel alijs illarum nationum linguis conscriptos secum portare. profesiones etiam sanctæ fidei, non solum Latino idiomate, sed in lingua Græca, Arabica, Chaldæa: doctrinam quoque Christianam lingua Illyrica & caractere Italico: quæ & alia similia opera Romæ typis excusâ facillè inuenientur.

CAPVT

CAPVT II.

Instructiones alię pro iuuandis Orientalibus.

Guardianus vna cum Religiosis familię Franciscanę Hierosolymis degentibus, citra dubium plura præstare possent, quę ad summam Dei gloriam haud exiguum sanctę Romanę Ecclesię obsequium, atque omnium propè Orientalium spirituale profectum, & animarũ salutem cedant.

Cum in Dominico Sepulchro immorentur Religiosi diuersarum septem nationũ schismatis labe infecti, & sunt, Gręci Georgiani, Abyssini, Armeni. Iacobitę Cophci, Suriani, Maronitę: operę pretium erit, hos in primis omni studio & industria ad veram sanctę Ecclesię vnionem reducere, quibus post veluti aptissimis instrumentis, eorundem pariter nationes in viam rectam dirigantur.

Sicuti omnes isti Religiosi vitę auctoritate elucet, idcirco Religiosi Latini, eisdem probatoris ac sanctioris vitę exemplo præcellere cõtendēt, quo maioris faciant sanctam Romanam Ecclesiam, cuius hi partes agunt, vt similiter alios sincero viuendi modo ad vitę melioris frugem & auitę Religionis normam pertrahant: præbunt autem illos tum in virtutibus, tum vel maximè in seruitio, & cultu diuino.

Denique vt facilius animi eorum concilientur, operę pretium erit, quã optimè erga illos affici, cum omni honoris respectu, & obsequiorum prompta exhibitione: vt congerant carbones ignis super capita eorum.

Maioris ergo profectus gratia, Religiosi discretione, prudētia, & humanitate cęteris præstantiores, faciliorsque ingenij seligendi, quibus Guardianus cum aliarum nationum Religiosis, communicationem persuadeat ea ratione, vt cuius nationi vnus pluresque deputentur.

Modus verè agendi cum ipsis erit eiusmodi, vt nimirum captata eorundem beneuolentia, etiam ritibus ipsorum præposteris non nihil conuiueatur, bona autem illorum opera haud mediocri existimatione censeantur, D. Pauli Apostoli instar ad Corinthios scribentis. Accedet insuper omnis diligentia, qua & eorum opiniones aduertantur, & rerum temporalium, spiritualiumque status ijs nationibus proprius cantè eliciatur, & conditiones tum naturales, tum morales perdiscantur, atque, vt verbo absoluam, vt præcipuo studio cuiusuis nationis status & mores plene, quo ad fieri licebit, comprehendantur. Quę vt rectius ac maiori cum fructu

Modus agendi cum schismaticis.

fructu peragantur, necessarium erit, quemque Religiosorum in id opus incumbentium, sedula lectione auctores de natione scribentes, quam quilibet ad sentētiam saniorē perducere molitur, ante euoluisse, verum ante singula, ipsimet errores errorumque fundamenta, integręque historię penitus introspectendę, sine quibus vix, aut ne vix quidem vllus poterit expectari profectus.

Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanã probare ac indulgere, vt quęuis Ecclesia proprijs adhæreat ritibus ac ceremonijs, quippe cum Schismatici propriorum rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorũ ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet & auertat, oportune laborandum vt se in proprijs ceremonijs insectandis conseruandos esse persuadeantur.

Exemplis deinde ac historijs antiquis primitiuę Ecclesię, sanctorumque Patrum præteritorum temporum, ijs aperienda auctoritas, ac summi Pontificis in præsentiarum vsque continuata potestas explananda: quodque calamitates vniuersę, Tyrannorum furor, ac quęuis persecutionum procellę in Ecclesiam Catholicam insurgentes Pontificum obedientia suppressę hactenus semper euauerint.

In emendandis vero ipsorum erroribus, cū leniter, tum modestè procedendum, ne scilicet apertè nimis conuincantur, vel acerbius urgeantur, sed suauiter reprehensionibus, rationibus & auctoritatibus addatur subinde, vt sic facilius eorum mentes ac responsiones percipiantur. Quare opus esse duxerim, antiquiorum SS. Patrum & Doctorum prænosse nomina, nempe qui in cuiusuis nationis maiorem existimationem cadunt, vt doctrinarum eorundem habita notitia, inde argumenta sumantur, lenius tamen omni disputationis acerbitate seclusa: nationes enim istę, & præsertim Religiosi suorum rituum, & sectarum tenacissimi ac in erroribus pertinaces, salutis suę studiosos, præstigias sibi imponere velle falso augurantur. Vterius etiam, de pluribus simul erroribus non sunt coarguendi, sed de vno, deinde altero, ijsque euidentioribus & nullatenus tolerandis: plura namque, quantumuis nihil decoris aut venustatis habeant, apud eos tamen ferenda erunt.

Maronitis sanctę Romanę Ecclesię vnitis congratulandum, & in fide sanctę Romanę Ecclesię confirmandi. Verum cum creditu sit facile, complures eorum antiquis erroribus adhuc nuncium non remisisse, opera promenda, quò iisdem reiectis Catholicę veritatis reddantur capaces.

Georgiani quoque, & his ad respicientiam procliuios Armeni summa cura familiari tamen tractu, ad Ecclesię Romanę vnionem inuitadi. Aethiopes autem & Abyssini, ad Catholicorum ritus, summi que Pontificis

Maronita.

Georgiani.
Armeni.
Aethiopes.
Abyssini.

tificis recognitionem, velut capitis sui, suapte sponte magnopere aspirantes, propter Nicæni tamen Concilij dispositionem dubij, quo cautum fuit in Ecclesiæ patriarchalis distributione, Aethiophiam Alexandrinæ subdij Ecclesiæ, à cuius Patriarcha, Abunam quendam sic nuncupatum, schismatis semper labe infectum; assignatum sibi agnoscerent Patriarcham: diligentissime, & haud vulgari prudentia erunt dilucidandi, ostendendum, que, duos haberi Alexandriæ Patriarchas, Græcum alterum, alterum Coptum, eodemque fundamento schismatis, quo Græcum Patriarcham rejiciunt, simili itidem errore Coptum inquinatum, nusquam ut Patriarcham debere circumplecti. Insuper cum vterque, & Græcus & Coptus, Turcarum dominio subsit, idcirco summus Pontifex eos hucusque ab erroribus quibus contaminantur pro libitu vendicare nequiuit. Accedit, quòd cum ob schisma falso Patriarcharum nomine insigniti sint, Ecclesia Romana semper Alexandrinæ de vero, Catholico insignique eruditione exulto Patriarcha prouidet, quem, ubi Nicæni Concilij decreta ritè sequantur, pro vero Patriarcha Alexandrino, Romæ ob Alexandriam à Turcis interceptam residente, & ob Alexandrinum ibidem Patriarcham schismate notatum, recipere tenentur.

Vltimo tandem, quicquid in dictis nationibus, Catholicæ fidei, dilationis & incrementi accesserit, totum plene & sincerè, sanctæ Apostolicæ fedi transcribatur, quæ, quid vltèrius factò opus fuerit, maturè decernere & statuere valeat.

CAPVT III.

De quibus præcipuè tam in fide, quàm in moribus interrogandi & instruendi videantur Christiani Orientales, qui volunt profiteri Sanctam fidem Catholicam, seu redire ad vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & detestari ac abiurare errores & hæreses, plus minúsve pro prudentia Theologi interrogantis.

DE Deo & eius vnitatem.

De Trinitate personarum.

An in personis detur maioritas aliqua vel æqualitas.

De Patris paternitate, de Filij filiatione, & Spiritus Sancti processione, seu spiratione.

An filius sit coæternus, coessentialis, & per omnia coequalis Patri.

De Spiritu Sancto, An sit coæternus, coequalis & coessentialis Patri & Filio.

De Spiritu Sancto. A quo procedat, an à Patre tantum, vel à Patre & Filio. an ab vno vel pluribus principijs.

Quæ persona fuerit incarnata.

De Christi Incarnatione.

De eius naturis. an vna, an plures.

Item de voluntatibus & operationibus Christi, an vna, an plures.

Quid sentiat de illa natura. quam dicunt aliqui Orientales resultare ex duabus. & sic de vna voluntate & operatione.

De libris Canonicis sacræ Scripturæ qui, & quot.

De Sacris Generalibus Concilijs. & quid vniquodque eorum dānauit.

De Concilio ephesino, & Chalcedonensi quid sentiat.

Quid item de S. Leone Papa primo.

An Beata Virgo Maria mater Domini nostri Iesu Christi, dicenda sit Dei genitrix, seu mater Dei.

De Hymno Trisagio quomodo dicatur, An in fine ei addatur, Qui crucifixus est pro nobis miserere nobis.

Quid sentiat de Nestorio olim Constantinopolitano Episcopo.

Quid de Dioscoro olim Episcopo Alexandrino, & Eutyche olim Presbytero Constantinopolitano, & Seuero olim Episcopo Antiocheno.

Quid item de Cyro olim Alexandrino, & de Sergio Pyrrho, Petro, & Paulo olim Constantinopolitanis: & Macario olim Antiocheno Episcopo, & aliis similibus hæresiarcho & hæreticis in Sacris Ephesina prima, & Chalcedonensi quinta & sexta Synodis & in Concilio Romano sub S. Martino Papa primo, & aliis generalibus Concilijs damnatis: quos interrogans non vocet, aut dicat tales esse, ne pudorem incutiat interrogatis, aut eos retrahat à veritatis confessione.

De aliis Oecumenicis & generalibus Concilijs auctoritate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confirmatis, & præcipue de Florentino.

De sacramentis & eorum numero.

Quid vnumquodque eorum contineat.

De effectu de materia, de forma, ministro, & intentione ea tradentis, & suscipientis.

Specialiter verò de Baptismo paruulorum, & quot dies nati baptizentur.

De sacramento Confirmationis & quæ sit materia, & quomodo consecratur, & à quo & quando renouetur Chrisma & an quotannis.

De Ministro an solus Episcopus.

De forma.

De Sacramento Ordinis, quot Ordines habeantur, qui item Sacri.

De tempore & modo ordinandi.

De aetate ordinandorum.

In Missa quæ sint verba Consecrationis corporis & sanguinis Christi.

An apud suos in azymo vel fermentato panis offeratur.

An cum vino misceatur aqua.

Quid sentiat de offerentibus in azymis.

De Communione Clericorum, aut Presbyterorum non celebrantium, & populi & an sub vtraque specie.

De forma cuiuslibet Ordinis.

De Simonia, præcipuè de iis qui pecuniis aut conuentione aut alio humano studio, & fauore ordinantur in Diaconos, Presbyteros, eliguntur aut confirmantur in Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas respectiuè.

Quam auctoritatem accipiant in Ecclesias ad quas ordinantur à Tyranno Turcarum, vel Persarum, aut alio Principe infideli.

De Matrimonio, an apud eos sit Sacramentum.

Cuius ætatis esse debeant, qui illud contrahunt, ac quibus ritibus vel ceremoniis.

An inter consanguineos & affines, vel quoto gradu.

An admittant repudium, vel diuortium.

An viuente prima vxore aliquo casu aliam ducere apud eos liceat, & contra viuente primo marito alteri copulari.

An altero coniugum in captiuitate vel seruitute detecto alteri nuptiis alijs iungi liceat.

De peccato Originali quid credat aut sentiat, & an animæ creetur à Deo.

An quis saluari possit extra fidem mediatoris Dei & hominis Christi Iesu, & quid de ijs qui sunt modò in lege naturæ.

De peccatis mortalibus.

De peccatis voluntatis, quæ non transeunt in actum exteriorem, an sint mortalia.

De Sacramento Pœnitentiæ.

De peccatorum Confessione Sacramentali, & quoties fiat.

Quæ peccata sint confitenda.

Quæ pœnitentiæ vel satisfactiones apud suos imponantur.

De absolutione à peccatis, & eius forma.

De Indulgentijs.

De Sacramento extremæ Vnctionis, seu Vnctionis infirmorum, an apud eos habeatur.

De materia, forma, & vsu.

An sint facienda suffragia pro defunctis & quæ.

An animæ decedentium ex hac vita indigeant purgatione aliqua, & quorum.

De Purgatorio & loco purgationis animarum huiusmodi.

An modò animæ Sanctorum & iustorum fruuntur beatitudine, & animæ malorum puniantur in inferno, an vero expectetur resurrectio corporum, & Iudicium vniuersale.

De inuocatione Beatæ Genitricis Mariæ, & Sanctorum.

De cultu sanctarum Imaginum Domini nostri Iesu Christi, B. Mariæ Deiparæ, & Sanctorum.

De lege veteri eiusque Ceremonijs, an cessauerint, quæ & quando.

De festiuitatibus quas habent, & illarum tempore.

De Ieiunijs quæ obseruant & illorum tempore.

CAPVT IV.

Breuis orthodoxæ fidei professio, quæ ex præscripto Sanctæ sedis Apostolicæ ab Orientalibus, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ vnitatem venientibus facienda præponitur.

COrde credo, & ore confiteor, quod vnus est Deus, verus, omnipotēs, *Hæc formulâ professionis fides adducit Baron. 6. tom. in fine.* incommutabilis, incomprehensibilis, ineffabilis, & æternus Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, vnus in essentia, trinus in personis, Pater ingenuitus, Filius à solo Patre genitus, Spiritus Sanctus à Patre Filioque æternaliter procedens, non sicut à duobus principiis, aut duabus spirationibus, sed ab vtroque tanquam ab vno principio & vnica spiratione. Pater non est Filius, aut Spiritus Sanctus: Filius non est Pater, aut Spiritus Sanctus; spiritus Sanctus non est Pater, aut Filius, sed Pater tantum pater est, Filius tantum Filius est, & Spiritus Sanctus tantum Spiritus Sanctus est. Nullus alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate, sed absque initio semper est, & sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens; consubstantiales, coæquales, coomnipotēs, & coæterni. Hæ tres personæ sunt vnus Deus non tres Dij, vna essentia, vna substantia, vna immensitas, vnum principium,

pium. vnus creator visibilium omnium, & inuisibilium, corporalium, & spiritualium. qui quando voluit vniuersas condidit creaturas sua bonitate, quas & valde bonas voluit. Et ideo reprobo, & anathematizo omnes hæreses, & hæreticos sentientes & docentes contraria.

Firmiter etiam credo, & profiteor, quod vnigenitus Dei Filius Patri contubstantialis semper cum Patre, & spiritu sancto existens in plenitudine temporis, quam diuinæ misericordiæ consilium inscrutabile disposuit, vt nos à peccato Adæ, ac ceterarum culparum nostrarum torribus mundaret, & à morte, & inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato vtero beatissimæ Mariæ semper virginis, veram, & integram hominis naturam assumpsit. corpus videlicet, & animam rationalem in vnitæ personæ diuinæ, tanta vnitæ, vt vnus & idem Christus sit Deus, & homo Dei filius, & hominis filius: ita quod vna natura non confunditur cum altera, nec vna transit in alteram, nec vna miscetur alteri nec altera euanescit. sed in persona omnino vna sunt duæ perfectæ nature, diuina scilicet & humana, saluis earundem naturarum proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita vt Christus sit tantum vnus. Et sicut formam serui Dei forma non ademit. ita formam Dei serui forma non minuit. Qui enim verus Deus est, idem verus est homo: Deus per id quod in principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Homo per id quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: Deus per id quod de quinque panibus quinque millia hominum satiauit quod Samaritanæ aquam salientem in vitam æternam promissit, quod Lazarum quatruiduanum à mortuis resuscitauit: Homo per id quod esuriuit, sitiuit, fatigatus est, & in ligno crucis clavis affixus est: vnus, & idem secundum diuinitatem. equalis æterno Patri, immortalis, impassibilis, secundum verò humanitatem minor Patre, mortalis, & passibilis.

Insuper firmiter credo, & prædico eundem Dei filium incarnatum, verè natum esse ex Maria semper virgine, & ideo ipsam virginem fateor veram Dei matrem, atque genitricem: item verè passum, verè mortuum, & sepultum, verè cum anima descendisse ad inferos ad liberandas animas Sanctorum Patrum, quæ in limbo derinebantur, alligato insatiabili homicida, subinde ex mortuis verè resurrexisse, & per quadraginta dies Apostolos docuisse de regno Dei. mox quæ ad cælos ascendisse, sedere quæ ad dexteram Patris, & venturum esse in fine sæculorum ad iudicandos viuos & morruos.

Credo & profiteor nullum vnquam hominem ex semine Adæ conceptum, & natum fuisse saluatum. aut fore saluandum, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum Domini nostri Iesu Christi, in sanguine, & morte ipsius, quâ nos reconciliauit æterno Patri, & deleuit chirographum iniquitatum

iniquitatum nostrarum æterna redemptione inuenta.

Item firmiter credo legalia omnia veteris I estamenti, seu Moisaicæ legis. quia Christum figurabant, licet diuino cultui illa ætate congruerent, ipso adueniente cessasse & iam promulgato Euangelio seruari non posse siue interitui salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcissionis, Sabbathi, ciborum ea lege prohibitorum, reliquorumque legalium obseruatores alienos a fide denuncio, & salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant. ab his enim omnibus liberauit nos Christus. & septem nouæ legis Sacramenta instituit, quæ veneror, credo, & profiteor, vnum Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, & extremam Vnctionem; quæ omnia ea dignè fumentibus virtute Pæssionis eiusdem D. N. Iesu Christi gratiam conferunt. Ista septem Sacramenta perficiuntur tribus, verbis videlicet & rebus, ac ministro; verbis vt forma; rebus, vt materia; ministro qui facere intendat, quod facit Ecclesia.

Recipio insuper quicquid de ipsidem Sacramentis Sancta, & Catholica Ecclesia Romana docet & prædicat.

Credo, quod si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissorum, & omissorum pœnis satisfecerint, coram diuina iustitia eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari, vt quæ à pœnis huiusmodi releuentur, prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificium, orationes, & elemosynas, ac alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiã quæ post perpetrati peccati maculam (vt dictum est) purgatæ sunt, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius: illorum verò animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere. pœnis tamen disparibus perpetuò puniendas.

Firmiter etiam teneo, & credo symbolum fidei à trecentis decem & octo Patribus in Concilio Nicæno, & à centum & quinquaginta in Concilio Constantinopolitano traditum, ac semper in Ecclesia vsque modo inuiolatè custoditum, videlicet:

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, & in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis

nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedes ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & uiuificantem, qui ex Patre Filioq; procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas; & unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & uitam uenturi seculi. Amen.

Confiteor, teneo, & prædico unum eundemq; Deum ueteris & noui Testamenti, hoc est legis & Prophetarum, atque Euangelij auctorem esse, quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti sancti locuti sunt. Itaque suscipio omnes libros Canonicos, quos suscipit sacrosancta Romana, & Catholica Ecclesia. Sunt uero infrascripti: Testamenti ueteris, quinque Moyse, id est *Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium*, deinde *Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ I. & 2. qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum 150. psalterium, Parabola, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores, id est Ozeas, Iosel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaorum I. & 2. Testamenti noui, quatuor Euangelia secundum *Matthæum, Marcum, Lucam & Iouanem Actus Apostolorum, à Luca Euangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas: ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thesalonicensis, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apostoli duæ, Iouannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudæ Apostoli una, & Apocalypsis Iouannis Apostoli.**

Item amplector, suscipio, & approbo sacrosanctam synodum Nicenam primam, trecentorum decem, & octo Patrum, & profiteor & sequor quicquid illa decreuit, & reprobo & damno quicquid illa damnauit: & maxime impiam hæresim Arianorum cum ipso auctore Ario, qui affirmare ausus est filium Dei non esse ab æterno ab ipsa Patris substantia genitum, sed ex tempore, atque ex nihilo procreatum.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Constantinopolitanam primam, centum & quinquaginta Patrum, & credo quicquid illa decreuit, & reprobo quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Macedonij cum ipso auctore, qui affirmare ausus est Spiritum Sanctum non esse Patri & Filio coæternum, & consubstantialem, atque ideo nec esse Deum, sed creaturam.

Item amplector, suscipio, & approbo sacram Synodum Ephesinam primam, ducentorum Patrum, & credo quicquid illa decreuit, & reprobo quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Nestorianorum

cum

cum suo auctore Nestorio, qui duas personas in Christo constituens assererat non esse à Verbo Dei carnem assumptam in unitate personæ sed per solam inhabitationem instar templi sanctificatam, & Christum non esse dicendum Deum incarnatum, sed hominem Deiferum, nec beatam Mariam eius genitricem dicendam esse Deiparam, sed Christiparam.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Chalcedonensem sexcentorum triginta Patrum, quartam in ordine uniuersalium Synodorum, & credo ac sequor quicquid illa decreuit, & reprobo ac damno quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Eutychetis, & Dioscori Alexandrini cum ipsis auctoribus, qui affirmare ausi sunt, non esse in Christo post unionem Verbi cū carne duas integras, perfectas, inconfusas, & impermixtas naturas cum unitate hypostasis siue personæ. & reprobo secundam Synodum Ephesinam, immo potius latrocinium, quod factione eiusdem Dioscori occiso beato Flauiano Episcopo Constantinopolitano, legatis summæ Romani Pontificis fugatis, & Episcopis cæteris terrore armorum ad assentiendum compulsis, Eutychianam hæresim impiè confirmauit.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Constantinopolitanam secundam, centum sexaginta quinque Patrum, quintam in ordine uniuersalium synodorum, & credo quicquid illa decreuit, & reprobo quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Petri, Antimi, Seueri, & aliorum, qui existimantes ipsam diuinam naturam trium personarum diuinarum pro nobis crucifixam, Trisagio uerba, Qui crucifixus est pro nobis, addebant.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Constantinopolitanam tertiam, ducentorum octuaginta nouem Patrum, sextam in eodem ordine, & credo quicquid illa decreuit, & reprobo quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Sergij, Pyrrhi, Pauli, Petri, Cyri, Macarij, ac Theodori, qui unam tantum in Christo uoluntatem, & operationem stantes, unam quoque dumtaxat naturam cum Eutychianis asserere conabantur.

Item amplector, suscipio, & approbo Synodum Nicenam secundam, trecentorum quinquaginta Patrum, septimam in eodem ordine, & credo quicquid illa decreuit, & reprobo quicquid illa reprobauit: & maxime impiam hæresim Iconoclastarum, qui uenerandas Christi & Sanctorum imagines tanquam si idola gentium essent, è templis auferendas, & flammis absumendas esse dicebant.

Item amplector, suscipio, & approbo sanctam Synodum Florentinam amplius quam centum & quadraginta Patrum, & credo quicquid illa decreuit de processione Spiritus Sancti, à Patre, & Filio, de consecra-

tione panis azymi, vel fermentati, de purgatorio, de beatitudine animarum, de primatu summi Romani Pontificis, nec non de sacramentis, & libris Canonicis, & reprobo, ac damno quicquid illa reprobauit, & damnauit.

Præterea amplector, suscipio, & approbo quæcunque alia Concilia, quæ recipit, & approbat sacrosancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, & maximè sanctam OEcumenicam generalem synodum Tridentinam nouissime celebratam, ac damno & reprobo omnes hereses, & auctores earundem, quos & quas reprobat, & damnat dicta Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, nec non quicquid illa tenet, & docet cum omni deuotione, & reuerentia suscipio & amplector. Illos quoque Doctores, & Sanctos Patres, quos eadem Romana Ecclesia approbat, reuerenter suscipio. Teneo, & confiteor sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesie esse caput & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse: Cuius Ecclesie vnitatem tanti faciendi esse affirmo, vt nullos extra eandem Ecclesiam Catholicam existentes æternæ vitæ participes fieri posse confitear.

Insuper promitto, me tanquam obedientiæ filium ordinationibus, præceptis, censuris, ac iussionibus sanctissimi Domini nostri N. diuina providentia Papæ & successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, & Sedi Apostolicæ semper, & fideliter obtemperaturum.

Hanc veram Catholicam fidem, quam in præsentī sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissime Deo adiuuante retinere ac confiteri spondeo, voueo ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia. Ego N. &c.

CAPVT

Interrogationes aliquot factæ suæ Sæcricitati à Reuerendissimo Patriarcha Maronitarum super fide, & ritibus Catholicis; manifestandæ in Synodo celebranda circa festum Paschatis anno 1578.

De Baptismo. §. I.

Quæntum ad Sacramentum Baptismatis. Primò, nos benedicimus & consecramus aquam quoties volumus baptizare, non autem consecramus in Sabbatho Sancto secundum ritum Ecclesie Romanæ. Secundo, Non simul baptizamus masculos & feminas, credentes hoc pacto affinitatem contrahi. Tertiò, Ordo etiam Baptismatis nostri diuersus est ab Ecclesia Romana, quamquam forma sit eadem. Quarto, Item quia gens nationis nostræ habitat mixta Schismaticis, hinc quædoque fit vt nostrorum filij ipsorum ritu baptizentur.

Responsio.

Ad primum, Laudabile est benedici fontem baptismi in Sabbatho Sancto, idque paulatim in Ecclesiam Maronitarum esset introducendum: quia, vt patet de Consecratione Dist. 4. antiquissimus fuit omnium Ecclesiarum vsus ab Apostolis acceptus, in Paschate & in Pentecoste conferre baptismum: in Paschate præcipue quia proprie (inquit Leo Papa Can. Proprie, eo tit.) in morte Crucifixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismi nouam creaturam condidit ex veteri, vt in renascentibus & mors Christi operetur & vita: dicente Apostolo: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem vt quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Hæc ille. Imò Siricius Papa (ibidem Can. Nō ratione) temeritatis arguit Claraconesem Episcopum, quod extra hæc duo tempora adultis essent attribura, qui nunc raro veniunt ad baptismum, decet tamen retinere consuetudinem sub ipsum Pascha benedicendi fontem baptismi, & sine vilo scandalo videtur id introduci posse apud Maronitas.

Ad secundum, Huiusmodi affinitas nulla est, cum veteres canones (30. 4. 3. can. Pyætatum, & lib. 6. de cognatione spirituali,) non aliam agnos-

scant affinitatem ex baptismo, nisi paternitatem, compaternitatem, & fraternitatem, quæ sit inter regeneratum & liberos tum regenerantis, tum susceptoris. Imò Tridentinum Concilium sess. 24. c. 2. statuit vt inter susceptores, & baptizatum, & illius patrem & matrem: nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum spiritalis cognatio contrahatur.

Ad tertium, Cum Florentinum Concilium suas Græcis cæremonias reliquerit, possent & suæ permitti Maronitis in Baptismo: dummodo per viros doctos ab omni superstitionis, aut erroris specie expurgentur.

Ad quartum Licet permittendum non sit, vt Catholicorum filij à Schismaticis baptizentur, valet tamen eorum baptisus: (vt habetur de Consecratione dist. 4. can. Si non sanctificatur can. Romanos can. A quodam Iudæo & in Concil. Florentino in vnione Armenorum.) si tamen debita forma & materia adhibita sint, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, dummodo non intendat baptizans profiteri vel inducere suum errorem & hæresim, addendo formæ aliqua verba orthodoxæ fidei repugnantia. Quapropter seruandum est quod statuitur in Concilio Arelatensi relato de consecratione dist. 4. can. de Arrianis, vt videlicet ab hæreticis baptizati interrogentur, qua forma fuerint baptizati: nam si constabit ritè baptizatos, nihil agendum est: si irritè, simpliciter rebaptizentur; si probabiliter dubitetur, sub conditione baptizentur.

De Chrismate. §. 2.

Quantum ad Sacramentum Confirmationis attinet. Primò, Quia chrisma nostrum hocce anno præsentis antiquo ritu consecrauimus, offenderetur populus noster, si ex propria mea auctoritate id ipsum igne absumerem; idem dico de chrismate, quod Diuina fauente gratia hocce die Iouis Sancto secundum ritum Ecclesiæ Romanæ & Pontificis sum consecraturus, quod seruatum velim pro aliquo anno, eandem ob causam: insuper non ita facile hic reperitur balsamum. In posterum chrismate sancto pueros ungemus circa annum ætatis eorundem octauum: scire etiam aueo quid statuendum sit circa nostrates, antiquo nostro ritu chrismate inunctos, idque à Sacerdote, & tempore baptismi.

Responsio.

Ad primum, Per hæc initia liberandi à chrismatis annua combustio: ne ob populorum offensionem, & inopiam balsami, modò moneatur vt pedetentim studeant hortari populos ad recipiendum hunc Ecclesiæ Romanæ ritum, de quo Fabianus Papa Martyr de consecr. dist. 3. can. Litteris; feuerè scribit Episcopis orientalibus in hæc verba: *Litteris vestris*

inuenimus quosdam religionis vestra Episcopos à vestro nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in cæna Domini chrisma consecrere. Errant vero qui talia excogitant, & mente vesana potius quam recta sentientes hoc facere audent. Sicut enim ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius chrismatis sancti confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus est tradenda: quia nouum Sacramentum est, & per singulos annos in iam dicta die inuandum, & vetus in Sanctis Ecclesiis est cremandum.

Ad secundum Concilium, Aurelianense (relatum de consecr. dist. 5. can. Vt ieiuni,) sancire videtur, ne ante vsum rationis pueri chrismetur: Sic enim ait, vt ieiuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis: vt moneantur confessionem facere prius, &c. nec immeritò. hac enim de causâ dum quis confirmatur, alapa ceditur, vt admoneatur quemadmodum iuxta verbum, Euangelicum ante Reges & Præsides flagella pro fide æquanimiter ferre debeat, & mortem: pueri autem ante vsum rationis tam ad pugnam quam ad huiusmodi cæremonias inepti sunt. Cæterum quoniam id solo Ecclesiæ vsum tenetur, non male sentit Dominicus Sotus in 4. Sent. dist. 7. q. vnica art. 8. si aliquibus nationibus vsus esset confirmare infantes, retineri posset, cum id etiam factarit Ecclesia primitiua, vt ex Dionysij 2. cap. Ecclesiastica hierarchie colligitur.

Ad idem secundum. Sacramentum à presbytero collatum irritum est, vt ait Eusebius Papa de Consecr. Dist. 5. can. Manus: id quod Innocentius primus, epistola ad Eugubinum Episcopum cap. 3. docet, non solum consuetudine Ecclesiastica demonstrari, sed etiam actis Apostolicis, quæ afferunt Petrum, & Ioannem esse missos, qui baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Tamen, vt Florentinum Concilium in vnione Armenorum docet, possit presbyter ex Papæ dispositione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregorius lib. 3. Regist. Epistola 26. quam dispensationem Apostolicam, quia Hierosolymitanæ Ecclesiæ collatam esse non legimus. idcirco si qui à presbyteris chrismati vellent iterum ab Episcopo chrismari, possent chrismari, cum cæteris verò qui sine scandalo eius rei nequeant admoneri, dit simulandum est, cum non sit Sacramentum necessarium salutis.

De Eucharistia. §. 3.

DE sanctissimo Sacramento vero Missæ, Primo, Nos Missam celebramus in solo azymo, laici verò nostri sub vtraque specie communiant. Secundo neque pluries quam semel vno eodemque die, super eodè & vno altari celebramus. Tertio, itidè apud nos mos obtinet, quod vno Sacerdote celebrante Missam, quotquot alij præsentés sunt Presbyteri, habitu tamen dicentium Missam carentes, neque etiam consecrantes,

Dummodo seruatur forma, licet videatur diuersa in eorum annotationis, dicitur enim ibi Baptizatur agnus de grege christi in nomine Patris & Spiritus Sancti.

Seruetur in consecratione Ecclesiæ Romanæ ritus, & quoad annuam cõ-

structionem, si sine scandalo commode fieri possit

Seruetur cõsuetudo mos præfignanda est ætas, videlicet non ante vsum rationis.

Ensb. Pont. Innoc. Pont.

(communicantes tamen) omni onere atque obligatione tam pro viuis, quam defunctis, eleemosynisque eam ob causam acceptis Missam celebrandi, absoluti, & satisfecisse cententur. Quarto, Diebus verò Ieiunij circa vesperam, imò quandoque exacto die solemus Missam celebrare. Quinto, Communicantibus autem administratur particula de ipsamet hostia maiori sub qua celebratur, etiam si magnus foret communicantium numerus, sub hisce verbis Christi: *Benedixit, fregit, dedit que, &c.* Sexto Timore infidelium non afferuatur Sacramentum Eucharistiæ, neque vbi praefirmis conseruatur, lampas vlla accensa præpenditur.

Responsio.

Ad primum, Si volūt in azymis consecrare, non videntur prohibendi, laici verò à communione sub vtraque specie pedetentim arcendi sunt, cum id tanti faciat Tridentina Synodus sess. 21. Totus enim Christus sub vna specie continetur, & in vsu calicis magnum est periculum effusionis.

Ad secundum, Nō peccatur sæpius vna die in eodem altari celebrando, tamen si ea consuetudo mala non sit.

Ad tertium, Non satisfaciunt eleemosynis pro Missa collatis, nisi qui sigillatim ritè celebrant, & consecrant: tamen si dissimulandum non est, quod asserunt Paludanus in 4. dist. 45 q. 2. D. Antoninus parte 1. tit. x. cap. 2. §. 4. & Silu. Ver. *Missæ* 1. x. videlicet sacerdotem posse vna Missa satisfacere multis, quibus Missam promisit ob acceptas diuersas eleemosynas, si ipsi id sciunt, vel scire tenentur, quia scienti & volenti non fit iniuria. Hęc illi. Quę sententia quia probabilis est, tolerari posset mos sacerdotum Maronitarum si inter se conueniant, vt Missa, quę in communi dicitur aut legitur à multis applicetur, ijs qui eleemosynas contulerunt, cum ipsis ea consuetudo sacerdotum perspecta iam sit, vt probabile est.

Ad quartum, Huiusmodi mos mutandus non videtur, nam antiquus fuit in Ecclesia cum Concilium Cabilonense relatum de consecr. dist. 1. can. Solent præcipiat, in ieiuniis quatuor temporum circa vespertinas horas; in Sabbatho vero Sancto circa noctis initium Missarum solemnia celebrari. Id quod licet iam diu Latinis Ecclesia remiserit, nostræ consulens imbecillitati, tamen vbi seruari potest, non modò tollendum non videtur, sed collaudandum etiam, quo diutius protrahatur ieiunantibus hora comedendi, quam non nisi vespertinam olim fuisse tota Quadragesima, idem Concilium declarat: quæ consuetudo ad tempus vsque D. Thomæ Aquinatis ferè perdurauit, quia, vt ipse testatur 2. 2. q. 147. art. 7. suo tempore ieiunabatur vsque ad horam nonam, quæ, vt ibidem annotat Caiet. est hora tertia

D Thom
Caietan.

post

post meridiem, vt nempe ieiunantes Christo compaterentur vsque ad horam nonam, qua exspirauit. Qua item hora, quia peractum est cruentum sacrificium, non indecore in eandem horam defertur incruentum.

Ad quintum, Non damnandus videtur is ritus, si non ex superstitione fiat, sed ex pio affectu in ea Euangelij verba, *Benedixit, fregit, dedit que.*

Ad sextum, Seruetur quod in ipsorum Synodo 12. constitutione decernitur, & quod necessitas iubet.

Et dicitur
do talis con-
suetudo sit
antiqua.

De Confessione. §. 4.

Quod ad Confessionem attinet. Primo, Ob raritatem Sacerdotum peritorum, singulis terris & oppidis, villisque proprio Pastori constitutendo non sufficit eorum numerus; hinc ad diuersa loca diuersi Sacerdotes confessiones excepturi mittuntur, sic vt ouilia Pastore priuata quandoque remanere cogantur. Secundo, Et quia hæc auctoritatè à Sancta sede Apostolica mihi particulariter concessam ignoro, etiam me later quousque in alios eadem extendenda sit. Quapropter Sanctitas Vestra hæc in re mihi limites præscribere non dedignetur. Tertio, Insuper informatum me velim Breui Sanctitatis Vestræ, quod & alijs ostendere possem, num antiquæ pænitentia obseruanda sint, num verò arbitrariæ imponenda.

Responsio.

Ad primum, Propter magnam ex priorum Pastorum in suis Ecclesijs residentia vtilitatem, grauisimè in Sacris Canonibus, & Tridentino Concilio commendatam, magnopere conandum esset, vt quoad eius fieri poterit, proprij Pastores singulis paroccijs oppidifve deputentur. Et per hæc iniuriam summo Pontifici supplicandum esset, vt aliquos eò Sacramentorum idoneos ministros mitteret, qui & præsentem Ministrorum paucitatem subleuant, & alios subinde alerent ac docerent, qui sibi deinceps succederent.

Horietur ub
Ecclesia Ro-
mana con-
mendo in-
stituatur
seruetur.

Ad secundum, Huic Patriarchæ concedenda videntur præscorum Patriarcharum priuilegia, quæ habentur de priuilegijs & excessibus priuilegiarum cap. Antiqua, cum expositione Doctorum: nec deneganda facultas absoluedi ab omnibus censuris & casibus propter molestiam transmarinæ nauigationis euitandam: atque hæc concessio, quò fuerit amplior, eò minus ipsis videbitur laboriosus & grauis, nouus ad Ecclesiæ Romanam reditus ac subiectio.

Seruetur
eorum con-
suetudo.

Ad tertium, Arbitrariæ pænitentia concedenda videntur, commendanda tamen antiqua, & ad eas populus suauiter inducendus, cum experiamur, rigidarum pænarum relaxatio ad quantum licentiæ in peccando

Quod dicitur
que videntur
prout neces-
sitas postulat

Chri-

Christianum populum deditur: dummodo illorum antiquæ penitus
recogantur: & si oportuerit, expurgentur.

De Matrimonio §. 5.

Quantum ad Matrimonium attinet. Primo. Gens nostra nationis
duci non potest ad intelligendum, illicitam esse repudiamen-
etiam in adulterio perpetratum; quas ita repudiaras nuptias matrimonio
alloctari posse existimant quare, &c. Secundo. Qualiter cum vniuersis
sexus hominibus taliter repudiaris, postmodumque de nouo matrimo-
nio copulatis, sit disponendum. Tertio, Et num eorum proles legitima
sit, & in Clerum admittenda nec ne. Quarto. Itē creimus viros ad quar-
tas nuptias, feminasque ad eadem non esse admittendos. Quinto, Iidem
num licitum sit Christianis cum Schismaticis matrimonium contrahere
(quod prohi dolo saepe fit) aut non. Sexto, Scire etiam desidero, quom-
que mihi liceat circa matrimonium dispensare. Septimo, De impedimento
publicæ honestatis non cognoscimus, quod tamen quandoque incurritur,
desidero que cum talibus dispensari. Octauo, Credimus etiam il-
licitum esse patrem & filium cum matre & filia, duosve fratres cum du-
bus sororibus matrimonio posse copulari.

Responsio.

Ad primum. Constat diuortio ob fornicationem habito, matrimonij
vinculum non solui, sed quia affirmat Patriarcha id esse rationi in-
credibile videri. per commodum esse hanc Catholicam veniorem illis
promulgare certissimis scripturarum Patrumque auctoritatibus & ra-
tionibus communitam.

1. Cor. 7.

Ad secundum, Quia prioris matrimonij vinculum adhuc durat, facien-
dum est, quod Apostolus præcipit 1. Cor. 7. *Præcipio vos ego sed Omnia, car-
rem à viro non discedere. quia si discesserit manere iniqua, aut viro suo reconciliari.*
Separandum itaque est secundum matrimonium, & redeundum ad pri-
mum, si ambo coniuges viuunt: alioquin manere possunt cum ijs, quibus
iam iuncti sunt, dummodo de uo sponte contrahant: perinde ac si nihil
ante contraxissent.

Non viden-
tur alia de
claratione
indagare.

Ad tertium. Liberi ex huiusmodi matrimonijs que vera putabatur,
cum non essent suscepti vt in clerum recipi possint, auctoritate Apo-
lica legitimi declarentur. Cum legitimi filij in iure censentur esse
matrimonio, quod vel legitimum erat, vel legitimum putabatur, vt
ligitur ex c. cum inter, & ex c. Extensore qui fil. sint legit.

D. Hieron.

Ad quartum, Hic usus est contra illud Hieronymi §. 1. q. 1. can.
riant; Non damnos, inquit, bigamos, imo nec trigamos, est si licet potest o-
infra:

Infra: Egonunc voce proclamo libera, nō damnari in Ecclesia bigamiam, nec trigamiam,
& ita licere quinto & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito rectè nubere. Hæc
ille: & ratio in promptu est, quia ex nuptiis quotiescunque repetitis exi-
stunt & bonum prolis, & remedium concupiscentiæ. Catholicè itaque
non sentit qui id licere negat.

Ad quintum, Non licet contrahere cum Schismaticis & hæreticis, cum
id prohibeatur 28. q. 1. Can. caue ex D. Ambr. can. Non oportet, ex Conc.
Agathensi. Item Concilio Chalcedonensi can. 13. Hoc tamen impedimen-
tum non dirimit contractum: tenet enim Matrimonium ratione chara-
cteris baptismalis ex D. Thoma quarto dist. 39. q. 1. art. 1. ad quintum &
communi sententia Doctorum, quoad habitationem tamen separandi
essent, si fidei periculum Catholicis immineret, cap. Quasiuit. de diuort.

Ad sextum, Idem videtur dicendum quod supra ad secundum de Con-
fessione.

Ita utroque
causæ uentur
antiqua Pa-
triarchæ cō-
suetudo.

Ad septimum, Libera est summo Pontifici dispensatio in hoc impedi-
mento, cum nihil habeat diuini iuris.

Ad octauum, Putandū non est nō licere contrahere duos fratres simul
cum duabus sororibus, aut patrem cum matre & vnus filium cum filiā
alterius. Affinitas enim non est in cognatos contrahentium; sed inter vnū
contrahentem, & cognatos alterius contrahentis, ex c. Quod super his de
consang. & affin.

De Ordine. §. 6.

Quantum ad Sacramentum Ordinis attinet. Primò, in nostro Ponti-
ficali conferuntur ordines sine forma per modum preceationis, dicē-
do Vt eligas hunc in Diaconum Presbyterum. Et si quid in hoc sit dubij
nobis insinuare dignemini, quanquam in posterum secundum Pontificale
Romanū, quod modo de nouo à Legatis Sanctitatis Vestre in linguā no-
stram vulgarem est traductum, illos conferemus. Secundo, Creamus in-
super pueros §. vel 6. annorum subdiaconos, sine obligatione legendi ho-
ras Canonicas. Tertio, Neque etiam confertur apud nos Diaconatus vel
Sacerdotalis dignitas, nisi his qui prius (contra tamen usum Ecclesiæ Ro-
manæ) cum virgine contraxerint; cum uida vel corrupta non item: qui-
bus tamen secundæ nuptiæ sunt interdictæ. Quarto, Dubium insuper
nobis est, an ijs qui ordinati sunt sine auctoritate vel litteris dimissoriali-
bus Patriarchæ, vel proprii Episcopi, in tali sint ordine, vel suspensi
vel irregulares, similiterque Episcopi sine ordine auctoritateque Pa-
triarchæ.

Responſio.

Ad primum, Poſthac iuxta Pontificalis Romani ritus habeantur ordinationes. Quæ verò antehac præter illud factæ ſunt, quales fuerint, iudicari certò non poteſt, niſi huc mittant illi ſuum Pontificale, vt eius ritibus & cæremonijs perſpectis facilius de re tota ſtatuatur.

Ad ſecundum, Sapienter Eccleſia (diſt. 77. & 78.) in ordinandis, non ſolum uſum rationis requirit: ſed perfectam magis, minus ve atatem pro ordinum varietate, idque tum ratione characteris, qui cū ſit poteſtas exercendi conferendique, quæ ad Dei cultum pertinent, tradi non debet, niſi in ea atate, quæ huius poteſtatis exercendæ ſit capax: cū ratione annexi voti caſtitaſis, quo nullus niſi ſciens & volens debet obſtringi. Itaque in ſexta Synodo Conſtantinopolitana can. 14. & 15. ſtatuitur, ne Diaconus ante 25. annum creetur, nec Subdiaconus ante 20. nec Presbyter ante 30. quæ tempora licet variè mutata ſint, inducendi tamen ſunt Maronitæ, vt Tridentini Concilij tempora obſeruent ſeſſ. 23. cap. 12. Dummodo intelligatur Ordines ante uſum rationis collatos valere ex communi ſententiâ Theologorum, in quarto Sent. diſt. 25. Tenentur etiam omnes ordinati ad horas Canonicas, ſaltem illi nationi conſuetas, & à viris doctis recognitas; non ſolum beneficiati, ſed etiam qui ſunt in ſacris ſine beneficio, ex D. Thoma 6. Quodlib. & in 4. diſt. 25. ex Panor. in c. 1. de celebr. Miſſ. ex Cardinale in Clem. 1. eo tit. & communi ſententia.

Ad tertium, Cum Stephanus Pàpa (diſt. 31. can. Aliter) tradat orientaliū veterem eſſe traditionē, vt eorum Sacerdotes matrimonio copulati ſint, cumque id illis nunquam interdixerit Eccleſia, nec videtur interdiciendū Maronitis: lex enim cœlibatus ſemper grauis viſa eſt Græcis, propterea coniugium permiſſum eſt illis. Sic enim ſcribit Clemens iij. c. Queſitum de pœnitent. & remiſſ. Sacerdotibus Græcis legitimo matrimonio licet vti. Et clarior Innocētius tertius c. Cum olim, de cler. coning. Orientalis Eccleſia voti continentie non admiſiſit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in ſacris vtuntur matrimonio iam contracto. Hæc illi. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad matrimonium non compellantur qui cœlibes eſſe vellent: ſed ad id potius piis hortationibus inducantur.

Ad quartum, Bene res ſe habet:

De Concilijs. §. 7.

DE ſacris vero Concilijs, nullam aliam notitiam habemus, quam de quatuor gradibus generalibus: hinc quid alia Concilia generalia circa conſuetudines innouarint vel abrogarint prorsus ignoramus, &c.

Reſponſio.

Reſponſio.

Quoniam quatuor tantum Concilia generalia habent, & poſtulant de reliquis edoceri, neceſſarium videtur ad tantæ rerum diuinarum ignorationi conſulendum, iuſſu Summi Põtificis ab aliquot Theologis colligi in libellum omnes Catholicas & Orthodoxas propoſitiones, ceteris Concilijs generalibus ſancitas, tamenſi Concilium Tridentinum totum poſſet ad eos mitti in Arabicam linguam conuertendum, idem de Catechiſmo ad Parochos.

*Quod cura-
bimus: Conci-
lium Triden-
tinum & Ca-
nones neceſ-
ſarios aliorū
Cõciliorū ad
ipſos in eorū
idioma
tranſmittere*

De varijs rebus. §. 8.

Quod ad diuerſas vero res alias attinet. Primo, Quæro quid ſtatuendum mihi erit circa certum populum diœceſis noſtræ vulgariter Bianchi nominatum, metu tributorum ſeu mortis, Mahometicæ legis ritus externos obeuntem, qui tamen noſtro ritu baptizatur & ieiunat, cõfeſſionem, ſacramque communionem maximè exoptans. Secundo, Item num modus noſter ieiunandi ſit validus, qui ſic inſtituitur vt toto die in ieiunio tranſacto, veſperi tamen interruptam cœnam in dormiendi vſque tempus protrahamus. Tertio, Cauetur inſuper exactiſſime, ne mulieribus menſtruum patientibus ſacra Synaxis, vel oleum Sanctum adminiſtrentur, multoque minus in Eccleſiam intromittantur. Quarto, Lapides altarium noſtrorum Sacri oleo chriſmatis vncti ſunt, non adhibitis ſacris Sanctorum reliquijs, ſuper quibus num rectè celebretur nec ne. Quinto, Ornatus itidem Eccleſiarum noſtrarum, velaminaque alba altarium bõbycina ſunt, propter lini penuriam. Sexto, Præterea cum Pontificale Romanum ſtatuat iubeatque ſingulos Episcopos vltimarios omni triennio Romam venire de Eccleſiarum ipſorum ſtatu depoſituros, num & noſtri ad idem teneantur nec ne, ſufficiatque propter itineris difficultates Turcarumque pericula, quempiam eorum nomine delegare.

Reſponſio.

Ad primum, D. Thom. & Caiet. 2. 2. q. 3. docent aliud eſſe occultare ſuam fidem in Chriſtum, aliud profiteri religionem falſam. Illud nõ ſemper malum, non enim neceſſaria cõfeſſio fidei, niſi cum interrogamur, vel vrget neceſſitas proximorum vel ſcandalum, &c. Hoc vero nõquam licet nec verbo, nec facto, cum vtroque modo Chriſtus æquè negatur, etiamſi corde credatur. Inde qui in tormentis Chriſtum negant, quãuis animo fidem retineant, damnantur x. 1. q. 3. can. Exiſtimat, à Hieronymo

*D. Thom.
Caiet.*

Constitutiones aliquot dandæ in Synodo
Prouinciali Reuerendissimi Patriar-
chæ Maronitarum. §. 9.

Prima, vt in posterum inter nationem nostram nec in Ecclesia nec ex-
tra dicatur cum Triflagione, *Quando crucifixus es, vel Quando mortuus es,*
vel Quando resurrexisti, &c. sed solum in hunc modum: *sanctus deus, s. fortis,*
s. immortalis, miserere nobis: extra verò Triflagionem dici poterit in piam
commemorationem Passionis Christi.

Secunda, in posterum tam masculi quam feminae octidui baptizentur,
neque post baptismationem communicent aut chrismetur, qualiter ha-
ctenus fieri solitum est: chrismæ tamen inungantur, idque super capite
post baptismum, qualiter consuevit Ecclesia Romana.

Tertia, singulis annis, die Iouis sancto consecretur chrisma cum reli-
quis oleis sanctis, & vetus exuratur coram venerabili Sacramento, nec
alia adhibeatur materia præter oleum oliuarum, & balsamum, cum con-
secratione & ordine secundum ritum Ecclesie Romanæ.

Quarta, Sacramentum Confirmationis pueris octauum agentibus annis
conferatur, idque in fronte à Patriarcha, vel Episcopis conformiter Ec-
clesie Romanæ, non autem à Sacerdotibus cum baptismo, vti hæctenus
consueuerunt.

Quinta, sanctum Eucharistie Sacramentum in posterum non admini-
stretur, nisi vsum rationis habentibus, vt nimirum dignè sumatur secun-
dum S. Pauli Apostoli admonitionem, vsumque & mādatum Sanctæ Ec-
clesie Romanæ.

Sexta, insuper quia (vt notum vobis est) inter tot schismaticas natio-
nes habitamus, nostri illorum libris mixti sunt, summis etiam cum erro-
ribus contra Romanam Ecclesiam; hinc nobis perplacet, Si RR. Patres à
V. Sanct. missi ad nos, libros nostros examinent, bonos seligentes, su-
spectosque comburentes, qualiter in nostro Monasterio sancto de Canu-
bir facere cæperunt; quod si præstemus Sanctissimus Papa noster promissit
se Biblia, aliosque multos libros vtiles, & catholicos, secundum vsum Ro-
manæ Ecclesie imprimi curaturum. quapropter quotiescunque hæc de
causa requisiti fueritis, nullos libros eorum conspectui subtrahatis.

Septima, ceterum vt fides pura, & obedientia sincera inter nostras na-
tiones, erga sanctam Catholicam Ecclesiam Romanam conseruetur,
quoties inter nos nouus Patriarcha eligitur, subito oratores ad Sanctitatem
suam pro confirmatione eiusdem delegentur; qualiter fecere antecessores
nostri

mo can. Non solum, ab Augustino can. Nolite, à Chrysofomo: & credere
id licere pertinet ad hæresim Elcefaitarum; de quibus Euseb. lib. 6. ca. 28.
Contra quos Origenes in Psal. 82. scribit: Quia corde creditur ad iustitiam,
ore autem confessio fit ad salutem: qui negauerit me coram hominibus,
negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Ex quo patet hos
populos Alborum in statu damnationis esse, si metu tributorum seu mortis
vel obeunt externos ritus Mahometicæ legis vel, habitum aliquem ge-
runt per se institutum ad eam profitendam, vt disertè Caiet. ibidem Sylu.
Ver. fides §. 5. aliisque.

Ad secundum, Conandum est, vt Ieiunium non multis interruptis cõ-
nectionibus fiat, sed vnica tantum, id enim ecclesiastico ieiunio necessa-
rium esse asserit D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 6. & Theologi reliqui in 4.
dist. 25.

Ad tertium, Mens ruatis nec Eucharistia, nec oleum sanctum, nec Ec-
clesie ingressus inhibendus, nisi ipse ex deuotione abstineat. Sic enim de
iis D. Greg. Augustino Anglorum Episcopo scribit dist. 5. can. Ad eius:
Mulier, dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet:
quia ei natura superflua in culpam reputari non debet, & pro hoc quod inuita pa-
titur, iniustum est, vt Ecclesie ingressu priuetur. Nouimus namque quod mulier, qua
fluxum sanguinis patiebatur, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti eius
simbriam tetigit: atque ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis
posita laudabiliter potuit vestimentum Domini tangere: cur etiam qua menstrua pa-
titur sanguinis, ei non liceat Ecclesiam intrare? Si enim ea bene præsumpsit, qua ve-
stimentum Domini in languore posita tetigit, quod vni persona infirmanti concedi-
tur; cur non concedatur cunctis mulieribus, qua natura sua vitio infirmar-
tur? Sanctæ quoque communionis ministerium in eisdem diebus percipere non
debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumpsit,
laudanda est; sed si susceperit, non est indicanda. Hæc ille.

Ad quartum, Dispensari posset, donec mittantur commodè reliquia,
quæ portatili altari inferantur.

Ad quintum, Concedendum videtur, vt vtantur in Ecclesia ornamen-
tis telis bombycinis, ob lini penuriam.

Ad sextum, Ob magnam locorum intercapedinem denegandum non
videtur, quod petunt, vt satis sit vnoquoque triennio, vnum Episcopo-
rum omnium nomine Romam destinari.

Euseb.
Rom 10
Matth. 10.

Caietan.
Sylu. §.

D. Thom.

R. Gregor.

Seruetur
antiqua con-
suetudo cũ
modo nõ ad-
sit aliqua su-
perfluitio.

Consi-

nostri tempore Reuerendissimi Patriarchæ Ieremiæ bon. mem. quod ipsum etiam à me vltimò obseruatum est: similiter quotiescunque creabitur nouus Pontifex Romanus, transmittenda erit à pauperula nostra natione obedientia nomine Patriarchæ, totiusque Cleri, & populi Maronitarum. Et omni triennio, si idem Patriarcha Romam, sedis, & officij sui rationem redditurus Sedi Apostolicæ, proficisci nequeat, ad minus expedire aliquem fidelem & diligentem, ac in omnibus bene informatum, qui suæ Sanctitati rationem reddat, transmittereque tenebitur. Paratissimi interim nos semper quicquid sanctissimæ Sedi in salutem animarum nostrarum placuerit mandare, syncerissimè acceptare.

Octaua, item quando RR. PP. legati Sanctitatis S. ad vos visitandarum Ecclesiarum vestrarum causa ritumque administrandi Sacramentain specturi, (qualiter eisdem obtestatus sum) venerint; meam, vel alituius Archiepiscoporum meorum præsentiam dignentur. Quare supplico charitati vestræ, velitis eosdem benigno vultu, debitoque honore, & rationi confono recipere, cum patriâ relictâ suæ Sanctitatis mandato pro salute vestra, tot maria & pericula fuerint dimensi; salutiferisque eorum mandatis, & circa Ecclesiam salutemque vestram præceptis morem gerite; nullam in ostendendis libris, statuque Ecclesiæ vestræ explanando difficultatem facientes: verum quicquid circa ritum rectè administrandorum Sacramentorum, & vestrâ, ouiumque vestrarum salutem præceperint, sincero corde, paratoque ad obediendum animo amplectamini, & salubres eorum admonitiones & ordinationes scriptis mandate, memoria excidant, quæ omnia diuina fauente gratia sum executurus; hæc enim est volûtas Sanctitatis suæ, & dilecti nobis fratris Cardinalis Caraffa, simulque id ipsum à vobis postulamus.

Nona, præter ea quæ sua Sanctitas mandat, & dilectus frater & protector noster Cardinalis Caraffa, vos insuper monitos velim (quod & vobis notum est) multos vtriusque sexus homines nationis nostræ esse salutarium instructionum ad fidem pertinentium ignaros: quare vos obtestor gnauam instruendo ouili vestro in hisce, quæ animarum salutem tangunt, operam dare velitis, præcipueque in oratione Dominica, & salutatione Angelica, decemque præceptis decalogi edocendis, cum hocce proprium vestrum officium concernat.

Decima, curetis insuper Ecclesiastica cuncta sint quàm nitidissima, & præsertim corporalia, calices, patinæque super quibus consecratur, poniturque sanctissimum Corpus & Sanguis Christi.

Vndecima, nullus etiam in posterum Missam celebrare præsumat sub altera hostia, quam ea qua vtitur Ecclesia sancta Romana, compositam: mirum ex solo polline & aqua, & quousque dabitur cõpia ferroum formandarum

mandarum hostiarum, statuiamus paucula similia ferra pro tempore inter nos extantia distribuantur, sic vt cuique Ecclesiæ possit satisfieri.

Duodecima, sanctissimum quoque Sacramentum in loco nitido & securo asseruetur, illique semper lampas accensa præpendeatur, atque id ipsum ad minus singulis mensibus Romanæ Ecclesiæ ritu renouetur.

Decimatertia, item Missæ in ipsa Ecclesia deuotè celebrentur, nec inter cantandum nouus versus ante finitum priorem incipiatur: sciendum enim est nos cum Deo benedicto pro impetratione rerum nobis necessariarum tractare.

Decimaquarta, ornamenta etiam Ecclesiastica vbi forduerint lauanda sunt, cum nihil de earum consecratione per lotionem detrahatur, contra quorundam tamen opinionem; corporalia autem prius à Sacerdote abluenda sunt, deinde per laicum quemuis, vt sic videlicet omni puritate & nitiditate Deo omnipotenti seruiatur.

Decimaquinta, quoties autem in Ecclesia diuinum officium celebrabitur, vnus ad minimum cereus, aut oleaceum lumen ad finem vsque accendatur, summaque cum deuotione silentium in Ecclesia obseruetur.

Decimafexta, sit quoque in omni Ecclesia vas aliquod conseruandæ aquæ lustralis ritu Romanæ Ecclesiæ, cuius benedicendi modum & formam, singulis videlicet diebus Dominicis vobis trademus.

Decimaseptima, sanctû verò chrisma, aliaque olea sacra, singulis diebus Iouis sanctis, posthac à nobis renouanda, & per totam diocesim distribuenda, in loco nitido asseruanda sunt, non tamen sanctissimo Sacramento miscenda.

Decima octaua, neque in posterum Missa celebretur calicibus vitreis, ligneis, vel æneis, sed aureis argenteisque, aut stanneis, quique nec stanneos habent, mutuo ab aliquo sumant; quousque diuino fauente auxilio, Romanæque Ecclesiæ subuentione hisce providebimus.

Decimanona, instabit etiam summa cum diligentia, vt grex vester ad minus ter in anno communicet; Sacerdotes verò Diaconi que sacro inferuientes, pro necessitate salutis animarum suarum, sæpius sacram synaxim sumere moneantur.

Vigesima, omnis autem Diaconus aut Sacerdos singulis diebus horas Canonicas in Ecclesia, vel si id commodè fieri non possit, saltem extra, legere tenetur.

Vigesimaprima, dies quoque Dominici vel festi, in posterum melius colantur, ebrietatem, excessusque illicitos & inconuenientes exactius quàm hæctenus fugiendo.

Vigesimasecunda, quisque etiam vestrum fugiat iuramenta, mendacia, & ingurgitationes, vitia nationi nostræ communissima, atque eo modo subditos

subditos vestros bono exemplo præeatis.

Vigesima tertia, efficitè insuper quàm possint maximè subditi vestri schismaticorum, hæreticorum, excommunicatorum, & infidelium conuersionem exerceantur; multo què minus cum eisdem, prout hæctenus, nuptiæ contrahantur: ne Christiani talium sectarum hominibus profusus fugiendis commisceantur.

Vigesima quarta, curandum in posterum vobis sit, ne repudia vllam ob causam, ne quidem fornicationem, cum contractione nouarum nuptiarum committantur: verum tali (quod auertat Deus) interueniente vitio, separatio fiat habitatione tenus, &c. & ita separata, si post modum sese conuertat, munia què debita marito præstet, ob amorem Dei, qui contritiæ & penitentiæ per confessionem censetur condonasse, rursus in conjugalem thalamum admittatur: ne forte coniugum alter per humanam fragilitatem in peccatum labatur; sunt enim euangelica verba, ad mentem Ecclesiæ Romanæ intelligenda.

Vigesima quinta, etiam præsumat, nec Sacerdos, nec secularis, pecunias sub vsuris exponere.

Vigesima sexta, item reliquiæ Sanctorum si quæ sint, in Ecclesijs in loco sacro & nitido afferentur, & summo honore ad maiorem Dei gloriam afficiantur.

Vigesima septima, quicquid à debitis vacationibus vobis temporis superpetet, legendis bonis libris, impendite; hæreticorum scripta nationi nostræ frequentissima fugiendo: ex libris enim salutiferis quid vestris, subditorum què vestrorum animabus conducatur elicietis.

Vigesima octaua, Sacerdotes vxoribus carentes, nisi vrgentissima necessitate requirente, feminis mixtim cohabitare nõ sinantur: religionem verò professis mulieribus, ne quidè matri, cognatis, sororibus què cohabitare non permittantur; quemadmodum expressè canone 4. Concil. Nicæensis cauetur.

Vigesima nona, Prælati nullos gradus clericales, præsertim sacerdotalem, alijs quam bonis, & doctis, bonam què famam habentibus conferant: & quisquis hisce donis caret, ad eosdem gradus aspirare non præsumat.

Trigesima, moneo vos insuper, quod in posterum singulis annis hocce tempore Synodum faciemus; ad statuendum & ordinandum de alijs rebus Ecclesiam nostram, Maronitarum què nationem concernentibus: quapropter paratissimi sitis huc moniti diligentissimè venire, de alijs negotijs statuendis audituri.

Trigesima prima, vltimum vos moneo celebrare Missam pro viuis vel defunctis, quoties vos obligatos esse contigerit, quisque vestrum conscientiam

scientiam suam exsoluat; neque enim satis fit, nec sat est vno celebrante ceteros præsentès secundum ritum Ecclesiæ nostræ simul legere; absolutè enim & integrè & secundum obligationem sacrum est celebrandum. Vos insuper obtestor diuinam clementiam precari dignemini pro salute sanctissimi nostri Papæ Gregorij XIII. dilectique fratris & Domini nostri Cardinalis Caraffa protectoris humilitatis, totiusque nationis nostræ, & pro cunctis gentis nostræ fidelibus humiles ad Deum preces effundere non dubitetis. Laus Deo. Factum in Canubir.

C A P V T V I.

Propositiones aliquot excerptæ tum è quibusdam libris Maronitarum, dum expurgarentur à Legatis Apostolicis, tum ex communi consensu, & quadam traditione receptis quæ videlicet hæreses sunt manifestæ, vel erroneæ, vel superstitiosæ: quæ etiam errores solent esse communes alijs nationibus Orientalibus.

Circa creationem.

Primò, anima rationalis ex diuina substantia creatur. Secundò, animæ ab initio omnes simul creatæ fuerunt. Tertiò, quædam brutorum perfectæ species non fuerunt ab initio creatæ, maximè vero canis, & felis, quorum hanc ex sternutatione Leopardi, illum vero à diabolo productum affirmant.

De Christo Domino & Sancto Spiritu.

Primò in Christo vna tantum est natura, vna voluntas, vna operatio. Secundò, Christus non comedit agnum cum discipulis, quando postremò cænauit cum illis, sed alios cibos tantum: & intinxit panem, què erat Iudæ porrecturus ad consecrationem tollendam. Tertiò, Christus flagris caesus, spinis coronatus, ac purpura indutus fuit in domo Caiphæ Principis Sacerdotum. Quartò, Christus post resurrectionem non habuit cicatrices, quas nec Martyres sunt habituri, quasque Discipulis ostendit illas sibi tunc creauit, vt eos ad resurrectionis veritatem credendam perduceret. Quinto, Spiritus sanctus à solo Patre procedit.

De Iudicio.

Primò, non datur particulare iudicium. Secundò, nemo ingreditur regnum cęlorum, nisi perfecto vniuersali iudicio: Animę Sanctorum in quodam amano loco sub cęlo asseruantur, in quem locum Christus, & bonus latro fuerunt, atque in hunc sensum intelligenda verba Christi, *Hodie mecum*, &c. Impiorum verò animę extra præfatum locum custodiuntur ab Angelo sub cęlo, siue prope locum Sanctorum, siue alibi, & *Infernus* dicitur: quo sensu accipienda sunt illa verba, *Mortuus est diues*, &c. Tertio, fideles etsi in locum pœnarum eant, si in mortali peccato decedant, nihilominus tamen merito fidei, quam in Christum habuerunt, liberabuntur.

De Sacramento Baptismi.

Primò, nemini nisi Sacerdoti vel Diacono licet baptizare, etiam si vergeat extrema necessitas. Secundò, intentio ministri non requiritur necessario, sed talis est fides Ecclesię. Tertio, vnctio chrismate facta in Baptismo essentiam præbet Baptismo, ac proinde baptismus nullus foret sine huiusmodi vnctione. Quarto, paruulus recens natus si contrectetur à matre ante eius purificationem, immundus fit; ac proinde non baptizandus; masculus ante 40. diem, femina verò ante 80. diem, hoc est, antequam mater purificata extiterit, ne infans ab immunda matre contrectatus nouam contrahat immunditiam. Quintò, infidelis mulier si ad fidem conuertatur, non debet baptizari quam diu fuerit menstruata. Sextò, masculus & femina si baptizentur simul contrahunt affinitatem. Septimò, hæretici qui ad Ecclesiam reuertuntur rebaptizandi sunt. Octauò, Baptismus Ioannis remittebat peccata. *Petitio*. Nonò, quid de paruulis Catholicorum à schismaticis illorum ritu baptizatis?

De Sacramento Confirmationis.

Primò, non extat hoc sacramentum apud Maronitas, quod sentiant tantum semel inungendum esse Christianum chrismate, scilicet dum baptizatur. Secundò, in oleo sancto chrismatis est persona Spiritus Sancti, sicut persona Christi in Eucharistia. Tertio, hoc sacramentum etiam à Sacerdotibus confertur. *Petitio*. Quid de chrismatis præfato ritu, & à Sacerdotibus?

De Sacramento Eucharistia.

Primò, panis fermentatus tantum consecrandus debet necessario esse recens, & illo die coctus, quod si huiusmodi non adsit, omittatur Sacramentum.

cramentum. Secundò, non sunt consecrandę plures duabus hostijs pro qualibet vice; quod si cogatur Sacerdos ob aliquam necessitatem dictum numerum excedere, consecrentur non pauciores septem, vel si plures, curetur numerum semper esse imparem. Tertio, plures Sacerdotes celebrantia assistentes, dicunt omnia quę celebrans, exceptis consecrationibus, quopacto censent singulos celebrasse, & satisfecisse elemosynis pro Missis collatis. Quarto laici communicant sub vtraque specie. Quintò, Eucharistia præbenda est etiam pueris statim post baptismum. Sextò, Sacerdoti non licet filio, vel filię, vel affini, vel consanguineo cuiunque Eucharistiam porrigere. Septimò, Eucharistiam ad ægrotum in extremis laborantem non licet deferre. Octauo Eucharistiam in nos receptam ad stomachum non descendere existimatur, sed statim per omnia corporis membra diffundi. Nono, licet Sacerdoti sacrum facere supra librum quempiã Euangeliorum si desit altare quodcunque.

De extrema Vnctione.

Primo, oleum infirmorum à Sacerdote singulari quodam modo conficitur.

De Sacramento Ordinis.

Primo, nullam habent rationem ætatis in sacris ordinibus tradendis, ideo ipsi pueros quadrimos, vel quinquimos promouent ad sacros ordines. Secundo, promouendi ad sacros ordines Diaconatus vel sacerdotij, nubunt cum virgine, qua mortua non transeunt ad secundas nuptias. Tertio, non negant sacerdotium illi, qui alias est idoneus, quamuis defectum corporis patiatur. Quarto, constituti in sacris ordinibus ad certas horas Canonicas, nisi Monachi, non obligantur. Quinto, mos est illis, qui volunt creari Episcopi pacisci cum Patriarcha de pretio.

De Sacramento Pœnitentię.

Primo, actus particulares non sunt de essentia Confessionis. *Petitio*. Quanta sit potestas Patriarchę quam possit aliis communicare circa forum conscientia?

De Sacramento Matrimonij.

Primo, Matrimonium potest dissolui à patre sponsi, si eam duxerit quę patri non probetur: hoc idem potest pater sponsę. Secundo, matrimonium sine Eucharistia sumptione nullum habetur. Tertio, pater sponsę potest propria auctoritate eam alteri viro tradere, nisi eius sponsus siue vir absens intra certum temporis spatium appareat. Quarto, patri & filio

non licet in vxorem ducere matrem & filiam, & è contra, nec licet duobus fratribus contrahere cum duabus sororibus, seu fratri & sorori cum fratre & sorore. Quinto, Matrimonium viduarum, quæ attingunt 60. annum, adulterium est censendum. sexto, idem sentiunt de quadrigamis, ac proinde omnium horum liberos illegitimos censendos esse. septimo, sponsalia nullius sunt roboris, si intra duos annos non contraxerint, & parentes vtriusque sponsi possunt sponsalia irritare ob quamlibet causam. Octauo, repudium conceditur ob multas causas etiam priuatis propria auctoritate, vt si non inueniatur virgo, vel si consummato matrimonio mulier insaniat: & vir potest repudiari, si curet vt vxor adulteret &c. Nono, repudiatis licet nubere cum aliis. Decimo, obstetrices vt immundæ habendæ 20. diebus si inuenerint mulierem parientem masculum, si verò feminam 40. diebus, quo tempore arcendæ sunt à communione.

Petitiones. Vndecimo, quid de illis qui post repudium nupserunt, & an filij possint promoueri ad sacros ordines. Duodecimo, an liceat nubere cum schismaticis. Decimotertio, quousque se extendat potestas Patriarchæ circa dispensationem in gradibus prohibitis?

Nonnulla loca Sacræ Scripturæ prauè intellecta, & alia quædam ad eandem sacram Scripturam spectantia prauè etiam adiecta.

Primo, asserunt legendum esse, *Hoc est Sacramentum Corporis, &c.* Secundo, Christum cum docuit viro non dimittendam vxorem, excepta fornicationis causa, idem est ac si docuisset, adulterium esse legitimam causam vxoris dimittendæ, & alterius ducendæ. Tertio, qui dicuntur fratres Christi in Euangelio, filij sunt Ioseph ab alia vxore, quam antea habuerat, procreati. Quarto, Maria Magdalena Simonis leprosi filia fuit, Annæque matris Mariæ soror. Quinto, Apostoli non intellexerunt Christum esse verum Deum antequam spiritum sanctum accepissent. sexto, Caiphas in Christum credidit, & Episcopus creatus Iosephus secundus est vocatus, qui edidit librum prouerbiorum, & historiam Machabæorum, &c.

Circa mores, & alia diuersi generis.

Primo, menstruatæ non admittuntur ad ingressum Ecclesiæ, nec ad sacramentum Eucharistiæ, nec extremæ Vnctionis. Secundo, quidam homines appellati Albi, quoad habitum & alia quædam exteriora Turricos ritus obseruant. Tertio, ieiunium ob mortis periculum non est violandum.

landum. Quarto, non est ieiunandum diebus Sabbathinis & Dominicis. Quinto, Apostolica sanctione cautum est, ne quis Christianus comedat quippiam occisum à leone, nedum sanguinem, & suffocatum. Sexto, ob mortis periculum licet negare Christum. Septimo, licet mentiri officiosè & ad celanda opera bona. Octauo, non est aliquis ad religionem admitendus, sine suorum superiorum consensu, vt parentum vel dominorum, et si seruus sit libertate donatus. Nono, status Matrimonialis non est inferior virginali. Decimo, Mulieres viro iunctæ in numero Sanctarum Virginum adscribendæ, si cum suis maritis honeste vixerint, &c.

CAPVT VII.

De ritibus qui tolerari possunt in his qui ex Schismaticis, vel paganismo, aut alia secta ad fidem Catholicam veniunt.

Quamuis Ecclesia catholica vna sit, de qua optimè Beatus Ignatius *B. Ignatius.* Epistola ad Philadelphens. *Vna est, inquit, Ecclesia quam suis sudoribus & laboribus fundauerunt apostoli à finibus terra vsque ad fines in sanguine Christi.* Apostolorum verò instituta decreta, & ritus non iidem fuere apud omnes. Nam licet Apostolorum sanctiones aliquæ sic fuerint editæ, vt ab omnibus Christi fidelibus pariter seruarentur, vt puta Symbolum Apostolicum, aliæ tamen pro ratione loci & temporis sic ab illis sunt statutz, vt non omnes iisdem legibus ac ritibus adstringi voluerint, quos alicuius priuatæ causæ occasione, cæteris locis præscripserint: vt de Idololatris, de quibus Apostoli, & cum ipsis, Paulus diuersa dederunt præcepta Syriæ, ac Ciliciæ populis, vt constat Act. 15. & 16. Diuersa verò Paulus Corinthiis, vt patet 1. Corinth. 8.

Neque vel in minimo lædi fidem variis Ecclesiarum consuetudinibus Sancti Patres tradiderunt. Inprimis Augustinus epistola ad Ianuar. 118. *Hæc est commendata regula. vt faciat vnusquisque quod in ea Ecclesia in qua reperitur, inuenerit.* Vnde hæc idem ad Ianuar. epist. 119. *Miror sanè, quod ita volueris, vt de his quæ varie per diuersa loca obseruantur; tibi aliqua conferberem: cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ nõ sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit.* Hæc Augustinus. Gregorius lib. 1. epist. 4. *D. Gregor.*

item hæc ad Leandrum Episcopum Hispalensem in eandem sententiam scribit: *in vna fide nihil officit Sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa.*

Quare licet apud Græcorum & orientalium nationes plures sint ritus, atque diuersi inter Coptos, Syros, Maronitas, Æthiopes, Armenos, atque inter Christianos alios, quos prudenter ratione diuersarum gentium Apostoli instituerunt; non ob id religio Christiana læditur, si diuersi ritus in oriente, atque in occidente retineantur: circumdata est enim Ecclesiæ Dei mira varietate, quæ potius eius pulchritudinem ornat & auget, quàm orthodoxæ fidei contrarietur. Quare mos est Catholicæ Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore inductus, ut vnaquæque prouincia seruet ea, quæ à suis Apostolis, & à legitimis successoribus accepit. Quare admonebat D. Hieronymus in epist. 28. versus finem, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita esse obseruandas qualiter à maioribus traditæ essent, & aliorum consuetudinem contrario more non subuertit. Ad dicens: *Ita vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, ut præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Vnde rectè consuevit Ecclesiæ, hæreticorum, Schismaticorum, aut etiam Gentilium ritus tolerare, qui cum ratione, aut fide diuina non pugnant. Nec solum Ecclesias, quos à diuersis Apostolis ritus moresque imbibant, retinuisse comperimus, sed etiam, quæ apud gentes supersticioso cultu impiè agebantur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transtulisse, ut latius suprâ, dum de prudentia ministrorum ageremus, & præter ea quæ ibi ex Patribus notauimus. Inter alios Gregorius Thaumaturgus, ut auctor est Gregorius Nyssenus Oratione de vita Sancti Gregorij Thaumaturgi, gentilium ferias superstitionibus cumulatâs, in festâ ac celebritates Sanctorum Martyrum commutauit, ut his verbis Gregorius Nyssenus significat dicens: *Descendit rursus ad urbem, & omni circa regione vndique peragrata atque perlustrata, additamentum, & quasi corollarium studij erga numen diuinum instituebat, apud omnes vbique populos sanciti, ut nomine eorum, qui pro fide decertassent, dies festi, atque soleranes conuentus celebrarentur. Cumque alij in alium locum corpora Martyrum deduxissent per anniuersarium circuli ambitum congregati, letabantur in honorem Martyrum ferias agentes. Et paulo post: Cum animaduertisset, quod propter corporis voluptates simplex & imperitum vulgus in errore simulachrorum permaneret, quo maxime id quod præcipuum est, interim in ijs assequeretur, nempe ut vanis superstitionibus relictis ad Deum conuerterentur permisit eis ut in memoriam Sanctorum Martyrum sese exhiberent, & oblectarent, atque in lætitiâ effunderentur.*

In eodem sensu Theodoretus de Gentilium feriis in honorem Martyrum piè sancteque translatis, hæc addit: *Dirutorum templorum materia, arisque martyrum excitatis, expiata est: suos enim mortuos Dominus noster in templo Dyis vestris induxit: ac illos quidem casus gloria, vanosque reddidit, suis autem mar-*
tyribus;

tyribus honorem illum dedit. Pro Pandijs, & Diasis, hoc est, Iouis, Liberi, patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thoma, Sergio, Marcello, Leontio, Antonio, Mauritio, aliisque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur. Ea quippe licentia, qua Deorum delubra in Ecclesiis Christianorum sunt laudabiliter commutata, alij quoque ritus gentilium à nobis benedictionibus expiati diuino sunt cultui consecrati. An non id Apostolorum exemplo? Nonne Paulus Athenis cum esset; superstitionis aram Ignoto Deo dicatam, super quam impietatis victimæ cadebantur, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mira quadam prudentia visus est transtulisse? Rursus si quæ idolo immolata essent, non vetuit idem Apostolus manducare, nisi cum ex ea re, frater infirmus scandalum pateretur: *Omnia quidem, inquit, sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Extincto autem penitus iam diu supersticioso idolorum cultu, cum omnis simul cessasse videtur occasio offendiculi, cur aliquibus ex illis uti non liceret, cum præsertim non priuato vsu; sed communi totius Ecclesiæ consuetudine aliquid commune cum Ethnicis vsurpatur? Qui vero sint ritus qui à recta fidei regula discrepant vel à ratione dissentiant, tam in Schismaticis, siue Hæreticis, quam in alijs infidelibus, etiam Ethnicis, non facile erit vni-
cuique discernere.

Et ut rei ita graui & difficili lucem aliquam afferamus, oportebit speciatim præcepta aliqua tradere, siue talia demonstrare principia, quibus apertè dignosci possit, qui ritus cum naturali ratione, aut fide diuina non conueniant, aut qui ab his dissentiant, ac proinde qui tolerandi, qui vero omnino reiiciendi & extirpandi sint.

Ea est potissima pro ritibus discernendis regula, ut quando id comode fieri potest, Apostolica sedes consulatur, maxime si subsit iusta & rationabilis dubitandi occasio. Si tamen Romanus Pontifex non ita facile adiri possit, tunc ex sequentibus capitibus de rituum puritate tam inter Ethnicos, quam inter Schismaticos ad Ecclesiam venientes, erit iudicandum.

1. Si ille ritus nationibus alijs siue Ecclesijs, quæ communionem retinent cum Catholica Ecclesiâ, sit ab eadem permissus.

2. Si ritus ille non pugnet cum naturali & recta ratione, præ se ferens inhumanitatem, (qualis erat olim Romanorum, quo dânos feris obijciebant) inhonestatem, ut totius corporis nuditas, vel si alij actus inhonesti, & turpes etiam inter coniuges publice fierent: ac demum ea omnia, quæ humanæ vitæ politiam offendunt, abolenda & exterminanda sunt, & cogendi Barbari ut non belluino, sed humano more viuant.

3. Ritus omnes instituti ad protestandum aliquod dogma fidei contrarium, omnino sunt delendi. Ita Armeni, ut profiteantur Dioscori errorè, vnam tantum naturam in Christo asserentis, cum celebrant, vino aquam non immiscent, & idem etiam censendum erit de quocunque alio signo
siue

sive nomine cuiuslibet erroris protestatio. Vt Monophysitę cognomen, de quo hæretici olim gloriabantur, vt etiam nomine ipso vnus in Christo naturę post vnionem assertores viderentur, vt refert Prateolus verbo *Monophysita*: qui etiam de Monothelitis asserit, hanc eos sibi appellationem vsurpasse, ab vna tantum voluntate & actione diuina quam ipsi Christo temere tribuebant. Nec solum cognomina à re ipsa siue à dogmate hæretico deriuata supprimenda sunt, sed etiam ea omnia quę ab hæresarchis quorum se profitentur sectatores descenderunt, sicut & Iacobitarum, & Seuerianorum, aliorumque similium qui à Iacobo, & Seuerio hæretico denominationem acceperunt. Quare cum multi ex Nestorianis Catholice Ecclesie adiungantur, anathematizatis Nestorij nomine & erroribus, Chaldei Orientales appellati sunt.

4. Ritus omnes & legalia veteris legis si eo fine retineantur, vt lex vetus obseruetur, omnino damnanda sunt. Nam de fide est, omnia veteris Testamenti legalia, cęremonias siue præcepta post Euangelij promulgationem omnino extincta esse, & non solum mortua, sed & obseruantibus fore mortifera, vt definitum est in Concilio Florentino. Dixi, si eo fine legalia retineantur vt lex vetus obseruetur, quia licet hac ratione dānata sit legalium obseruatio; tamen si non eo fine & respectu obseruetur, sed tantum materialiter (vt dici solet) licita est & permissa aliquarum veteris Testamenti legalium (non vt legalia sunt) obseruatio, vt supra latius obseruauimus, dum de Abyssinorum circumcissione ageremus. Ex his fit, olim apud orientis Ecclesias nō immeritō fuisse in vsu, ritum sabbatum obseruandi, & hodie etiam apud Gręcos & Ruthenos illicitum reputatur Sabbatho ac Dominico die ieiunare, quod apertē colligitur ex epistola D. Ignatij ad Philippenses, & ex Cōcilio Gangrēsi, atque Apostolorum Canonibus. Ille tamen ritus vel obseruandi Sabbathum, vel non ieiunandi in orientali Ecclesia inductus est ob hæreticos Simoniacos in oriente ortos, qui mundum (à cuius creatione Deus Sabbatho requieuit) opus eius esse negabant, tum quia diuinitus afflati Apostoli prænoscebant futuros quoque hæreticos in oriente Manichæos, Eustachianos, Marcionistas, Lāpetianos, & Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerant, qui quidē Sabbatho simulatē ieiunabant in contumeliam resurrectionis Christi, cui resurrectioni à vespera Sabbathi (vt ait Magnus Leo Pontifex in epistola lxxxj. cap. 1.) initium constat adscribi. Porro quia in Occidente eadem causa non erat, nec illa hæresis vigeat, prohibitum non est, quin ipsa die Sabbathi alium ad finem ieiunare, laborare, siue à carnibus abstinere cum laude possent. Videndus est doctissimus Turrianus lib. 7. in cano. Apostolorum, & Baron. Tomo primo anno Christi 57. cap. 203.

Hodie vero ritus colendi Sabbathum tanquam diem festiuium ^{manet} apud

apud Abyssinos, apud Gręcos verò & alios orientales, licet Sabbathum non obseruent, in eo tamē sicut nec in Dominica die nefas dicūt ieiunare.

Deinde apud Orientales Ecclesias mos est & ritus consuetudine receptissimus, quem veluti præceptum strictissimē obseruant, non vt à lege veteri dimanantem, sed ex Apostolorum decreto, quo ipsi ignorantia ducti existimant ad hanc etiam teneri obseruantiam, non considerantes id aduersus idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum, & idolothytum edebant, aut calicem, quem Apostolus vocat Dæmoniorum, bibebāt: seruandum autem esse sicut & à Catholicis seruetur, decretum illud vbi cunq; inter gentes quę idola adorant, immolatiua sint. Porro eo decreto immolatiua, non autem reliqua fuisse prohibita grauisissimi testes sunt Patres quamplurimi Orientalis Ecclesie: quare hac obseruantia nec Gręcis, nec Ruthenis interdicitur.

5. Ritus & consuetudines circa Sacramentorum administrationē examinandi sunt. Primo, an peccent in substantia, id est circa tria illa substantialia requisita ad conficiendum Sacramentum, scilicet materia, forma, & ministro. Deinde an contraria sint præceptis diuinis à sacra scriptura vel à traditionibus Ecclesie emanatis circa eorum administrationem, tunc enim similes ritus omnino erunt extirpandi, tolerandi verò si tantum præceptis ac sanctionibus iuris positivi & canonici prohibeantur. Qui verò speciatim abrogandi, & qui permittendi, facilius constabit, si breuiter per Sacramenta singula discurremus.

De Baptismo.

Itaque quod ad Baptismum attinet, Gręci vtuntur hac forma: *Baptizetur seruus Christi*, quę approbata est ab Ecclesia Catholica in Concilio Florentino in vnione Gręcorum: si tamen hac forma Gręci schismatici vtantur, existimantes formam apud nos vsitatam non esse validam, in hoc à Catholica & orthodoxa fide dissentiunt. Deinde ritus, qui apud Gręcos etiam & Ruthenos, aliasque nationes seruatur, vt Baptismus fiat integra corporis immersione, Baptismi substantiam non variat, siue enim immergendo semel, aut bis, aut tantum capitis perfusione, vt in Occidentali Ecclesia, aut tantum aspersione baptizetur quis, parum interest, quia vtrouique re idem est.

Apud Coptos ritus est praxi vsurpatus, vt etiam ratum non habeant hoc Sacramentum, ne quidem in extrema necessitate, si ab alio quam à Sacerdote conferatur, idque præcisē in Ecclesia, etiam si baptizandus periclitetur: sed mos hic expressē pugnat cum decreto Concilij Florētini, ac cum Ecclesie antiqua traditione, quibus cauetur hoc Sacramentum administrari posse à laico, siue viro, siue famina tempore necessitatis, quācunque

Prateolus.

Ritus colendi Sabbathum.

D. Ignat.

Leo Magnus

Turrianus.

Gręcorum circa Baptis. ritus.

Coptis.

cunque sectam illi profiteantur, siue Gentiles, Iudæi, aut hæretici sint, modo habeant propositum faciendi quod Ecclesia Catholica in administratione Baptismi facit, tenetque Baptismus, quocumque loco siue in Ecclesia siue extra illam conferatur.

Mos est etiam apud ipsos, ut paruulis etiam in vitæ periculo existentibus nulla ratione ante 40. diem Baptismi Sacramentum conferatur. Imo & aliquando ad annum & ultra soleat differri, qui etiam intolerabilis est, quia præceptum diuinum suscipiendi, aut conferendi Baptismus maxime obligat necessitatis tempore: ac necessitate reclusa, irrationabilis est consuetudo Baptismi tempus ultra annum tam in pueris quàm in adultis prorogare, seclusa tamen necessitate iure diuino non est præfixum tempus paruulorum Baptismo.

Cophorum mos est & aliorum quoque orientalium statim à Baptismo paruulos chrismare, oleoque sancto vngere in fronte, in pectore. in iuncturis, & in renibus, qui ritus laudabilis est, & antiqua Ecclesiæ ceremonia, ita tamen ut non credant Chrismatis usum esse de substantia Baptismi, ut falso sentiunt Armeni, apud Alphonsum de Castro verbo *Baptismus*: sine huiusmodi enim vnctione consistit vera Baptismi ratio, ut constat Ioan. 3. Illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* Unde & usus Ecclesiæ obtinuit, ut in casu necessitatis Baptismus administretur sine vnctione, & absque aliis ceremonijs.

Pueris statim ac sacro Baptismate abluuntur, Eucharistia ferè apud Orientales omnes confertur: sed in hoc retinet antiquum Ecclesiæ usum, approbatum à Sancta Synodo Tridentina sessione 21. cap. 4. de qua optimè Paulinus Nolè Episcopus in Epistola ad Seuerum fratrem hoc carmine scripsit.

Inde parens sacro ducet de fonte Sacerdos

Infantes niueo corpore, corde, habitu:

Circundansq; rudes festis altaribus agnos,

Pura salutariferis imbuit ora cibis.

Quod si existiment Eucharistiæ Sacramentum necessario paruulis statim post Baptismum conferendum, turpiter errant, contra prædictam Synodum Trident. & ideo in hac parte corrigendi & instruendi erunt.

Iacobitæ, imo & alij ex Orientalibus ferro candenti figuram crucis in fronte baptizatis imprimunt. At si ipsi hoc ritu & ceremonia loco aque in baptismo vtantur (ut refert Bernardus Luxemburgensis) existimantes verba illa Ioannis Baptistæ apud Matth. c. 3. *Ego, inquit, baptizo vos in aqua, ille autem vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, accipienda esse de igne materiali, pessimè errant cum hæreticis Manichæis, & Seleucianis, ut auctor est D. Augustinus lib. de Hæres. c. 59. Si vero post ablutionem aqua, ac post

post alia ad substantiam Baptismi requisita baptizati crucis imagine in fronte, ut omnibus constet de religione quam profitentur siue alio honore sine signentur, consuetudo potius laude quàm vituperio digna videtur.

Denique circa Baptismi ritus illud se offert memorandum apud Abyssinos, dum in festo Epiphaniæ, ut latius refert Francisc. Aluares, benedicto prius aquarum stagno, trina immersione tam mares quàm feminæ præmissa forma Baptismi quotannis rebaptizantur: qui ritus in usu est (ut Possenuinus docet in Commentario de rebus Moscouitis) ad religionem spectandam apud Græcos Orientales. Error tamen hic, quantum coniectere possum, à Nouatianorum hæresi ortum habuit, qui falso existimantes, non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi lapsos, ut illi sine spe non remanerent, alterum Baptismum Abyssini admiserunt, ut ex eodem Aluaresio non obscure colligitur.

At non desunt, qui Abyssinos excusandos credant, quia id non tam rebaptizandi gratia, quàm in honorem Christi Domini baptizantis faciunt. Ita Romæ interrogati aliqui ex Abyssinis ipsis responderunt.

Circumcidunt etiam pueros Baptismi tempore tam Abyssini quàm Cophi quorum ritus in hac parte quantumuis ipsi non tam religionis, quam honoris causa facere contendunt, minimè ob aliarum Ecclesiarum scandalum tolerari debet.

De ritibus circa Confirmationis Sacramentum.

ALiqui ex Ecclesia Orientali simul cum Baptismo Sacramentum Confirmationis conferunt, ut de Abyssinis affirmat Zagizabus illius gætis Episcopus, in libello paruo quem in Lusitania de fide & religione Abyssinorū edidit. Diuus quoque Augustinus in Quæst. Noui testam. q. 42. grauius queritur de corrupta Aegyptiorum & Alexandrinorum consuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum administrare: sed tunc examinandi sunt ritus, qui Baptismi tempore adhibentur, an sufficienter ad conficiendum hoc Sacramentum.

Primum constans est apud Catholicos de fide tenenda sententia, ad Confirmationis Sacramentum, de necessitate Sacramenti saltem requiri, ut Chrisma sit ex oleo oliuarum (quod apud nos solemni Episcopi consecratione conficitur.) Quamuis non defuerint graues auctores qui etiã necessitate Sacramenti, ut balsamo esset admixtum, requirerent: quod verò oleum sit consecratum ab Episcopo, ut probabilis tenet opinio, nõ requiritur necessitate Sacramenti.

Forma verò substantialis his verbis definitur: *Signo te signo Crucis &*

confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ad formam etiam reducitur, quod confirmandus chrismate in fronte signetur, quauis Romanus Catechismus hoc ad ceremonias extrinsecas, & quasi de præcepto tantum necessarias referre videatur. Minister huius Sacramenti ordinarius est Episcopus, extraordinarius vero & tempore necessitatis: ex commissione tamen summi Pontificis, est quilibet simplex sacerdos, ita colligitur ex Florentin. à quo etiam ex summi Pontificis delegatione chrisma potest consecrari.

Ritus circa
Confirmationem.

Cætera vero, vt quod confirmandus manu in maxilla ab Episcopo cadatur, quod fiat hoc Sacramentum in die Pentecostes, ceremoniæ sunt, quæ non ad substantiam Sacramenti spectant.

His igitur stabilitis, facile erit iudicare, an ritus qui post Baptismum celebratum interueniunt, sufficienter materiam, formam, & Ministerium huius Sacramenti saltem necessitate quàm vocamus Sacramenti contineant: nam tunc non erit Sacramentum Confirmationis iterandum.

Ex quibus apertum fit, sacramentum Confirmationis à presbytero collatum irritum esse: Quare Gregorius XIII. Pontifex Max. in quadam synodo suo tempore apud Maronitas celebrata, ei qui synodo præsidebat iniunxit, vt qui in illis regionibus à simplicibus sacerdotibus erant confirmati, si vellent, possent iterum ab Episcopo chrismari; si tamen scandalum timeretur, non oportere Confirmationem reiterari, & si nullum esset sacramentum, tamen cum non sit de necessitate salutis, ob scandalum securè prætermittendum. Eamque huius rei summus Pontifex reddit rationem, quia etsi Florentinum in vnione Armenorum doceat posse presbyterum ex Papæ dispensatione confirmare, quod Ecclesiæ Calaritanæ concessit D. Gregor. lib. 3. Registri epist. 26. hanc tamen Apostolicam dispensationem non legimus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, (cui Maronitæ substant) collatam esse: idcirco à presbytero chrisma collatum irritum est.

De Sacramento Eucharistiæ.

Iacobitæ.

Iacobitæ & aliæ nationes orientales sæpè Eucharistiam impuberibus, imaximè altari ministrantibus, absque præuia confessione conferunt: qui ritus irrationabilis est, & non tolerandus in his qui conscientia alicuius culpæ letalis habent: ita colligitur ex Trid. sess. 13. c. 7. & 11. Quare vetera sententia Theologorum tenet, esse de iure diuino præceptum confitendi ante Eucharistiæ sumptionem, nisi aliàs sacerdoti celebranti desit copia confessoris. Sunt & alij ritus circa Sanctissimæ Eucharistiæ ministerium in vsu apud Orientales, qui si attentè considerentur, omnes ferè ab Apollo-

lorum

lorum doctrina, vel traditione in illas emanarunt nationes. In primis, Ecclesiæ primitiæ vsus de quotidiana communione vsque adhuc in multis Orientalium seruatutur nationibus, quæ vtiq; æquè & antiquam Christianorum consuetudinem, & eorū circa hoc sacramentum reuerentiam, & feruorem imitarentur.

Deinde omnibus etiam laicis non solum apud Orientales, sed & apud Græcanas nationes Eucharistiæ sacramentum sub vtraque specie confertur: quam fuisse olim in Ecclesia receptam consuetudinem luculenter docet Conc. Constantiense sess. 13. Et quamuis similis ritus illis iam diu permissus sit ab Ecclesia, in Ecclesia tamen Latina iustissimis de causis laicis prohibitus est communicandi ritus sub vtraque specie. quare nationes Orientales, quæ Ecclesiæ Catholicæ manus, obedientiamque dederūt, pedetentim arcendæ sunt à communione sub vtraque specie, cum id tantifaciat Tridentina synodus sess. 21.

Tertio, vetus mos erat illius primitiæ Ecclesiæ, quo Christianis permittebatur Eucharistiam proprijs manibus acceptam vel in Ecclesia statim sumere, aut illam domum asportare, sumptionemque in aliud tempus oportunum differre: illud tamen erat discriminis inter viros, ac feminam; quod illis nudâ manu Eucharistiam tãgere erat permissum; his verò prohibitum erat manu nudâ, sed linteamine nitido vtebantur, quod Dominicales vocabatur; vt in Conc. Antisiodorensi expresse legitur Can. 36. & 39.

Ritus verò iste Eucharistiam propria manu domum asportandi (teste Baronio tom. primo Annal. anno Christi 57. c. 149. ideo fuit potissimum introductus, quia cum olim minus liceret ad sacras synaxes tempore persecutionis, Christianos in vnum coire, vt qui quotidie de vita periclitarentur, quotidie Eucharistiam sumerent, (secundum quod ait Cyprianus epist. 56. Considerantes se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint, & Cyprianus. ipsi propter Christum sanguinem fundere) ideo fuit concessum, vt cum in Ecclesia, vel alijs locis abditis Missæ peragerentur, fideles non solum ibi communicarentur, sed Eucharistiæ particulas à Sacerdote acceptas domum ferendas sumerent, quas reuerenter asseruatas singulis diebus summo mane ieiuni participabant.

Plura sunt de huiusmodi consuetudine Patrum testimonia. Eam docent Tertull. lib. 2. ad vxorem cap. 3. Sanctus Cyprian. lib. de Spectacul. & lib. de bono patient. Greg. Nazianz. Oratione in funere Gorgoniæ D. Basil. in Epist. ad Cæsariam Patriciam, Hieronym. Epist. 50. August. Ser. 252. & alij Patres apud Baronium tom. primo anno Christi 57. à cap. 248. & Bellarm. tertio tom. de sacram. lib. 4. cap. 4. & quinto: alijque graues auctores scribentes de Eucharist. sacramento Hæc autem consuetudo,

SSf 3

teste

Ritus circa
SS. Eucharistiam apud
Orientales.

Tertull.
Cyprian.
Greg. Naz.
Basil. Mag.
Augustin.

teste Baronio, cum communis fuerit & orientali & occidentali Ecclesiæ, in Occidentali vsque ad Conc. Casaraugustanū perdurauit, in quo Can. 3. in Hispania hæc consuetudo abrogata fuit. In eo enim Canone legitur, Eucharistiæ gratiam, si quis probatur, acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. In Orientali vero Ecclesia etiam post dicta tempora adhuc eiusmodi consuetudinem viguisse, plura exempla declarant, quæ in Prato spirituali habentur descripta,

Quarto, in itinere etiam secum Eucharistiam ferre aliquando concessum fuisse (tanta enim erat tunc Christi fidelium pietas) Sanctus Ambrosius in Oratione funerali fratris sui scribit, ubi de Sartyro fratre agens, id manifestè significat: Testatur id ipsum Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 36. de Maximiano Episcopo Siracusæ, & eius socijs Eucharistiam secum portatibus, dum mare Adriaticum nauigarent. Eam quidem consuetudinem apud Ecclesiam Orientalem alicubi etiam viguisse temporibus Alexandri Papæ tertij, acta sancti Laurentij episc. Dublinensis in vita sancti Laurentis Episcopi cap. 8. apud Surium tom. 6. die 14. Notembris, testantur: in quibus hæc leguntur: *Quatuor sacerdotes cum magna turba hominum transire cœperunt, qui Eucharistiam (sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuo viatico, ac securo duce itineris publicè deferrebant.* Hæc ibi.

Hic etiam mos perseverasse videtur inter Orientales vsque ad nostra tempora. Hic autem ritus in Occidentali Ecclesia solum remansit apud summum Pontificem, qui in itinere Eucharistiam publicè, atque honorificentissimè ante se gestat. Ea vero fuit causa, ut olim tam Clerici quam laici in itinere Eucharistiam secum portarent, quia cum hoc sacramentū viaticum sit, ac hominibus quibuscumque in mortis articulo necessariū, prudenter olim fiebat, ut tam Clerici quam laici ob mortis pericula, quæ in itinere se offerebant, maxime persecutionis tempore, secum in itinere conficiendo deferrent, ne, si illis mori contingeret, viatico priuarentur. Et quamuis hæc consuetudo ob maioris huius sacramenti reuerentiā hodie tantum apud summos Pontifices fuerit conseruata: apud Orientales vero non video alicubi fuisse damnatam, nec auderem Euangelij ministros in illis regionibus, aut alijs infidelium prouincijs conuersantes, si imminente mortis periculo secum viaticum, occultè tamen, deferrent, condemnare.

Quinto, Eucharistiam quoque absentibus deferri mos fuit apud antiquos, qui etiam hodie manet apud Orientales aliquos, Sanctus Irenæus Epistola ad Victorem Papam apud Euseb. lib. 5. histor. Eccles. c. 24. testatur moris fuisse Papam mittere alijs Episcopis Eucharistiam in signum pacis & communionis, Dionysius etiam Alexandr. in Epistola ad Fabium apud eundem Euseb. lib. 6. hist. c. 36. ait Serapionem in extremis agentem ac-

cepisse Eucharistiam missam per puerum à Sacerdote tunc domi agrorante.

Sexto, ritus Græcorum consecrandi in fermentato approbatus etiam est ab Ecclesia, ita tamen ut potior sit in azymo, ut fit in Ecclesia Latina.

Septimo, Armeni, & Orientales alij non miscent in sacrificio missæ aquā vino. Quod si hoc faciant, ut profiteantur Eurychetis heresim, vnam tantum naturam in Christo agnoscentis, manifestus est & intolerabilis error: si verò hoc fiat, vel quia non existiment esse de necessitate Sacramenti, vel in significationem alicuius Christi mysterij, fortè tolerabilis esset consuetudo, quia hæc aquæ mixtio, ut oprime probat Franciscus Suarez tertio tom. in tertiam partem Disput. 45. sect. 2. tantum est de necessitate præcepti, præcepti, inquam, humani tantum. Quare cum hæc ceremonia non pertineat ad Sacramenti substantiam, posset ab Ecclesia dispensari. Tamen vrgendi sunt Armeni, ut præcipit Concilium Florentinum, ut sese cum vniuerso orbe conforment.

Octauo, Mustum ex vuis maturis expressum in rigore est sufficiens materia cōsecrationis calicis. Ita tenet cum D. Thom. 3. parte quæstione 74. art. 8. communis Doctorum sententia: & colligitur ex c. cum omne crimen, de consecrat. dist. 2. ubi dicitur, Si necesse fuerit, posse botrum in calice exprimi, & aqua misceri, & ita confici. Vnde Aristot. quarto Meteor. ca. x. mustum vocat vinum recens, licet non sit purum & satis coctum, quia nondum separatus aqueus humor, flos, & fex, quæ per decoctionem vini fecerni solent. Idem etiam censeo de musto expresso ex vuis passis, ut moris est apud Abyssinos: quare in huiusmodi musto conficientes non peccant. Quod si ab hoc ritu tanquam minus conuenienti siue potius indecoro retardari nequeant, ferendi sunt, si aliter fieri non possit.

De Sacramen to Ordinis.

Primo, ritus apud Orientales nationes v̄s̄itatus ordinandi pueros ante rationis vs̄um, licet non sit contra fidem, imprimatque characterem Ordinis sacri, etiam in hac ætate, irrationabilis valde, & ideo extirpandus, si ferat illarum nationum conditio.

2. Deinde Ordines collati absque eo quod suscipientes materiā cuiusque ordinis propriam tangant, ut verior sententia tenet, irriti sunt, nulliusque valoris, aut effectus. Quare ordinati iterum sub conditione debent ordinari: ita Romæ fuit decretum, ac executioni mandatum cum fratre Tecla Abyssino, & Monacho Sancti Antonij, anno D. 1594.

3. Cum Stephanus Papa dist. 31. can. aliter tradat Orientalium veterū esse traditionem, ut eorum Sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis nunquam interdixerit Ecclesia, nulla ratione id interdiciendū videtur.

detur, dummodo ante Sacerdotium matrimonium cōtrahatur: lex enim cœlibatus semper grauis visa est & Græcis, & Orientalibus alijs, propterea coniugium permissum est illis ab Ecclesia.

De Matrimonio.

Primo, ritus siue consuetudo contrahendi in aliquibus gradibus sine Summi Pontificis, aut Episcopi dispensatione iure diuino non est prohibitus, quales sunt omnes alij vltra primum in linea transfuersali, vt verior sententia docet, & in linea recta omnes in infinitum.

2. Mos qui communissimus est inter Schismaticos nationes, quo permittitur ob fornicationem matrimonium dissolui, est contra fidem, & ob id non tolerandus.

Hæc sunt quæ exempli gratia, quia fortè difficiliora, à nobis interim sunt allata. Videndæ omninò sunt interrogationes, & responsa Summi Pontificis Gregorij XIII. de quibus supra. Illud tamen inter alia obseruandum Apostolicis ministris, quantum fieri possit, magnopere curandū, vt nationes omnes, quarum reductioni student, matricem Ecclesiarum Romanam Ecclesiam non solum in fundamentis quantum fieri potest, fidei substantialibus, sed etiam in ritibus alijs, & cæremoniis imitentur. Si verò egrè ferant à patrijs ritibus (vt frequenter fieri solet) discedere, saluâ fide Catholica omnia alia sustinenda sunt propter electos. Oportebit tamen sedem Apostolicam passim consulere; si verò non ita facilis sit accessus, re maturè & cum iudicio expensa procedendum erit.

LIBER



LIBER OCTAVVS, DE REDVCTIONE

HÆRETICORVM AD

Catholicam fidem procuranda.

Exhortatio ad conuersionem Hæreticorum.

Primo. Nulla pestis hæresi peior siue ad antiqua bona Ecclesiæ perdenda siue ad viam bonis futuris præcludendam. Magnam quippe prisce Sæcilitatis partem extinxit, & incredibili solitudine futuris bonis minas intentat; quod Europa vniuersa ingenti clade animorum & corporum hac ætate perferens: multis per omnes fermè Romani imperij Prouincias Ecclesijs morbo pestifera prædicationis infectis; & velut ad piæ fidei male vsurpatam persuasionem longo doctrinæ vsu & e mentito nomine veræ Religionis imbutis. Nunquam enim hæresis fuit adeò maligna si errorum grauitatè; nunquam tam varia, si dogmatum diuersitatem. nunquam tam impudens, si calumniosas cōciones, & scripta seditiosa; nunquam tam facilis expugnata, si intestinas Ministrorum contentiones & rixas quispiam intueatur. Nunquam denique tam dispersa, nam vt quædam Hydra Fabularum (vt D. Ambrosius de fide ad Gratian. ca. 4. verbis vtar) vulneribus suis creuit, & dum sæpè reciditur pullulauit, igne debito incendio que peritura. Quapropter vt eleganter Cassian. de incarnatione. Christi c. 1. philosophatur: *Resurgente morbo, non debet cessare medicina: & quo maior fuerit ægritudo, tanto instantior debet esse curatio: potens est enim Dominus Deus noster, vt quod de morte hydra illius gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat, & ignitus Sancti Spiritus gladius ita in extinguenda nouella hæresi omnes penitus medullas perniciose generationis exurat, vt tandem prodigiosa fecunditas emorientibus venis parere desistat.* Hæc Cassian.

Eo igitur magis Catholicorum Principum, & maxime Apostolicorum virorum zelus vrgeri ad hæreticorum conuersionem strenuè procurandum deberet; quo magis (vt ferè in eodem proposito rectè Hilarius 6. de Trinit. scribit) *plures periculo infidelis intelligentia detinentur, vberius gaudium consecutus ex salute multorum, si cognitis Sacramentis perfecta in Deum fidei impia*

humana stultitia instituta desererent, & se Deo redderent hæreticis repudiatis; atque à cibo mortis, quo in laqueum aues solent illici, in volatum se libera securitatis erigerent, sequerenturque Christum Ducem, Prophetas nuncios, Apostolos prauos, fidem consummatam. Hæc Hilarius. Quare quemadmodum in communi aliqua peste seu incendio de salute aut possessione tam sua quam vicinorum quilibet solet esse sollicitus, ita quemlibet saltem ob membra quæ in Ecclesia ægritudine non sunt infecta, ne inficiantur, ac denique hæreticos reducendi cura summe sollicitare deberet.

Notissimum est hæreticos Satanico stimulo, odioque Ecclesie Romanæ incitatos, non solum errores suos acerrime tueri, sed institutis missionibus, & vicinas Catholicorum prouincias, & remotissima quoque Indorum Regna polluere. Cur ergo Catholici viri similem conatum non adhibeant ad veram sinceramque fidem prædicandam, ipsosque sectarios in ouile Christi reducendos?

Secundo, certis indicijs deprehensum est, non modo in Regnis aliis longinquiorebus, verum in ipso primogenito Ecclesie Regno, hoc est Italia, hæresum semina spargi cepisse diebus his: timendumque videtur, ne altas radices egerint, & dormientibus custodibus emergant. Ex quo efficitur vt non leuis obligatio subsit, aream purgandi, & hæreticorum confortia procul arcendi. Quod certè per Ministros idoneos verbi Dei, diuinis virtutibus armatos, sine ferro, deberet attentari & promoueri.

Tertio, Puritas doctrinæ ac Scripturæ Sacre licentiam quam dici possit, corrumpitur, & Sacramenta, vera scilicet culpæ remedia, irridentur. Quis ergo non enitatur è castris Catholicorum, quoad possit, hisce ludibrijs ob stare, vt tueatur arcem salutis, & decorem domus Dei?

Quarto, Regna quæ illustrium Sanctorum germina multa protulerunt, defecerunt ab Ecclesia. Si ergo politici Principes ignominia notari se putant, dum Prouincias patrimonio acceptas, ab alijsque per vim occupatas, comparato exercitu non recuperent; cur non videatur dedecus graue, integra regna à Sectarijs occupata, Ecclesie scilicet hereditatem, proprio Principi, hoc est Christo, per victoriam fidei, Apostolica prædicatione non restituere?

Quinto, Tempora olim Catholico ritu consecrata, in stabula vel secularia tribunalia ab hæreticis versa sunt. Quapropter deberet exurgere Machabæus aliquis, qui doleret Sanctificationem desertam, altare profanatum, & in atrio Domini, velut in saltu virgulta nata. Etenim clementissimus Deus faueret Ecclesie ministris, qui ad opus tam diuinæ maiestati acceptum mitterentur, vt templa polluta in suo candore primæuo reponerent.

Sexto, Temporis oportunitas vehemèter urget. Nam à rebellionem Lutheri

theri, vsque in annum hunc incredibile videtur, quot hæresum monstra pullulauerint: quæ cum inter se discrepent, & alternis ictibus oppugnent, regnum diuisum citoque desolandum videtur; quod viris Apostolicis grandes animos creare deberet, vt gentem cadentem subleuarent.

Septimo, In ipsis Hæreticorum regnis quæ corruptiora videntur, latent plerique Catholici indignè ferentes impuritatem illam quam intueri coguntur. Et profecto æquum est, afflictos illos agnos à lupis circumseptos solari: præsertim cum ipsi rerum conscij parati sint, ad Catholicos ministros adiuuandos. Ex quo & multorum sectariorum conuersio, & multiplex quoque fortium virorum martyrium sperari potest, vt Ecclesia insigniter augeatur, & decoretur.

Ac denique optime Thomas Bozius Tom. 1. de sig. Eccl. lib. 12. c. 23. hæreticorum miseriam & calamitatem deplorat, tum etiam ipsos eleganti oratione hortatur, vt ad Ecclesiam redeant, sequentibus verbis.

• Sed quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt lugeam tot Ecclesie quondam filios, quos impetus Aquilonis prostrauit, & allisit ad terram? quos caligo impietatis circumdedit, tortuosus serpens spiris inuoluit, afflatu pestilentis veneni interfecit? Euersa sunt templa, diruta sunt monasteria, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum: qui nutriebantur in croceis maximarum celestiumque virtutum odoribus, amplexati sunt stercora libidinum, luxus & ebrietatis: candidiores erant olim Nazaræi eius nitæ, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores; nunc expulsi omnes. Successere in multis locis temulentia, luxuries, intemperantia, stoliditas. Vsquequo dissolueris delicijs filia septemtrionis vaga, & modo huius hæresis turbine circumfereris, modo illius vortice vinolenta absorbereris? Respice meliorem tui partem vt adhuc stet, & auitæ religionis, virtutumque splendore non inter mortuo coruscet. Recordare maiorum tuorum, qui te euexere ad omnem quamcumque habes humanitatis, nobilitatis, magnificentie, & literaturæ laudem. Nullæ olim inter tuos litteræ erant, nullæ vrbes, & ædificia, nulla familiarum dignitas, nulla cum cæteris gentibus societatis humanæ tuta cõmercia. Horrebant omnia syluis, squallebant incultæ regiones, ferro & prædationibus omnia miscebantur; prisce nobilitatis cognitio nulla. Bonifacius Anglus à Gregorio secundo missus, Cyrillus ac Methodius à Nicolao Primo, omnium quæcumque in te elucet, bonorum fundamenta iecere, horum deinde alumni exornarunt omnia tua, finitimasque Regiones excoluerunt, ac nobilitarunt. Nunquid in antiquam barbariem feritatemque relabi voles? fastidis tot bona ac tanta, tot ac tantis nostrorum laboribus tibi parta, quorum nihil antea potiebaris? Respice infelix ad petram, vnde excisa es, & ad ca-

uernam lacus, vnde præcisa olim fuisti à successoribus Petri, ad quem dictum fuit, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, procuratum est continenter vt in hanc spem cõformareris: ab eius alumnis aquam baptismi, quo fordes antiquos abluisti, acceperas, & nunc quid tibi cū fluuijs Aegypti, vt bibas aquam turbidam? Audisti in, in quos scelerum gradus abominandos præceps sis deuoluta? An eo etiam v. is deturbari, quomiserima Græcia? Hactenus Bozius.

Ordo seruandus.

ADuersus omnes huius temporis hereticorum errores disputare arduum sane opus, pœneque immensum, & quod huius tractatus breuitatem & scopum excedit. Quare ex diuersissimis ac infinitis disputationibus quas Catholici contra hereticorum errores congefferunt, quasdam principales, quæ ceterarum omnium capita & fontes esse videntur selegimus, in quæ tanquam in doctrinalia quædam principia, omnia alia probationum media resoluantur: quibus semel probatis & ostensis, necessario omnes aliæ errorum radices euellentur. Quare tantum de Ecclesia Catholica tractabimus, vbi & penes quos sit vera Christi Ecclesia, nã si ostendamus apud nos veram esse Ecclesiam, actum est de hereticis.

De hoc argumento optime inter alios egit Thomas Stapletonius in sua Analyfi: nos autẽ tam ex ipso, quã alijs grauissimis authoribus, præcipuè tamen ex doctiss. Card. Bellarmino, breuitati consulentes, quæ posteriora sunt seligemus; quæ proderunt tum ad hereticos, tum ad schismaticos, qui iisdem ferè tenebris sunt implicati, confutandos.

PRIMA PARS.

CAPVT I.

De notis & signis Ecclesiæ, in qua ostenditur Romanam Ecclesiam veram esse & vnicam in terris Ecclesiam.

Christus ex tota hominum multitudine gratia sua & misericordia quosdam sibi selegit, eosque certis legibus inter se constringens societatem seu rempublicam quandam instituit, quam Ecclesiæ nomine appellari

pellari voluit, eaque illa est, quam nos vnam, & non plures agnoscimus, quæ definitur, Cœtus hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communionem colligatus sub regimine legitimum Pastorum, ac præcipuè vnius Christi interris Vicarij Romani Pontificis. Et hæc sunt quæ absolutè requiruntur, vt aliquis sit de Ecclesia. Est enim inquit Augustinus (in breuiculo collationis col. 3.) corpus vnũ ex anima & corpore constans: anima sunt virtutes internæ, spes, fides, charitas, &c. Corpus externa fidei professio, & sacramentorum communicatio, &c. Vnde quidam sunt & de anima & de corpore Ecclesiæ, ac proinde vniti Christo capiti interius, & exterius membra viuia dici possunt, quamuis aliqui magis, aliqui minus, aliqui etiã solũ vitæ motum habentes, quasi sensum sed non motum, vt qui solam fidem habent: alij de anima & non de corpore, quales sunt Catechumini & excommunicati, si fidem habeant & charitatem. Alij demum de corpore, & non de anima, qui nullam habent scilicet virtutem internam, sed tantum exterius communicant nobiscum in iisdem Sacramentis.

Est autem hæc Ecclesia visibilis, quicquid oblatrent Heretici, hi enim cum non possint suorum dogmatum aut Ecclesiæ successionem non interruptam ab Apostolis ostendere, eò confugiunt; vt dicant Christum inuisibilem instituisse Ecclesiam in qua soli sunt boni, quorum cum pietas lateat, ignorari quinam ad Ecclesiam pertineant. Sed huic sententiæ scriptura sacra, & ratio ipsa aduersatur.

Primo, quia vbicunque in scripturis inuenitur nomen Ecclesiæ (vt Numer. 20. *Cur eduxisti Ecclesiam meam in solitudinem?* 3. Regum. 8. *Conuertiteque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel.* Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 18. *dic Ecclesiæ.*) semper significatur congregatio visibilis.

Secundò, vbi non nominatur quidem Ecclesia, sed tamen describitur, visibilis adhuc designatur, Pl. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, id est, iuxta August. In manifesto posuit Ecclesiam suam, ita vt sicut nequit sol omnino latere, ita nec Ecclesia.* Isa. 2. & Mich. 4. comparatur Ecclesia monti magno & conspicuo secundum Hieron. & August. Matth. 5. *Ciuitati supra montem positæ, iuxta August.*

Tertio, ex ipso ortu, & progressu Ecclesiæ. In veteri testamento adeo visibiliserat, vt in ipsa carne Iudæi portarent visibile circumcissionis signum: In nouo fuit in principio tota in Christo, & Discipulis eius, qui adeo visibiles erant, vt super eos visibiliter descenderit Spiritus sanctus. Deinde additi sunt illis vna die ad tria millia per fidei confessionem, & baptismum, ac deinceps illi omnes & soli habiti sunt de Ecclesia Christi qui ad illos primos se adiunxerunt per baptismum, & fidei confessionem, & in-

de non exierunt per hæreses, aut schismata aut excommunicationem.

Quartò, Ecclesia est societas hominum, sociari autem homines nequeunt, nisi se agnoscant & copulentur, externis & visibilibus signis, vt ait August. 19. contra Faustum. 11.

Quintò, tenemur sub periculo damnationis nos adiungere Ecclesie veræ, capiti obedire, & cæteris communicare membris, vt patet ex Cyp. Hieron. & August. At hoc fieri nequit, si Ecclesia est inuisibilis. Huic Ecclesie siue Reipub. Christianæ Deus eximia quædam priuilegia cõcessit, qualia extra hanc congregationem inueniri non possunt.

Primum est, in Ecclesia sola, esse notitiam Dei, diuinarumque rerum nullo errore permixtam intelligentiam, eamque ita esse certam ob Christi spiritus informationem, vt error in fide apud illam esse nequeat. Est enim Ecclesia (vt Paulus docet 1. ad Timoth. 3.) *firmamentum & columna veritatis*. Præterea vera Ecclesia gubernatur à Christo vt à sponso, & à Spiritu Sancto vt ab anima. Ergo si errat Ecclesia in dogmatibus fidei, & morum, error Christo & spiritui sancto tribui deberet. Et si sponsus non teneatur à sponsa remouere omnem ignorantiam, tenetur tamen si potest, omnem errorem, ex quo malum oriatur magnum, & magnum esset malum Ecclesiam falsa fide colere Deum. Tertio Ecclesia est sancta, ista autem sanctitas in professione dogmatum consistit: & proinde Ecclesia nihil poterit docere nisi verum.

Secundum priuilegium est hanc Ecclesiam visibilem (quæ columna est veritatis, & aduersus quam portæ inferi non præualebunt,) perpetuo duraturam: quod manifestè Christus promisit Matth. cap. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Cumque Apostoli quibus hoc dixit non essent permansuri, sine dubio ad eorum successores ista se extendunt. Deinde psal. 47. dicitur de Ecclesia visibili, *Deus fundauit eam in æternum*, iuxta August. Et Isaiæ 61. *Fadus perpetuum seruiam eis, & scietur in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*.

Tertio area, ager, conuiuium, ouile significant in Euangelio Ecclesiam inuisibilem. At eadem parabolæ docent eandem permanfuram vsque ad diem Iudicij, Matt. 3. *Ipsè mundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*: quod non fiet ante diem Iudicij. Item: *sinite utraque crescere vsque ad messem*, messis autem cõsummatio sæculi est.

Quarto regnum Christi est vera Ecclesia: Non dicitur autem regnum aliquot homines separati ab inuicem, & occulti, qui se non nouerunt: sed multitudo hominum congregatorum qui se inuicem agnoscant: At regni Christi non erit finis Luc. 1. Daniel. 2. Psal. 88.

Tertium

Tertiū priuilegium ad prædicta consequitur, in Sola Ecclesia esse verū Dei cultum, synceram sacramentorum administrationem, sanctas Deoque acceptas cæremonias.

Quartum est Christum sanctissimæ passionis laborumque suorum merita in sola Ecclesia reposuisse, quorum illi tantum participes efficerentur qui se ad Ecclesie coniunctionem reciperent. In hac ergo Ecclesia sola accipitur peccatorum remissio, gratia Dei, iustificatio, sanctificatio: soli Ecclesie filij bonis operibus merentur apud Deum, vel augmentum Iustitiæ vel æternam vitam: soli sunt grati & accepti Deo amici & filij Dei, soli communionem habent cum sanctis sacramentorumque meritis, soli ornati sunt veris seu Christianis virtutibus: soli promissionem habent certamque expectationem vitæ æternæ.

Magna itaque priuilegia & verissima Ecclesie: nam extra Ecclesiam nihil horum reperitur, nulla virtus Christiana, nulla operatio Deo accepta, nullum meritum, nulla spes salutis: hæc quidem fortassis non agrè admodum nobis assentientur Hæretici. Totā porro difficultas in eo est, penes quos inueniatur Ecclesia ista, dum singuli ad suas congregationes eam pertrahunt: cuius litis euidenter dirimendæ gratia Christus Saluator pro sua in humanum genus charitate, aliqua certa indicia, & signa, notatque reliquit, quibus hæc sua Respublica ab aliis cœtibus dignoscetur: ne si quis ab infidelibus ad Ecclesiam se conferre velit, dubius hæreat, quam ex tanta congregationum diuersitate potissimum amplecti debeat, quarum quælibet se nomine Ecclesie tot priuilegiis instructæ iactat. Rerum autem quæ inquiruntur notæ eiusmodi esse debent, quæ & clariore rebus ipsis sint, & à communi consuetudine non alienæ.

Quocirca qui eo penes se esse veram Christi Ecclesiam contendunt, quòd se verbum Dei syncerè interpretari, & Sacramenta purè administrare affirmant; non satis id aperte demonstrant; cum istud non minus in dubium vocetur, & omnibus sit occultum atque illud quod quærebatur. Cum enim, vt diximus, hæc sint Ecclesie priuilegia & proprietates, quicumque ad suum cætum Ecclesie nomen transfert, is utique proprietates eius omnes se habere dicet: & qui de numero Gentilium veram Ecclesiam quæret, nihil certi inueniet, quando omnes audit de syncera verbi diuini prædicatione, & Sacramentorum administratione gloriari, aliosque à se mendacij arguere. Nam Lutherani hæc penes se esse docent, non apud Calvinistas, Anabaptistas, &c. Contra Calvinistæ apud se solos, non apud alios ea reperiri volunt, atque ita de cæteris.

Quare tractationem de notis Ecclesie vtilissimam esse ex eo maximè constat, quod per eas dignoscatur vera Ecclesia, in qua sola est salus: in quibus

quibus assignandis placuit sequi doctiss. Cardinalem Belarminum, adducendo Ecclesiæ notas ab ipso, (breuius tamen) recensitas, addendoque alias non parum vtilis.

C A P V T II.

Prima, & vera nota Ecclesiæ, ipsum nomen Catholicum.

An tequam veras Ecclesiæ notas aggrediamur; breuiter ab hæreticis excogitatas oportebit refellere.

Lutherus septem notas proponit: Primo, veram & incorruptam Euangelij prædicationem. Secundo, legitimam Baptismi administrationem. Tertio, legitimum Eucharistiæ usum. Quarto, legitimum usum clauium. Quinto, legitimam ministrorum electionem qui doceant, & Sacramenta ministrent. Sexto, orationem publicam, & psalmodiam, ac Catechismum lingua vernacula. Septimo, mysterium Crucis, id est, tribulationis, intus nimirum mestitiam, pusillanimitatem, terrores, & exterius videlicet paupertatem, contemptum pro hæreticis haberi.

Confessio Augustana, & Caluinus duas tantum proponunt, scilicet prædicationem synceram verbi Dei, & syncerum usum sacramentorum, quæ reuocari possunt ad quinque primas Lutheri.

Centuriastæ duas addunt, nimirum constantiam in fidei confessione, & obedientiam erga ministros verbi, quatenus verbum administrant, sed comprehenduntur hæc duæ in quinta & septima Lutheri.

Refellitur prima Lutheri, primo quia notæ quibus aliquid dignoscatur debent illi esse propriæ, & secundum rem, & secundum communem opinionem vt patet, sed nulla est secta quæ se non asserat habere puram Euangelij prædicationem. Quomodo ergo per huiusmodi prædicationem poterit cognosci, quæ sit inter omnes sectas vera Ecclesiæ? Secundo notæ debent esse notiores re cuius sunt notæ. At notior est Ecclesiæ prædicatione verbi: non enim aliunde scimus quæ sit vera prædicatione verbi, quam per Ecclesiam, vt docent Iren. & Tertull. Deinde ita volunt aduersarij prædicationem verbi esse notam Ecclesiæ, vt simul velint requiri eius receptionem, id est credatur. At nobis ignoti sunt qui verè Euangelio credunt.

Deinde 2. 3. 4. & 5. iisdem refellitur argumentis, quibus prima, deinde Ecclesiæ Corinthiorum tempore Pauli, & Africana tempore Cypriani vera

vera erat Ecclesiæ, & tamen illi circa usum Eucharistiæ, hi vero Baptismi, non mediocriter errabant.

Sexta, si loquatur de interna inuocatione, cum hæc sit inuisibilis, non erit nota, sed neque de externa, cum sit communissima: nam omnes sectarij huius temporis dicunt orationem dominicam, & canunt psalmos lingua vernacula.

Septima refellitur, quia internæ tribulationes sunt inuisibiles: adde pusillanimitatè esse vitium: & regnum Dei esse gaudium in Spiritu Sancto. Externæ non sunt perpetuæ, nam in principio & fine Ecclesiæ tribulationes patitur, at in medio florentissima extat. Prima Centuriatorum impugnatur, primo, quia non nisi ex Ecclesiæ vera constat, quæ sit vera fidei confessio. Secundo, multæ sunt sectæ quæ de suis martyribus gloriantur, vt Montanistarum, Malsilianorum, Donatistarum, Anabaptistarum, & nostra Ecclesiæ Catholica etiam innumerabiles habet Martyres. Lutherana vero suæ confessionis paucissimos: Quomodo ergo per id dignoscetur Ecclesiæ vera?

Quare his notis reiectis ad primam Ecclesiæ notam stabiliendam accedamus, quam diximus esse nomen Catholicum, pro qua stabilienda obseruandum est primo, aliud esse euidenter verum, aliud euidenter credibile: illud est quod in se, vel in suis principiis, videtur, hoc quod neutro videtur modo, habet tamen tot & tam grauia testimonia, vt quilibet vir sapiens id merito credere debeat.

Secundo nos non velle Ecclesiæ notas quas asserimus facere simpliciter ac omnibus euidentiam veritatis: alioqui nulli inuenirentur illas negantes, facere tamen euidentiam credibilitatis iuxta illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Tertio recipientibus scripturas diuinas, historias, & PP. facere euidentiam veritatis: hoc enim est euidenter verum, quod euidenter deducitur ex principiis certis.

Etsi autem veræ notæ Ecclesiæ variæ à varijs numerentur, nos producemus, quæ facile ad illa quatuor Symboli, *vnam sanctam, Catholicam, & Apostolicam reuocari poterunt.*

Prima est ipsum nomen Catholicæ Ecclesiæ, & Christianorum, (hoc enim est notissimum vt patet) item & propriissimum veræ Ecclesiæ, sicut docent PP. August. lib. contra epistolam fundamenti c. 4. Cyrillus Catech. 18. *Si veneris in aliquam urbem non petas vbi sit Ecclesiæ, vel domus Dei, nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei & Ecclesiam, sed petas vbi sit Ecclesiæ Catholica, id enim nomen proprium est huius sanctæ Ecclesiæ matris omnium nostrarum.* Pacianus in epist. ad Sympronianum quæ est de nomine Catholico, *Certe non est ab homine mutatum, quod per secula tanta non cecidit: Catholicum istud nec*

Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit auihores. Iustinus docet sectas prauas denominari ab Hæresiarchis. At, vt inquit Athanasius serm. 2. cōtra Arianos, numquam populus (scilicet Dei) ab Episcopis suis, sed à Domino in quem creditum fuit nomen accepit. Certe à Beatis Apostolis præceptoribus nostris appellationes adepti non sumus, sed à Christo Christiani sumus & nuncupamur. Illi vero qui aliunde originem suæ fidei deducunt, merito aut horum suorum cognomenta præ se ferūt, &c. Chrysostronus hom. 33. in acta Apostolorum. Illi habent, inquit, quosdam à quibus appellantur: prout enim & hæresiarcha nomē, ita & secta vocatur, nobis autem nullus vir nomen dedit, sed ipsa fides. Hieron. contra Luciferianos in fine: scubi audietis eos qui dicuntur Christiani non à Domino Iesu Christo, sed à quocunque alio nuncupari, Marcionitas, Valentianos: scito Ecclesiā non Christi sed Antichristi esse synagogam.

Obijciunt nos vocari Papistas & Romanenses, sed hæc quamuis sint honorabilia nomina, à quibusnam taliter nuncupamur, nisi à solis Lutheranis & Caluinistis: non enim ita in Asia, in Africa, Indijs, Græcia, Italia, Hispania, &c.

CAPVT III.

Nota Secunda, Antiquitas.

Antiquitatem esse Ecclesiæ notā patet, quod sine dubio Ecclesia antiquior manifestè sit vera: sicut enim dicitur Catholica, quia omni tempore fuit, ita & Apostolica, quia ab Apostolis fundata: & proinde antiquissima. Nostram autem esse antiquiorem omnibus hæreticorum sectis facile probatur. Nam est illa ipsa quam instituit Christus: siquidem in omni mutatione insigni Religionis semper ista fex demonstrari possunt. primo Author eius, secundo dogma aliquod nouum, tertio tempus quo cæperit, quarto locus vbi cæpit, quinto quis eam oppugnarit, sexto. exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim alijs accedentibus crenerit. At nihil horum aduersarij vnquam de nostra Ecclesia post Apostolica tempora demonstrare potuerunt. Nusquam enim nobis obiecerunt auctorem nostræ sectæ, aut ab aliquo particulari homine nos appellauerunt: non solū nusquam ostenderunt originem post Christum dogmatis nostri, sed Cæturiores in singulis Centurijs annotāt qui auctores defenderint nostra dogmata, nec originem inueniunt nisi Apostolorum tempore. Nam Iustinus & Irenæum inter eos nominant, quos constat vicinos Apostolorum temporibus; numquam potuerunt ostendere tempus certum nostræ defectionis ab Ecclesia, & quo loco cæperit. Nam post quingentesimum annum

annum, quo dubitanter dicunt incepisse, floruit Gregorius Magnus, cū quo totus orbis Christianus communicauit, non habent: proferunt quidā Concil. Constantinopol. sub Copronico, sed illud illegitimum & impium fuisse constat. Nec enim aut per se, aut per legatos affuit S. Pontifex, nec tres præcipui Patriarchæ Alexand. Antiochen. & Hierosol. & nusquam fuit numeratum inter legitima, vt probat Bellarm. lib. 2. de Concil. ca. 8. Deinde non damnauit nouum dogma, sed antiquum de imaginibus (cultu latriæ) honorandis. Multo autem plures adhærisse Romano Pontifici semper, quam quibuscunque sectis, satis constat ex epistolis Summorum Pontificum, ad diuersas orbis partes, & ex historiis. Hoc argumento ab auriquitate vsi sunt Tertull. de præscript. *Qui estis vos, inquit, vnde, & quando venistis? vbi tam diu latuistis?* Optatus libro 2. contra Parmen. *Vestra Cathedra originem ostendite: qui vultis vobis Sanctam Ecclesiam vindicare.* Hilarius 6. de Trinitate ante medium, Hier. epistola ad Pammachium & Oceanum, *Quisquis es assertor nouorum dogmatum, queso te vt pateas Romanis auribus, patet fidei qua Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nesciuimus? Vsq̄ in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus factus est.* August. contra epist. fundamenti cap. 4. ponit antiquitatem inter Ecclesiæ notas.

Quod autem dicant hæretici, suam Ecclesiam non esse nouam, sed illā ipsam quam fundauit Christus, quæ per multa sæcula non apparuit, sed nunc repente visa est, conuellitur, primo, argumento D. Augustini contra Donatistas lib. 3. de baptis. c. 2. Nam aut ista Ecclesia quæ nunc apparuit, ante perierat, & nunc resurrexit; aut solum latuerat, & nunc extulit caput. Non prius, quia quomodo potuisset renasci, si mater eius perierat? deinde promissiones Christi pro Ecclesia sua contrarium docent. Si posterius, vel ipsa Ecclesia latens profitebatur suam fidem, vel non: si prius, ergo non latebat: si posterius, ergo non erat vera Ecclesia: quia iuxta aduersarios est nota Ecclesiæ fidei confessio. Secundo, fuisse Ecclesia Christi miserabilior omni secta impia, nam nulla fuit hæretica, quæ non sua habuit templa, & ritus apparentes. Iudæi etiam post Christum semper aliquas habuerunt Synagogas, nec vsquam coacti generaliter Deos alienos adorare. At Ecclesia per mille annos, ne quidem angulum terræ habuisset quo suam exercebat religionem, & coacta feruisset dijs alienis.

Nota tertia, Duratio diuturna nunquam interrupta.

Ecclēsia dicitur Daniel. 9. Regnum quod in aeternum non dissipabitur: at hæretici ultra non proficiunt, inquit Paulus 2. Timot. 3. & schismatici semper initio feruent teste Cypr. lib. 4. epist. 2. sed incrementa habere non possunt. Ecclesia autem nostra durauit ab initio mundi; vel si de statu noui testamenti loquamur, à Christo, vsque huc oppugnantibus Iudæis, Paganis, Hæreticis, ex quorum persecutionibus creuit, & eleuata est: Regna uero temporalia fuere destructa: sicut aquæ diluuij ob RUEBANT facile Regum palatia. Arcam uero Noe magis ac magis attollebant. Nam si nostra Ecclesia non est illa antiqua Christi, ergo perit omnino aliquando uera Ecclesia. Siquidem ante Lutherum, erant solum in mundo hæsectæ. Paganismus Iudaismus, Mahumetismus, Græcismus, Nestorianismus, Hufitorum hæresis, & Romana Ecclesia: fatentur aduersarij nullam harum (præter Romanam) fuisse ueram Ecclesiam, ergo Romana erat uera Ecclesia. At Lutherani uix nati arefcere ceperunt. Cæpit enim Regnum Lutheri anno 1517. Surrexit autem Zwinglius 1525. Post duos alios annos Anabaptistæ, qui maiorem Lutheranorum partem ad se traxerunt. Qui uero Lutherani manserunt, ad eodē mutarunt doctrinam Lutheri, ut uix iam inueniantur puri Lutherani. Zwinglius non diu regnauit, nam anno 1538. surrexit Caluinus, qui ita breui inualuit, ut uix pauca quædam oppida Heluetiorum Zwinglianis reliquerit: ipsi quoque Caluinistæ per Libertinos in Gallia, Puritanos in Anglia, Trinitarios in Polonia, & Samofatenos in Transyluania quotidie magis minuuntur.

Ergone dubitabimus (inquit D. Augustin. lib. de utilitate credendi c. 17.) nos in illius Ecclesie sedere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit? Bremem aperiam animi mei sententiam proferam, in illa Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsque ad diem hanc durat, ait Hieron. in extremo dialog. aduers. Lucifer.

Nota quarta. Amplitudo seu multitudo, & uarietas credentium.

IN qua hæc consideranda sunt. Primò, ueram Catholicamque Ecclesiam debere amplecti omnia loca & hominum genera. Secundò,

NOX

Non requiri ut sit Catholica Ecclesia in omnibus hominibus totius mundi, sed tantum ut innotescat omnibus Prouinciis, ac in omnibus fructificet. Tertio, Non requiri ut hoc fiat simul, sed sufficere fieri successiue. Quarto Nihilominus debere Ecclesiam nunc fuisse, uel esse in maiori orbis parte: Ecclesia enim omnium consensu iam senit: si ergo in adolescentia sua non creuit, quomodo in senectute crescet? Iam uero nostram Ecclesiam hanc habere amplitudinem probatur: Tempore Apostolorum fructificare cæpit, in toto mundo teste Paulo Coloss. primo. Tempore Irenæi, erat per uniuersas Prouincias tunc cognitæ sparsa. Idem testatur de suo tempore Tertullianus, Cyprian, Athanas, Chrysof. August. Gregor. Bernard. Denique nostro tempore habet Ecclesia Romana Catholicos in Hispan. Gallia, Italia, Germania, Anglia, Polonia, Bohemia, Hungaria, Græcia, Syria, Æthiopia. Aegypto. & ad Orientem, sine adiunctione hæreticorum in Indiis, ad Occidentem in America, ad meridiam in Brasilia ad septemtrionem in Iaponia. At secta Mahumeti, cum Hæresibus Nestorij, & Eutychetis quæ adhuc in oriente uigent, nunquam transferunt ad Occidentem, Lutheranorum uero nusquam Asiam, Africam, Aegyptum uiderunt. Itaque pulchre August. ait Ecclesiam esse ubique, hæresim ubique, sed Ecclesiam ubique eandem, hæresim uero diuersissimam, ita ut raro inueniatur Ciuitas quæ ab una aliqua secta possideatur tota. Sunt enim hæreses ueluti sarmenta præcisæ, quæ manent ubi cadunt dum præciduntur. Ecclesia uero sicut uitis uiua, quæ palmites suos ubique exrendit. Nec sperare debent hæretici sectam suam aliquando totum orbem occupaturam, non enim nunc Ecclesia debet incipere crescere, cum iam senuerit.

Nota quinta. Successio Episcoporum in Romana Ecclesia, ab Apostolis deducta vsque ad nos.

Primò, quia Ecclesia hac ratione dicitur Apostolica. Secundò, quia hoc signo ut euidentissimo, uisunt omnes ueteres, ad ueram Ecclesiam ostendendam. Tertio. *Quia Ecclesia non est* (inquit Hier. contra Lucifer.) *quæ non habet Sacerdotes: cum doceat Apostolus futuros Pastores in Ecclesia vsque ad diem iudicij.*

Illi autem soli semper habiti sunt Episcopi ueri, qui legitime ab Apostolis descendisse demonstrantur, nimirum per successionem, & ordinationem. Dominus enim solum duodecim Apostolos elegit Episcopos & Sacerdotes, eisque commisit omnem auctoritatem pascendi & regendi Ecclesiam: non ergo erunt ueri Episcopi nisi qui auctoritatem ab Aposto-

lis receperunt: ad successionem vero requiritur, ut is qui verus Episcopus haberi cupit, alicui succedat Apostolo, vel alicui Episcopo facto ab aliquo Apostolo. Nec enim nouorum Episcoporum institutio pertinere potest ad vllum, qui definitam habet regionem, quales sunt Episcopi particulares, sed cui proprie incumbit Ecclesiam propagare. Ad ordinationem vero ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis qui & ipsi sint ab alijs ordinati, & illi ab alijs, donec ad Apostolos veniatur. Quia tamen veteres heretici consueuerant ut plurimum Ecclesiam imitari in Episcoporum ordinatione, ideo Patres non reprehenderunt in iis nisi defectum successionis. Nos ergo ostendimus in Sede Apostolica, id est, Romana, continuam à B. Petro successionem, & si defecerint aliæ sedes Patriarchales, & tot graues in Ecclesiam Romanam ingruerint persecutiones. Nullum habemus Episcopum, in quo non legitima ordinatio inueniatur. At Lutherani omnino Episcopis carent. Nam quicumque inter eos pro Episcopis se venditant, non fuerunt ordinati à tribus, aut ex dispensatione, ab vno assistentibus Abbatibus: neque successerunt Episcopis antiquis, tum quod in urbibus omnibus ubi se fecerunt Episcopos, erant, & sunt nunc in plerisque Episcopi Catholici: non succeditur autem nisi Episcopis defunctis, aut legitime depositis: tum quia fatentur se primosearum urbium Episcopos.

Nota sexta. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua.

Vera Ecclesia dicitur, ut ait Tertull. lib. de præscriptio. non solum propter successionem ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ constantiam, quia videlicet Ecclesia retinet doctrinam quam Apostoli tradiderunt. Certum autem est Ecclesiam primis 560. annis, hanc doctrinam retinuisse, & proinde fuisse veram Ecclesiam.

Hanc notam conuenire nostræ probatur Ecclesiæ, Primo, ex omnibus controuersijs, quibus ostenditur PP. eadem sentire nobiscum. Secundo, ex confessione aduersariorum. Calvinus in sua institutione, cum nostram oppugnat, fatetur se toti antiquitati repugnare. Centuriatores annotant in singulis Centurijs ad fin. ca. 4. omnes fere Doctores huius sæculi docuisse dogmata quæ nos nunc tuemur.

Eandem notam non conuenire hæreticis probatur, ex eo quod dogmata aduersariorum fuerint habita pro exploratis erroribus, ab Ecclesia antiqua, ut passim in controuersijs habetur, & breuiter ostenditur ex catalogo hæreseon, apud Bellarm. lib. 4. cap. 9. de notis Ecclesiæ. nec enim PP. hæ-

PP. hæreticos aliquos appellassent nondum pro talibus iudicatos ab Ecclesia.

Nota septima. Vnio membrorum inter se, & cum capite Romano Pontifice.

Nam Ecclesia dicitur vnum corpus, ouile, vna columba, præcipua autem vnitas corporis consistit in coniunctione membrorum cum capite, & inter se, (quæ certè nota per se facile cognoscitur, estque soli veræ Ecclesiæ propria) nam vnione membrorum cum capite PP. solènt dignoscere, qui de vera Ecclesia sint, qui non: Rogauit (inquit Ambros. de obitu Satyri) *Si cum Episcopis Catholicis, id est, si cum Ecclesia Romana communicares.* Hier. Epistola ad Damas. *Hic (inquit) in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat, ego interim clamito Si quis Cathedra Petri iungitur, meus est.* Optatus lib. 2. contr. Parmen. inde probat Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quod non essent coniuncti cum Syricio Papa. His consonat August. epist. 162. & Leo epist. 87. *ut exortem, inquit, se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Vnionem vero membrorum solius esse Ecclesiæ probatur, Primo, quia Ecclesia hæreticorum est Diaboli regnum discordiarum authoris. Ecclesia vera regnum Dei quod promisit se daturum vsque ad finem sæculi, & proinde non per varias dissipandum sectas. Omne enim regnum diuisum in se ipsum desolabitur.

Nostram Ecclesiam esse illam veram demonstratur. Primo quia omnes in ea scriptores, & Concilia, licet diuersorum temporum & locorum, mirifice conueniunt inter se de rebus fidei. Cuius rei argumentum est, quod aduersarij diligenter euoluerint omnia, & nihil inuenierunt momenti quod reprehendere possent: & nunc omnes Catholici idem in fide omnino sentiunt. Secundo, quia nulla fuit secta, in qua talis consensus fuerit. Pagani suos Deos inter se faciunt belligerantes. Philosophos constat in varias sectas de rebus grauisimis, & ad salutem necessarijs dissipatos. Hæresis Simonis mox diuisa est in Menandrianos, Basilidianos, & Saturnianos. Valentini cum essent plurimi, vix duo, aut tres, inter se conueniebant, teste Ireneo. Donatistas testatur D. Augustinus lib. 1. de baptis. c. 6. in multa minutissima frustra suo tempore fuisse concisos. Ex Marcionistis statim prodierunt Lucianistæ, Apelliani & Seueriani. Mōranistæ pepererunt Pepuzianos, Artotyritas, Phrygastas, &c.

De Manicheorum diuisione vide August. 1. de hæres. 46. Massiliani partiti sunt in Martyrianos, Satharianos, Enthusiastas. Arriani singulis fere annis fidem mutabant, teste Hilar. in vtroque libro ad Constantium. Eutichia-

tychiani a deo diuisi sunt, vt omnes ferme sectæ, quæ postea in oriente extiterunt, ex illis traxerint originem.

Nostris temporibus Lutherani vix dum nati diuidi cœperunt in Anabaptistas, Confessionistas, Sacramentarios & rursus quæque sectæ in alias vsque ad 34. Et hoc quidem tempore Staphyli: nunc autem numerantur ferè 100. diuersissimæ, ab vno prodeuntes Luthero. Sed nec ipsi Authores hæretici inter se consentiunt, quæ est, (etiam testimonio Lutheri) nota certissima falsæ doctrinæ. Lutheri contradictiones innumeras collegit Cochleus, obseruatque eiusdem hæretici 36. varias sententias de communionem sub vtraque specie. Confessio Augustana ita immutata est varijs editionibus, vt ipsi nesciant quæ sit verè germana.

Responderet Calvinus non esse mirum si ex religione sua mox oriantur diuisiones: cum id acciderit Ecclesiæ Apost. ex qua Simoniani, Nicolaitæ, &c. Secundo etiam inter nos esse diuisiones. Primo, quot monasteria, tot Schismaticorum conuenticula: olim namque omnes monachi percipiebant Sacramenta in communi Ecclesia, cum reliqua plebe, nunc autem minime. Secundo, tot Scotistæ, Thomistæ, &c.

Ad primum, Ecclesiam veram non gignere per se nisi vnitatem, cum quia doctrina eius per se vna, & firma est: tum quia si quæ oriatur quæstio, adsit summus Iudex qui sententiam ferat, cui omnes parent. Quod si aliqui abutantur doctrina Ecclesiæ, & hæretici fiant, ex suo capite, atque diabolo occasionem trahunt, statimque eijciuntur ex vera Ecclesia. At Ecclesia hæreticorum per se diuisionem parit. Nec enim doctrina eius satis constat sibi, nec vllus est absolutus Iudex, qui controuersias componat, sed vnusquisque se præponit alijs. Cum ergo videamus inter Lutheranos & Calvinistas hoc contingere, nec finem esse diuisionum eorum, ad veram Ecclesiam pertinere nequeunt.

Ad secundum negatur propositio, ad primam probationem antiquitus etiam Monachos solitos in proprijs monasterijs Sacramenta sumere, vt constat ex Casian. coll. 16. c. 15. Nec hoc diuersum altare formaliter facit, alioquin & facerent omnes Episcopi & Parochi: sed tantum materialiter, quod veram vnitatem non tollit: cum omnes in eadem doctrina conueniant, & obediunt Papæ. Nec moueant diuersa nomina Religionum, puta Dominicanorum, Franciscanorum, &c. non enim sumpta sunt ab authore doctrinæ, sed institutore seuerioris vitæ.

Ad secundum, Thomistas, Scotistasque non dissentire in rebus fidei, & quicquid dicunt, Summi Pontificis iudicio se submittere. At hæretici dissentiunt de rebus fidei inter se, vnus enim alium pro hæretico habet, & quamuis eundem Lutherum patrem agnoscant, tamen soli se proprio submittere iudicio:

Nota

Nota octaua. Sanctitas doctrinæ.

ID est nihil continere falsum quoad fidem doctrinæ, nihil iniustum quoad fidem morum, ideo enim dicitur Ecclesia sancta. Ex hac nota euidenter patet non esse Ecclesiam veram nisi nostram. Nam quam superstitiosè pagani vniuersaliter Deorum multitudinem & simulachra colebant. Philosophi quàm male de vltimo fine scripserunt. Legislatores quàm impiè alij adulteria, alij incestas nuptias alij alia scelera permittentes. Mahumetani docent omnes saluari in suis legibus, beatitudinem esse in cibo & potu. Iudæi post Christum orti fuisse dicunt Adamum congressum cum omnibus bestijs, nec potuisse libidinem explere nisi in congressu Euæ. Offerendum esse holocaustum pro peccato Dei cum diminuit lumen lunæ, &c. Hæretici alij scortationes vt Gnostici; alij omnia scelera, vt Carpocratiani; alij sacrificia ex humano sanguine vt Montanistæ &c. tuentur. At Ecclesia nostra nullum errorem, nullam turpitudinē, nihil contra rationē docet: vt cōtra Paganos & Hæreticos probat D. Thom. libr. cōtra Gētes.

Lutherani omnes maximè extollunt spiritum precum & inuocationem. & tamen hæc fides tollit orationem Dominicam: nam si certo credo (vt ipsi dicunt) me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico, Dimitte nobis debita nostra. Præterea manifestissime errant, docentes quod infantes dum baptizantur vtantur ratione, audiant verbum Dei, credant, diligant, &c. Quod tamen apertè pugnat veritati: quomodo enim credibile est infantem qui plorat, & reluctatur quantum potest dum abluitur, intelligere quid agatur.

Calvinistæ porro habent tanquam propriam sententiam illam pietati & rationi omnino contrariam, quod omnia absoluta necessitate veniant, quodque Deus sit causa peccatorum. ac demum Anabaptistæ præter alia multa dogmata absurditate plena habent nocturna conuenticula, in quibus nuptias caninas exercent, & aperte etiam proprijs fororibus iunguntur, imo licet fratri germanam sororem in vxorem accipere.

Nota nona. Efficacia doctrinæ, id est conuertentis animas iuxta Psal. 18.

PHilosophi antiqui numquam vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerunt, vt docet Athanasius & Theodoretus. Mahumetani traxerunt quidem multos, sed vi armorum, non doctrinæ. Hæretici nusquam leguntur conuertisse Iudæos, aut Ethnicos aliquos, sed solum peruertisse

X x x

tisse

tisse Christianos, vt etiam Tertull. annotauit in lib. de præscription.

At Ecclesia nostra primo per homines contemptibiles externa specie, sine armis, sine pompa verborum ad res credendas supra rationem humanam, ad crucem & præmia tantum futura traxit magnos, paruos, doctos, indoctos, iuuenes seues, fæminas, viros, infideles in tot partibus mundi. Postea tẽpore Greg. Papæ conuersi sunt Angli per S. August. Opera Cononis Papæ Francones à S. Kiliano; magna pars Germaniæ per sanctum Bonifacium Papistam, tempore Gregorij 2. & 3. & Zacharię Põtificum. Monachi Corbeiensis subiecti Papæ conuerterunt Vandalos, vt fatentur Centuriastæ. Eodem sæculo Dani, Moraui, sclauj, Bulgari, Poloni cõuersi Papæ subijciebantur: vnde constat fuisse à Papistis conuersos. Opera Hærici I. Imperatoris, & Adalberti Bohemorum, ac Methodij, Morauium Archipræsulum, fuere plures Reges. & populi ad fidem conuersi. Itẽ Hungari magna ex parte datis Episcopis à Papa confirmatis. Adrianus III. ante Pontificatum missus ab Eugenio III. Noruegiam conuertit. S. Vincentius ordinis Prædicatorum vna die 25. millia partim iudæorum, partim sarracenorum ad fidem attraxit. Denique hoc nostro sæculo multa millia Gentiliũ Papistæ conuerterunt in orbe nouo. Vt latius sumus præsecuti lib. 1.

Nota decima. Sanctitas vitæ authorum, siue primorum PP. nostræ Religionis.

Ethnici vel fuerunt poëtæ leues, vel Philosophi superbi, vtrique infames impudicis actibus. Mahumero nihil incontinentius, qui se à Deo priuilegium habuisse dicebat, sibi coniungendi quas vellet etiã fæminas, etiam confanguineas. Hæresiarchis inter plurima vitia communis omnibus superbia fuit. Theobatem narrat Egesip. apud Eusibium li. 4. hist. c. 22. ab repulsam ab Episcopatu primum perturbasse Ecclesiam. Symon Magus postea pecunijs voluit Episcopatum emere. Valentinus quia Episcopatu frustratus hæresim excogitauit. Similiter Marcion Mõtanus ambitione & primum locum obrinendi cupiditate motus, se ipsum Paracletum vocauit, inquit Theod. lib. 3. de hæretic. fabu. Idem de Nouatiano scribit Sabellius, ad maiorem fastum ac dementia elatus (inquit Epiph. gęresi 57.) se ipsum dixit esse Moysem, & fratrem suum Aaronem. Arius inuidens Cathedrã Alexandrinæ cum aduersus Alexandrinum Episcopum suum pugnã committendã materiam quæreret, occasionem inuenit dogmatum impietatem. Semiarriani ad contentionem deuenerunt cum sodalibus suis propter odia quædam & æmulationem humanam, rixantes inter

inter se. & de principatu litigantes. de Aërio idem Epiphanius hæresi 75. Cum venisset Eustachius ad Episcopatum, Aërius magis concupiscebat, sed non peruenit ad ipsum, hinc oritur æmulation. Nestorium refert Theodoretus magnam ætatis partem egisse, aucupando fauorem populi, fusca veste simlato pallore, compositis verbis, denec tandem ad Episcopatum perueniret. Sabatium flagrasse desiderio Episcopatus refert Socrates lib. 5. histo. cap. 20. wiclef Hæresiarcham factum quia Episcopus esse non potuit, scribit Th. waldensis lib. 2. doctri. fidei cap. 60. Lutherum vero, quia agrẽ ferebat munus promulgandi Indulgentias ab Augustinianis ad Dominicanos trãstatum testatur Cochleus, quamuis superbia Lutheri satis in alijs appareat: quare in disputatione Lipsiæ cum Eckio: Hæc causa (inquit) nec propter Deum cõpra est, nec propter Deum finietur.

At primi nostri authores Apostoli, sanctissimi fuerunt. Sancti etiam confessione Lutheri Bernardus, Frãciscus, Dominicus, etsi enim in Ecclesia Catholica sint plurimi mali, sunt tamen quam eminentissimi sancti. Inter hæreticos vero nullus est bonus. Quare Lutherus, Ipse mundus, inquit, indies fit deterior: sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, & indisciplinati, multò deteriores quam fuerint in Papatu.

Nota vndecima, Gloria miraculorum.

Miracula namque sunt necessaria ad nouam fidẽ vel extraordinariam missionem persuadendam & sufficientia, & efficacia ad eandem probandam: ita vt vbi miracula vera inueniuntur, ibi procul dubio sit vera fides.

Esseneccessaria probatur primo. Quia cum diceret Moyses ad populum mittendus Exodi 4. *Non credent mihi, neque audient vocem meam: non respõdit Deus. Debent credere, sed dedit illi potestatem faciendi miracula, & ait, Vt credant quod apparuerit tibi Dominus, &c.* Similem potestatem dedit Christus Discipulis suis, cum vellet mittere illos. Et dominus Ioan. 15. *Si opera, inquit, non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Secundo, qui mittitur debet testimonio mittentis ostendere suam auctoritatem; aliquid nemo tenetur eum recipere. Mittitur aut vel per ordinarios Prælatos, vel extraordinarie à Deo, si prius, debet ostendere literas sigillo mittentis munitas: si posterius ostendere sigillum Dei, scilicet miraculum, iuxta Marci vlti. *pradicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmanste sequentibus signis.* Ecce sufficientia, & probatur; quia vera miracula non nisi à Deo fieri possunt: Deus autem nequit esse testis mendacij. Quod si miracula fiant ad gloriam alicuius Sancti testandam, simul etiam veram fidem probant, ostendunt enim illum hominem, verẽ sanctũ

in terris fuisse, & proinde veram fidem habuisse.

At Pagani nulla huiusmodi miracula usquam fecerunt. Nam quæ leguntur apud profanos auctores, facile fieri possunt Dæmonis arte, ut ostendunt Tertull. in Apologet. c. 22. & 23. & August. lib. 10. de Ciuit. cap. 16.

Iudæos non habuisse post Christum vera miracula, notum est, nam & illud de piscina periit.

Mahometus faretur, Christo miracula, sibi gladium datum; nec vlla iactant Mahometani nisi ridicula.

Falli Prophetæ, iuxta conuentionem cum Helia, nunquam impetrare valuerunt ignem de cælo.

Simon Magus tentauit quidem suscitare mortuum, & per aëra volare. Manichæus sanare filium Regis Persarum. Polychronius, Monothelita, Lutherus, Caluinus mortuum suscitare, sed ij omnes omnino decepti sunt.

Singulis verò ætatibus Ecclesia nostra miraculis claruit. prima ætate habemus Apostolorum miracula. Secunda, militum Christi in exercitu M. Anto. Aurelij. Tertia, Gregorij Thaumaturgi. Quarta, Antonij, Hilarionis, Martinij, Nicolaj. Quinta, plurima descripta ab August. 22. de Ciuitat. c. 8. Sexta, Ioannis & Agapeti R. Pontif. cæteraque narrata à Gregorio lib. 3. cap. 2. & 3. dialog. Septima Augustini & sociorum in Anglia. Octaua Cuthberti & Ioannis in Anglia. Nona, Tharasijs scripta ab Ignatio Nicæno. & alia patrata in translatione reliquiarum Sancti Sebastiani. Decima, sancti Romualdi scripta à Petro Damiani, & Venceslai Regis Bohemorum apud Surium. Item Vltan. & Dunstani. Vndecima, Sancti Eduardi Regis Angliæ, Anselmi & Gregorij VIII. Duodecima, S. Malachia, & Bernardi, qui vna die illuminauit cæcos XI. curauit mancos 10. claudos 18. Decimatertia, Beati Francisci, & Dominici qui tres suscitauit mortuos, Petri Martyris, D. Thomæ Aquinatis, Bonauenturæ, Cælestini quinti. Decima quarta, Bernardini, Catharinæ Senensis, Nicolai Tolentinati. Decima quinta, Sancti Vincetij, qui 38. mortuos excitauit. Decima sexta, B. Francisci de Paula, Xauerij Societatis Iesu Presbyteri & aliorum.

Non est admittenda hæreticorum responsio, obijcientium Antichristi miracula patraturum, falsa enim erunt: Vespasianum duos sanasse, sed arte medica curabiles, teste Cornel. Tacito. Neque obijciant testimonium Augustini, occultas quasdam Donatistarum reuelationes respicientis: neque iactent Pauli episcopi Nouatiani miraculum, quod ad Catholicum Baptismum confirmandum, factum est, non ad eius fidem comprobendam.

Nota

Nota duodecima. Lumen propheticum.

Sicut enim Christus suæ promissit Ecclesiæ donum miraculorum, Marci Sultimo, ita & prophetiæ Ioel. 2. exponente Petro Actor. 2. Certum est autem à solo Deo haberi posse notionem futurorum contingentium, nec illam dari nisi in confirmationem veræ fidei & doctrinæ.

Quare Ethnici nulla vaticinia habuerunt, nisi falsa exceptis Sibyllinis & Balaam in confirmationem fidei nostræ: nam Diabolus vel per ambages respondebat. vel quod facturus esset, aut quod iâ inceptum fuerat, vel à causis naturalibus necessariis dependebat prædicebat.

Hæretici quotiescunque aliquid prædicere voluerunt, decepti sunt: Montanus nescio quæ bella. Lutherus Papæ, Card. Episc. Monach. &c. ruinam. Tho. Munster suis militibus victoriam, Lutherani diem iudicij anno 1533. futurum prædixerant: sed experientia mendaces monstrauit.

At præter Prophetas veteris testamenti, ac eos qui primis 500. annos à natiuitate Christi floruerunt, S. Benedictum futura prædixisse narrat Gregorius Magnus. Beatus Bernardus, cum quidam peteret ab eo ut oraret pro conversione sui patris Ne timeas (respondit) ego illum probatum Monachum in hac Claraualle sepeliam, quod ita factum est. S. Franciscus prædixit Christiano exercitui pugnaturo certa quadam die contra Saracenos fore victoriam hostibus, quod cum duces contempserint, cæsi fusique sunt Christiani strage inaudita. Denique fere nulli coluntur in Ecclesia Sancti, qui etiam Prophetiæ dono non claruerint.

Nota decimatertia. Confessio Aduersariorum.

Non enim est Deus noster sicut Deus eorum: & inimici nostri sunt iudices. Deut. 32. At nusquam inuenti sunt Catholici laudasse contrarias sectas, sed omnes eas constanter improbant.

Plinius Secundus, in epist. ad Traia. l. 10. epist. scripsit Christianos omnia detestari vitia, sanctissimè viuere, & solum posse reprehendi, quod nimis facile pro Deo suo vitam profundant, horisque antelucanis surgat ad orandum. Tertullianus in Apolog. li. 1. & 2. testatur Paganos voluisse discuti causam Christianorum, sed damnari ilico quod scirent in illos nihil reperturos mali, & c. 5. & 6. affirmat. Imperatores Gentiles probiores fuisse Christianis, peiores solum persecutos fuisse fideles. Sæctum Antonium, Hilarionem, Martinum à Paganis reuerenter habito scribunt Athan. Hieronymus, Sulpitius, in eorum vitis. Iosephus Iudæus affirmat Christum plusquam hominem & verè Messiam, Philon scribit, teste Hie-

ron. Epiph. Sozom. Beda, librum de laudibus Christianorum sub Marco Evangelista in Ægypto.

Mahumerus in Alcoran. cap. 4. docet Christum esse Prophetarū maximum & ipsam Dei animam habere: Sultanum Ægypti veneratum fuisse S. Franciscum tradit S. Bonaventura in vita Sancti Francisci.

Torila Arrianus singulari affectu honore sanctum Benedictum, & Lutherus ipse in lib. contra Anabaptistas. Nos inquit fatemur sub Papatu plurimum esse bonos Christianos, imo omne bonum Christianum, atque etiam illi ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse scripturam sacram, verum Baptismū, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, ut sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem, imo verum nucleum Christianitatis esse. Ac si nos nucleum habemus, quid sibi reseruant nisi corticem & putamina? Philippus, Bernardum, Dominicum, Franciscum appellat Sanctos. & cum inter Catholicos & hæreticos Heluetios post multa prælia pax componeretur, in primo articulo concordia hæretici scribebant, se velle deinceps dimittere confederatos quietos, circa veram, indubitata & Catholicam fidem suam; Catholici vero, se velle dimittere confederatos quietos circa fidem eorum, nihil de vera & indubitata fide ad dentes.

Nota decimaquarta. Infelix oppugnantium Ecclesiam exitus.

ET si enim Deus interdum suos flagellat, tamen tandem virgam in ignem proiecit, iuxta illud Deut. 32. *Laudate gētes populum eius, quia sanguinem seruatorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.*

Pharao submersus interiit: Dathan, & Abiron descenderunt in infernum viuentes. Antiochus vermibus & fetore periit. Pilatus se ipsum interfecit, omnes sciunt miseram Hierosolymorum cladem. Herodes Acalonita scatenus vermibus obiit, cum prius voluisset se ipsum occidere. Tetrarcha miserè in exilio moritur. Agrippa percussus ab Angelo consumptus vermibus periit. Nero, & Domitianus ab aliis crudeliter casti. Traianus horrèda paralyfi & hydropisi expirauit. Maximianus, & Maximinus tam horrendis doloribus correpti, ut etiam medici dicerent esse plagam diuinam. Simon Magus cum volare tentasset cecidit, & sibi fregit tibias, pauloque post, cum summa ignominia obiit. Manichæus excoriatur viuus à Rege Persarum, quod filium Regis curaturus, occidisset. Montanus cum suis prophetis laqueo finiuit vitam. Donatistæ quidam

cum

eum Eucharistiam canibus obiectissent, ab ipsis lacerati fuerunt. Arius cum excrementis omnia intestina & animam, in publicis latrinis effudit. Iulianus Apostata diuinitus percussus à terra spontè aperta absorptus est. Valens Arianus viuus à Gothis Arianis crematus est. Nestorius lingua à vermibus corrosa miserè interiit. Hunnericus Vandalorum Rex Arianus Ecclesie persecutor ut Agrippa consumptus est. Anastasius Imperator Eutychnorum fautor fulmine interiit. Tempore Leonis Iconomachi pestilentia subsequuta combustionem imaginum in foro Constantinopolitano, 300. millia hominum Constantinopoli sustulit. Lutherus, & Oecolampadius morte repentina perierunt. Zvinglius in bello contra Catholicos trucidatus est. Andreas Carolstadius à Dæmone interficitur. Caluinus vermibus consumptus expirauit, ut Antiochus, Herodes & Maximinus (teste Bolseco in eius vita) qui etiam addit eum obiectis Dæmonibus inuocatis.

Nota decimaquinta. Fælicitas diuinitus collata propugnatoribus Ecclesie.

Numquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin facile de hostibus triumpharint. Nota sunt in testamento veteri victoriæ Abraham, Moysis, Gedeonis, Samuelis, Dauidis, Ezechie, Iosie, Machabæorum.

Constantinus feliciter Maxentium vicit, bello paceq; gloriosus. Theodosius senior adeo fuit Deo gratus, ut hostium tela in illos retorquerentur. Honorius vno prælio prostrauit plusquam 100. millia Gothorum, & Romanis ne vno quidè vulnerato vel extincto. Theodosius Iunior dum vacaret præcibus in Vrbe, circiter 100. millia Sarracenorū ab Angelis acta in Euphratem perierunt. Justinianus senior, donec Catholicus fuit, Italiam, Africam, aliasque multas Prouincias restituit Romano Imperio: hæreticus factus, cum edictum proponere vellet de sua hæresi, repentina morte sublatus est. Heraclius Catholicus præclarissimam victoriam de Persis reportauit, & crucem Domini recepit: factus Monothelita, omnia illi infeliciter successerunt, & inaudito morbi genere extinctus est. Græci Imperatores à tempore sui schismatis ab Ecclesia Romana, semper in deterius se habuerunt. Latini magis vel minus floruerunt, ut magis vel minus Ecclesie Romanæ adhæserunt. Tempore Urbani ij. cum Christianus exercitus versaretur Antiochie in summa desperatione & rerum omnium penuria, reuelabat Deus vbi lancea sacra latebat, eaque prælata in bello occisa sunt 100. millia Turcarum. Tempore Innocentij tertij cæsi sunt 100. millia

millia Albigenſium ab octo millibus Catholicorum. anno 1531. quinque prælia commiferunt pro fide Catholica Heluetij cum Hæreticis Heluetiis, & ſemper Catholici numero & armis inferiores vicerunt. Carolus V. miraculoſe proſtigauit in Germania Lutheranos. Denique vix vnquam Hæretici superiores euaserunt, quando iuſto dimicatum eſt bello.

Epilogus præfatæ diſputationis.

Theatrum vniuerſitatis rerum ponamus ob oculos, (vt elegâter proſequitur Edmundus Campianus in cauſa fidei, ratione 16 omne teſtium genus pro fidei confirmatione producens) Quicquid eſt vſpîa peragremus: omnia nobis ad argumentum ſuppeditant. Eamus in cælum; roſas & lilia contemplemur, purpuratos nempe martyrio, candidatos innocentia, Romanos, inquam Pontifices tres & triginta continenter occiſos. Paſtores terris omnibus qui ſuum pro Chriſti nomine ſanguinem oppignorârūt: Greges fidelium qui Paſtorum veſtigiiſ inſtitere: Sanctos omnes cælites qui turbę hominum puritate, & ſanctimonia præluxere; noſtros hinc emiſſaſſe reperias. Noſter fuit, vt paucula delibemus, ille Martyrij ſitientiſſimus Ignatius, qui in rebus eccleſiæ neminem, ne Regem quidem Epifcopo equauit; qui traditiones quaſdam Apoſtolicas quarum teſtis ipſe fuerat, ne dilaberentur ſcripto mandauit. Noſter Anachoreta Telephorus, qui ieiunium Quadrageſimę ſancitū ab Apoſtoliſ obſeruari feuerius iuſſit. Noſter Irenęus, qui a ſucceſſione, Cathedraque Romana fidem Apoſtolicam declarauit. Noſter Victor Pontifex, qui Aſiam edicto coercuit vniuerſam: quod cum aliquibus atque etiam huic Irenęo viro ſanctiſſimo, videretur aſperius, nemo tamen attenuauit, vt exoticam poſteſtatem. Noſter polycarpus, qui ſuper queſtione Paſchatis Romã adiit, cuius ambuſtas reliquias Smyrna collegit, anniuerſario die rituque legitimo ſuum Epifcopum venerata. Noſtri Cornelius & Cyprianus aureum par martyr, ambo magni Præſules, ſed maior ille qui Romanus Africanum errorem reſciderat, hinc nobilitatis obſeruantia, qua maiorem eſt proſequutus amiciſſimum ſui. Noſter Sixtus, cui ad aram ſolemnibus ſacris operanti, miniſtrarunt è clero ſeptē viri. Noſter Laurentius huius Archidiaconns.

Noſtræ virgines illę perbeatę, Cęcilia, Agatha, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina quę decretam pudicitiam aduerſus & hominum & Dęmonum tyrannidem firmauerunt. Noſtra Helena, quam dominicę Crucis inuentio celebrauit. Noſtra Monica, quę moriens orari, & ſacrificari pro ſe mortua ad altare Chriſti religioſiſſimę flagitauit. Noſtra Paula quę ex vrbano palatio & opimis prædijs in ſpeluncã Bethlemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, vt ad Chriſti vagientis cunabu-

cunabuladeliteſceret. Noſtri Paulus. Hilarion, Antonius ſeniculi ſolitarij. Noſter Satyrus Ambroſij germanus frater, qui tremendam illam hoſtiã circum ſe geſtans in oratio, naufragus inſiluit in Oceanum, & fide pleniffimus enatauit. Noſtri Nicolaus & Martinus Epifcopi exerciti vigilijs, paludati cilicijs, ieiunio paſti. Noſter Benedictus tot Monachorū Pater. Chiliaſas iſtas decennio non exequeret. Sed nec illos repeto, quos in Eccleſiæ Doctõribus antea poſueram. Memor ſum breuitatis meę. Perat iſta qui volet, non ſolum ex abundanti veterum hiſtoria, ſed multo etiã magis ex grauiffimis auctõribus, qui pene ſinguli, Sanctos ſingulos memorię reliquerunt. Renunciet mihi de Chriſtianiſ illis antiquiſſimiſ, & beatiffimiſ, quid autemet vtriuſ doctrine fuerint, Catholicę, an Lutheranę? Teſtor Dei ſolium & illud tribunal ad quod ſtabo, rationem rationum harum, & dicti & facti redditurus; aut nullum cælum eſſe, aut noſtrorum eſſe, illud execramur. hoc definiſmus.

Nunc è contrario ſi libet inſpiciamus in tartara. Cremantur incendio ſempiterno. qui? Iudæi, quam Eccleſiam aduerſari? noſtram. qui? Ethnici, quam Eccleſiam crudeliſſime perfequuti? noſtram. qui? Turcæ, quæ templa demoliti? noſtra. qui? hæretici. cuius Eccleſiæ perduelles? noſtrę. Quæ enim Eccleſia præter noſtram, omnibus inferorum portis ſe oppoſuit.

Cum pulſis Hebræis Chriſtiani ſucceſſerent Hieroſolymis, Deum immortalẽ qui concuſſus hominum ad loca ſacra fuit, quæ vrbis religio, quæ ſepulchri, quæ præſepij quæ Crucis, quæ monumentorum omnium, quibus velut exuuijs marito Eccleſia Sponſa delectatur! Hinc manauit in nos Iudęorum odium ferum, & implacabile. Queruntur etiam nunc, maiores noſtros maioribus ſuis exitio fuiſſe. A Simone Mago, & Lutheranis nullum ietum acceperunt.

Quocunque me oculis & cogitatione conuertero, ſiue Patriarchas intueor & ſedes Apoſtolicas: ſiue Antiftites cæterarum gentium: ſiue laudatos Principes, Reges, Cæſares: ſiue Chriſtianoꝝ cuiuſque Nationis initia: ſiue vllum iudicium veruſtatiſ, aut lumen rationiſ, aut honeſtatiſ decus, noſtræ fidei ſeruiunt, & ſuffragantur omnia.

Teſtis ſucceſſio in qua ſemper Eccleſia, (vt cum Auguſtino loquar) Apoſtolicę Cathedrę viguit Principatus. Teſtes illæ reliquę ſedes Apoſtolicę, in quas hoc nomen inſigniter conuenit, quod ab ipſiſ Apoſtoliſ horumue auditoribus exedificatę fuerint.

Teſtes vbiuſ gētium Paſtores, loco diſſiti, religione noſtra cōcordes, Ignatius & Chryſoſtomus Antiochię: Petrus, Alexander, Athanaſius, Theophilus Alexandrię: Macarius & Cyrillus Hieroſolymis: Proclus Cōſtantiſnoli: Gregorius & Baſilius in Cappadocia: Thaumaturgus

in Ponto. Smyrne Polycarpus: Iustinus Athenis: Dionysius Corinthi: Gregorius Nyssa: Methodius Tyri: Ephreemus in Syria: Cyprianus, Optatus, Augustinus in Africa: Epiphanius in Cypro: Andreas Crete: Ambrosius, Paulinus, Gaudentius, Prosper, Faustinus, Vigilus in Italia: Irenaeus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluianus in Gallia: Vincentius, Orosius, Hildephonus Leander, Isidorus in Hispania: in Britannia Fugatus Damianus, Iustus, Mellitus, Beda. Denique ne arbitrios videar in nominibus quęcunq; vel opera vel fragmenta superlunt eorum, qui distinctissimis terris Euangelium seuerunt, omnia nobis vnam fidem exhibent, quam hodie Catholici profiteamur. Christe quid causę tibi afferam, quo minus me de tuis extermines, si tot luminibus Ecclesię tenebrosos homulos paucos, indoctos, dissectos, improbos antetulerō?

Testes item Principes, Reges, Cæsares, horumque Respublica, quorum & ipsorum pietas, & ditionum populi, & pacis bellicę disciplina se penitus in hac nostra doctrina Catholica fundauerunt. Hic ego quos ab Oriente Theodosios, quos ab occidente Carolos, quos Eduardos ex Anglia, Ludouicos ex Gallia, Hermingildos ex Hispania, Héricos ex Saxonia, Venceslaos ex Boemia, Leopoldos ex Austria, Stephanos ex Vngaria, Iosaphatos ex India, quos ab toto Dynastas atque Toparchas possim arcessere: qui exemplo, qui legibus, qui armis, qui sollicitudine, qui sumptu nostrā Ecclesiam nutrierunt. Sic enim præcinit Isaias: Erunt Reges nutritij tui, & Reginae nutrices tuę. Audi Elizabetha, Narro tibi: Caluinū & hos Principes vnum cęlum capere non potest. His ergo te Principibus adiunge. Solum hoc de te molior ego, & molior quicquid de me fiet, cui tanquam hosti capitis tui toties iam isti patibulum ominantur. Salue bona crux. Veniet Elizabetha, dies ille, ille dies, qui tibi liquido demonstrabit vtri te dilexerint, Societas Iesu, an Lutheri progenies. Pergo.

Testes iam omnes orę plagęque mundi, quibus Euangelica tuba post Christum natum insonuit. Parumne hoc fuit idolis ora claudere, Dei regnum gentibus importare. Christum Lutherus, nos Catholici Christum loquimur. Num diuinus est Christus? minime. Aut nos, aut ille falsum Christum loquimur. Quid ergo? Dicam, Christus ille sit, & illorum sit, qui Dagon inuictas ceruices fregerint. Noster Christus opera nostrorum vti voluit, cum Ioues, Mercurios, Dianas, Phœbades, & illam noctē sæculorum atram, trebumque tristē ē tot populorum cordibus relegaret. Non est otium longinqua perquirere. Finitima tantum atque domestica speculemur. Hiberni ex Patritio, Scoti ex Palladio, Angli ex Augustino, Romę sacratis, Roma missis, Romam veneratibus, fidem aut nullam, aut certē nostram, id est, Catholicam infuxerunt. Res aperta. Curro.

Testes

Testes Academia, testes legum tabulę, testes vernaculi mores hominū, testes electio Cæsarum & inauguratio, testes Regum ritus, & inunctio, testes Equitum ordines, ipsęque chlamydes, testes fenestrę, testes numi, testes vrbana portę, domusque ciuicę, testes auorum fructus & vita, testes res omnes, & reculę nullam in orbe religionem nisi nostram imis vnquam radicibus infedisse.

Quę mihi cum suppeterent, & certē sic afficerent meditantem, vt his hominibus nuncium remittere Christianis, & consociari cum perditissimis quibusque videretur insolentis insanie, non diffiteor animatus sum, & incensus ad conflictum. Quo mihi sit equior Charcus, qui me tam immaniter concepit, si hanc animulam peccatricem, quam tanto Christus emit, via tutę, via certę, vię regię malui credere, quam Caluini scopulis dumetifve suspendere. Hactenus Edmundus Campianus.

S E C V N D A P A R S.

De ratione agendi cum hæreticis, & de modo iu-
uandi ipsos, & primo de origine om-
nium hæresum.

Luculenter sane Iodocus Lorichius in flagello hæresum, statim in præfatione, hæresum, omnium fere huius temporis originem probat esse libertatem. Est namque (inquit) primum ac præcipuum propositum ac studium hæreticorum huius sæculi, vt in omnibus actionibus suis, sua vt possint libertate. Atque ad hanc obtinendam tuendamque finxerunt hæresim præcipuam, fidem solam iustificare.

Pro hac heresi defendenda, dolose finxerunt alias multas. Vt Decalogum non pertinere ad Christianos. Euangelium non docere præcepta. Nulla esse Concilia Euangelica, nec opera supererogationis. Bona opera quęcunque, non esse necessaria ad salutem. Orationes prolixas, ieiunia, peregrinationes, vota, vitam monasticam, & quęcunque opera penitentię, indulgentias, esse inutilia ad salutem. Non esse homini opus alia gratia Dei sanctificante, quam sola fide. Et Sacramenta non conferre aliquam gratiam. Nulla peccata nocere homini Christiano habenti fidē. Solos infideles damnari. Purgatorium nullum esse. Nec suffragia pro defunctis aliquid prodesse.

Yyy 2

Prę-

Præterea ut has & alias suas hæreses libere ut vellēt, prædicare possent, sinxerunt Papam & Episcopos non habere potestatem de doctrina fidei ac religionis dijudicandi. Papam non esse caput Ecclesiæ, Episcopos non habere maiorem potestatem quam Presbyteros vel sacerdotes in Ecclesia. Excommunicationes, & reliquas Ecclesiæ censuras, & pœnas, non obligare credentes.

Ad hæc ut prædicantes ipsorum libere possent habere, ac ducere uxores, sinxerunt Ordinis sacramentum nullum esse. Non esse Ecclesiasticam Hierarchiam in Ordinibus sacris. Clericos non esse immunes à Iurisdictione Magistratum civilium. Non habere eos spiritualemente characterem indelebilem. Non esse eis dandas Decimas. Horarum Canonicarum preces esse vanas, ac supersticiosas, ut se ab earum recitandarum obligatione fraudulenter eximerent.

Cumque videant se puros Laicos esse, qui nec sacrificare nec vllas res benedicere possunt, idcirco. Missæ sacrificium nefariè blasphemant. Confirmationem negant esse sacramentum. Exorcismos obsessorum à Dæmonibus ut supersticiosos contemnunt. Benedictiones aquæ, cereorum, olei, fructuum, & quarumlibet aliarum rerum, sicut & Dedicationes, Consecrationes, benedictiones Templorum, Altarium, Cæmeteriorum sacrarum vestium, ac vasorum, & vniuersos Ecclesiæ ritus, seu Cæremonias derident. Omnia vero fraudulenter; ne obijci eis possit, cur ista non obseruent cum Ecclesia Catholica.

Denique ut essent liberi à timore Iudicij diuini, & æternæ damnationis propter peccata sua. sinxerunt Adam, & Euam, & omnes homines ordinatione Dei peccauisse & peccare. Deum indurare. & excacare homines ut peccēt. Hominem non habere liberum arbitrium. Omnes Christianos certo credere debere se esse prædestinatos ad vitam æternam propter solam fidem in Christum, Deum non imputare peccata credentibus. Infideles creatos esse ad damnationes. Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, nec omnes redemisse aut redimere voluisse à datione. &c.

Ad hæc capita omnes alia hæreses haud difficulter referri poterunt. Nam per pauca sunt, quas non ob aliquem prætextum tuendæ prauæ libertatis, sed sola inuidia, & contradicendi libidine aduersus Ecclesiam Catholicam effinxerunt.

Curam vero ac modum quem hæretici habent in disseminandis erroribus suis, summam etiam perscribam: ut & aptius hæreticorum machinis contraria adhibendo remedia, ministri Catholici occurrant.

Quibus

Quibus medijs Ministri suam promoueant superstitionem ubi, primum de libris, concionibus & cantilenis. §. I.

Non vna est ratio, qua ministri suam superstitionem inter suos conseruant: potissima vero eorum instrumenta sunt, scripti libri, conciones, lectiones Catechisticæ, cantiuncule, imagines, species quædam probitatis, & excommunicationes.

Inter libros autem cæteris perniciosiores sunt, paruuli tractatus duorum vel trium foliorum, secundum varias occasiones editi: Verbi gratia: Cum Bremenses cogitarent Christi & Sanctorum simulachra è templis exturbare, spargebant ij primum libellum aduersus Idola. Idem cum essent abrogaturi Baptismum infantium, alium libellum extrudebant: cui titulus, de legitimo Baptismo.

Noxij sunt huiusmodi Commentarioli plures ob causas. Primo, quia facile disperguntur, ferunt enim à circumforaneis, & ijs qui minutas merces pectines, specula, perspicilla, ligulas, & pro infantibus crepundia gestant vicatim & ostiatim. Deinde, facile emuntur à quouis, cum sint parui pretij. Tandem cito leguntur, quia exigui; & facilius retinentur memoria quia non sunt longi argumenti.

Conciones in quavis parçia fiunt ut minimum quotidianæ: solemne est omnibus aliquid intermiscere aduersus Ecclesiam, & Romanum Pontificem: Lectiones Catechisticæ bis peraguntur in hebdomada, diebus dominicis & ferijs quartis tempore pomeridiano. In ijs non solum petitur pensum lectionis memoriter recitandæ à pueris, & paruulis puellis; verum etiam ab adultioribus: Examinantur enim ancillæ & virgines nobiles à Ministro circumambulante, & candido bacillo eas euocante.

Cantilenæ vernaculo idiomate, quarum plurimæ ex ipsiusmet Lutheri officina sunt profectæ, mirum est quam promoueant rem Lutheranam. Quædam sunt Catechisticæ, quædam dogmaticæ, aliæ morales, aliæ emulantur psalmos pios, recitant exagitantque Christianorum vitia, seu vera, seu ficta. Maxime autem solemnibus oda illa est, quæ Pontifici, ac Turcæ simul inferni abyssum imprecatur.

Nec templa solum & scholæ huiusmodi cantus resonant: verum etiã ades priuatæ, officinæ, fora, plateæ, campi. Nam sunt in vsu apud omne genus hominum, ubique locorum, seu quædij solandi, seu laboris leuandi, seu temporis fallendi causa.

Yyy 3

Imagines

Imagines perniciosæ.

Quid vero dicam de imaginibus quæ in Romanum Papam, & in totâ Ecclesiam Catholicam apud Saxones & alios circûferuntur? Eæ profecto tanto magis sunt noxiæ; quâto se patentius in oculos omnium ingerunt: quanto facilius intelliguntur à vulgo, quanto magis imaginofam vim afficiunt, ipsiq; memoriæ tenacius insidere cõfueuerunt. Huc accedit quod nõ solû religionis causa emantur: sed & ornatus gratia, lōga serie affigatur parietibus. Etsi autē Calvinistæ extremi sint imaginum ofores, nūquã tamē abstinēt se ab ijs quæ habent ludibriũ aliquod Catholicorũ.

Cæterum inter alias pestilentissimæ iunt, quæ speciem quandam apud ipsos præ se gerunt, crudelitatis, dissidiorum, aut impietatis: qualis est typus inquisitionis Hispanicæ, in quo incarcerationes, accusationes, tormenta, condemnationes, & neces hæreticorum calamitoso schemate figurantur, adiuncta aliqua narratione de iugo Babylonico, & (vt ipsorum verbis loquar) de tyrannide Romanensium.

Item vt vulgo persuadeatur nos Catholicos eam nequaquam colere doctrinæ concordiam, quam prædicamus, editæ sunt imagines Religiosorum ordinum habitu cuius proprio & domestico: sed adiuncta hæreseos nomēclatura: Nã super Monacho Benedictino inscriptio est: hæresis nigrorum Monachorum: Super Franciscano hæresis nudipedum, super Dominicano hæresis Prædicatorum.

Mox vt ostendant Ministri Summum Pontificem esse Antichristum exhibent longam antithesim vitæ Christi, & Papæ: Christum repræsentat insidentem alinæ; Pontificem vero à viris succollantibus sublimem gestatum in sede: Christum lauans pedes discipulorum, Papam porrigentem pedes suos cuidam Regi ad osculum: Christum coronatum spinis: Pontificem redimitum auro & gemmis: Christum in Cruce se totum pro peccatoribus gratis largientem: Pontificem in throno pro Indulgentijs & beneficijs pecunias accipientem. Horret animus cætera persequi, nefanda enim & nimis multa sunt.

Ficta Ministrorum probitas.

VT vero Ministri fucum faciant suis absurdis inuentionibus: monent ij populum sapissimè ad frequentem Communionem. Edunt identidem libellos exhortatorios ad virtutem: consolatorios pro omni genere afflictorũ: Instructorios pro Cõiugibus, pro prægnantibus, pro viduis, pro subditis, pro Principibus.

Catechismum docentur Infantes quamprimum incipiunt balbutire, mane numquam præbetur iuuentuti ientaculum, nisi prius recitauerint: benedictio-

benedictionem matutinam, Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum. Decem præcepta. Prandio caneq; semper præmittitur benedictio, à filijs & filiabus familias; quorum absentiam supplet honoratior accumbentium.

Post refectionem aguntur gratiæ, decantata etiam aliqua cantiuncula, & addito Psal. Davidis.

Etsi plurimũ initio Lutherus prædicauit conscientię libertatem, nihilominus ita vexant Lutherani Ministri eos, qui stato tempore Communionem ipsorum non accedunt; vt necessarium sit illos vel hæretica Communionem vt, vel conuatis suis rebus e loco discedere. nunquam enim cessant prædicantes in publicis locis eos nominatim obiurgare, appellare impios Mammaluccos, indignos qui cum bonis viris conuersentur. Aiuunt præterea illos qui cum ipsis cibum sumunt, aut aliquid aliud agunt, seu emendo seu vendendo, eidem sibi acere maledictioni.

Et hæc quidem de hæreticorum astutia & solitudine dicta sufficiant: Videamus nunc quibus medijs sint adiuuandi, vt respiciant, & ad veritatem Catholicam perducantur.

Industriæ aliquæ pro Hæreticis adiuuandis. §. 2.

Breiter ex documentis à doctiss. Patribus Francisco Costero, & Antonio Posseuino & alijs, quomodo agendum sit cum hæreticis, vt ad fidei veritatem conuertantur edocebimus.

Magnum, inquit Costerus, est discrimen, teste D. Augustino ad Honoratum de vtilitate credendi c. primo: inter Hæreticum & eum qui credit Hæretico, ille compendij sui, & præcipuè glorię principatusque gratia nouas & falsas opiniones vel gignit, vel sequitur: hic vero eiusmodi hominibus specie quadam veritatis & pietatis asimulatè deceptus fidem habet. Hac significatione Hæreticum post vnam & secundam correptionem vult vitandum D. Paulus, quia subuersus est huiusmodi & proprio iudicio condemnatus. Veteres quoque Patres omnes communi consensu disputationem cum proprij nominis Hæretico dissuadent, de quo etiam nos latè lib. 2. scripsimus: quod eiusmodi concertatio (vt dicebat apud Sozomenum historia tripartit. lib. 9. c. 18. Nestarius Patriarcha Constantinopolitanus (*non solum schismata non vniret, sed amplius diuideret.* Nam sicut vulpes nec mansuescit vnquam, nec cibo vtilis est (ait D. Ambros. lib. 7. in Lucam) ita neque Hæreticus vulpeculę nomine in diuinis litteris designatus: contentiosi enim nimium sunt hæretici (ait D. Cyrillus) li. 2. Thesau. ca. 2. & quia

& quia peruerſi ſunt, & decreuerunt animo non mutare ſententiã quodcunque etiam contigerit, inquit B. Chryſoſt. ſi tamen vitari nequeat cõgreſſus, ne ſine fructu, eorum ſaltem qui audiunt, differatur, quatuor quã ſequuntur, videntur vtiliter obſeruari poſſe.

Primum vt reſpondentis potius quam oppugnantis perſonam ſuffineas, & quod facilius ſit argumenta in contrarium allata confutare, quam ſuperbum & arrogantem aduerſarij animum rationibus conuincere qui omnes rimas euadendi quærit, Scripturas torquendo, mutilando, reiſciendo. *Quid promouebis* (ait Tertullianus lib. i. de præſcrip.) *experientiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis negetur è diuerſo ſi quid negaueris defendatur, & tu quidem nihil perdes, niſi vocem, in contentione nihil conſequeris niſi vilem de blaſphematione laudem.*

Deinde danda eſt opera vt intra limites vnius materiæ aduerſarij cõtineatur: Eſt enim Hæreticus præſertim rudioribus, qui ſibi tamen non parum ſapere videntur, familiare, vt cum diſſolutis argumētis in vna aliqua cauſa ſe conuictos animaduertunt, alio dilabuntur, & rerum diuerſarum multitudine antagoniſtas ſuos obtundant, ne ſi nihil in medium afferant, manus dare vinctique videãtur: hoc autem nulla ratione patiatur Catholicus, niſi ſibi in illo, de quo prius agebatur ſatisfactum eſſe fateatur.

Eſt præterea ad rectam argumentandi formam aſtringendus Hæreticus, vtque omiſſis ſuperfluis nudam ratiocinationem proponat: qua in re non parum laboratur ab aduerſarijs, qui vt dialecticæ ignari ab argumentando grauiter hallucinãtur, vel Sophiſtarum more ratiocinationes ſuas oratorijs pigmentis, quaſi ſuço quodam colorando, falſa pro veris, dubia pro certis, indoctis auditoribus venditant.

Ad extremum conuitia, maledicta, cognemina, quibus nomina noſtrorum vrgeri ſolent, ſurda velut aure ſunt prætereuhenda. Nam ſicut qui malam cauſam coram Iudice tuetur, cum rationibus & aſſertione deſtituitur, clamoribus inſtat: ita Hæreticus cum veris ac ſolidis argumentis ſe vincere poſſe deſperat, contumelijs certat, vt rem à legitima diſputatione ad contentionem detorqueat. Tu vero, diſſimulatis omnibus verborum portentis, quaſi cum homine phrenetico ac furioſo negotium habeas, in ſolam miſeri hominis ſalutem & conuerſionem animum intendas. Cogita non hominem, ſed ſpiritum erroris, ſed ipſum Dæmonem per os hominis iſta maledicta euomere. Quare miſereat te potius eius, verbis vitare aduerſus eum humanis & beneuolis, tacituſque Deum ſubinde pro anima Dæmonis laqueis æternorumque ſuppliciorum periculis irretita precare. Quod ſi apud ipſum nihil proficies, ſaltem auditoribus infectis ſcrupulū aliquem ac dubitationem iniicies. Sumus enim ita comparati, vt moueamur modestia, indignemur petulantia.

Haecenus

Haecenus de ijs quos vere & propriè hæreticos appellamus. Superest dicamus quemadmodum credentes Hæreticis, hoc eſt qui vel ad hæreticos defeceſerunt, vel in fide mutant, tractandi ſint. Inter quos maiori ſtudio videntur illi iuuandi, in quibus maior conuerſionis ſpes apparet. Ad quã rem inter alia tria iſta communia pũcta poterunt eſſe adiumento: Vt primò percuncteris ab eo, qui cum agis, quas ob cauſas ab Eccleſia receſſerit, ac totius orbis Chriſtiani ſocietatem, & communionem deſeruèrit: maioresque ſuos atque adeò omnes omnium nationum, omnium ſæculorum, omnis memoria homines, qui Catholicè deceſſerunt, ſcleris ac nefariæ infidelitatis, mortuos tam ſeuere condemnauerit? Quia ſi rectè credit Hæreticus, omnes iſti perierunt.

Tum deinde, qua ratione, qua authoritate commotus, huius potius quam illius Hæretici ſectam ſequatur, cum omnes ſua dogmata ſcripturarum testimonijs confirmet: ſi dicat huius vel illius vocem videri ſibi magis rationi & veritati conſentaneam; fateri cogitur illud ſuum videri eſſe regulam fidei. Vnde concludes illum Hæreticum eſſe, hoc eſt electorem, qui ſibi ex multis quod credat, ſuo ipſe arbitrio & voluntate deligat.

Denique vrgebis illum vt vel vnum hominem ex omni antiquitatis memoria producat, qui cum vno (verbi gratia Luthero) in omnibus ſenſerit. Neminem proferre poterit, ne ex hæreticorum quidem albo, quorum quiſque diuerſam quam ſibi ipſe finxerit, religionem coluit. Age igitur amice, Eſtne æquum vt repudiata totius orbis diſciplina, doctrinam vel hætenus inauditam, vel olim totius antiquitatis conſenſu exploſam amplectaris, hac ſola ratione, quia tibi ita videatur. Ergo tot inuictiſſimos martyres, tot viros doctiſſimos, tot Chriſti Confefſores integerrimos, qui fidei ſuæ veritatem innumeris miraculis teſtatam reliquerunt, impios, infideles, idololatrias fuiſſe confirmabis, ſempiternis que ſupplicijs viuos, mortuosque condemnabis: & hoc ſolum quia tu tibi videris melius ſapere, & rectè intelligere ſcripturas? Quasi vero Eccleſiam illam Chriſtus quam acerbisſima morte ſibi in Cruce deſpondit, in tam tetris erroribus totos 1600. annos iacere paſſus fuerit, donec poſt tot ſæcula tui ingenij lumine mundus colluſtraretur.

Hæc, & id genus alia, cum quadam pia commiferantis animi ſignificatione modeſtè propoſita, magnum habent momentum, ad animum hominis ſeduc̄ti, non proſuſus obſtinati commouendum; præſertim ſi magnitudo periculi, æternitas inquam ſuppliciorum, etiam atque etiam inculcetur, iuxta illud Iſaiæ 60. *Gens & regnum quod non ſeruiert tibi, peribit.*

His namque cogitationibus iactatus Hæreticus, ſi non omninò erro-

rem deponet, nutabit tamen fortasse, & rei grauitatem imminensque periculum serio cum animo suo considerabit, cogitans non minus ipsum cum pauculis suis Symmictis in errorem lapsum quam orbem terrarum vniuersum. Hactenus ex Costero in præfatione Enchiridij.

Epistola Pat. Petri Fabri Societat. Iesu, de modo
agendi cum Hæreticis. §. 3.

Misis ad me subindeliteris efflagitaueras vt certos tibi statuerem Canones, & documenta quibus diuini verbi ministri vti possent ad extirpandos ex animis Hæreticorum errores. & inueteratos illorū morbos curandos, sine propria salutis iactura. Huic ergo petitioni nihil hucusque respondi. nunc temporis causatus angustias, nunc inquietudinem, quæ me domi habebat, incusans: nec minus honesto titulo mercari modo silentium possem, infirmam huius manus valerudinem pro me adducens. Verum illud potissimum me purgat, quod rationes quales tu desideras audire, mihi nullæ succurrunt: dicam tamen nonnullas, qualescunque citato scribentis calamo obuenerint. Atque illud primo loco monendi sunt, qui salutem animarum sitientes ad nostræ tempestatis Hæreticos commeant, vt charitatis intimæ viscera erga illos gerant, syncere atque ardentè illos ament, nullos fouentes animo cogitationes quæ illos contemptu dignos suadeant.

Accedit huc secundus Canon, vt illos nobis conemur beneuolos atque propitios reddere, vt recte de nobis sentiant, & iudicent intra se. Hoc autem consequi non fuerit difficile, si comiter illos alloquamur, nihil initio discrepantes, aut controuertentes, sed de ijs rebus tantum cõstituat ut sermo quæ nobis cum illis conueniant. Fugienda igitur imprimis controuersia, vbi altera pars videatur alteram deprimere: prius enim communicandum est in his quæ vniūt, quam in ijs quæ diuersitatem sensuum ostendere videantur. At vero quia hæc Lutheranorum secta est filiorum subtractionis in perditionem: ac prius in eis perijt bene agendorū sensus, quam credendorum fides, medicinæ ordo egritudinis ordinem sequi debet. Procedendum igitur est cum illis ab ijs quæ faciunt ad bene sentiendum secundum affectus, ad ea quæ sunt & faciunt ad credendum. Erat enim sane olim in Ecclesiæ nascentis primordijs contrarius ordo ad auertendum ab infidelitate homines. Hinc siquidem erudiendus primus erat intellectus, ac præceptis nostræ fidei imbuendus. Hæc enim fides ex auditu est, deinde ad rectè sentiendum de moribus, qui sunt secundum fidem acceptam paulatim perducebantur. At Lutheranis si ad bonos mores redire

dire suadeas, facile ad sanam fidem mentemque reuocaueris. Si igitur in hominem incidas, cuius non solum doctrina impia sit, & perniciosa, sed vita etiam moribus corruptis perditæ; vt hic æger releuetur, necessarium est colloquijs hinc inde quasitis sensim à moribus prauis deterreri: neque est antea vllum verbum de erroribus in fide faciendum.

Expertus ego ipse sum aliquando: cum enim vir quidam me rogasset, vt hominem qui pertinaciter acquieuerat Lutheri erroribus, eximerem è laqueo, si possem, cum præsertim dogma illud de coniugio Sacerdotum mordicus teneret, ego ilico hominis mores nosse pertentavi, protraxi itaque sermonem, atque ex familiari colloquio, vitam eius deprehendi, vitiatorum sordibus labefactatâ: assueuerat enim meretricijs amoribus multis retro annis: illuc igitur appuli animum, vt amores impudicos radicitus à corde euellerem, nihil interim de fide sana apud illum memorans. Factus voti compos nihil vltra necesse habui laborare. Sed ipse qui curabatur Domini gratia, aperuit animi oculos, & errorum tenebras diffugare cœpit: quippe qui ex amorum prauitate & ortum habuerit & incrementum. Sed quia pleræque omnes Lutheri Scholæ, in humanorum operum meritis excludendis miserè errant, oportebit primum opera quæ illi cõtemnunt stabilire, deinde ad fidem promouendâ gradus facere, ea semper apud illos loquedo, quæ mirabilè virtutū amorè, & desiderium in ipsorū animis excitet: quod vt fiat illustrius, manifesto ex èplo ostendâ. Dicit tibi Hæreticorum aliquis Ecclesiam, neque ad persoluendum horarias preces nec ad audiendum Missæ sacrum, nec ad similia posse adigere, proposita Capitali pœna transgressoribus: huius tumentem animum permoueas oportet vt orationi & Missæ libenter vacet; talem siquidem deuotionem orationis, & Missæ temporibus statutis habedæ, qui primum excludit, verè fidei vltimum fecit naufragium. Erit autem magnum operæ pretium animaduertere quibusnam erroribus innitatur præcipuè Lutheranorum capita & Hæresiarchè. Hi nimirum in præcepta sanctionesque Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum acerbè insultant: Sit hoc, quidnam est nisi exiguas & pene exhaustas in se vires cognoscere: ad benè obtemperandum, & ad laborem tolerandum cum posse desperant, vt omnes Canones præceptaque Ecclesiæ ab ipsis purè obseruentur. Sunt igitur prædicatione hortatūque à pusillanimitate spiritus qua submerguntur erigendi, reficiendi, animandi, & sancta spe implendi, vt sibi de se ipsis polliceantur (in Domini virtute seu digito) non solum quæ iubentur se præstaturus, verum multo maioribus rebus suffecturos. Ac sane intrepidè dicere possum, si doctrinæ efficacia & ardore spiritus Lutheranus persuaderetur, ex obtemperandi voluntate omnia sua alieno arbitrio moderanda concedere; ac religionis cultum quem semel exiit resumere: hoc inquam si persuaderetur,

detur, Lutheranus & faceret eadem opera, Hæreticus esse desineret, sine alia digladiatione aut controuersia: nec negauerim tamen ingenti robore spiritus, illustrationeque diuina, ac inflammatione cordis non tepida Lutherano opus fore ad tantam firmitatem in bono, & humilitatem, & tolerantiam ac id genus virtutes consequendas. Sunt enim haud dubiè omnes necessariè huiusmodi, ex tanta miseria & subuersione in statum felicissimum migraturo.

Vnde colligimus non esse datum humanæ prudentiæ, sibi polliceri certam Hæreticorum reductionem: difficile enim, ne dicam impossibile, & ad resipiscendum emollire homines subuersos, nisi Dei digitus, in homine per hominem diuinitus operetur. Si quis etiam apud illos argumento rum ignarus aut cæcè negligens loqueretur de vitæ honestate, de virtutum ornamentis, de orationis fructu, de mortis agone, de inferni cruciatibus, aut huiusmodi alijs, quæ vel Ethnicos permouerent ad vitam frugaliorem; hic nimirum multo plus prodesset Hæreticis, quam alius quiuis autoritatibus, & locis argumentorum onustus ad euincendum. Et vt semel omnia dicam, hæc gens admonitionibus exhortationibusque suadenda est, ad mores corrigendos, Deique timore ac amore frænanda est. Sic enim fiet vt pusillanimitatem exuant, rædium diuinorum abijciant, mentis diuagationem sistant, & alia multa compescant, quæ reuera non prius intellectum oppugnarunt aut læserunt, quam manus pedesque tum corporis tum animi. Christus redemptor omnium Spiritus sui diuini ope cadentes sustineat & lapsos erigat, nouit enim optime verbum suum libris scriptum non sufficere. Finem fecero si te prius rogem, memineris me hæc scripsisse gratia obsequendi Sæcto Spiritui soli, qui te ad hoc postulandum impulit. Si locum meditationi, mentique intima dedissem, plura fortasse occurrerent in rem præsentem: sed vt mihi persuadeo, omnia dirigi possunt ad Canones prædictos. Vale. Haëtenu Faber.

Huius virialias breuissimi documenta eatenus accipienda sunt, quatenus negotium est cum Hæreticis illis, siue sint populares, siue nobiles, aut etiam Ministri, quibus altius in corde perueritas nondum misit radices, quare cum istis mitius agendum est, ac amica & placida conuersatione, aut argumentatione vtendum potius, quam biliosis inuectiuis. sic Magnus docuit Augustinus contra epist. fundamen. c. i. *Magis enim (inquit) de correctione eorum, qui imprudenter forsitan, quam malitiosius hæresi adhæserunt, quæ de subuersione cogitandum est. Et quamquam Dominus per seruos suos regna subuerit erroris, ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius quam perdendos iubet, &c. Illi ergo in vos sauiant, qui nesciunt cum quo labore verum inueniatur, & quam difficile caueantur errores. Illi in vos sauiant, qui nesciunt cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt possit intueri solem suum,*

&c. Illi in vos sauiant, qui nesciunt quibus gemitibus & suspirijs fiat, vt ex quantalacunque parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sauiant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident: hæc Augustinus. Demum ipsa cum verbo Dei scripto, & tradito doctrina Patrum insinuanda, ita vt commode ipsi per se legant, præcipuè vero monendi sunt, vt euoluant Tertulliani præscriptiones aduersus hæreticos: Cypriani librum de vnitæ Ecclesiæ: item Augustini eiusdem argumenti contra Donatistas, nec non eiusdem tractatum aureum de vtilitate credendi ad Honoratum: non & Vincentij Lirinensis commonitorium aduersus prophanas hæreseon nouitates. Tū his omnibus quasi plenioris confirmationis causa adiungat Baronij Annales Ecclesiasticos, fidissimos antiquitatis testes, Bellarmini disputationes accuratissimas. Mox item priuatim cum iis agatur, nam ita multi ad cor redierunt, fidemque Catholicam deinceps egregiè propugnarunt.

Quod si cum peruersissimis agendum sit, quales plerumque sunt Calviniani, & aliarum Hæresum sectarij: ij si post vnam vel alteram correctione moniti non respiciant, nulla cum talibus, inquit Cyprianus Epist. 3. lib. primo commercia copulentur. Sed qualescunque hæretici sint, meminerit qui cum ijs ager, expedire quam maxime, ita in lectione Euangeliorum, & scriptorum apostolicorum esse versatum vt loci præcipui sint noti, quibus ex ipso Dei verbo scripto Hæretici conuincantur. Et vero cum hoc vnum ipsi vrgeant, anteuertenda illorum est fraus, ac dicendum nolle nos nisi vt ex verbo Dei agant nobiscum: inde enim fiet, vt quoties aliquem ex suis Hæresiarchis attulerunt, vel ex proprio Marte enunciauerint, id ipsum ruat per sese, ac illorum astus in ipsorum recidat caput.

Præterea quæstionibus Hæreticorum, vt prudenter aduertit Anton. Possuin. aliquando respondere oportebit ea ratione, qua Christus Dominus in refellendis Phariseorum erroribus aut respondendo eorum interrogationibus utebatur. Nam vt oprime aduertit Gregorius Nazianzenus: Christus (inquit) quasdam quæstiones soluere, atque explicare solet, quasdam comprimere atque obstruere. Cum ex eo quæritur, in qua potestate hæc facis? propter interrogantium vecordiam, & ineptiam vicissim ipse interrogat, Baptismus Ioannis è cælo erat, an ab hominibus? atque vtrisque interrogantes suos premit atque constringit. Vnde etiã nobis nonnunquam ad Domini imitationem, eos qui curiosa disputatione nos laceßunt, comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus soluere licet: nam ipsi quoque in rebus vanis interdicendum sumus. vt in his quæ sunt sapientiæ gloriæ. At cum quæstionem ratiocinatione indigentem videt, tum vero eos à quibus interrogatur prudenti responso nequaquam indignos censet.

Experientia compertum est, ut heretici in circuitu agunt, sic eorum astum retundi cum Diuini verbum ijs obijcitur, vnaque in questione coguntur consistere.

Porro vtile erit perlegere Augustini disceptationes, quas habuit cum sui temporis hereticis; quas ve nostri temporis insignioris Theologi habuerunt, vel Parisijs, ut Clandius Sanctes, & Vigoreus cum Caluinijs: vel in Germania, ut Eckius, Cochleus, Ioannes Pistorius cum Lutheranis: vel Petrocouig in Polonia cum Arianis, aliasque alibi habitas cum ceteris erroribus.

Mores quoque Hereticorum prænoscendi sunt, ex Augustini scriptis in methodum redactis ab Hieron. Torrensi in Confessione Augusti. & è Vincentij Lirinensis libello, itemque è Tertulliano de præscriptionibus aduersus Hæreticos.

Esset etiam conuenientissimum peculiare controuersias, per theses breues, & eruditas disputandas proponere, disputatas edere. Quod pat. Societ. Iesu feliciter ante aliquot annos aggressi sunt Moguntię, Ingolstadtij, Viennæ, Vlnæ, Transiluanie, Pofnauię, Dilingę, &c. Denique si precibus, rationibus, & propositis Heretici non alluciantur, aliquando oportebit eos vi compellere ut ad fidem reuertantur, ut eleganter Augusti. in epistola ad Vincentium his verbis docuit: *Vides itaque (ut opinor) non esse considerandum, quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, utrum bonum an malum: non quo quisque bonus possit esse inuitus, sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum, de quo contendebat, vel querat verum quod nesciebat, & volens teneat iam quod nolebat. Superflud hoc fortasse diceretur quibuslibet verbis, si non tam multis ostenderetur exemplis. Non illos aut illos homines sed multas Ciuitates videmus fuisse Donatistas, nunc esse Catholicas, detestari vehementer diabolicam separationem, diligere ardentem vnitatem. Quæ tamen timoris huius, qui tibi displicet, occasionibus Catholica facta sunt per leges Imperatorum, à Constantino apud quem primum vestri vltro Cæcilianum accusauerunt, vsque ad præsentem Imperatores, qui iudicium illius quem vestri elegerunt, quem iudicibus Episcopis præulerunt, iustissime contra vos custodiendum esse decernunt. His ergo exemplis à Collegis meis mihi propositis celsi. Nam mea primitus sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hereticos noueramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: nam primo mihi opponebatur Ciuitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam timore legum imperialium conuersa est, quam nunc videmus ita huius vestra animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur. Itæ alia multa quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa re-*
ctè in-

itè intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Quam multi enim quod certo scimus, iam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reuerendo quotidie differebant? Quam multos veritas (in qua nunquam præsumpsistis) seæ obdurata consuetudinis graue vinculum detinebat ut in eis compleretur diuina illa sententia, Verbis non emendabitur seruus durus, si enim intellexerit non obediet? Quam multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat? Quam multis aditum irrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere iactabant? Quam multi nihil interesse credentes in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam transire nemo cogebat? His omnibus haram legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alij dicant, iam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, iamque faciendi & dilationum morulas amputauit: alij dicant, Hoc esse verum iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur. Gratias Domino qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alij dicant, Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam merus fecit intentos, quo timuimus ne forte sine vllis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur. Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curauimus. Alij dicant, Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, si non intraremus: nec intraremus si non cogeremur. Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falsa esse, quæ auctores huius hæresis criminati sunt, quando posterius eorum tam falsa & peiora finxerunt. Alij dicant, Putabamus quidem nihil interesse, ubi fidem Christi teneremus: sed gratias Domino, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, ut in vnitatem solatur, ostendit.

De communicatione cum Hæreticis fugienda, & de casibus in quibus liceat cum eis communicare. §. 4.

SANCTUS Leo Papa serm. 18. de passione, viperea Hæreticorum dicit esse vitanda colloquia, ut insinuet Hereticos continuo venenum suum longè lateque diffundere: quare verissime scriptum est Ab Apostolo Hæreticorum verba ut cancrum serpere, quod vel nostra hac ætate clarissime liquet, quippe cum pestis Lutherana & Caluiniana per totum Aquilonem & Orientem ut Germaniam, Daniam, Saxoniam, Noruegiam, Suetiam,

Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam. tum etiam Occidentem & Meridiem, vt Angliam, Galliam grassata; eam penitus deformet.

Non itaque incassum maiores nostri Hæreticorum libros, congressus, colloquia, conuiuia odisse consueuerunt & non secus ac peste laborantes fugiendos suaserunt. Sic hæreticos detestabatur Antonius (inquit Athanasius in ipsius vita) vt omnibus diceret, nec iuxta eos accedendum. S. Ioan. Apostolus (inquit Irenæus lib 3. contra Valent. c. 3.) cum balneum aliquando esset ingressus. mox vt Cherinthum Hæreticum intus esse cognouit, de balneo exiit non lotus: nimirum exemplo suo posteros omnes admonere volens, hæresim morbum esse contagiosum. totisque viribus & summa animi prouisione cauendum. Simus ab eis, ait Cyprianus, tam separati, quam sunt illi de Ecclesia profugi; Theodoret. lib. 4. histor. c. 14. scriptum reliquit populam Samosatensem Episcopum suum Hæreticum tanquam pestiferum fugisse, nec vllis ipsius concionibus interesse voluisse. Ibat Episcopus ad balnea, aliosque vt secum lauarent inuitabat; at nemo vnquam ipso præsentem locum introiit, nemo etiam postea nisi aqua prius omni eiecta, & noua rursus adducta lauit. Ludebant aliquando pueri in foro, contigit vero vt lusoria pila pedem contingeret iumentum quo Episcopus uehebatur, continuo exclamant omnes, & magno in ipso foro accenso igne in eum pilam conijciunt.

Hic erat ille veterum zelus, hic fidei Catholicæ ardor, & sani cultus conseruandi studium. Arque vtinam pari diligentia, vel illa saltem qua pestem, Christiani hæresim suis ciuitatibus prohibuissent, & exclusissent: non foret hodie tanta animarum iactura! Quæ hic annotare volui, vt manifestius fiat quantum à veritatis scopo errent, qui specie recti decepti quorundam politicorum sententiam & opinionem sectantes Hæreticos cum Catholicis miscere, & cuique quam velit sententiam amplecti sine noxa licere arbitrantur.

Omissis tamen ijs oportebit declarare in quibus casibus sit à Iure permissa cum Hæreticis communicatio, quia cum hi sint excommunicati, merito eorum communionem abhorrere fideles tenentur.

Primum itaque dubium illud erit, An Hæretici sint excommunicati iure diuino, an humano tantum: Quod est querere, an excommunicatio lata in Hæreticos sit à iure aliquo diuino, an vero Pontificio tantum: ex quo etiam constabit, an iure diuino, vel tantum humano sit euitanda cum hæreticis communicatio.

Resp. Hæretici non diuino sed Canonico tantum iure excommunicati sunt: & hæc sententia est plurium Theologorum consensu recepta: licet non defuerint, qui contrarium affirmauerint.

Notandum autem est, excommunicationem hæreticis irrogatam, esse omnium

omnium excommunicationum antiquissimam vt patet. ex c. Acacius, & c. Audiuius 24. quæst. 1. Imo à tempore quo in Ecclesia Concilia cogi & celebrari cœperunt; introductus est mos Hæreticos excommunicandi: qua pœna à Sacramentis arcebantur, & à communibus Ecclesiæ suffragijs & officijs priuabantur, repellebanturque ab omnium fidelium & piorum hominum consortio: cuius excommunicationis absolutio hodie per Bullam in Cæna Domini est summo Pontifici reseruata.

Oportet tamen animaduertere, quod quamuis Hæreticus, ex Iure diuino absolutè loquendo, non sit excommunicatus, nec ex consequenti vitandus, sed tantum Iure Canonico: interim tamen in diuinis & sacris Iure diuino est vitandus in his quæ sequuntur. Primo si ex huiusmodi cum Hæretico sermonis & rerum communicatione, aliorum oritur offensio aut scandalum. Secundo, si periculum nobis imminet nostri spiritualis exitij & interitus, videlicet perfidiæ & Christianæ religionis cōtemptus. Tertio, si ex hoc quod cum hæretico sermonem & conuersationem habemus, suspicio nascitur, quod verbo, signo, vel facto Hæreticorum ritus, mores, aut dogmata profiteamur. Quarto si cum Hæretico sit nobis commercij criminis & impietatis. ob quam ipse est excommunicationis sententia constrictus. Extra hos casus, iure tantum Canonico, non diuino, debet in rebus sacris Hæreticus euitari. Ex quo efficitur vt Romani Pontificis authoritati concedi queat, vt ab Hæretico extra casus supra memoratos suscipere sacramenta possimus. Nam quamuis Ecclesiastica iurisdictione Hæreticus careat, eo quod sit segregatus ab Ecclesia, potest tamen eam habere, si id Romanus Pontifex siue Ecclesia permittat aut concedat.

Secundo dubitatur, an etiam Hæretici occulti, an solum manifesti, comprehendantur sub hac excommunicatione.

Resp. Eum qui ob solam Hæresim internam mente conceptam, minime tamen à se declaratam, Hæreticus est, non comprehendi sub prædicta excommunicatione: quia Ecclesia, vt communis tenet sententia, nullam habet iurisdictionem in actus purè interiores: si vero hæresis sit manifesta, aliquo exteriori signo vel alio modo, tunc incurritur excommunicatio.

Sed tunc est tertium dubium: an omnes hæreticos manifestos & notorios eo ipso quod sint excommunicati teneamur vitare.

Respondetur, Non omnes Hæreticos ea solum ratione qua excommunicati sunt, à nobis esse vitandos: ratio est, quia etsi olim omnem excommunicatum euitare tenebamur: postea tamen edita est ab Ecclesia constitutio qua decretum est, non omnes excommunicatos vitari debere, sed tantum nominatim excommunicatos, vel notorios Clerici

percussores. Constitutionis autem verba sunt hæc.

Ad euitanda multa scandala & multa pericula & subueniendum conscientijs timoratis, constituimus ut nemo posthac teneatur abstinere & separare se, neque euitare communicationem alicuius, in administrando, aut recipiendo sacramenta, aut in alijs diuinis officijs, aut extra illa, ratione alicuius sententia, aut censura Ecclesiastica, aut suspensionis aut prohibitionis ab homine, aut à iure generaliter promulgata. Neque seruare interdictum Ecclesiasticum, si illa talis sententia, prohibitio, suspensio aut censura non fuerit promulgata, & denunciata specialiter & expressè à iudice contra certam aliquam personam, collegium, Vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum aut certam, neque manifesto constet incurrisse in sententiâ excommunicationis, quod nullo modo potest occultari, aut per aliquod remedium iuris excusari. Quia à communicatione huius culti quod se separant iuxta canonicas constitutiones: per hoc tamen non intendimus releuare, neque iuuare sic excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos. Hactenus verba constitutionis.

Hæc constitutio edita est à Martino V. & in Concilio Constantiensi, & in Lateranensi recepta, vt fatentur authores infra citati.

Ex hac igitur extrauaganti colligitur aperte, non esse vitandos omnes excommunicatos, sed tantum illos qui sunt nominatim excommunicati, vel manifesti Clerici percussores: ita tenent doctissimi viri Nauar. in Concilij varijs in locis infrascriptis, maximè Consil. 15. de Hæreticis vbi affirmat per dictam constitutionem, Martin. V. limitari omnia iura antiqua tam Decreti, quam Decretalium sexti, & Clementinarum, & omnium extrauagantium, & ita obseruari in praxi in Curia Romana apud prætorium Rotæ: (vbi etiam retractauit sententiam, quam prius manuali c. 27. numero 34. & 35. tenuit) Sot. in 4. distinct. 22. q. 1. art. 1. Caiet in summa, verbo Absolutionis impedimenta, & verbo Excommunicatio maior. Victoria in summa de sacram. tractatu de excommunicatione. Tolet. in Summa lib. 1. ca. 65. Suarez in tertiam p. 9. 104. disput. 44. sect. 3. Greg. de Valentia in tertia part. disput. 3. q. 5. puncto 3. Azor 1. Tomo Instit. moral. lib. 8. c. 11. qui pro hæc sententia quam plurimos adducit authores alios, & dicunt in vsu & praxi esse receptam.

Sed quæret aliquis: Quis dicatur nominatim excommunicatus? An sufficiat in Bulla Cænæ Domini Lutheranos, Calvinistas, Schismaticos excommunicare, vt teneamur omnes Lutheranos, vel Schismaticos tanquam nominatim excommunicatos vitare?

Resp. Ex sententia istorum Doctorum non sufficere, sed requiri, vt proprio nomine individuali nominentur.

Ex hac igitur sententia deducunt illi Authores, posse tuta conscientia Catholicum sermones conferre, & ciuilia commercia inire cum Hæreticis, qui sunt in Anglia, Gallia, Germania, Polonia, quoniam licet publici sint

sint Hæretici, & notoriè excommunicati, non sunt tamen nominatim & expressim denunciati, neque notorij Clericorum percussores: ex qua etiam opinione multa alia, de quibus solet passim quæri diluuntur, de quibus sigillatim dicemus. Primo enim sequitur licere Catholicis simul precari & orare Deum cum hæreticis, & rem diuinam cum ijs audire, & conciones sacras, funus item hæretici comitari, & ad sepulturam deferre, & alijs huiusmodi diuinis & sacris rebus interesse, dummodo hæretici non sint nominatim denunciati, & id fiat citra vllum Catholicorum scandalum & proprium periculum: ita colligitur ex sententia prædictorum authorum, vt expressè docet Nauar. consil. 15. de hæreticis num. 2. & 4. & consil. 16. num. 8. eodem titulo, secus vero si sunt denunciati.

Secundo sequitur, licere in templo in quo sepulti sunt hæretici, rem diuinam & sacram facere, nam licet Ecclesia violetur & polluat cum in ea sepelitur paganus, Iudæus, Infidelis, excommunicatus. cap. Ecclesiam 1. & c. Ecclesiam 2. de consecrat. distinct. 1. & c. Sacris de sepulturis cum alijs iuribus: hoc tamen intelligendum est de excommunicato publicè denunciato: quoniam quem dum in viuus erat vitare debebamus, mortuum quoque deuitemus oportet. Non tamen in eo qui nominatim non est excommunicatus, ita Nauar. consil. 15. num. 4. de Hæreticis. & alij.

Tertio sequitur, licere etiam Catholicis, huiusmodi hæreticorum qui nominatim non sunt denunciati, templa adire, ingredi, & in eis preces fundere, rem diuinam & conciones hæreticorum audire, adeorum postea errores confutandos, & hæreticam impietatem subuertendam: ita Nauar. d. consil. 15. numero 4. Ita tamen vt hæc tria seruentur: Primum, ne in Catholicorum animis vlla offensio generetur. Secundum, ne vlla sit communicatio ritus, ceremoniarum ac impietatis cum hæreticis. Tertium, ne vllum periculum imminet propriæ perfidiæ, subuersionisque, & Catholicæ Religionis contemptus.

Quarto sequitur, in terris, vt in Germania, Gallia Polonia, & similibus vbi Catholici cum Hæreticis permixti viuere solent, licere Catholicis cum Hæreticis matrimonia contrahere: nam licet id iure Canonico sit prohibitum, tamen quia in his prouincijs consuetudine scita & tolerata ab Ecclesia est receptum, ideo tuta conscientia fieri potest: nam contuetudo legi derogat, ita docet Azor vt sup. & colligit ex Nauar. Consil. primo de constitutionibus numero 59. & 60. dummodo coniunx Catholicus siue vir siue femina, cum Hæretico matrimonium contrahens, sua sponte omnino & tuto, fidem & religionem Catholicam profiteri in omnibus permittatur; & similiter seruetur quod Ecclesia constituit, vt ex alterutro parente Catholico suscepta proles Catholicæ religionis sacris initiatur; vt habetur in c. Ex literis de conuersione infidelium, & c. Iudæi 22. quæ-

stione 1. Quare pacta quæ huiusmodi Matrimonij fieri solent, nempe vt primogenitus hæreticæ patris impietati adhareat, secundo genitus matris fidem & religionem Catholicam sequatur, & alia similia turpia esse nefaria & impia, tum contra ius Ecclesiasticum, vt constat ex dictis capitul. tum contra ius diuinum, quoniam paruulis vsu rationis carentibus, cura parentum ministrare & præbere debet remedia ad salutem necessaria, ergo filij paruuli instituendi sunt in fide, & religione Catholica, vt in ea saluentur.

Sed maior est difficultas: An vbi Hæretici sunt cū Catholicis permixti, liceat Catholicis à suis Parochis & Episcopis Hæreticis, qui tamen tales denunciati non sunt, Sacramenta recipere? Prima sententia est affirmatiua, ita Angelus verb. Irregularitas numero 30. Syluest. eodem verbo quaest. 7. Sotus in 4. d. 25. quaest. 1. art. 1. conclus. 3. Suarez de Censuris diff. 31. numero 64. & dif. 9. sect. 4. numero 9. & seq. Maiolus li. 4. c. 22. Nauar. consil. 15. de Hæreticis, Toletus in summa c. 13. Suarez, & Greg. de Valètia 3. parte vt supra. &c. pro hac sententia faciunt etiam omnes auctores adducti supra, qui omnes vnum iudicium ferunt de Sacerdote Hæretico nominatim non excommunicato, ac de alijs iniquis ministris Catholicis. In casibus inquam illis, in quibus licet sine peccato mortali Sacramentū ab huiusmodi improbis ministris accipere: hi autem casus sunt. quos ex doctrina magis recepta recenset Caietanus in 3. partem q. 104. art. 6. nempe si minister sit per se paratus. & habeat alioqui potestatem. Secundus, si est proprius Pastor. Tertius, si accipiens Sacramentum sit constitutus in necessitate: hanc autem necessitatem Sotus distinguit. prima quaestione 7. art. 6. non existimat sufficientem ad implendum præceptum Ecclesiæ, sed requiri extremam, scilicet vt sit quis in periculo mortis: licet Suarez existimet, vt supra, sufficere necessitatem adimplendi præceptum audiendi Missam, aut communicandi, aut vtilitatem non differendi vsu Sacramenti Confessionis vel Communionis. imo etiam affirmat in his casibus licere accipere Sacramenta à quolibet Sacerdote etiam non parato: omnes tamen fatentur requiri sequentes conditiones. Prima, Ne vlla inde oriatur Catholicorum offensio. Secunda, vt in sacramentis ministrandis & recipiendis legitima Ecclesiæ forma seruetur, vt ministri verè sint Sacerdotes, verè Episcopi: tertia, ne vlla sit communicatio ritus, ceremoniæ, & hæreticæ prauitatis. Quarta, ne vllum immineat Sacramenta percipienti periculum erroris in fide.

Sed certè hæc sententia aliquibus dubia, aliquibus vero minus probabilis videtur: ex quorum numero est Cardinalis Bellar. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 30. & Azor, & alij, quia, vt ipsi affirmant, hæresis ex natura sua ante vllam excommunicationem præscindit, & diuidit Hæreticos ab Ecclesia

clesia, priuans eos omni iurisdictione: vnde non tam quia excommunicati, quam quod Hæretici omni iurisdictione carent, vt optime docuit D. Thom. 3. part. q. 82. art. 7. ad secundum & ita conferre nequeunt Sacramenta: & confirmari potest hæc sententia, quia si à Schismaticis vt supra diximus non licet Sacramenta accipere, ex declaratione Clementis PP. VIII. multo minus licebit ab Hæreticis. Illud tamen certum est in omni opinione, ordinatum ab Episcopo Hæretico vel Schismatico, dummodo vtatur forma & materia Ecclesiæ, verè esse ordinatum, quia actus iste est potius ordinis quàm iurisdictionis: ordinatus tamen iuxta hanc vltimam sententiam incurrit irregularitatem, etiam si Episcopus non sit nominatim excommunicatus, si tamen cum ignorantia fecerit, dispensat Episcopus, ita docet Nauar. in summa c. 27. num. 241.

Sed dubitatur vltterius, an ab Hæretico nominatim excommunicato, & in mortis articulo, liceat Sacramentum pœnitentiæ accipere? Et ratio dubij est, quia cum careat omni iurisdictione, vt pote præcisus ab Ecclesia, non poterit præbere absolutionem, ita docet S. Thom. 3. part. q. 82. art. 7. ad secundum, & ex communi sententia Canonistarum, & ratio est, ne penitus decipiatur ab Hæretico, aut in desperationem inducatur: sed reuera si non sit simile periculum, non est improbabilis contraria sententia, quam tenent Paludanus, Antoninus, Canus, Maior, & alij viri docti, quia quamuis Hæreticus Sacerdos iurisdictione careat, eam tamen illi non denegat Ecclesia, in articulo mortis in quo est peccator pœnitens constitutus: & similiter quamuis ab Hæreticis alia Sacramenta quæ nõ sunt necessitatis, non possint percipi, at in mortis articulo pœnitentiæ Sacramentum est necessarium, præsertim si penitens solum sit attritus, non cõtritus. Et hæc sententia Azorio valde videtur probabilis.

Præterea dubitatur, an filij Hæreticorum, vbi sunt cum Catholicis cõmixti, possint admitti ad Scholas Catholicorum, quando sunt in adulta ætate & parentum errore decepti. Resp. Posse tuto conscientia admitti, quia licet sint Hæretici notorij, non tamen sunt denominatim denunciati, aut notorij Clericorum percussores, Nauar. consil. 1. de const. numero 64.

Item quaeritur, An in prædictis locis liceat Catholico filium hæretici de sacro Baptismatis fonte suscipere, ita vt Catholicus sit susceptor eius, & An contra liceat Hæreticum admitttere, vt suscipiat filium Catholici de sacro fonte? Resp. Si Baptismus ritu & modo Catholico administratur, licere Catholico filium Hæretici suscipere, quia non tenetur Hæreticos vitare, prout supra dictum est, si autem ritus sit hæreticus, non licere suscipere: Hæreticum autem admitttere, vt filium Catholici suscipiat nullo modo licere; factum tamen tenet, sed in hæretico admittendo peccatum

est; hoc enim ab Ecclesia interdicitur, quia qui è Sacro fonte aliquem suscipit, iuxta Ecclesię Canones, decreta, & mores debet susceptum prima fidei & religionis elementa & præcepta docere, ita docet Nauar. consil. de const. n. 66.

De pænis Hæreticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione cum Ecclesia.

PRæter excommunicationis pœnam alijs etiam supplicijs mulctantur Hæretici: nam irregularitatem contrahunt, hoc est, inhabiles fiunt ad officia publica vel beneficia Ecclesiastica, vt apertè decernit c. 2. §. Hæretici, de Hæreticis in 6. Itaque Hæreticus ad meliorem mentem conuersus, etiamsi sit ab excommunicatione, in quam ob Hæresim inciderat, absolutus, adhuc dispensatione indiget, vt ad ordines promoueri possit, in quâ pœnam incidere, etiamsi sit occultus Hæreticus, dummodo Hæresis sit exterius prodita, aliqui probabiliter affirmant: alijs vero magis cum iure congruere videtur, hanc pœnam tantummodo incurrere Hæreticum notorium, qui sit manifestus vel per euidenciam facti, vel per Iudicis sententiam, vel per propriam in Iudicio confessionem: sed prior sententia probabilior, & communior est.

Tertia Hæreticorum pœna est, quod ipsorum bona ipso iure sint fisco addicta. c. Cum secundū legis de Hæreticis in 6. Et quauis aliqui affirmet Hæreticum debere ante sui criminis cōdemnationem bona sua fisco tradere, nihilominus cōtraria sententia probabilior est: sufficit enim vt post condemnationem factam à Iudice bona sua teneatur fisco reddere, quamuis aliqui id etiam, & merito negauerint.

Quarta Hæreticorum pœna est, qua suis dignitatibus, honoribus, publicis officijs, & beneficijs priuantur, vt habetur in c. Vt commissi §. Priuati de hæreticis in 6. quare publicum officium habere non possunt quia infames sunt, & quia excommunicati: sed an hæreticus dignitatem vel officiū amittat ante omnem iudicis sententiam, qua eum in crimen incurrisse declaratur, quidam docti negant: alij vero affirmant, ytraque sententia probabilis est, de quibus videndus est Azor lib. 8. tom. 2. c. 3. vbi vtramque sententiam ad concordiam redigit.

Notandum tamen est in Sacerdote Hæretico, etiamsi nominatim sit excommunicatus, manere potestatem faciendi & offerendi Missę sacrificium pro viujs & mortuis. D. Tho. 3. parte quęstione 82. art. 7. quia potestatem ordinis non amittit. Quare si seruet formam debitam, conficit Eucharistię Sacramentum, & idem est sentiendum de alijs Sacramentis, quod

non requirunt iurisdictionem; & sic pœnes Episcopum hæreticum cū maneat potestas ordinis quę est propria Episcoporum, nimirum consecrati & conficiendi chrisma, si actu conferant ordines, vel confirmationis Sacramentum, tenebit Sacramentum: & idem est sentiendum de alijs Sacramentalibus, possunt enim consecrare altaria, templa siue aras, Ecclesias, & calices & vestes, aliaque huiusmodi, dummodo seruetur in iis forma quam seruat Ecclesia: ita sentit gloss. in c. Ecclesijs de consecrat. distinct. prima.

Sed dubium est, an supposito quod hæreticus non amittat ordinis potestatem sed tantum iurisdictionem: an Sacerdos, vel Episcopus in hæresim prolapsus, eo ipso sint omni iurisdictione priuati, ita vt acta per ipsos, verbi gratia peccatorum Confessiones, sententię & censurę, siue constitutiones ab Episcopo factę, nullius sint ponderis aut momenti?

Quidam affirmant quod et si ante Concilium Constantiense inualida essent prædicta omnia, quando hæresis erat manifesta & notoria, post Concilium tamen Constantiense rata esse & valida quę faciunt res byteri hæretici & Episcopi, nisi sit manifestus aliquis eorum Clerici percussor, vel nominatim denunciatus: Et idem sentiunt de alijs siue secularibus siue Ecclesiasticis publicam administrationem vel functionem gerentibus, quia ante Iudicis sententiam adhuc retinent possessionem, & sic gesta per eos valent. Alij v eo probabiliter existimant ob hæresim exteriorem amittere hæreticos Ecclesiasticam iurisdictionem, vt expresse docet D. Tho. in. 2. q. 39. art. 3. vnde quamuis vitari à nobis non debeant, non possunt ligare nec soluere, nec alia munera exercere, qua iurisdictione carent, & suspensi sunt ab officio: sed quicquid sit de his opinionibus, quarum quælibet pro se habet viros graues, & doctos, illud tamen certum est, quæcunque fiunt ab hæreticis quædiu in publico officio tolerantur, valere: c. Nōne 8. q. 4. ita Siluest. verbo Excommunicatio 3. n. 10. & 11. quia Ecclesia voluit vt valerent, toleratus autem dicitur minister ille, qui communi errore populi habetur pro legitimo.

Præterea pænis alijs afficiuntur hæretici: nam etiam priuantur Ecclesiastica sepultura vt in c. Quicumque de hæreticis, quod intelligendum est de ijs qui nominatim sunt excommunicati.

Alia etiam pœna hæreticorum est infamia: sed hæc non contrahitur secundum veteriorem opinionem, nisi post sententiam Iudicis.

Ac denique alix sunt pænx, vt capitis supplicium, de quibus vidēdi sunt Cas. de Iusta Hæreticorum punitione. Simancas de Catholicis institutionibus.

Postremo dubitari potest, An ab hæresis nota, pænisque Hæreticis à Iudice impoſitis liber sit qui ignoranter hæresi adhæret.

Resp. aliquibus propositionibus. Prima, Constans est apud omnes DD. opinio, Ignorantia ab hæresi excusare, ac proinde à pænis in Hæreticos latæ liberare D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 6. ad. 2. vbi Caieta. & alij. Hæc tamē propositio non de qualibet ignorantia intelligi debet, sed tantum de ignorantia inuincibili, ea scilicet quam homo superare non potuit, postquam adhibuit sufficientem sollicitudinem pro ratione sui status, & conditionis, pro veritatis investigatione: non dubium quin plurimi inueniantur in terris hæreticorum, & Schismaticorum, qui in aliquibus rebus ad fidem spectantibus laborent hac inuincibili ignorantia. vel quia materia fidei est de subtilioribus rebus, & non de illis quas ipsi quo ratione sui status explicitè scire tenentur, quales sunt articuli fidei: & ipsi seducti ab aliquo viro docto, quem ipsi ipsum & Catholicum credunt, vel à parentibus Parochis, Episcopis, aut alijs similibus instructi decepti fuerunt; dummodo cū pertinacia suæ sententiæ non adhæreant, sine dubio in foro interiori, & exteriori excusantur, vt optime resoluit Penna in Scholis Inquisitorum 1. p. quæst. 7.

Si quis vero erret ignorantia crassa, vel affectata, licet in foro exteriori præsumatur Hæreticus, maximè si erret in his quæ scire & credere tenentur ratione sui status, vt optime docet Doctor Penna, vt supra; in foro tamen interiori non est hæreticus, quia non adhæret cum pertinacia suis erroribus. Maxime vero hoc credendum est de viris simplicibus. aut non literatis, qui inter hæreticos, vel schismaticos commorantur, qui maiorum & doctiorum erroribus adhærent: existimantes ipsos habere fidem Catholicam. Vnde D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 6. ad. 3. *Si autem inquit aliqui maiorum deficiant, non præiudicat fidei simplicium, qui eos rectam fidem habere credunt;* quia minores, vt ibidem docet Angelicus Doctor, non habent fidem implicatam in fide maiorum, nisi quatenus maiores adhærent doctrinæ diuinæ.

Præterea sciendum est fautores, receptores, & defensores hæreticorum incidere in excommunicationem, ac legentes eorum libros incurrere excommunicationem Bullæ Cæne Domini summo Pontifici reseruatam, vt late tradunt authores & scriptores de censuris. Omisissis vero alijs quæ ad nostrum propositum non conducunt, duo sunt consideranda, primum nomine fautorum, defensorum, vel receptorum intelligi, vt bene aduertit Caiet. in summa verbo Excommunicatio, de fautoribus, & receptoribus hæreticorum, vt hæretici sunt, id est de tuentibus ipsos ipsa ratione quia sunt hæretici. Vnde si quis aliquem reciperet hæreticum, & domi retineret, quia infirmus erat, non excommunicatur in cæna Domini, nisi alia feratur ab inquisitoribus excommunicatio generalior.

Secundo notandum est, nomine librorum prohibitorum non comprehendendi Græcorum, Armenorum, aut aliorum Schismaticorum ritus & ceremonias

remonias continentes, & similiter vt aliquibus placet non feruntur prædicta excommunicatione Catholici qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, ac similibus locis legunt libros Hæreticorum continentes hæreses, dum id fiat studio cognoscendi, & confutandi eorum hæreses & errores, sed hæc opinio cum ea limitatione accipienda est, vt rectè notauit Azor. vt supra c. 16. in illis partibus in quibus prædicta constitutio Bullæ Cæne Domini non est vsu accepta, nec promulgata, aut iure communi confirmata. Sed quicquid sit de hac sententia, gaudent tamen Religiosi Medicantes priuilegio à multis Summis Pontificibus concessio, vt in terris infidelium, Schismaticorum, & Hæreticorum possint tuta conscientia eorum libros, & alios quacunquē ex causa prohibitos, ad effectum illos confutandi & corrigendi legere; sic etiam concessit ordini nostro Clemens PP. VIII. in Bulla quæ incipit: Dominici gregis, &c.

Vltimo scire oportet Hæreticos ad Ecclesiam reuertentes, oportere prius hæresim abiurare hoc est iureiurando damnare aut simpliciter omnem hæresim, aut specialiter eam in quam inciderunt: deinde scripto promittere se ipsos firmiter credituros quicquid Catholicæ fides Ecclesiæ profiteretur, quæ omnia intelligenda sunt, cum Hæreticus absoluitur in foro conscientie sufficit habere contritionem de hæresi, & firmum propositum, cautionemque sufficientem præbere non reuertendi ad vomitum, & tunc absolui poterit ab eo qui habet potestatem vel ordinariam, vt inquisitores hæreticæ prauitatis, vel subdelegatam vt Religiosi aliqui Medicantes, commorantes inter Hæreticos, Schismaticos, & alios infideles, vbi inquisitiones non sunt, habere solent, vt infra latius dicemus.

Forma breuis omnem hæresim abiurandi per eum
qui in hæresim incidit, & pænitet, & alias
non est relapsus.

EGo talis, de tali loco, talis diæcesis, coram N. & N. Sacrosanctis Evangelij positus coram me eisque propriis manibus per me tactis iuro, me credere corde, & profiteri ore illam Sanctam fidem Catholicam & Apostolicam quam Sancta Romana Ecclesia credit, prædicat, profitetur, & obseruat: & consequenter abiuro, reuoco, & detestor, & abnego omnem hæresim cuiuscunque sit conditionis & sectæ, ex tollentis se aduersus Sanctam Catholicam Ecclesiam. Item iuro me credere & profiteor ore quod sic & sic, &c. vbi explicetur articulus Catholicus contrarius illi hæresi in quam se confessus est incidisse. Et postea dicat, iuro & promit-

to quod deinceps nullam hæresim prædictarum, seu aliam qualemcunque tenebo, nec dogmatizabo, nec libros hæreticales scienter habebō.

Quod si conuenientius visum fuerit, vt professionem fidei cum solenni iuramento exhibitam magis in specie faciat, trademus hic formam à Pio 4. editam in Bulla, quæ incipit Iniunctam nobis.

Forma iuramenti professionis fidei secundum Bullam Pij PP. IV.

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur: videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ; visibilibus omnium, & inuisibilibus. & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Põcio Pilato, passus & sepultus est. & resurrexit tertia die secundum Scripturas; & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & vniam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi, amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiã, Pœnitentiam, Extremam vnctionem. Ordinem & Matrimonium: illaq; gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solenni ad-

ni administratione recipio & admitto. Omnia, & singula quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium, pro viuis & defunctis, atque in Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter corpus & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis, in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constantiter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse: eosque orationes Deo pro nobis offerre: atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cetera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in presenti sponte profiteor, & veraciter teneo. eandem integram & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adiuuante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.

Remedia pro Catholicis inter Hæreticos versantibus, ad orthodoxam fidem conseruandam
ex Patre Francisco Costero.

SI tamen aliquando contigerit Catholicos cum Hæreticis conuersari, pro fide Catholica tuenda atque conseruanda omnem curam & sollicitudinem adhibere oportebit. Et ne in tanto periculo versantes pereant, sequentia ipsos seruare remedia maxime conducer: quæ quoniam breuissima, & popularium etiam captui accommodatissima sunt, conuenientissimum hic duximus inserere.

Primò, itaque humilitatem ex animo sequi necesse est. Sicut enim impossibile est Hæreticum non esse superbum, vt qui iudicium suum totius Ecclesie iudicio preponit: ita fieri non potest, humilis vt in hæresim labatur, nisi humilitatem abijciat. Non veniat mihi pes superbiæ & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; ibi, hoc est, in pede superbiæ, ait D. August.

Secundò, frequens Sacramentorũ Pœnitentiæ & Eucharistiæ vsus necessarius est. Quia enim per hæc sacramenta, & maxime per Eucharistiã, non solum fides confirmatur; sed spiritalis etiam gustus confertur, vt gustemus, & videamus quam suavis sit Dominus, sit per crebram communionem, vt homo non modo credat: sed quodammodo sapiat & experiatur vera esse, quæ fides proponit. Atque hoc est quod Christus dicit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: hoc est, perseuerabit in Ecclesia mea, & spiritus meus manebit in eo.

Tertio, opus est, frequenti meditatione exercere se, in consideratione charitatis Dei in genus humanum: quam ex innumeris beneficijs nobis collatis tantam esse constat, vt intellectum excedat & Angelorum & hominum. Huic sane charitati non est consentaneum, mundum vniuersum sine fide, sine vero Sacramentorum vsu, sine recta intelligentia scripturarum, mille quingentis annis, in summis relictum fuisse erroribus, donec vnus Apostata Monachus, (qui ruptis castitatis & alijs religionis votis, sanctimoniam, Deo consecratam atque velatam, sacrilegis sibi nuptijs iunxit) tam diuturni erroris & falsitatis orbem vniuersum redargueret, damnatis tot sanctis patribus, qui & miraculis & vitæ sanctimonia claruerunt: cum iste & miraculum nullum ediderit; & fateri in publica ad populum concione non erubuerit, se Dæmonem probè nouisse, & ab eo vicissim bene cognitum esse, cum eo que plusquam modium salis comedisset

disse (quod longæ familiaritatis est argumentum) imo scriptis libris restatum posteris reliquerit, diaboli secum nocte disputantis argumentis se conuictum sacrificium Missæ de medio sustulisse.

Quarto, Perpèdere diligèter & serio promissiones Dei Ecclesie factas: quæ tanta sunt, vt ijs cognitis, nullus sit reliquus errori locus. Est enim Ecclesia primò, fundamentum & columna veritatis: hoc est, quæ non solum veritatem secum habet; sed quæ sola veritatem ad instar columnæ & firmamenti sustentat, & aperte omnibus demonstrat. Vnde sicut nullus error fidei in doctrinam Ecclesie potest irrepere: itaque neque extra Ecclesiam est veritas sine errore. Secundo, Ecclesia in doctrina morum errare non potest: cum sit à fidelibus, in qualibet admonitione, instructione & reprehensione sic audienda, vt qui eius monitis obtemperare nollit, grauissima pœna, quæ mortalibus infligi potest, sit afficiendus; nempe excommunicationis gladio à Christi corpore separandus. Si (ait Dominus) Matth. 22. Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Tertio Ecclesia est Christi sponsa. Sponsam autem nihil potest latere arcanorum sui sponsi. Quarto, Est corpus Christi eodem spiritu sancto afflatum. Quare neque à capite separari potest, (Ego, ait, Matth. 22. vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi) neque ignorat mentem sui capitis, si idem sit capitis & corporis spiritus. Nemo (ait Apost. 1. Cor. 2.) nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Nos autem spiritum Christi habemus: & qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. Vnde & Dominus promisit Ioan. 16. se Ecclesie daturum paraclætum spiritum, qui eam doceret omnem veritatem. Quinto Ecclesia est congregatio non occulta & latens; sed aperta, Matt. 5. Sicut ciuitas supra montem posita & candela posita super candelabrum, vt omnes, qui in domo sunt lumè videant: id est, vt ab omnibus videri, possit, tam ijs qui ad fidem Christi conuertuntur, vt sciant quo sit eundum, & à quo sit fides petenda: quam ijs qui sunt in Ecclesiam admissi, vt sciant in dubijs quæ sit audienda. Dic, inquit, Ecclesie: Matth. 18. Et si Ecclesiam non audierit, &c. Sexto Ecclesia hoc modo in monte fundata, & aperte constituta, non est vnus anni, nec vnus sæculi, sed omnium dierum atq; annorum, vsque ad consummationem sæculi. Super hanc petram (ait Matth. 18. ædificabo Ecclesiam meam. & portæ inferi non præualebunt aduersus eam; hoc est Firmissimè eam collocabo; aduersus quam tametsi omnis industria, sapientia atque potentia dæmonum sit insurrectura; nunquam tamen præualebit, vt eam deiiciat. Si igitur hæc Ecclesia habeatur tam illustribus priuilegijs instructa, quæ neque errare, neque errores in doctrina fidei vel morum docere, neque superari possit vlla vi aut arte; quæ scripturas & verba optime nouerit atque intelligat sponsi sui, quæ

que spiritu eodem cum suo capite, & sponso sit imbuta; non est locus heresibus: quia ad omnem dubitationem recurrendum erit ad Ecclesiam, iuxta Christi præceptum, Dic, Ecclesie, &c. Matth. 18. Qui vos audit me audit, Luc. 10.

sed ubi sit ista Ecclesia, quaeritur. Hoc sane ex scriptura verbis aperte constat, talem aliquam esse, & à Christi temporibus exstitisse, atque ad consummationem usque sæculorum semper mansuram qualem iam descripsimus. Vbi autem illa hætenus fuerit, & quænam illa sit etiamnum, his duobus indicijs ostendi potest. Priori quidem ex omnium Christianorum cuiusvis status & nationis vnanimi consensu. Sicut enim Romanam urbem eam cognoscimus quæ ad Tiberim, Parisiensem quæ ad Sequanâ, Coloniensem quæ ad Rhenum est posita: quia hætenus mundus vniuersus has vrbes agnouit; ita si quæ Ecclesia pro vera & Catholica Christi Ecclesia, ab orbe vniuerso 1500. annis est habita, ea certe pro tali nobis est agnoscenda. Et sicut si post tanti temporis totius orbis confirmationem, quispiam aliud oppidum, à paucis annis ædificatum, tibi veram illam & antiquam Coloniam esse diceret, antiquorum Imperatorum priuilegijs & libertate celebrem, ideo nihil persuaderet, vt etiam tanquam insanum ridendum & explodendum se proponeret: itaque qui post 1500. annos aliam tibi Ecclesiam demonstrare conatur, à paucis annis coactam, eamque docere esse veram illam Ecclesiam quam Christus innumeris priuilegijs donauit, errasse autem omnes qui 1500. annis hunc cœtum non agnouissent non solum audiendus non est, sed pro insano habendus: tum quod recenti, & nuper nato conuentui tantam antiquitatem tribuat. Ex his facile videre est, quænam sit vera Ecclesia, quia ante annos 60. cum necdum vllus ex alijs cœtibus natus esset, vbiunque per orbem Christianum, potissimum vero ubi nunc nouæ sectæ vigent, si quis de vera Ecclesia quæsiuisset, nulla alia quam Ecclesia Romana ostensa fuisset. Posteriori vero indicio idem ostenditur, ex dictis superius priuilegijs, Ecclesie suæ à Christo relictis. Si enim quæras Ecclesiam hodie, quæ sit, aut fuerit aliquando per orbem vniuersum diffusa, vel agnita, & cuius origo constanti & non interrupta successione ad Christum & Apostolos deduci possit, nullam inuenies aliam quam Romanam. Sicut enim nos credimus, ita crediderunt maiores nostri ab annis 100. ab annis 200. 300. 400. usque ad annum 1576. Neque demonstrari potest, quando primum, vel à quo sit fides nostra violata aut mutata. At vero sicut credunt nouæ sectæ Lutheri, Buceri, Caluini &c. ante 60. annos nusquam in orbe creditum est: cum omnibus constet, Martinum Lutherum anno 1517. errores istos primum excogitasse & inuexisse. Atque etiam hodie, errores isti angustijs certorum locorum continentur. Lutheranismus Germania:

Calui-

Caluiniſmus Gallia & Anglia: zwinglianiſmus Heluetia. Extra Europã autem neque sunt, neque fuerunt vnquam vel de nomine cogniti.

Quinto, Vitare lectionem librorum veterum, & Hæreticorum familiaritatem atque colloquia: Hæreticum, ait Apostolus Tit. 3. post vnam & secundam correptionem deuita. Quia vt verba loquentis vim habent mouendi: ita & scripta ad permouendum maiore artificio sunt elaborata. Legendi potius sunt facti Doctores, quos constat vitæ sanctitate & eruditione præcelluisse: & frequenter miscendi sermones cum doctis & pijs. Quia tamen in tanta multitudine Hæreticorum, fieri vix potest, vt non aliquando cum illis agamus, in prompui habenda sunt rationes, quibus auitam fidem Ecclesie tueamur. Parati (inquit Apostolus 1. Pet. 2.) semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe. Non quod necessum sit, de singulis articulis controuersis, omnes esse instructos: sed quod expediat generales quasdam nouisse solutiones eorum communibus argumentis. Veluti si obijciant in sacris litteris non haberi inuocandos esse sanctos, venerandas Imagines, abstinendum à carnibus, aut aliquid eiusmodi, non ergo ista esse facienda; nos contra obijciamus, & quidem efficacius hæc sacris litteris non prohiberi: atque sine peccato fieri posse, quia ubi non est lex, ibi nec præuaricatio, Rom. 4.

Item si dicant nihil esse fide tenendum, nisi quod sacris litteris continetur, nos contra dicamus, si hoc admittatur, manifestè sequitur Euangelium secundum Mattheum non esse à Spiritu sancto dictatum: quia nunquam in vniuersa scriptura habeatur: hoc Euangelium vel esse dictatum à Spiritu sancto, vel esse in Catalogo librorum sacre scripturæ. Hæc enim obiectio illos eo ducet, vt fatere cogantur, aliqua esse recipienda atque credenda, quæ scriptura sacra non contineantur: sed ea tantum rejicienda quæ cum scriptura sacra aperte repugnant.

Si vero eiusmodi aliqua loca scripturæ ab ijs adferantur, quæ videantur aduersari doctrinæ ecclesie; si quando Catholicorum Patrum expositio non occurrit, hæc vna solutio sufficiet, scripturas illas dogmatibus Ecclesie non esse contrarias, quantumuis prima fronte videantur. Nam licet earum genuinam explicationem ad manus non habeamus (sunt enim scripturæ difficiles & studio egêt, quod non est omnium) ante multas tamen annorum centurias, priuquam hæresis in orbem venisset, Catholicos Doctores per vniuersum orbem scripturas istas sic ad mentem Christi intellexisse, vt nihil plane cum doctrina Orthodoxa Ecclesie quam ijdè ipsi tuebantur, pugnant.

Rursus si quaerant, cur libeat tanto tempore in antiqua ista Ecclesia herere, cum potius sint eligenda noua, quam vetera? Dicendum primo, non omnia vetera abijcienda esse, neque omnia noua veteribus præferenda.

Aurum

Aurum vetus præfertur nouo: & si senex manum suam veterem amputare velit, non inueniet aliam commodiorem, etiamsi argenteam aut auream substituat. Dicendum secundo, quò velint nos relicta Ecclesia Romana abire? ad Lutherine, Protestantium Calvinistarum, an ad Anabaptistarum sectam? hi enim ex æquo omnes Ecclesiam Romanam damnant, & veram scripturarum intelligentiam iactant. Tertio quæ sit ratio cur illi velint nos antiquam fidem deserere? quid apud ipsos præclarum sit quod nos ad mutationem tanti momenti, vnde animæ salus dependet, mouere debeat? Nam si vitia spectes superiorum. scimus Christum præmonuisse Matth. 23. Quæcunque dixerint, seruate & facite, secundum opera autem eorum nolite facere: neque tante sunt Hæreticorum Ministrorum virtutes, vt ijs magnopere cedant mores sacerdotum Catholicorum: quin potius, incorruptus arbiter, maiorem vitæ integritatem atque doctrinam in Romana Ecclesia, quam in illis sectis deprehender. Si scripturarum intelligentiam cõsideres. ante exortas hæreses, Ecclesia, quæ scripturas habuit, earum etiam intelligentiam habuit. Cur ergo ab Ecclesia scripturarum libros recipiam, & eorundem intelligentiam non accipiam? Cur credam dicenti hoc esse verbum Dei, & non credam docenti, hunc esse intellectum verbi Dei? Cur credam in numero librorum, & non credam in sensu librorum? sane in die Iudicij coram Christo seuro Iudice, securior erit Catholicus quouis sectario. Ponamus enim falsa esse quæ Romana Cathoica Ecclesia credit: in exacto illo Iudicio, cum Christus quæret, cur ita de me sacramentisque meis credidisti? secure respondebit Catholicus, Primo, quia Ecclesia per vniuersum orbem nos ita docuit, quam tu audendam iussisti. Secundo, quia nos ita docuerunt maiores nostri, qui eandem fidem à suis se maioribus accepisse, & illos rursus à maioribus suis, ad Apostolorum vsque tempora, testati sunt: neque tempus scire potuimus vnquã, quo fides hæc à te, Apostolis tradita, & quæ ad nos vsq; per manus venisse dicitur, vel in minimo violata fuerit: maxime cum tu Beato Apostolo Petro diserte promiseris, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Et ascensurus in cælum dixeris, Matth. 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi. Tertio, quia viri illi qui fidem illam nos docuerunt, & ad finem vsque vitæ retinuerunt, clarissimi fuerunt & eruditione & morum probitate, quorum sanctitatem tu ipse miraculis comprobasti. Sane ergo, si error in nobis fuit, tu Domine nos decepisti. Eorum enim vestigia, quorum tu viam tibi placere declarasti, secuti sumus. Denique, quia nihil vidimus in doctrina fidei nostræ, scripturis & verbis tuis repugnans. Vt enim aduersarij nostri multas nobis scripturas obiecerint: ita tamen ille omnes à Doctoribus nostris ante multas annorum centu-

rias declarata fuerunt, vt plane nihil cum doctrina Catholica pugnare viderentur. Quis autem eram ego, qui fidem iam antiquam, per totum orbem diffusam, tot miraculis illustratam, tanta omnium Catholicorum consensione seruata, à tot Patribus explicatam reijcere auderem, vel erroris arguere? Contra vbi ex sectario interrogabit Dominus, Et quid te impulit, vt relicto ouili meo, ad luporum gregem te conferres?

Quid poterit adferre, nisi, Martinus Lutherus nos decepit, Caluinus seduxit, Bucerus peruertit? At rursus Dominus, Quid (inquiet) in his Doctoribus vidisti quod te ad fidem mutandam, & Ecclesiam tot sæculorum deserendam impelleret? forte miracula ediderunt, vel forte insigni sanctitate viguerunt? Atqui tibi per Apostolum meum ad Galat. 1. dictum fuit; Si Angelus de cælo vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. Si in religionis mutatione nec Angelis est fides adhibenda. quanto minus hominibus, sine miraculorum testimonio, sine vitæ probitate? quales enim prædicti fuerint nouit orbis vniuersus. At dicit forte Hæreticus, Vidimus in Romana Ecclesia multos errores scripturis tuis non consentaneos. Sed Dominus iterum. Et à quo scripturas sacras accepistis? nonne à Romana Ecclesia? illa autem totis 1500. annis tam focors fuisse in enarrandis scripturis credenda est, vt tanto tempore non aduerteret, se cum scriptura pugnare? Et si illa scripturas eo sensu exposuit, vt nihil cum auita fide pugnarent; cur tu nouas, & inauditas expositiones secutus, vniuersum orbem erroris damnasti, & non potius Ecclesiæ fidem & explanationes secutus fuisti? Magis enim rationi consentaneum tibi esse debebat, illum esse verum scripturarum intellectum, quem per vniuersum orbem tot sæculis docuit illa Ecclesia, quæ tibi scripturas tradidit; quam illum, quem post 1500. annos quouis nouorum Doctorum commentus est.

Qui candido animo ista per cogitaret, quæ certo certius post mortem ventura sunt; non facile ad errores declinaret: sed veram retineret Romanam Catholicam fidem, sine qua impossibile est placere Deo.

DE CONVERSIONE

OMNIVM GENTIVM

PROCVRANDA,

LIBER NONVS;

Qui est de Iudæorum ad fidem Christianam
conversione procuranda.

PRÆFATIO.



Opus conversionis Iudæorum ad fidem Christianam valde arduum ac difficile est, quia in eorum cordibus hactenus velamen perfidiæ hæret, & ob firmatam perfidiam & obstinationem, & scelera multa ac flagitia, quibus repleti sunt, duriores ceteris infidelibus effecti sunt. Non tamen desperandum est de eorum salute: potens enim est Deus, qui vult omnem hominẽ saluum fieri, & ad lucem veritatis, quæ est Christus perducere. Idcirco assiduis precibus ieiuniis, aliisque pænitentia operibus & laboribus ad cæleste auxilium implorandum præmissis, huiusmodi opus cum omni charitate & feruore peragendum est. Est enim Deo gratissimum, quod & his rationibus astruitur.

Prima: quia apertissimis Scripturæ Sacræ cõstat oraculis, Iudæos olim à clementissimo Deo in delicijs habitos, & vniuersis orbis terrarum nationibus prælatos. Hoc quippe genus hominum è posteritate Abrahæ, in suum quasi peculium cooptauit, cum eo mirum quendam prouidentia modum exercuit: pro eius amplificatione ac tutela prodigia multa patrauit: legem singulari prærogatiua ei tulit: oracula creberrima ad singulos pœnè dies reddidit: in terram feracissimam cæsis Regibus Chananais induxit: in augustissimo templo, cum ea gente velut pacto federe, præsentissimè affuit: illustrissimis eam victorijs exornauit: missis Prophetis per tempora diuersa erudiuit: ac denique (quod supremum est) misso in terram vnigenito & coæterno filio suo, qui ex ea stirpe carnem assumeret, priuilegio planè mirabili, inter vniuersos Adæ posteros insigniuit. Quocirca nequit sanè dubitari, quin ea gens Deo cordi fuerit, quod plu-

rimis

rimis argumentis Scripturæ sacrae peruincitur. Quod verò ob atrocissimum scelus in Christi morte commissum, à Deo repudiata fuerit; communis peccantium conditio est, licet grauius illa peccarit. Neque decet profecto pios animos à Iudæorum conuersione alienari, quod humanae salutis auctorem cõiuratione facta interemerint. Quin potius Christianæ pietati mirificè congruit, gentis olim Deo charissimæ vicem aduersam dolere, & de eius respicientia sedulo agere.

Secunda: Qui Dei gloriam in primis augere cupiunt (quales oportet nos esse) ea studiosius conantur, ex quibus Dei honor & laus maior existit. Iam verò exploratum est, auctiorem Dei gloriam ex Iudæorum, quàm ex ceterorum infidelium conuersione prodituram. Quis enim nõ videat longè gloriosius esse eos, qui Christo pertinaciter resisterunt, eique necè inuidentiissimè machinati sunt, mutata mente conuerti; quàm si alij qui libet, qui nõ adeo proteruè peccarunt sed vel ignorantia vel errore colorato seducti sunt, fidei Christianæ colla subdant? Profecto fortior hic diuina veritas & maior Christi laus fama que se prodit.

Tertia: Salus ex Iudæis est. Ethnicorumque salicitas per Iudæos ortu, nec leue incrementum accepit. Constat scilicet apostolos ex ea stirpe genitos in orbem terrarum salutem inuexisse, ac propagasse. Erit ergò Christiana gratitudine dignum, Iudæis vicem rependere, vt quemadmodum selecti aliquot viri eius generis, Ethnicis in culpæ morte iacentibus salutem nuntiarunt, ita è populo Christiano è Gentilibus coagmentato selecti multi, ad Iudæos graui lethargo sopitos, & excecatos destinentur, vt candidissimam diuinæ fidei lucem aspiciant.

Quarta: Plurima sunt vaticinia sacra, quibus Iudæorum cõuersio promittitur: & omnino patet eam conuersionem per Christi ministros senescente mundo optatum finem sortituram. Ita docet Augustinus libro 2. de Ciuitate Dei cap. 29. *Per Eliam inquit, magnum mirabilemque Prophetam, exposita sibi lege, ultimo tempore ante iudicium, Iudæos in Christum Dominum nostrum esse credituros. celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis Saluatoris, non immerito venturus creditur. Cum venerit ergo, exponendo legem spiritualiter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt, ad Christum verum eos conuerteret. Nec modò quod diximus de Elia, & proditum est à Patribus, id sola ex traditione fidem capit: sed etiam ex ipsa Scriptura. Nam Malachias extremis verbis suæ prophetiæ hoc ipsum vaticinatus est de Elia: facit enim Deum hæc loquentem: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. ne forte veniam & percutiam terram anathemate. Loqui Malachiam propriè & secundum literalem sensum, de Elia Propheta, & non de Ioanne Baptista indicant verba illa Malachie:*

Iudæorum
cõuersio dis-
ficilis.

Iudæorum
conuersio
Deo grata.

Iudæi Deo
olim in de-
licijs.

Iudæorum
conuersio
vaticinio
promissa
S. Augustini.

Autequam veniat dies Domini magnus & horribilis: quo haud dubiè significatur secundus Domini aduentus, qui futurus est magnus & horribilis, cuiusq; testis & præco futurus est Elias. Confirmat hoc auctor libri Ecclesiastici in cap. quadragesimo octauo: vbi laudans Eliam Prophetam. & de ipso commemorans prædicta verba Malachiæ, sic ait: *Qui scriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Quis igitur conuertet auersos nisi qui Diuinæ veritatis cōfiscus est? Aut quo modo implebuntur Scripturæ, per quas nobis Dei voluntas innotuit; nisi qui eas callent (Christiani videlicet) & syncerè interpretantur, earum veritati famulentur? Etenim parum se fidum Dei ministrum exhiberet, qui attentè perpendens promissa Dei à prophetis prædicta non eniteretur ea quoad posset, explere. Nam si certissimum est, Iudæos sub finem mundi ad Christum conuertendos, eique cultum insignem allaturos, vt oracula sacra Patresque fatentur; quid ergo cogitât Ministri Christi, aut quomodo non cogitant senescente iam mundo adesse tempus Iudæos euocandi ac reducendi ad mitissimum Regem suum? Porro ante annos mille quingentos Apostolis ipsis videbatur hora nouissima aduentare, vt præteream posteriores Patres, qui nouissimam tubam præsentire sibi videbantur. Quomodo ergo nunc mundo ad interitum euidentius festinante Ecclesiæ Prælati non properant diuinis prædictionibus inferuire?

Quinta, ab opportunitate: sanè tametsi neque antiquissimæ Prophetiæ, neque mundi exitus instaret, ipsa per se Iudæorum conditio, præsensque afflictæ gentis calamitas veros Christi seruos perurgere deberet, ad opus maturandum. Eo quippe infamæ & vexationis Hebræi fevero Dei iudicio deuoluti sunt, vt (si accederet mediocris Principum Christianorū diligentia) facile Christo nomen daturi credantur. Neque omnes ij adeo vecordes sunt, vt non animaduertant, gentem per tot sæcula post Christi mortem, à Deo derelictam, & ab vniuersis hominibus ludibrio habitam multum in Christi morte peccasse, iureque aliquid suspectum in ea fide quam colunt reperiri posse. Qua certè in causa à Christianis Doctoribus conuinci possent, calamitateque propria eruditi, & rationibus permoti resipiscerent.

Sexta, ab exemplo: Princeps Apostolorum ijs, qui erant ex circumcissione, vt i genti Deo charissimæ prædicator, & rector designatus fuit: vt pateat rem pretiosissimam fidelissimo Apostolo creditam, & magni à Deo factam. Ex quo efficitur, eos, qui Petri legatione funguntur, & pro eo præfunt, in hoc ipsum debere opus incumbere. Imo si rem ipsam attentè pertendamus, Iesus Christus Redemptor noster, non modo è stirpe Iudæa ortus est, (quod ab uide sufficeret, vt animi verè pij gentē hanc Christo recon-

reconciliare niterentur) verum & ipse per se ipsum in opus conuersionis Iudæorum incubuit, vt minister circūcisionis, quod plane mirum est: factisque conuincit opus hoc, quod persuadere conamur, voluntati Christi congruere, & opus vere Christianum appellari debere. Etenim omninò planum videtur sacrificium hoc æterno Patri acceptissimum fore. Si enim naturalem vnigenitumque filium in hoc opus legauit, ecquis non, fateatur, adoptiuos filios rem illi per gratam facturos, si exemplaris sui vestigijs insistant?

His rationibus Apostolici viri erecti atque studio diuini nominis incensi, torporem excutiant: & intima commiseratione gentis excæcatæ ac derelictæ commoueantur, vt reliquiæ Israëli salutē fiant. Quare merito plures sancti Patres, ac summi Romani Pontifices, ad hoc opus diligenter obeundum, Præsules Ecclesiarum sæpè admonuerunt & excitarunt: multiq; alijs modis conati sunt eos ad viam veritatis reducere, vt constet ex Bulla Nicolai PP. III. incipiente *Vineam feret*: quæ habetur in Bullario Tom. I. & Clement. 5. in Concilio Viennensi, eo fine instituit scholas & lectiones trium linguarum Hebræicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, vt plenius habetur in Clement. prima de Magistris. Quæ constitutio postea fuit renouata in Concilio Basileensi sess. 19. cupientes illius Concilij Patres, vt Iudæi omnes E uangelicam veritatem agnoscerent, & in ea postquam cognouissent fideliter perseverarent. Ac denique S. D. Gregorius XIII. vt Iudæorum salutem oportunitus prouideretur, specialem & salutarem edidit constitutionem (quæ incipit, *Sacra Mater Ecclesia*), de prædicatione verbi Dei faciendâ Iudæis semel in hebdomada. Quare Episcopi & Prælati nihil prætermittere debent quòd eos ad fidem perducant, vt aliqui saltem ex eis salui fiant; ostendendo eis ex veteris legis & Prophetarum libris Saluatorem nostrum Iesum Christum: vt in Actis Apostolicis B. Paulum & alios Apostolos sæpè fecisse legimus.

Ordo Seruandus.

PRO Iudæorum conuersione tria curabimus. Primò recensitis Iudæorum erroribus, ostendemus Christum Dominum Messiam fuisse in lege promissum, neque alium expectandum esse. Secundò, de modo iuuandi Iudæos & ratione agendi cum illis, vt ad fidem Catholicam perducantur. Tertiò, de communicatione cum Iudæis, in quibus casibus sit prohibita, & quæ illis agentibus inter Christianos prohibeantur, dicemus.

DE CONVERSIONE OMNIUM GENTIUM PROCVRANDA.

LIBRI IX. PARS I.

De erroribus præcipuis Iudæorum, & eorum confutatione.



Hudæorum hæreses siue errores præcipui omnibus manifesti sunt: ad hos vero potissimum reducuntur: Primo, Christum dicunt purum fuisse hominem, falsum Prophetam, seductorem: quare alium Messiam in lege promissum expectant. Præterea nouum testamentum profus respiciunt. Ac denique articulos fidei nisi creationis non credunt. Habent etiam errores alios quam plurimos apud Thalmud, de quibus infra dicemus.

Aduersus Iudæorum errores antiquis Patribus scripserunt, sanctus Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone Iudæo, de veritate Christianæ Religionis: S. Cyprianus Episcopus & Martyr lib. 1. & 2. contra Iudæos ad Quirinum, & in Tractatu sibi ascripto de montibus Sina & Sion aduersus Iudæos: Eusebius Cæsariensis lib. 1. & reliquis sequentibus de Demonstratione Euangelica, cuius etiam libri de Præparatione Euangelica conferunt in permultis capitibus: S. Ambrosius in libris de vocatione gentium: S. Augustinus, cum Oratione de 5. hæresibus aduersus Paganos, Iudæos, Manicheos, Arianos, & Sabellianos, tum Orat. seu concione ad catechumenos contra Iudæos, Paganos, & Arianos, item alia Orat. aduersus Iudæos: S. Hieronymus in varijs Commentarijs veteris ac noui Testamenti, & compluribus opusculis atque Epistolis: S. Gregorius Nyssenus libro de Trinitate aduersus Iudæos; & libro ei ascripto de cognitione Dei: Chrysostr. in Homilia 44. in Matth. c. 12. *Cum spiritus immundus, in Homilia seu sermone de Euangelio Nuptia factæ sunt, contra Iudæos, Gentes, & Hæreticos, & in V. Orationibus contra Iudæos: S. Cyrillus Alexandrinus libro aduersus Iudæos, & in libris contra Iulianum Apostatam: S. Leo Papa Sermone 11. de Natiuitate Domini, vbi contra Iudæos expectantes Messiam hominem: Sanctus Isidorus Hispalensis lib. 1. contra Iudæos*

Iudæos, & lib. 2. de vocatione gentium ad sanctam sororem suam Florétiam, & alij ex veteribus, quos prolixum esset enumerare.

Ex recentioribus verò Petrus Damianus contra Iudæos: Petrus Alfonsus ex Iudæo Christianus baptizatus anno 1106. libello seu dialogo contra Iudæos & Saracenos. Rabbi Samuel oriundus ex ciuitate Marochi, in vulgatissima & tritissima Epistola ad Rabbi Isaac, quæ hodie circumfertur tam Latinâ quàm vulgari Italicâ & Hispanicâ linguâ, legiturque to. 5. Biblioth. S. S. Patrum, & post Scrutinium scripturale Burgenfis: Nicolaus de Lira, præcipuè libello contra Iudaicam perfidiam, qui habetur in fin. Glossæ ordin. Paulus Burgenfis in scrutinio Scripturarum: Raimundus in suo Pugione: Petrus Caualleria libro dicto, zelus Christi contra Iudæos: Nicolaus Porchetus: Guilielmus Tutanus in fortallitio fidei: P. Suarez principio primi Tom. in tertiam partem D. Thomæ, & alij quâplures authores apud Poiseuinum lib. 9. Bibliotheca: plenius tamen apud Cardinalem de S. Seuerina in suo Rituali, Tractatu de Infidelium conuersione procuranda.

*Pet. Damianus.
Pet. Alfonsus.
Rabbi Samuel
Nic. de Lira.
Paulus Burgenfis.
Raimundus.
Pet. Caualleria.
Nic. porchetus.
Guil. Tutanus.
Suarez,
Cte.*

De Messia aduersus Iudæos Disputatio.

Tria nobis in hac Disputatione solita breuitate demonstrata sunt. Primum omnium est Messiam Iudæis toties promissum iam pridem venisse: Secundum, Messiam in lege promissum fuisse Christum Iesum à Iudæis crucifixum, eum qui hodie à Christianis summâ veneratione colitur. Tertium, demum, est Messiam verum, non esse purum hominem, sed hominem Deum, quod Hebræi pertinacissime negant. Disputationem vero in octo capitula diuidemus, vt tota res planius liquidiusque constare possit.

C A P V T I.

Messiam iam venisse, celebri Gen. c. 49. testimonio comprobatur.

Messia nomine nos cum Hebræis quendam hominem intelligimus Mex gente Iudæorum trahentem originem, à Deo & Prophetis prædictum, & promissum in regē & saluatore hominū. Hūc igitur Messiam iam venisse probamus 1. illustrissimo illo Genese c. 49. testimonio, *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Ex quibus sacræ Scripturæ verbis hæc cōficitur ratio: Non deficiet Principatus in Iuda donec veniat Messias, ergo cum iam defecerit, necesse est iam venisse Messiam. Cuius rationis vim veffuge-

Gen. 49.

effuge-

Iudæorum errores.

*Scriptores aduersus eosdem veteres ac recentes.
S. Iustinus Martyr.
S. Cyprianus.
Euseb. Cæsariensis.
S. Ambrosius.
S. Augustinus.*

*S. Hieronymus.
S. Gregorius Nyssenus.*

Ioan. Chrysostr.

S. Cyril.

*S. Leo Papa.
Isid. Hispal.*

effugerent Hebræi, varias eius prophetiæ, unde illa euidentissime deducitur, interpretationes confinxerunt, quibus apertam rectamque eius sententiam peruerterent atque adulterarent.

Quidam ergo ex Hebræis aiunt vocem Hebræam שֵׁבֶט *Scheueth*, quæ nos ter interpretis vertit *sceptrum* siue *virgam*, non denotare hoc loco virgam regni, sed tribulationis: vt sit sensus, Iudæos à tyrannide non esse liberandos, donec veniat Messias. Sed hæc expositio primo reddit falsum Iacobi vaticinium: apertissimum enim mendacium est, nunquam ex illo tempore, quo edita est Prophetia, recessisse à tribu Iuda tribulationem vsque ad Messia aduentum: siquidem ex lib. Reg. quisque non omnino stultus colligere potest, quàm florens quamque illustris, atque regalis Principatus in Iuda fuerit à Dauide vsque ad Sedechiam. Secundò, non congruit sequentibus vaticinij verbis illis videlicet, *Nec dux de fæmore eius*, &c. quæ de tribulatione aut tyrannica oppressione nullatenus intelligi possunt.

Secunda Expositio.

Exponunt alij prophetiæ huius sensum in hunc modum: *Non deficiet sceptrum donec veniat*, hoc est, (inquit) Non deficiet postquam venerit. Sed quis nõ videt apertam corruptionem sensus? Quis enim vnquã sanæ mentis donec veniat, mutet in postquam venerit?

3. Expositio.

Rabbi igitur Salomon, quem citat Pererius Disp. contra Iud, super c. 49. Gen. prædictis Iudæis doctior, vt vim nostræ rationis eneruet, negat defecisse in tribu Iuda sceptrum & imperium. Interrogati autem ubi terrarum sceptrum habeat tribus Iuda. Respondet, seu (apertius dixerim) fingit in eis regionibus, quæ sunt circa Mediam, Assyriam, Babylonem, & Caucasum montem: sed hoc impudētissimum mendacium est, & præterea non facit ad rē. Nā Patriarcha sanctus de Principatu loquebatur, quæ Tribus Iuda habitura erat in terra promissionis. Quod persuadent, quæ subiungit de fertilitate terræ, quæ forte obuēnit tribui Iuda in diuisione terræ promissionis.

4. Expositio.

Quarta interpretatio eorum est, qui aiunt verbum illud שֵׁבֶט *Shiloh*, pro quo Latinus interpretis posuit, *Qui mittendus est*, signare urbem Silo, & sensum prophetiæ esse hunc. Non auferetur etiam, donec veniat Shiloh, id est, donec in Silo vngatur in Regem Saul; vel certè donec ibidem assumatur in regnum Hieroboam. Sed isti ad libitum & sine ratione loquuntur. & falsam reddunt Prophetiam dum interpretantur: falsum enim est, Saulem, qui creatus est in Masphat. Reg. 7. & Hieroboam qui in Sichè 3. Reg. c. 10. assumptos esse in regnum in Silo. Denique nemine eorum consonant sequentia Prophetiæ verba: vt omittam nõ fuisse initio regni Saulis translatum imperium à domo Iuda, qui ante Saulem illum non obtinebat, neque post Saulem à domo Iuda defecisse, cum potius tunc imperium

imperium in ea tribu fundatum sit per Dauidem, qui erat ex ea tribu.

Sed audiamus Iulianum Apostatam, qui vaticinium hoc non de Messia, sed cum alijs Hebræis de Nabuchodonosor Chaldæorum Rege interpretatur. Verum quàm inepta sit expositio verba illa demonstrant, *Et ipse erit expectatio Gentium*: quæ profecto Nabuchodonosor non conueniunt, quem summo acerbissimoque odio Gentes prosequabantur, non diligebant; timebant, non expectabant.

Alij demum vaticinium hoc sub conditione quadam intelligendū esse existimant, sub hac videlicet, si Iuda legem Dei seruauerit. Sensus proinde erit: Non deficiet principatus, donec veniat Messias, si tamen populus meus legem seruauerit veri Dei. Sed isti & temerè loquuntur, & sibi fingunt quæ sibi placent. Vaticinium enim Iacob nullam conditionem habet, neque quod ea subintelligi debeat, vsquã in sacris litteris significatur: & si semel hæc interpretandi licentia concedatur, nihil in Scriptura firmū aut syncerum reperiri poterit. Accedit quod dum vaticinium isti conatur exponere, Vaticinantis, & Dei præsertim finem tollunt, qui ea Prophetia volebat aduentus Messia tempus certò posse cognosci. At si sub arbitraria illa conditione intelligitur, tempus ex ea nunquam dignosci poterit.

Maneat ergò vaticinium hoc de Messia absolutè intelligendum esse, & nomine *Shiloh* Messiam denotari, vt Rabbinus Christo antiquiores docebant, vt Galatinus refert lib. 4. c. 4. & Chaldaica paraphrasis, quæ apud eos magnæ existit auctoritatis expressè posuit: *Donec veniat Messias*: cui omnia & quæ antecedunt, quæque subsequuntur optimè conueniunt. Imò neque alteri accommodari villo modo possunt, vt bene exponit Irenæus lib. 4. c. 33. & Cyprianus Epistola 63. aliàs 1.2. epistola 3. Iustinus Martyr Dialog. cont. Tryphon. & auctor Quæstionum ad Antiochum, quæ feruntur nomine Athanasij quæst. 103.

Sed cur dices, Messias nomine *Shiloh* significatus est. Vulgatus interpretis nomen שֵׁבֶט *Shiloh* à verbo שָׁלַח *Salah* quod *mitto* significat, deduxit, quo quidem *missum* seu *mittendum* significat: quod nomen in Scriptura accommodatur *Messia*, quasi per antonomasiam, vt quemadmodum ille singulariter promissus est. ita nomine Venturi singulariter significetur. Sed obstat, quod aliis litteris scribitur verbum *Shiloh* quando missum significat, quam in hoc loco Gen. habeatur, vt de nomine *Shiloh* videre est Esaiæ 8. Sed id fortassis effecit, quia eisdem litteris scriptum inuenit. sed si scribatur eo modo quo nunc habetur in Hebræo, abundantiam pacis significat, & ita *Shiloh* idem erit quod pacificus, quod de Messia prædictum est, Zachariæ 9. Restat nunc ad nostræ fidei maiorem confirmationem, vt exponamus, quomodo signum illud tempore Christi Domini fuerit exhibitum quod Cap. sequ. præstabimus.

5. Expositio.

6. Expositio.

Galatinus.

Irenæus.
Cyprianus.
Iust. Mart.

Ex Sueret.

CAPVT II.

Exponitur quemadmodum veritas huius prophetiæ cum ipso euentu, eorumque successu consentiat.

EX pluribus prædicti vaticinij expositionibus, quibus DD. Catholici docere student, quoniam pacto Prophetiæ huius veritatis euentus & res ipsa planè respondeat: nos tres tantum quæ probabiliore nobis visæ sunt, in medium adducemus. vt prudens lector eligat quâ maluerit. Alias expositiones placuit suppressere, tum quia breuitati studemus, tum ne quando cum Iudæis suscepimus disputationem, cum Catholicis certare videamur. Conducat autem illud in quo totius difficultatis cardo vertitur, capituli huius initio demonstrare, vt solutio deinde facilius percipiatur. Summa igitur difficultatis huius in eo versatur, quod videatur multò ante aduentum Christi defecisse sceptrum à domo Iuda. tempore videlicet Sedechiæ, & vltimæ Babylonice captiuitatis: quam diuoluere oportet, non quidem propter Iudæos, contra quos ea Prophetia de Messia exposita tantumdem facit, ac si ante aduentum Christi sceptrum à tribu Iuda defecerit, (tunc enim quoque benè argueretur, ergo Messias aduenit, quod negant,) sed ad nostræ fidei, vt Cap. superiori diximus, confirmationem.

Hanc ergo difficultatem vt soluant quidam, supponunt primo nomine Iuda intelligendam esse specialem tribum à reliquis distinctam; sed ex ea præcipuè & paucis ex tribu Benjamin totam Iudæorum gentem constituisse, à tempore Salmanasar Regis Assyriorum, à quo regnum Israel, quod decem tribubus constabat, ita vastatum fuit, vt eius nulla deinceps mentio habeatur, constat 4. Reg. 7. Vnde fit, solum regnum Iudææ permansisse vsque ad Christum, quod quidem solam fere gentem ex tribu Iuda complectebatur: dicitur enim 3. Reg. 12. solam tribum Iudam secutâ esse domum David, quia quamuis tribus Benjamin secuta fuerit Roboam, tamen vel non fuit integra sicut tribus Iuda, vel non habetur ratio eius, propter dignitatem & excellentiam tribus Iudæ: vnde 4. Reg. dicitur: *Iratusque est Dominus Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo.*

Supponunt secundò, nomine Sceptri vel Ducis, aut non esse intelligendâ dignitatem, & potestatem Regalem proprie; vel certe nò solum illam, sed

quamcunque primariam & principalem potestatem regendi & iudicandi populum: ita tamen vt si vtraque significari dicatur, altera nomine sceptri, altera nomine Ducis, non sit necesse intelligere Tribum Iudam fuisse habituram vtramque vsque ad aduentum Messia, sed non vtraque simul fuisse carituram, atque adeo alteram saltem habituram fuisse donec veniat, &c.

Quibus suppositis non est difficile intelligere quomodo verum sit dignitatem hâc fuisse aliquando in tribu Iuda, & in ea perseverasse vsq; ad Herodé, cum quia licet hæc potestas ad sacerdotes, & proinde ad tribum Leui deriuata sit; hoc tamen factum est, quatenus tribus Leuitica per matrimoniorum coniunctionem vna cum tribu Iudæ effecta est, & ab illa particeps regalis splendoris facta est; tum etiam quia Concilium illud ab Hebræis *Sanhedrin* nuncupatum, & ab Herode dissolutum, penes quod erat iudicandi potestas, ex tribu Iudæ maiori fere ex parte constabat, quod euidentius est de posteriori tempore, quando vt diximus sola fere Iudæ posteritate totus Hebræorum populus constabat. Si vero inquiras quoniam fundaméto Sanhedrin hoc supponatur. Resp. Præter graues auctores, qui de illo loquuntur, non leues extare in Scriptura coniecturas: siquidem Moyses 70. senes elegerit dicitur. De quibus non inepte intelligi potest illud Deut. 17. *Si difficile, aut ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, ascende ad locum quem elegit Dominus, &c.* & 1. Paralip. 26. *In qua parte domus erat seniorum consilium.* Hoc verò Sanhedrin nò fuit ablatum tempore captiuitatis, vt sumi potest ex Daniel. 13. vbi senes populi iudicarunt Susannam, vbi Glos & Liranus aduertunt eos fuisse de tribu Iuda.

Secunda expositio est aliorum, qui malunt vaticinium hoc interpretari in vniuersum de ipsa gente Iudaica, de tribu autem Iuda secundum quamdam applicationem siue (vt Theologi loquuntur) per appropriationem, vt hic sit prophetiæ huius sensus: futurum semper in gente Iudaica principatum, donec &c. Cui expositioni nò obstat aliqua brevis interruptio, quæ tempore captiuitatum in Babylone siue Perside contigit. Qui principatus defecit tempore Herodis, qui fuit alienigena, & proinde tempore Christi Domini hoc est Messia: Tuetur hanc sententiam Benedict. Pererius Comm. in Genesim c. 4. q. pro qua adducit Iustinum in Dialogo cum Tryphone Iudæo. Eusebium lib. 7. hist. Ecclesiasticæ c. 6. Athanasium lib. de Incarnatione Verbi. Ambrosium in lib. de benedictionibus Patriarcharum c. 4. Chryl. Hom. 67. in Gen. xponentem hanc prophetiam, Augustinum lib. 18. de Ciuit. Dei c. 45. Theodoret. quæst. vltima in Genesim, Rupertum lib. 9. Commentar. in Gen. c. 9. & libr. 3. de victoria verbi c. 9. quos omnes Patres prædictus auctor in suam sententiam trahit, neque certe extorquere videtur.

Objicienti autem Iacobum Patriarcham, cum vaticinium illud proferebat, allocutum fuisse Iudam, & eius tribum, non totam Hebræorum gentem; Resp. Iacobum voluisse tunc pronunciare rem ad totum populum spectantem, cum de tribu Iuda loquebatur tribus de causis. Primum, quia prænouerat principatum Iuda; cum futurum penes tribum Iuda & longissimo tempore & florentissimam: nobilissimam igitur partis nomine non incongruè totum populum nuncupauit. Secundo, quia item præiudicauerat futurum, vt vniuersus populus ad tribum Iuda redigeretur. & ab ea nomen acciperet, quod contigit teste Iosepho lib. 11. Antiq. post reditum ex captiuitate Babylonica, qui sceptrum & principatum tenuerunt, fuerunt ex tribu Leui. Ipse tamen principatus fuit ex tribu, & in tribu Iuda. namque ipsa regio, & ditio eius regni & subditi & sedes regni & ciuitas regia erant tribus Iuda. quapropter appellabantur Reges, & regnum Iuda, non autem Leui. Hoc autem regnum licet Herodes quoque habuerit, quia tamen & fuit alienigena, & quia illud non habuit legitime, ideo rectè dicitur regnante Herode defecisse sceptrum à domo Iuda, quo tempore aduenit Mefsias.

In hac tertia causa nuper explicata traditur fundamentum tertiæ expositionis prædictæ Prophetiæ, quæ certè æquè probabilis est ac superiores, & fortasse non deerunt quibus magis placeat hæc tertia expositio (de qua mox sumus dicturi quam reliquæ.

Dicunt ergo alij, est que in ordine tertia sententia, totam hanc Prophetiam intelligendam esse propriè de tribu Iuda, à qua sceptrum & principatum non defecisse docent vsque ad aduentum Mefsie (omisso captiuitatis tempore, vt supra dictum est) quia licet senescente iam Iudæorum regno, & ad occasum festinante, qui regnum tenerent essent Sacerdotes ex tribu Leui, non proinde tamen sceptrum à domo Iuda defecit: sicut quamuis corona Polonica in Henricum Valesium aliquando translata fuerit, non proinde cecidit Polonorum regnum: & quamuis corona Hispanica nunc decorentur Austriaci, non idcirco defecisse rectè diceretur corona vel sceptrum Hispanicum. Ad eundem igitur modum de scepro ac principatu Hebræi populi, ac de tribu Iuda cogitare, & sentire conuenit. Hæc verò dixisse sufficiat ad exponendum, quam ratione veritas huius Prophetiæ cum ipso euentu, rerumque successu congruat atque consentiat. Nunc ad rationes, quibus Mefsiam iam venisse demonstratur contra Iudæos, reuertamur.

CAPVT III.

Idem Danielis illustri testimonio comprobatur,
& vaticinium exponitur.

Secundum scripturæ sacre testimonium, quo magis est vulgare & tritum Deo est magis efficax ad Iudæorum sententiam, vel (melius dixerim) errorem conuincendum. Illud vero ex c. 9. Danielis desumitur, ex quo deduci non poterit firmum argumentum, nisi prius explicetur. Ne autem necesse sit bis sacre scripturæ litteram longiusculam repetere, primis statim verbis & sequentibus successiue subtexemus expositionem.

Ductus à Dario Assueri Astyagis filio captiuus in Babylonem Daniel, anno 1. Darij post euerfam Babylonem, & occisum Balthasarem, dum attente Ieremiæ vaticinium de captiuitate illa perlegeret, Deum obnixè cœpit exorare pro liberatione populi Hebræi, & reditu in patriam, simulque fortassis, vt qui vir desideriorum esset, spiritualem liberationem per Mefsiam futuram cupiens; Deus qui diues est in misericordia, cuius liberalitatem maximè decet plus homini concedere quàm ipse postulet, misit ad eum Angelum Gabrielem, qui post pauca ita illum allocutus est.

Septuaginta hebdomades abbreviata sunt. Quasi expressius diceret, Diuturna vestra. ô Daniel, atque longissima Mefsie expectatio ad breue septuaginta hebdomadarum spatium Deo miserante reducenda est. Per breue siquidem fuit tempus hoc 490. annorum, cum superiori comparatum. Et propriissimè certè verbo illo (*abbreviata sunt*) vsus est Angelus, siquidem in familiari termone, quando tempus ad aliquam actionem præscriptum finitur, iam iam dicere solemus dies abbreviari. Dixi tempus septuaginta hebdomadarum 490. annis constare, quia certum est eas hebdomadas non posse esse dierum, sed annorum septem singulas, non plurium, septem quidem simplicium annorum numerus Leui. 25. & Gen. 29. hebdomada nuncupatur: plurium autem, licet quidam Hebræi fingant, id tamen & temere faciunt, sine vlllo videlicet Scripturæ sacre fundamento, prorsus ineptè. Si quis enim pro suo arbitrio hebdomadas septuaginta annorum fingat, cui non licebit easdem 700. annorum vel 7000. vel etiam 70000. componere, ne conuinci possit hebdomadas adhuc esse completas? Et certè ex verbis Angeli, infra exponendis, omnino constat tempus illarum hebdomadarum iam esse transactum, vt annotabimus suo loco. Certum sit igitur has hebdomadas septem simplicibus constare annis æqualibus, & eiusdem rationis, & continua quadam successione fluentibus: sine fun-

damento enim disungerentur, & non posset certū ex illis aduentus Mes-
sias tempus deduci quod tamen voluit hoc vaticinio Angelus indicare, qui
subiungit *super populum tuum*, hoc est Hebræorum: & *super urbem sanctam*
tuam. i. Hierosolymam. *Vt consummetur prauaricatio, & finem accipiat peccatū.*
i. vt deleatur peccatum meritis passionis Christi. Non vt Rabbi Salomō
interpretatur, vt desistant à prauaricationibus suis Hebræi tempore ex-
cidij Hierosolymitani, quia ita exposita propheta esset falsa, quia non de-
stitit tunc à peccatis Hebræi. imo, vt vere Liranus ait, sunt augures
& prauaricatores, & multis alij peccatis irretiti.

Et adducatur iustitia sempiterna: Et adducatur Christus, quia ipse nostra
iustitia, sanctificatio, quæ in via inchoatur, & in patria perficitur. *Et im-
pleatur visio & propheta.* Hoc est, omnia quæ de Christo à prophetis sunt
prædicta, quæ luce clarius in Christo completa sunt, vt in secunda Dispu-
tationis parte latius prosequemur.

Et vngatur Sanctus sanctorum. Hebræi legunt *Sanctum sanctorum*, hoc est,
templum, arca testamenti, & vasa sanctuarij per Messiam recuperanda,
contra Ierem. 3. *In diebus illis erit Dominus, non dicent ultra Arca testamenti Do-
mini, neque ascendet super eor, neque fiet ultra.* c. c. Sensus ergo est, Et Christus
verè Sanctus sanctorum, propter excellentem sanctitatem vngatur. De
Christo enim dicitur, *Vnctus oleo letitiæ pro participibus suis.* Notandum ve-
ro hoc est elogium, quo Angelus eum, de quo loquitur, Sanctum sancto-
rum appellat, quod certè Christo optime conuenit, alteri cui libet nullatenus.
Is enim Sanctus sanctorum tantum dici potest, qui sanctos omnes
longè superet, fonsque sit totius sanctitatis. Notandum id, inquam, maxi-
mè, vt videas quàm perspicuè Angelus de Messia loquatur.

Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis, vt iterum edificetur Hierusalem.
Hebræi legunt *de exitu sermonis*, ne cogantur verba hæc de hebdomadarum
initio interpretari: sed peruertunt manifestè litteram, in qua *ab*, non *de*
habetur. significat autem à tempore, quo profertur edictum, seu facultas
concedetur reedificandi Hierusalem, quod promulgatum est ab Ar-
taxerxe 20. anno regni sui, vel certè iuxta expositionem Liran. Burg. &
Galatini, à tempore, quo à Deo exiuit sermo ad Ierem. de reedificanda
Hierosolyma ab anno videlicet 4. Sedechie.

Neque ad Christum ducem. Exponunt Hebræi vsque Cyrum, qui dicitur
est Christus. Isai. c. 45. Sed errant. nam de eodem Christo dicitur paulò
infra, occidendum esse in Hierusalem quod Cyro conuenire non potest.
Recta ergò expositio. *Vsque ad Christum ducem* i. vsque ad tēpus quo Mes-
sias incipiet hominibus manifestari, prædicare, docere, seu vsque ad illud
tempus, quo incipiet Christus publica miracula edere.

Hebdomades septem & sexaginta duæ erunt: hoc est sexaginta nouem.

Et rursum edificabitur platea, & muri in angustia temporum. Quasi expres-
sus diceret, in primis septem hebdomadibus reedificabuntur muri Hie-
rosolymæ.

Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus. Post videlicet hebdo-
madas sexaginta duas, septem prioribus in quibus Hierusalem renouan-
da est suppositis, occidetur Christus ille, de quo supra locutus est, Mes-
sias. Hucusque visum est explicare huius vaticinij litteram subobscuram
propter Hebræorum expositiones quas reiecimus: quasque fufius reij-
cit Liranus sup. illud c. 9. Danielis, & nouissime Pererius. Ex ea nunc no-
bis liceat rationem conficere: Daniel prædixit post 490. annos aduenturū
Messiam, sed hoc tempus iam elapsum est, vndecumque auctores illud
exordiantur aut quocumque illud concludant; ergo stultum est Messiam
adhuc expectare. Maior constat ex supradictis inter exponendum Pro-
phetiam, vbi diximus in ea sermonem esse de Messia, & hebdomadas 490.
annis constare. Minor quoque est euident, ergo. & c. Diximus verò vnde-
cumque auctores hebdomadas exordiantur aut quocumque easdem con-
cludant, quia extant de hac variæ multiplicisque sententiæ, variæ quoque
temporum Chronologiæ, vt in tanta sententiarum varietate, & huma-
narum historiarum incertitudine difficile admodum sit annorum seriem
aliquam adducere. quæ lectoris diligentis animo omnino sedare possit,
quàm idcirco prætermittimus. & studiosum ad Liranum, & ex recentio-
ribus ad Pererium in c. 9. Danielis, & ad Suarez 1. Tom. sup. 3. p. d. 1. sect. 2.
Legantur etiam Ioan. Driedo lib. de Scripturis & dogmatibus Ecclesia-
sticis: & ex veteribus Eusebius lib. 8. de Demonstrat. Euang. c. 3. Tertull.
etiam qui lib. contra Iudæos enumerat hebdomadas. quem Hieronymus
in Daniele sequitur, Prosper verò de prædictionibus diuinis p. 2. c. 35.
refert Hieronymum ac valde laudat. Nobis, vt diximus, satis esse debet
hebdomadas septuaginta vndecumque numerentur, iam effluxisse, atque
adeò Messiam iam venisse.

CAPVT IV.

Alio eiusdem Danielis loco eadem veritas demon-
stratur, & de Iudæorum calamitatibus
differitur.

Tertium igitur testimonium est apud eundem Daniel. post verba cap.
præcedenti allata: ex quo apertius colligitur eum loqui de Christo:

nā postquam dixerat, post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; addit: Et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et Civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & vsque ad consummationem & finem durabit desolatio. Ex hoc loco propterea licet argumentari ad nostrū institutum: quia omnino vastatio Hierusalem per Vespasianū & calamitas ista Iudeorum quam cernimus, est illa ipsa quæ secundum hanc prophetiam est duratura vsque ad mundi finem; atque adeo consequens est vt fateamur iam Messiam aduenisse, fuisseque ante istam Iudeorum cladem

De Iudeorū calamitatibus.

Reper. à fol. 621 vsq; ad fol. 620.

Quinque differentie inter hanc ultimam Iudeorum calamitatem qua post Domini nostri necem spissimè accidit, & aliis prioribus eo quod aliarum si quis prædictis sit, huius vero non.

Gen. 15.
Ierem. 25.
& 29.
Dan. 8.

Secunda quod hac longè sit diuturnior alijs.

Exod. 12.

occisum. Quod manifestissimè apparebit demonstrando differentiam huius calamitatis, quæ à Vespasiano illata, vsque in hanc diem perpetuo premit Iudeos, atque aliarū calamitatū priorū, quas Iudei ante Saluatoris nostri aduentū perpessi sunt. Hinc enim apparebit, non, sicut priores calamitates certum quandam exitum & terminum habuerunt, ita quoque hanc esse aliquando finiendam. Si quis igitur huiusmodi calamitatum differentias conquirat, nimirum quinque reperiet. Principio antiquiorum calamitatum, quæ acciderunt Iudæis ante Domini nostri ortum, tres fuerunt omnium grauissimæ, & super alias memorabiles. Prima fuit Ægyptiaca: secunda Babylonica: tertia, quam sub Rege Antiocho Epiphane, tempore Machabæorum Iudæi tulerunt. Inter quas & præsentem Iudeorum calamitatem, quinque, vt dixi, notari possunt discrimina. Nam primas illas Deus & venturas prædixit, & quanto tempore duraturæ erant præsignificauit: siquidem, vt est in lib. Gen. in cap. 15. prædixit Deus Abraham, posteros eius peregrinatos in Ægypto, feruiturosque annis quadringentis: his autem exactis, excussoque seruitutis iugo terram Chanaan possessuros. Babylonicam captiuitatem prænuntiavit Deus per Hieremiam, vt ab eo scriptum est cap. 25. & 29. tempus quoque eius captiuitatis, annorum dumtaxat septuaginta futurum prædixit. Miserabilem calamitatem, qua afflicti sunt cõtritiq; ab Antiocho, & futuram & tribus annis ac dimidio mansuram prædictum est à Daniele cap. 8. huius libri. Hanc verò calamitatem qua iam diu toto orbe conflantur Iudæi, prænuntiavit quidem hoc loco Gabriel euenturam: sed finem eius non indicauit: quo silentio, & durationis eius reticentia, satis ostendit nullo eam tempore terminandam. Quinimo non obscurè id demonstrauit, quando dixit desolationem vrbs, templi, & Iudaicæ gentis captiuitatem vsque ad consummationem & finem permanuram. Postea, longissima priorum captiuitatum fuit Ægyptiaca, quæ tamen centum quinquaginta annos non excessit: loquor enim de seruitute & afflictione, quam in Ægypto Iudei post mortem Ioseph perulerunt: namque habebatatio seu peregrinatio Iudeorum in Ægypto quadringentis triginta annis definitur à Mose in cap. 12. Exod. Captiuitas autem Babylonica lon-

longè breuior fuit: videlicet septuaginta annos minimè supergressa. At hæc Iudeorum calamitas transactis iam mille quingentis annis, nihilominus tamen sicut fuit ab initio, eodem nunc statu, aut etiam peiori & miserabiliori permanet. Deinde in captiuitate Babylonica habuere Iudei Prophetas, vt Ezechielem, Baruch, & Daniele, qui eos consolabantur, & certa spe recuperandæ libertatis sustentabant. In præsentem verò calamitate nullum habuerunt verum Prophetam. Propterea aliis calamitatibus sæpè facta sunt diuinitus miracula, quibus declaratur populum Hebræum in Dei esse gratia, & tutela. Tale fuit nobilissimum illud miraculum triū iuuenum in fornace Babylonica, & Danielis in lacum leonum bis coniecti. In hac verò captiuitate nullis à Deo miraculis honorati sunt: quin magnis contra ipsos à Deo editis prodigijs, euidenter ostensum est, eum populum à Deo esse reprobatum ac penitus abiectum. Postremò in aliis captiuitatibus claruerunt insignes aliqui gentis Iudaicæ viri, qui cum summa gratia, honore & auctoritate florerent apud eos Reges, quorum imperio & seruitute Iudei tenebantur, magnas illis utilitates attulerunt. Tales fuerunt apud Pharaonem Iosephus, Moses, & Aaron: apud Reges Chaldæorum Daniel & tres eius socij: apud duos Artaxeres Persarum Reges Esdras & Nehemias, itemque Mardocheus & Hester. Horum similes nullo in hac captiuitate habuerunt. Patet igitur non vt illarum, sic & huius, aliquem sperandum esse terminum.

Cæterum quod à viris doctis obseruatū & proditū est, etiam hoc loco videretur prodendū: Iudæos reuersos Babylone, tamen libertatem, vrbe, templum, regnumq; recuperauerint, & in Dei beneuolentiam atque gratiam redierint, attamen septem eximijs, ac singularibus Dei muneribus & beneficijs, quibus ante captiuitatem Babylonicam decorati nobilitati que fuerant, in posterum caruisse. Vnum fuit arca fæderis à Mose fabricata, quam postea non habuerunt, prædicente id Hieremia cap. tertio: In diebus illis (inquit) non dicent vltra Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltra. Alterū erat oracula & responsa Dei ex ipso propitiatorio frequenter Iudæis data. Tertium fulgor ex lapidibus pretiosis, qui erant in rationali Pontificis, mirabiliter emicans, atque exsplendescens, & futuros euentus Iudæis demonstras, vt credit Iosephus libro tertio Antiquitatum Iudaicarum. Quartum ignis cælitus descendens, & cõsumens sacrificia. Quintum Spiritus sancti gratia spectabili aliquo signo immiscens se sacræ vnctiõni, quo Reges, & Pontifices vugebantur. Sextum donum Prophetiæ. Nam Prophetarum omnium nouissimi fuerunt Aggeus, & Zacharias, hisque posterior Malachias, quem plerique Esdras fuisse arbitrantur. Septimum triplicatus terræ fructus quolibet sexto anno, in tres annos alimentis hominū, pro-

Tertia, quod in hac coriã prophetis.

Quarta, quod in hoc nulla eis fiat miracula.

Quinta, quod nullos insignes viros habuerint.

Septem singularibus Dei beneficijs Iudæos post captiuitatē Babylonicā caruisse.

Ierem. 3.

Iosephus lib. 3 cap. 9.

pter septimi anni quietē suffecturus: hoc enim Deus promiserat Leuitici cap. vigesimo quinto. Hęc Lector vberius, atque enucleatius tractata reperiet apud Diuum Chrysoftomū Oratione tertia aduersus Iudęos, apud Nicolaum de Lira super 6. cap. prioris libri Machabæorum, & apud Petrum Galatinum libro 4. cap. 17. His igitur præclarissimis Dei beneficijs atque ornamentis caruere Iudæi, postquam, discussa Babyloniorum seruitute, in patriam regressi sunt. Sed nihilominus tamen libertate, vrbe, templo regnoque, & quod caput est, Dei gratia, & protectione fruebantur. His autem rebus omnibus cernimus eos post illam Vespasiani & Titi cladem, videlicet ob Mesiæ necem nefariè patratam, vsque ad hanc diem fuisse priuatos.

At enim respondent quidam Iudæi se hanc calamitatem non pati propter cædem Mesiæ, quem ipsi etiam num venisse negant: sed virtutis explorandę probandęque causa, scilicet vt eorum virtus rebus aduersis, sicut igne aurum purior atque illustrior existeret, quemadmodum scriptura ait: *Tanquam aurum in fornace, probauit electos hominis, & quasi holocaustum Mesiæ ipse accepit eos.* Sed hoc responsum mendacij atque impietatis conuincitur. Primò, quia hęc calamitas non modo est corporalis, sed etiam spiritualis, magnam spiritualium bonorum iacturam continens: carent enim Prophetis, miraculis, cultu diuino, & Mosaicę legis obseruatione. Pœnam autem spiritualem non ad probandam virtutem, sed ad puniendam præterita scelera Deus infligit. Denique Iudæi sic respondentes mendacem faciunt Deum: quippe amplissimis verbis, Deus sæpenumero promittit, vt videre est in Deuteronomio cap. vndecimo, & 28. se populum Hebręum, si quidem is benè ac piè viueret, atque in legis quam per Mosem illis dederat, obseruantia, obedientiaque permaneret, cõseruaturum omnitempore in terra Chanaan, quam possidebat, à cunctis hostibus defensurū, cunctisque malis liberaturum, atq; omni bonorum genere cumulaturū. Alij respondent se non propter necem Mesiæ, sed propter alia quamplurima & grauissima flagitia, quæ admiserunt, iram Dei aduersum se irritasse: tantamque eius animaduersionem, & vindictam, quanta nunc plectuntur, promeruisse. Verumtamen & hoc responsum falsitatis arguitur: etenim quærendum ex illis est, quænam fuerint scelera ab ipsis comissa, propter quæ tam grauer puniantur. Nimirum duo reperiuntur in Sacris litteris, omnium scelerum maxima, & grauissimis verbis à Deo reprobata, & acerbissimis supplicijs vindicata, scelus idololatriæ, & cędes prophetarum: hęc duo super alia omnia Deus exprobat Iudęis. & propterea testatur grauissimas quasque eorum captiuitates, & calamitates, præsertim verò Babylonicam, ipsis contigisse. Atqui nec post dissolutam captiuitatem Babylonicam, nec post Saluatoris nostri aduentum legimus Iudęos

Mala que post Titum & Vespasia num Iudæis contigisse, propter necem Mesiæ ipse accepit eos. Sed hoc responsum mendacij atque impietatis conuincitur. Primò, quia hęc calamitas non modo est corporalis, sed etiam spiritualis, magnam spiritualium bonorum iacturam continens: carent enim Prophetis, miraculis, cultu diuino, & Mosaicę legis obseruatione. Pœnam autem spiritualem non ad probandam virtutem, sed ad puniendam præterita scelera Deus infligit. Denique Iudæi sic respondentes mendacem faciunt Deum: quippe amplissimis verbis, Deus sæpenumero promittit, vt videre est in Deuteronomio cap. vndecimo, & 28. se populum Hebręum, si quidem is benè ac piè viueret, atque in legis quam per Mosem illis dederat, obseruantia, obedientiaque permaneret, cõseruaturum omnitempore in terra Chanaan, quam possidebat, à cunctis hostibus defensurū, cunctisque malis liberaturum, atq; omni bonorum genere cumulaturū. Alij respondent se non propter necem Mesiæ, sed propter alia quamplurima & grauissima flagitia, quæ admiserunt, iram Dei aduersum se irritasse: tantamque eius animaduersionem, & vindictam, quanta nunc plectuntur, promeruisse. Verumtamen & hoc responsum falsitatis arguitur: etenim quærendum ex illis est, quænam fuerint scelera ab ipsis comissa, propter quæ tam grauer puniantur. Nimirum duo reperiuntur in Sacris litteris, omnium scelerum maxima, & grauissimis verbis à Deo reprobata, & acerbissimis supplicijs vindicata, scelus idololatriæ, & cędes prophetarum: hęc duo super alia omnia Deus exprobat Iudęis. & propterea testatur grauissimas quasque eorum captiuitates, & calamitates, præsertim verò Babylonicam, ipsis contigisse. Atqui nec post dissolutam captiuitatem Babylonicam, nec post Saluatoris nostri aduentum legimus Iudęos

Nulla scelerum Iudæorum fuerunt, que eis hanc iam grauem calamitatem intulerunt, præter Christi necem.

Iudęos aut publice idola coluisse, aut Prophetas occidisse. Itaque post id temporis, quod ad ista duo scelera spectat, quodam modo melior fuit populus Hebræus, quam antea fuerat. Non igitur magnitudo & diurnitas præsentis Iudęorum calamitatis, vel ad prædicta duo scelera vel ad alia quæcunque præter cædem Mesiæ referri potest. Sed esto, fuerint idolorū cultores. Prophetas occiderint, non ideo tamē conueniens prædictis sceleribus erat præsens Iudæorum calamitas. Hęc namque scelera fuerunt antea apud illos creberrima, quorum tamen non nisi septuaginta annorū captiuitate, pœnas luerunt. Nullum igitur exitum habent, nullum latebrā Iudæi: quocunque, se verterint, tenentur constructi.

Iuuat hoc loco referre, quæ D. Hieronymus ad hanc Iudæorum voluntariam cæcitatem perfidiamque redarguendam posuit in Epistola 129. quam scripsit ad Dardanum: *Multa inquit Iudæa scelera commissisti, cunctis circa te seruisti nationibus: ob quod factum est: vtique propter idololatriam, cumque seruisses, crebro tui misertus est Deus, & misit iudices & saluatores, qui te de seruitute Moabitaram, Ammonitarum, Philistinorum, ac diuersarum gentium liberarent. Nouissime sub Regibus offendisti Deum, & omnis tua prouincia gente Babylonica vastante, deleta est per septuaginta annos, templi solitudo permansit. A Cyro Rege Persarum est laxata captiuitas: constructum quoque est sub Dario templum. Quæ passi sitis à Medis, Aegyptijs, & Macedonibus non enumero: nec tibi adducam in memoriam Antiochum Epiphanem crudelissimum omnium tyrannorum: nec Pompeium, Gabinium, Scaurum, Varium, Cassium, Sossiumque replicabo, qui tuis urbibus & præsertim Hierosolymæ, insultarunt. Ad extremum sub Vespasiano, & Tito vrbs capta templumque subuersum est. Deinde ciuitatis vsque ad Adrianum Principem per quinquaginta annos mansere reliquie: post illam euersionem vsque adhanc diem, pauld minus quàm per quadringentos annos & Urbis & templi ruinae permanent. Ob quod tantum facinus? Certe non colis idola: sed etiam seruiens Persis & Romanis, & captiuitatis pressus iugo Deos ignoras alienos. Quomodo clementissimus quondam Deus, qui nunquã tui antea oblitus fuerat, nunc per tanta spatia temporum non adducitur, vt soluae captiuitatem, & vt verius dicam, expectatum tibi mittat Antichristum? Ob quod, inquam, facinus & tam execrabile scelus, auertit à te oculos suos? Ignoras: Memento vocis parentum tuorum, Sanguis eius super nos & filios nostros. Et hic est haeres, Venit occidamus eum & nostra erit hereditas, Et non habemus Regem nisi eum. Castatem. Habes quod elegisti, ad finem mundi vsque seruiturus es Casari, donec gentium intret plentudo, & omnis Israel saluus fiat. & qui quondam erat in capite, vertatur in caudam. Haftenus verba D. Hieronymi.*

Eximia D. Hieronymi in Iudæos sententia.

Neque cuiquam mirandum accidat, hanc tam manifestam, testatamque oraculis Prophetarum, atque suorum multorum experientia comprobata de Mesiæ aduentu, & morte doctrinam, non videre atque intelligere. Si quidem hęc ipsa cæcitas, vna est de multis alijs, & quidem ma-

ximis Iudæorum pœnis quibus illi propter necem Mesiæ à Deo puniti sunt. Duplici enim pœnarum genere mulctati sunt. Vnum fuit corporale: & hoc triplex, amissio regni ac dignitatis, perpetua vr̄bis ac templi desolatio, & sempiternum exilium, innumeris malis miserijque refertum. Alterum pœnæ genus fuit spirituale, tantò sanè grauius & exitiosius priore, quantò & potioribus bonis eos spoliavit, & acerbioribus malis affecit. Et hoc duplex, excæcatio mentis, & obduratio cordis, videlicet ad intelligēda, credendaque, atque amplectenda, quæ ad Mesiã pertinebant. Hoc duplici pœnarū genere plectēdos esse Iudæos Isaias c. 6. illis verbis indicauit:

Isa. 6. *Excæca cor populi huius, & aures aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum, & dixi, Vsq̄ue quo Domine? & dixit, Donec desolētur ciuitates absq; habitatore, & domus sine homine, & terra relinquatur deserta.* Hoc Isaiæ vaticinium Saluator noster in Euangelio Ioan. cap. 12. ad se & Iudæos qui sibi credere recusat, pertinuisse declarauit. Illud quoque quod in Deuter. cap. 28. dixit Moses de Iudæis, *Percutiat te Dominus amentia, & cecitate ac furore mentis: & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas, omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.* Hoc, inquam, quod Moses dixit, nūquam verius quam iam in Iudæos dici posse intelligimus Dauid præterea Psalmo 68. cum sub persona sua exposuisset, quàm indignis & acerbis modis tractandus esset Mesiã, scilicet propter certitudinem Prophetiæ, in prædicendo futura, vsus verbi præteriti temporis, proxime varias pœnas, partim corporales, partim spirituales tam immani eorum sceleri comparatas, subiunxit: *Fiat (inquit) mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos iram tuam: & furor ire tue comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnere meorum addiderunt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & nō intrent in iustitiam tuã. Deleantur de libro viuientium & cum iustis non scribatur.* Dauidem autem hæc vaticinantem, prophético spiritu, spectasse Iudæos, qui Dominum nostrum occiderunt, & doctrinam eius oppugnarunt, non tantum accipere noluerunt testem habemus quo non grauior alter, D. Paulum capite vndecimo Epistolæ ad Romanos. Qui quidem Paulus capite tertio posterioris Epistolæ ad Corinthios, eleganter argumentatur, obtusos esse Iudæorū sensus ad diuina mysteria, præsertim ea, quæ Mesiã attingunt, intelligenda: Olim, inquit, non poterant Iudæi aspicere faciem Moïsi, nisi velatam, nepe in hodiernã vsq; diē, velamē manet Iudæis in lectione veteris testamenti: quod tamen per Christum euacuatur. Itaque Iudæus sine fide Christi legens Scripturam, reperit eam velatam, nec menti

Ioan. 12.

Deut. 28.

Psal. 68.

Iudæi habent faciem velatam ad Scripturam mysteria intelligenda.

menti peruiam ad intelligendum. At cum primum fide Christi imbutus est, velamen ex ipsa Scriptura, & ex corde eius auferitur. Idem Paulus 2. c. posterioris Epistolæ ad Thessalonicenses, testatur Iudæos expositos esse omni seductioni & errori, eò quod claritatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: *ideoque (inquit) mittere illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

C A P V T V.

Secunda disputationis pars, in qua ostenditur Christum Iesum Marię Filium, verum fuisse Mesiã.

Validissimis & quamplurimis argumentis Christus Dominus ostendit se esse verum Mesiã, vt sic etiam adimpleatur prædicta in superioribus Danielis prophetia, illis verbis, *Confirmavit autem pactum multis, vbi clare prædixit Christum Dominum Euangelium seu nouum testamentum (id enim sonat pactum) multis testimonijs, & argumentationum generibus comprobaturū. Quinque verò præcipuè modis siue argumentorū classibus demonstratur Christum Dominum verum fuisse Mesiã, eiusque doctrinam à Deo esse profectam.*

Quinque enim modis Dominus noster probauit se Mesiã esse; suãque doctrinam à Deo esse profectam, eamque cunctis hominibus ad percipiendam vitam æternam omnino esse necessariam. Primum genus probationis constat multis, varijs, & adeò grauib; testimonijs, vt ea nulla tergiuersatione eludi possint. *a* Primum testimonium fuit Angelorum in ortu Christi annunciantium pastoribus eo die natum esse Saluatorem mundi. *b* Secundum testimonium fuit Magorū, qui ex oriente venientes, natum iam esse regem Iudæorum nouæ stellæ miraculo confirmarunt. *c* Tertium fuit eorum qui illo ipso tempore, quo Christus natus est, iustitia pietateque ac sanctitate insignes, & apud Iudæos perquam nobiles habebantur, vt Elizabeth, Zachariæ, Simeonis & Annæ. *d* Quartum fuit multiplex testimonium, & præconium Ioannis Baptistæ cui Iudæi non poterant contradicere. *e* Quintum fuit testimonium Dei Patris magnificè & gloriose datum in baptismo, & transfiguratione Christi. *f* Sextum fuit Moïsi & Eliæ, qui apparuerunt in transfiguratione Christi, & testificati sunt ipsum esse Mesiã. Septimum fuit testimonium ipsorum Pharisæorum

Primò probatur testimonijs, a Luc. 2. b Matt. 2. c Luc. 1. & 2. d Matt. 2. Luc. 3. Ioan. 1. e Matt. 3. & 17. f Matt. 17.

CAPVT V.

De notis ac signis Messia à Prophetis prædictis, vbi etiam simul ostenditur in Christo Domino fuisse reperta.

Q Vintum genus probationis constat vaticiniis ac Prophetiis de venturo Messia editis, quæ ad vnguem in Christo Domino cõpleta sunt vt prædixerat Daniel illis verbis: *Vt adimpleatur visio & prophetia.* Christo enim Domino veniente in mundum impletæ sunt omnes Prophetiæ: quia quæcunque prædixerunt Prophetæ Messiam dicturum & passurum, ea omnia Dominus dixit, fecit, ac passus est. ideo etiam dixit ipse Dominus Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Et ipsi Euangelistæ cum narant dicta, facta & passiones Christi, sæpè notare solent, *Vt adimpleretur Matth. 5. quod dictum fuerat per prophetam.*

Notandum vero est cum Pereyra in locum illum Danielis in Græca *Pereyra.* lectione pro impletur haberi signetur, quasi dicat *Vt signetur visio & Prophetia,* quam lectionem secutus est Tertullian. in lib. aduersus Iudæos, idem tamen est *signari* siue *adimpleri Prophetias,* vt ipse Tertullian. sequentibus verbis docet: *Quid est,* inquit, *quod dicit Angelus, Signari visum & prophetiam? Quoniam omnes Prophetæ nunciabant de illo quod esset venturus, & pati haberet. Igitur quoniam adimpleta est Prophetia per aduentum eius, propterea signari visionem & Prophetiam dicebat: ipse enim signaculum fuit omnium Prophetarum, adimpleas omnia quæ retro de eo Prophetæ nunciauerant. Post aduentum enim Christi & passionem ipsius, iam non visio, neque Prophetæ est qui Christum nunciet venturum. Denique hoc si non ita est, exhibeant Iudæi post Christum Prophetarum aliqua volumina, vel Angelorum aliquorum visibilia miracula, quæ retro Patriarchæ viderunt, vsque ad aduentum Christi, qui iam venit ex quo signata est visio, & prophetia, id est statuta. Et merito dixit Euangelista lex & Prophetæ vsque ad Ioannem baptizatorum. Baptizato enim Christo, id est sanctificante aquas in suo baptizate, omnis plenitudo spiritualium retro Charismatum in Christo cessarunt, signante visionem, & prophetias omnes quas aduentu suo adimpleuit. Vnde firmissime dicit, aduentum eius firmare visum & Prophetias. Hæc Tertullianus.*

Quare nostro instituto valde cõsentaneum erit, si hoc loco doceamus, omnia Prophetarum oracula in Christo & per Christum esse impleta: nam cum vatum oracula certa quasi quædam signa & indicia Messia eò præmissa fuerint à Deo, vt his Messias mortali & passibili carne indutus, in mundum

590 DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC.

Matt. 7. risæorum, de quibus vnus Nicodemus dixit, *Scimus quia à Deo venisti Magister.* Octauum etiam ipsorum Dæmonum qui eiecti ab ipso ex humanis corporibus clamabant ipsum esse Christum, & Filium Dei.

Secundæ miraculis. Ioan. 7. Secunda probatio versatur in miraculis Christi, quæ fuerunt plurima, maximaque. Quapropter Iudæi, vt refert Ioannes cap. 7. dicebant. *Nunquid Christus, cum venit, plura signa faciet, quàm quæ hic facit?* Dupliciter autem ex hoc loco vrgentur Iudæi, siquidem Dominus noster & omnia miracula fecit, quæ facturum Messiam prædixerant Prophetæ, & fecit ea miracula, quibus declararet, ac probaret se Dei Filium esse, verumque Messiam.

Tertiæ ex vita & moribus. Tertia approbatio ducitur ex vita, & moribus, ex passione item, & morte Domini nostri. Eam enim vitam egit Dominus noster, ijs moribus fuit, eam doctrinam prædicauit: denique tali vita, moribus, & doctrina fuit, quali futurum Messiam vates præscriperant. Ea præterea passus est à Iudæis, eoque mortis genere necatus est, vt de ipso Isaiam capite 53. & Dauidem Psalmo 21. vaticinatos esse dubitari nullo modo possit. His adde prodigia, quæ Domino nostro moriente contigerunt. Sol vsquequaque defecit, & sanè præter naturalem rerum cursum & ordinem, horribili motu terra contremuit: velum templi discissum est: sepulchra patuerunt, multi que de mortuis ad vitam reuocati, visi sunt multis, & testificati Iesum esse Messiam. Quibus prodigijs permotus Centurio exclamauit: *Verè filius Dei erat hic.*

Quartæ ex prædictionibus. Quartum & vltimum genus probationis, consistit in prædictionibus Christi Domini nostri, quarum omnium veritatem euētus comprobauit. Fuerunt autem prædictiones Christi ferè huiusmodi. *a* Prima fuit de summa ruina, & exitio Iudæorum. *b* Secunda de miraculis, quæ facturi erant ipsius Discipuli, & sectatores. *c* Tertia de maximis & acerbissimis persecutionibus quas erant passuri. *d* Quarta de Euangelio suo per omnem terram prædicando. *e* Quinta de Ecclesia sua vsquequaque, & in vniuerso orbe propaganda. *f* Sexta quod eadem Ecclesia, licet foret vbique terrarum & gentium oppugnanda, diuexanda, & conflictanda, nihilominus tamen vsque ad consummationem sæculi esset permanfura. *g* Denique septima & vltima de genere mortis suæ, de resurrectione post triduum, de missione spiritus sancti, de nomine suo apud omnes gentes nobilitando & clarificando. Quintum verò genus probationis constabit ex sequentibus notis & signis Messia.

mundum! aliquando venturus, sine vilo errore ac sine magna difficultate cognosci ac deprehendi posset: fatendum erit eum, in quo omnia prædicta signa conuenerint, fuisse verum Messiam: alias illa signa incerta & fallacia essent, cum per illa etiam homines indocti citra ipsorum culpam in grauisimum errorem colendi pro Messia non verum Messiam, inducerentur. Hæc autem omnia prophetarum oracula siue signa in Domino Iesu reperta fuerunt, eaque tam proprie, tamque aperte & explicite Christo conueniunt, vt de illis minime possit dubitari; ita vt non tam futurarum rerum prædictiones, quam præteritarum narrationes esse videantur, nec illi præuidisse res alio tempore gerendas, sed rebus ipsis factis interfuisse; ita vt verè possit dici, quosdam illorum quædam de Christo non minus distincte quam Euangelistas descripsisse. Sed dices. Quare etiã Iudæi tam apertis Prophetarum testimoniis non credunt? Resp. docente Pereyra in Daniel. lib. 10. quod licet prophetarum vaticinia ante Christi aduentum, propter futurarum rerum obscuritatem difficillima essent intellectu: eadem tamen post aduentum Domini nostri, per quem abundè impleta sunt & promissa Dei & prophetarum vaticinia, facilem habent intelligentiam & explicationem. Iudæos autem, qui non credunt adhuc venisse Messiam, necesse est, cum Prophetarum libros legunt, dubios, perplexos, & plane cæcos esse. & tanquam in labyrintho quodam aberrantes nullum reperire exitum ac similes esse eorum, qui nullo duce nulloque lumine, per tenebrosa & prærupta loca iter facientes, passim offendunt, nec raro in profundum præcipites aguntur. Sic profecto est, vt præclare dixit Irenæus quadragesimo tertio capite libri 1v. aduersus hæreses: *Omnis (inquit) Prophetia priusquam habeat effectum, ambiguitas & enigma est hominibus, cum autem venerit tempus eius, & enenerit quod prophetatum est, tunc Prophetia habent liquidam & certam expositionem. Propter hoc Iudæis cum nunc legitur lex & Prophetia, fabula similis est. non enim habent expositionem omnium rerum pertinentem ad aduentum filij Dei, qui est secundum hominem. At Christianis cum legitur prophetia, thesaurus est absconditus in agro, cruce Christi reuelatus & explanatus ditans sensum hominis, & ostendens Dei sapientiam.* Sic Irenæus. Nulla igitur difficultas est credenti Prophetis Euangelium persuadere: non sanè maior quàm (si parua licet componere magnis) tenenti scientiam aliquã subalternatam. Quapropter Irenæus quadragesimo primo capite libri 1v. aduersus hæreses, propterea existimat dixisse Paulum, se plus omnibus laborasse, quia cum ipse prædicator Apostolus, & Doctor gentium esset constitutus, magis laboriosum & arduum sibi fuerit gentibus quàm Iudæis Euangelium tradere. Gentes namq; nec legem à Deo scriptam, vt Iudæi acceperant, nec Prophetas nouerant, nec expectabant Messiam, & vnius veri Dei notitiã pauci, cultum vero & religionem fere nulli tenebant: sed circa Dei om-

Pereyra fol.
579.

Irenæus.

Cum Paulus
dixerit se
plus omnibus
laborasse.

1. Cor. 15.

nipo-

nipotentiam caligantes, circa prouidentiam vacillantes, de animorum nostrorum immortalitate perplexi, de mundi origine atque interitu dubij, de vltimo fine hominis incerti, in densissimis errorum tenebris versabantur, & in altissimis nefandorum scelerum sordibus volutabantur, quanto pluribus erroribus & flagitijs implicati, tanto longius à veritatis perceptione remoti. At Iudæis, quibus, vt Paulus inquit, credita erant eloquia Dei, quorum adoptio erat filiorum. & gloria, & testamentum & legislatio, & obsequium, & promissa, Iudæis inquam nisi voluntaria eos ignoratio & malitia obcæcasset, & nisi contumax aduersus veritatem atque offirmatus animus, omnem ad eorum mentes illuminandi aditum luci diuinæ præclusisset, procliuissimum fuisset Euangelicam doctrinam probari ac persuaderi. Sed iam quæ fuerint de Messia Prophetarum oracula, & quemadmodum ea in Domino Iesu Christo perfectissime completa sunt, breuiter ostendamus, afferentes primum signa siue notas, quibus Deus per Prophetas nobis voluit Messiam venturum reuelare.

Rom 3. & 9.

Prima Nota: de aduentu Messia.

Principio Deum in terris aspectabili & humana forma conuersaturum cum hominibus, grauisimis verbis vaticinatus est Baruch, cap. tertio, *Baruch 3. Hic est, inquit, Deus noster & non estimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Similiter Esaias cap. 35. *Esai. 35. Deus ipse veniet, & saluabit nos.* Atque alio loco: *Vtinam dirumperes callos, & descenderes.* Idem 64.

Secunda Nota, fuit Dauidica & regia propagatio ex femine Dauid.

Hieremiæ 23. *Ea dies veniet, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, quem locum de Christo intelligunt omnes Hebræi, & hæc notam esse impletam in Christo docet Matthæus, in ipso statim Euangelio. Matth. 1. Iij exordio, Liber (inquit) generationis Iesu Christi filij Dauid, &c.,*

Tertia Nota: Iesus conceptus ex Virgine, & natus.

Esaiæ 7. *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Hoc testimonium, quod etiam Matthæus Euangelista in Maria completum posuit, aduersus Iudæos & hæreticos vix est vllus ex Patribus, qui non pertractet. Iustinus Martyr egregiè in Tryphonè, & in secunda pro Christianis Apologia, Irenæus li.

Esai. 7.

Iustin.

Martyr.

Irenæus.

FFFf

3. cap.

Athanas.
Cyprian.
Basil. Mag.
Rish de
S. Victore.
Euseb.
Prou. 30.

3. cap. 9. & 21. & 24. Athanasius de incarnatione verbi latè. Cyprianus aduers. Iudæos lib. 2. cap. 9. Basilius Homil. de Epiphan. Domini, Richardus de Sancto Victore duos libros edidit de ea prophetia. Iudæos refellit latè Eusebius lib. 7. cap. 1.

Item Prou. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in celo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in Virgine.* Sic habet interpretatio septuaginta seniorum. Quare de virgineo partu prophetaſſe Salomonem cum dixit: *Sibi penitus esse ignotam viam viri in virgine,* sentiunt non ignobiles auctores, Cornelius Ianſenius in Proverb. cap. 30. Nicolaus Lira ibidem, Ludouicus Leo Augustinianus de nominibus Christi lib. 3.

Ianſenius.
Nic. Liran.
Lud. Leo.

Matth. 1.

Hæc natiuitas ex Virgine demonstrata est Matth. 1. *Cum eſſet diſponſata Mater Ieſu Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta eſt habens in vtero a eſpiritu Sancto, &c.*

Luce 1.

Secundo Luc. primo. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.*

Quarta Nota: I E S V S in Bethlehem natus pauper & Rex.

Mich. 5.

Primo Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: exte enim mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio, à diebus aternitatis.* Celebre vaticinium eſt, quod Matthæo teſte ſcribæ agnouerunt; Ioanne auctore, etiam turbæ. Tractat hoc Iuſtinus in 2. Apolog. Chryſoſtom. in demonſtrat. quod Chriſtus Deus. Iunilius lib. 2. de parte diuinæ legis c. 22. Eusebius lib. 7. cap. 4. & lib. 6. c. 1.

Iuſtinus.
Chryſoſt.
Iunilius.
Euseb.
Eſa. 9.

Secundo Eſai. 9. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: Et factus eſt principatus eius ſuper humerum eius. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, Pater ſaturi ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit ſinis: ſuper foliam Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iuſtitia a modo & uſque in ſempiternum.* Non indiget expoſitionibus illuſtriſſima prophetia, quam verſant vbique Sancti. Hieronymus illic, Euseb. lib. 7. c. 4. & lib. 9. cap. 6. Basil. lib. 2. contra Eunomium. Ambroſ. in c. 8. ad Roman. Chryſoſt. in homil. cōtra Anomæos. Cyrill. ſerm. de occurſu Domini, Auguſt. ſerm. 10. de tempore & lib. Quæſt. ſuper Iudic. c. 52. 53. 54. & alij alias, ſiue noſtram ſiue ſeptuaginta lectionem conſulas, tamen ſi videtur diſcrepare Hieronymus.

Hieron.
Euseb.
Basil.
Ambroſ.
Chryſoſt.
Cyrill.
Au. uſtin.
Abacuc 3.

Tertio Habac. 3. *Conſideraui opera tua & expaui: in medio duorum animalium cognosceris.* Id quidem iuxta ſeptuaginta, quod de puero in præſepi inter animalia collocato refert Proſper lib. de Diuinis prædictionibus p. 3. cap. 5. Neque ab eo Eccleſiæ ſenſus valde abhoret, quæ in quadam Antiphona

Proſper.

phona Natiuitatis, canit, *Vt animalia viderent Dominum natum, &c.*

Primo Matth. 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda. Secundo Luc. 2. Matth. 2. Aſcendit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod eſſet de domo & familia Dauid, vt proſtiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore pregnante. Factum eſt autem, dum eſſet ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio. Tertio Ioan. 7. Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethleem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?*

Luc. 2.
Matth. 2.
Ioan. 7.

Quinta Nota: Ieſus vocatus octauo die.

Primo Numer. 13. *Vocauitque Oſee filium Nun Iofue, Ieſum. Iofue miniſtrū Moyſi, poſtea ducem populi Hebræi, à quo introducti ſunt filij Iſrael in terram promiſſionis, diuina ſcriptura ſæpe vocat Ieſum, nomine diuinitus immutato, vt ſignificaret Ieſum Saluatorem, cuius typus fuit. Hoc myſterium magnificè celebrant Sancti Patres. Iuſtinus quidem in colloquio: Tertullianus verò aduerſus Iudæos: Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: Ambroſius in Pſalmum 39. Omnium optimè Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum lib. 19. quare bene de illo Propheta eccleſiaſticus.*

Num. 13.

Secundo Eſai. 19. *Mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos.* Euseb. lib. 2. demonſtrat. 35. & lib. 7. cap. 6. Cyrillus de incarnat. vnigeniti, cap. 3.

Iuſtinus.
Tertull.
Hieron.
Ambroſ.
Auguſt.
Eſa. 9.
Euseb.
Cyrill.
Luce 2.

In Euangelis primò Luc. 2. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Secundo Matth. 1. *Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum facies populum ſuum à peccatis eorum.*

Matth. 1.

Sexta Nota: Adoratus à Magis.

Primo Numer. 24. *Videbo eum ſed non modò: intuebor illum, ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael: & percutiet Duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth, & erit Idumæa poſſeſſio eius.* Hieronymus in 2. Matthæi, Leo ſerm. 4. de Epiphania, Proſper de prædict. p. 3. cap. 6. Athanaſ. de incarnatione verbi Irenæus lib. 3. c. 9. Basil. Homil. de Epiphan. Iuſtinus in Tryphonem, Eusebius lib. 9. Demonſt. primo latè.

Num. 24.
Hieron.
Leo Mag.
Proſper.
Athanaſ.
Irenæus.
Basil. Mag.
in. 2. Matth.

Secundo Pſalm 71. *Reges Tharſis & inſula munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes gentes: omnes Reges ſeruient ei.* Eccleſia in officio Epiphaniæ, Hilarius lib. 4. de Trinitate, Proſper de prædict. p. 3. cap. 6. Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem.

in. 2. Matth. 7. 1.
Euseb.
Irenæus.
Proſper.
Tertull.

Tertio Eſaiæ 60. *Inundatio camelorum operiet te: Dromedarij Madian & Epheſi. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* Chryſoſt. Homil. 2. in 2. Matth. Proſper de prædict. p. 3. c. 6. Auctor imperſecti in Matth. cap. 2.

Proſper.
Eſa. 60.
Chryſoſt.
Proſper.

In Euangelistis, primò Matth. 2. *Cū natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt ab Oriente Hierosolymam dicentes, Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*

Septima Nota: Iesus in Ægyptum fugiens, & inde reuocatus.

Primò Esaiæ 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingreditur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Eusebius Cæsariensis lib. 6. historię Ecclesiasticę cap. 20. & lib. primo de demonst. Euang. cap. 4. & lib. 8. cap. 5. Chrysostr. in 2. cap. Matth. Hieronym. in 19. Esai. Ambros. de institut. virgin. Athanas. de incarnat. Verbi, Prosper de prædict. par. 3. c. 2. *Nubem leuem vult euseb. Christi corpus. Hebraicè dicit legi, crassitudinem leuem, quod corpus fuerit de Spiritu Sancto conceptum.*

Secundo Osee 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Matthæi nobis auctoritas sufficere debet, vt veram de Christo prophetiam accipiamus: cuius sensum tenent Irenæus lib. 3. c. 9. Chrysostr. in demonstrat. quod Christus sit Deus, Prosper de prædict. p. 3. c. 8. Athanasius de Incarnat. Verbi, Iunilius lib. 2. de parte diuinæ legis, cap. 22. Euseb. Cæsar. libr. 9. Demonst. 4.

In Euangelistis, Primò Matth. 2. *Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph, dicens, Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.*

Octaua Nota: Propter Christum paruuli occisi.

Hierem. 31. *Vox in excelsis audita est lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos, & volentis consolari super eis quia non sunt.* Prosper de prædict. p. 3. c. 9. Chrysostr. in demonstrat. quod Christus sit Deus, Iustinus in Colloquio.

In Euangelistis, Matth. 2. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros in Bethleem, & in omnibus finibus eius. Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam, &c.*

Nona Nota: Iesum Ioannes Baptista præcursor annuntiat.

Primò, Esai. 40. *Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur: & omnis collis & mons humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria*

ria Domini & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est. De se ipso hæc pronunciauit Ioannes ipse Ioannis 1. cui Matthæus 3. Marc. 1. Lucas 3. cap. suffragantur, satis idonei interpretes diuinæ prophetiæ: vt plures requirere otiosum sit. Si quis tamen requirat, legat Iustinum in suo colloquio Prosperum Aquitanicum in prædictionibus suis par. 3. c. 1. Eusebium copiosè lib. 9. dem. 5.

Secundò, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Honorans Baptistam Christus, hanc de illo prophetiam exponere dignatus est Matthæi 11. Luc. 7. Sed interim in Hebraica nostraque lectione sub prima persona legimus, *Præparabit viam meam, & faciem meam.* In Euangelistis verò sub secunda persona: *Præparabit viam tuam & faciem tuam.* Vt planè discamus, siue pater intelligatur loqui siue Filius, eandem esse sententiam, quia vtriusque vna natura est, eademque voluntas.

In Euangelistis, Primò, Ioann. 1. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine.* Secundò, Luc. 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum penitentiae, & remissionem peccatorum.*

Decima Nota: Iesus discipulos pauperes, & idiotas vocans ad Apostolatam.

Primò, Esai. 8. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & portentum Israël à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.* Paulus ad Hebræos 2. *affert de vocatione Apostolorum & signis ab ijs perpetratis, Euseb. lib. 9. de Demonst. Euang. cap. 14. Cyrillus in 8. Esai. Origenes homil. 7. in cap. 8. Esai.*

Secundò, Hier. 16. *Mittam ad eos piscatores, & piscabuntur eos, & venatores, & venabuntur eos.* Prosper de Prædict. p. 3. cap. 12.

Tertiò, Esaiæ 29. *Ciuitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam vsque ad terram, detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperum gressus egenorum.* Cyrillus lib. 3. in Esai. de ijs dicit hæc scribi, quibus Christus dedit, potestatem calcandi super serpentes. Hieronymus *pes pauperis de Christo, de Apostolis gressu egenorum.*

In Euangelistis, primò, Matth. 4. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Secundò, Act. 4. *Comperto quod homines essent sine literis & idiotæ, admirabantur, cognoscebant eos, quia cum Iesu fuerant.*

Vndecima Nota: Iesum audiunt & sequuntur turbæ innumeræ.

Mich. 4.

Mich. 4. Et erit in nouissimo dierum, erit mons domus Domini praparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum. Hieronymus in 2. Esai. ad Iesum docentem in monte refert: eodem modo in 4. Michææ, referens verba Matthæi 4. Basil. & Augustinus ad concursum hominum post Spiritus Sancti descensum ad Euangelicam legem, eodem modo Iustinus in 2. Apolog. & in colloquio. Itemque Euseb. lib. 6. cap. 13.

Hieron.
Basil.
Augustin.
Iustinus.
Euseb.
Matth. 4.
Luc. 5.
Marc. 6.
Idem. 1.

In Euangelistis. Primò, Matth. 4. Et sequuta sunt cum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Secundo, Luc. 5. Cum turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei. Tertio, Marc. 6. Erant qui veniebant, & redibant multi, & nec spatium manducandi habebat. Quarto, Marc. 1. Et cum inuenissent eum, dixerunt ei, quia omnes te querunt.

Duodecima Nota: Iesus cum hominibus benignè suauiterque conuersans.

Esa. 42.

Esa. 42. Ecce seruus meus, suscipiam eam; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum. Iudicium gentibus proferet. Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret. Et limum fumigans non extinguet. In veritate educet iudicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius insule expectabunt. Chrysost. in Demonst. quod Christus sit Deus. Iustin. in 2. Apol. & in Tryph. Euseb. lib. 6. c. 15. Basil. in Reg. c. 291. Tertull. 4. adu. Marcion. Hilar. in Psal. 131. Pro, non erit tristis neque turbulentus Septuaginta habent splendebit & non conteretur. Sic legit Augustinus 20. lib. de Ciuit. c. vltim.

Chrysost.
Iustin.
Euseb. &c.

Matth. 11.
Luc. 9.
Idem 4.
2. Cor. 10.

In Euangelistis. Primo, Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Secundo, Luc. 9. Nescitis cuius Spiritus estis. Filius hominis non venit homines perdere, sed saluare. Tertio, Luc. 4. Mirabantur de verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. Quarto, 2. Cor. 10. Obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi. Quinto, Rom. 15. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum. Et enim Christus non sibi placuit.

Rom. 15.

Vnde-

Decimatertia Nota: Iesus peccatores benignè excipiens.

Primò, Mich. 4. In die illa dicit Dominus, Congregabo claudicantem: & eam quæ eieceram colligam: & quam afflixeram consolabor: Et ponam claudicantem in reliquijs & eam quæ laborauerat in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum. Hieronym. lib. 1. in Mich. de priore Domini aduentu, in quo peccatores saluati sunt. Eodem ferè modo Arias Montanus.

Mich. 11.

Hieron.
Ben Arias
Mont.

Iasa 35.
Hieron.
Greg. Magn.

Secundo, Esaiæ 35. Ibi in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & sunci. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur. Hieronym. Gregorius 19. Moral. cap. 14. lib. 2. in Ezech. hom. 3. Apud septuaginta tamē aliter habetur.

Tertio, 1. Reg. 22. Et conuenerunt ad Dauid omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.

1. Reg. 22.

In Euangelistis. Primò, Matth. 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. Secundo, Matth. 11. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Tertio, Luc. 15. Erant appropinquantes peccatores, & publicani vt audirent illum. Quarto, 1. Tim. 1. fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Dominus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.

Matth. 9.
Idem 11.
Luc. 5.
1. Tim. 1.

Decimaquarta Nota: In parabolis loquens.

Psal. 77. Aperiam in parabolis os meum: eructabo abscondita à constitutione mundi. Tractatus Chrysoctomi in Oratione contra gentiles, quod Christus sit Deus. in 5. tomo.

Psal. 77.
Chrysoct.

In Euangelistis. Matth. 13. Hac omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem, Aperiam in parabolis os meum.

Matth. 13.
Psal. 77.

Decimaquinta Nota: Iesum vera docentem, & vitia corripientem infesti persequuntur Scribæ & Pharisei.

Primo, Psal. 108. Os peccatoris & os dolosi, super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus adij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo, vt me diligerent, derabebant mihi, ego autem orabam, & posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Euthymius, & Augustinus manifestam esse prophetiam de Iudæis Christum oppugnantis. Prosp. de prædict. p. 2. c. 25. Euseb. lib. 10. c. 3.

Psal. 108.

Euthym.
Augustin.
Prosp.

Secun-

Sap. 2.

Secundo, Sap. 2. Circumueniamus iustum, quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & dissamat in nos peccata disciplina nostra. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutata sunt viacius. Tanquam nugaces estimati sumus ab illo & abstinet se à vijs nostris tanquam ab immunditijs, & prafert nouissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Aug. lib. 17. de Ciui. cap. 20. dicit apertissimè esse Prophetiam de Christi passione & impijs interfectoibus eius. Cyprianus recitat hunc totum locum de Christo lib. 2. aduersus Iudæos cap. 14. & in libro de montibus Sion & Sina.

Augustin. Cyprianus.

Esa. 8.

Tertio, Esa. 8. Congregamini populi & vincimini, inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet. Et mox: Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem offensionis & in petram scandali, duabus domibus Israel, in laqueum, & ruinam habitantibus Hierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conturentur, & irretientur, & capientur. Extrema huius testimonij ponunt Paulus ad Romanos 9. & Petrus in priore sua Epistola cap. 2. Illa verò superiora, Congregamini & vincimini, Cyrillus optime interpretatur de Iudæis à Christo victis, quoties eum tentarunt. Basilius, & Eusebius de persecutione Ecclesie à gentilibus mota magis accipiunt.

Rom. 9. 1. Pet. 2. Cypri. Basil. Euseb. Ioan. 8. Idem 7. Luc. 16. Mar. 22.

In Euangelistis. Primò, Ioan. 8. Nunc autem queritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum quam audiui à Deo. Secundo, Ioan. 7. Nemo ex vobis facit legem, quid me queritis interficere? Tertio, Luc. 16. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant auari, & deridebant illum: Quarto, Mar. 22. Consilium iniurunt Pharisæi, vt caperent eum in sermone. Et cetera quæ passim occurrunt.

Decimasexta Nota: Iesus Hierosolymam asello vestus ingrediens, & magnificè exceptus.

Zachar. 9.

Primo, Zachar. 9. Exulta satis filia Sion, iabila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper & ascendens super asinum & super filium asinæ. Cyprian. 2. aduersus Iudæos ca. 29. Iustin. in 2. Apolog. & in Colloquio Chryf. quod Deus sit Christus in 5. tomo. Prosper. de prædict. p. 3. ca. 16. Euseb. lib. 9. cap. 17. fufe.

Cyprian. Iustinus. Chrysolost. Prosper. Euseb. Psal. 8. Matth. 21. Chrysolostom. Euseb.

Secundo, Psal. 8. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. Ipse Dominus Matth. 21. Chryf. in Demonstrat. quod Christus sit Deus, Euthymius optime.

In Euangelistis, Matth. 21. Adduxerunt asinam & pullum & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Secundo, Turba autem quæ precedebat, & quæ sequebantur clamabant dicentes Hosanna filio David. Benedictus

dictus qui venit in nomine Domini. Hoc autem factum est, vt impleretur, quod dictum est.

Decimasepitima Nota: Iesu obedientia vsque ad mortem.

Primo, Esa. 50. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiã quasi magistrũ. Esa. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meũ dedi percutientibus & genas meas vellentibus. Nazianz. in Apolog. Tertullianus 4. contra Marcionem. Origenes Homil. 3. in 22. cap. Genes. Tertull. Origen. Psal. 35.

Secundo, Psal. 35. Sacrificium & oblationem noluit: aures autẽ perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hoc testimonium cõmemorat Apostol. ad Hebræos 10. vt ostendat obedientiam Christi in oblatione corporis sui nobis Deum reddidisse pacatum atque propitium, quemadmodũ docet etiam ad Romanos scribens. Legi potest Euthymius ac ceteri auctores hoc loco.

In Euangelistis. Ioan. 15. Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut Ioan. 15. mandatum dedit mihi Pater sic facio, surgite eamus hinc. Secundo, Philip. 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse equalẽ Patri: sed se ipsum exinaniuit formam seruĩ accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

C A P V T V I.

Notæ alię de morte, passione, resurrectione ac ascensione ad cælos Messie.

ET si omnes Christi actus à Prophetis fuerint prænunciati, præcipuè tamen, vt auctor est S. Irenæus l. 4. aduersus hæc. c. 66. passiones Christi in libris Prophetarum sunt descriptæ: vt enim ex sequentibus apparebit, nusquam spiritus Prophetie neque vberior neque illustrior apparet, quã in Christi passionibus, opprobrijs, & doloribus declarandis. Quod nõ sine diuino Consilio factum existimamus, nempe vt scandalũ crucis ab humanis cordibus remoueretur, atque ea Dei sapientia & virtus, quæ in passione elucebat copiosissime, vocatis in regnum Dei commẽdaretur, quare & ipse Christus crebro atque apertè discipulos de morte sua ac passione commonefaciendos antè putauit: vt quod in viris turpe erat supplicium crucis, id à Christo caritate hominum ardenti susceptum salutis nostre tropæum, ac gloria Dei decus esset sempiternum.

Irenæus.

Luc. 18.

Ecce, inquit discipulos alloquens Luc. 18. *ascendimus Hiero solymam, & cōsummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominū. Quæ statim explicat: Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & consuetur, & postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget. Atque alio loco Luc. 22. & Esai. 53. Quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me inueniunt. Et rursus: Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo. Mox etiam ad Petrum Matth. 26. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Et postquam à mortuis resurrexit duobus iter facientibus ac de ipso termocinantibus sese comitem adiungens: O, inquit, stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moysè; & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Atque eodem die Apostolis apparens repetit quæ pridem de scripturis in ipso complendis commonefecerat. Hæc, ait, sunt verba quæ locutus sum ad vos cum essem adhuc vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia; quæ scripta sunt in lege, Moysi & Prophetis & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & predicari in nomine eius penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes.*

1. Pet. 1.

Hac Scripturarum luce perfusus Petrus ait: De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quia non sibi metipsis, vobis autem ministrabant, ea quæ nunc nunciata sunt vobis, per eos qui euangelizauerunt vobis. Passiones Christi quas dicat, perspicuum est, irrationes nempe, & conuicia, flagella, alapas, cæteraque grauia, quæ Euangelistæ narrat, atque in primis abiectionis mortis genus, opprobrium Crucis. In his enim prænunciandis tanta est Prophetici Spiritus magnitudo, ut longè copiosius in Prophetis, quàm Euangelistis legantur. Posteriores vero glorias; resurrectionem; mirabilem ad Patrem ascensum, & cōfessum ad dexteram: tum potestatem in omnia humana, & cælestia datam, & regnum immortale Sanctorum, atque ipsam Iudicis extremi maiestatem significat. Quæ futura quidem partim fide maiorum, partim è Spiritu familiari occulta & incerta sapientiæ Deo docente, didicerant. Sed quia innumera sunt Christi passionis, & posterioris gloriæ circumstantiæ, de præcipuis tantum sermo instituetur: qui plura desiderat, legat Iosephum de Acolta lib. 8. de Christo reuelato per totum.

De

DE PASSIONE, AC CHRISTI MORTE. §. I.

Prima Nota: Dominus Iesus à Iuda venditus.

Genes. 37. *Vendiderunt Ioseph Ismaelitis triginta aureis. Zachar. 11. Et dixi ad eos, si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam: & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam, triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me. Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatum sum ab eis.*

In Euang. Matth. 26. *Quid vultis mihi dare & eum vobis tradam? at illi con-* Matt. 26.
senserunt ei triginta argenteos.

Secunda: Iesus comprehensus & ligatus.

Esai. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut onis ad occisionem ducetur.* Esa. 53.

Hierem. 37. *Comprehendit Terias Hieremiam, & adduxit eum ad Principes. Ierem. 37. Quamobrem irati Principes contra Hieremiam, & eum miserunt in carcerem.*

In Euang. Ioan. 18. *Cohors ergo & tribunus & ministri Iudeorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.* Ioan. 18.

Tertia: Iesus à suis in passione desertus.

Zachar. 13. *Frangam suscitare super Pastorem meum, & virum coherentem mihi, dicit Dominus exercituum: Percute pastorem & dispergentur oves.* Zachar. 13.

Esai. 63. *Torcular calcavi solus, & ex gentibus non est vir meum.* Esa. 63.

Ibidem: *Circumspexi & non erant auxiliator, quasiui & non fuit qui adiuuaret.*

Iob. 19. *Fratres meos longè fecit à me: & noti mei quasi alieni recesserunt à me. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me nouerat oblitii sunt mei.* Iob. 19.

In Euang. Matth. 26. *Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.* Matt. 26.

Quarta: Iesus alapa percussus à seruo.

Thren. 3. *Dabit percutienti se maxillam.* Thren. 3.

Iob. 16. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Iob. 16.

Michæ. 5. *In virga percutient maxillam Iudicis Israel.* Mich. 5.

In Euang. Ioan. 18. *Vnus assistens Ministrorum dedit alapam Iesu, dicens, Sic respiciet Pontifici?* Ioan. 18.

Quinta: Iesus à falsis testibus accusatus.

Psal. 26. *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quia insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Psal. 26.

Iob 16.

Marc. 14.

Iob 16. *Suscitatur falso loquens aduersus faciem meam, contradicens mihi.*In Euang. Marc. 14. *Multi testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant.*

Sexta: Iesus reus mortis iudicatus, & blasphemus
quod filium Dei se fecerat.

Sap. 2.

Sap. 2. *Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Morte turpissima condemnemus eum Hierem. 11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius.*

Ierem. 11.

Mar. 14.

In Euang. Marc. 14. *Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei, Tu es Christus filius Dei Benedictus? Iesus autem dixit, Ego sum: summus autem sacerdos scidit uerba sua, & ait, Audistis blasphemiam? quid uobis uidetur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.*

Septima: Iesus colaphis palmisque percussus, con-
sputus, & illusus.

Iob 16.

Idem 30.

Thren. 3.

Esa. 50.

Matt. 26.

Iob 16. *Aperuerunt super me ora sua: & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt panis meis Iob 30. Factus sum eis in proverbium. Dominantur me & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere non uerentur. Thren 3. Dabit percussis se maxillam: saturabitur opprobrii. Esa. 50. Corpus meum dedi percussis, & genas meas uellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus. Ideo posui faciem meam ut petram durissimam, & scio quoniam non confundar.*In Euang. Matth. 26. *Expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?*

Octaua: Iesus multis modis accusatus apud Præ-
sidem à Iudæis.

Ierem. 38.

Hierem. 38. *Dixerunt Principes Regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de industria enim dissoluit manus uirorum bellantium, & manus uniuersi populi, loquens ad nos iuxta uerba hec. Siquidem homo hic non querit pacem populo huic sed malum.*

Luc. 23.

In Euang. Luc. 23. *Ceperunt illum accusare dicentes, Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Casari, & dicentem se Christum Regem esse.*

Nona: Iesus ad omnia sibi obiecta tacens.

Esa. 53.

Esa. 53. *Oblatus est, quia ipse uoluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur*

ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.

In Euang. Matth. 26. *Cum accusaretur à Principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? & non respondit ei ullum uerbum, ita ut miraretur Præses uehementer.*

Decima: Iesus flagellis cæsus.

Esa. 50. *Dorsum meum dedi ad flagella.*In Euang. Ioan. 19. *Apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.*

Esa. 50.

Ioan. 19.

Vndecima: Iesus spinis coronatus, percussus,
& illusus.

Thren. 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Misit in uentibus meis filias pharetra sua factus sum in derisum omni populo meo. Canticum eorum tota die Repleuit amaritudinibus inebriauit me absinthio. Et fregit ad numerum dentes meos: Cibauit me in cinere. Psal. 31. Die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in arumna mea, dum configitur spina.*

Psal. 31.

Matth. 27.

In Euangelistis. Matth. 27. *Tunc milites suscipientes Iesum in pratorium, congregauerunt ad eum uniuersam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, Et genu flexo ante eum illudebant dicentes, Aue Rex Iudeorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.*

Duodecima: Iesus ad mortem Crucis instantissi-
me postulatus.

Genes. 49. *Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: In furore suo occiderunt uirum, & uoluntate sua suffoderunt murum. Thren. 3. Vidisti omnem furorem eorum, uniuersas cogitationes eorum aduersum me. Audisti opprobrium eorum Domine: omnes cogitationes eorum aduersum me. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die. Sap. 2. Contumelia, & tormento interrogemus eum: & morte turpissima condemnemus eum.*

Gen. 49.

Thren. 3.

Sap. 2.

In Euang. Ioan. 19. *Cum ergo uiderent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes Crucifige, Crucifige eum Luc. 23. Instabant uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, & inualescebant uoces eorum.*

Ioan. 19.

Luc. 23.

Decimatertia: Iesus à Iudæis negatus Rex eorum.

Daniel. 9. *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est Esa. 1. Filios exaltaui & enutriui: ipsi autem spreuerunt me: cognouit bos proffessorem suum, & asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Vx genti peccatrici, populo graui iniquitate, femini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt Dominum blasphemauerunt sanctum*

Dan. 9.

Esa. 1.

Israel, ab alienati sunt retrorsum. Osee 10. Et dicent, Non est Rex noster. Non enim timemus Dominum. Rex quid faciet nobis? Loquimini verba visionis inutilis, ferietis sedus cum mendacio, & germinabit quasi amaritudo iudicium.

Ioan. 19.

In Euang. Ioan. 19. Dicit eis Pilatus, Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Casarem.

Decimaquarta: Iesus baiulans sibi Crucem.

Gen. 22.

Genes. 22. Tulit quoque Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum. Esai. 9. factus est principatus eius super humerum eius. Sap. 14. Benedictum est lignum per quod fit iustitia. Iudic. 12. Prædidit Abimelec arboris ramum, impostumque ferens humero, dixit ad socios, Quod me vidistis facere, cito facite.

Esa. 9.
Sap. 14.
Iudic. 12.

Ioan. 19.

In Euang. Ioan. 19. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt, & baiulans sibi crucem, exiit in eum, quid dicitur Caluaria locum.

Decimaquinta: Iesus cum latronibus ductus, & crucifixus.

Esa. 53.
Gen. 39.

Esa. 53. Et cum sceleratis reputatus est. Genes. 39. Tradidit Ioseph in carcerem, ubi vincti Regis custodiebantur.

Luc. 23.

In Euangelistis Luc. 23. Ducebantur & alij duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et crucifixerunt latrones, unum à dexteris & alterum à sinistris.

Decimasexta: Iesus in Cruce suspensus.

Psal. 21.

Psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Zachar. 12. Et aspicient ad me, quem confixerunt. Zachar. 15. Et dicet uret, quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet. His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Deut. 28. Erit vita tua pendens ante te, & non credes ei. Esa. 53. Propter scelus populi mei percussus eum?

Deut. 28.
Esa. 53.
Luc. 23.

In Euang. Luc. 23. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluaria, ibi crucifixerunt eum.

Decimasextima: Iesus in Cruce irrisus à Sacerdotibus à militibus, à latronibus, à præter-euntibus, à populo.

Psal. 21.

Psal. 21. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum quoniam vult eum. Psalm. 68. Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aqua vsque ad animam meam: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia: veni in altitudinem maris, & tēpestas demersit

Psal. 68.

demersit me. Laboravi clamans, rauca facta sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: quæ non rapui tunc exolvebam. Thren. 2. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes viam: Thren. 2. sibilauerunt, & mouerunt caput super filiam Hierusalem. Hæcine est vrbs, dicentes, perfecti decori, gaudium vniuersæ terræ? aperuerunt super te ora omnes inimici tui: sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Desorabimus. En ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus.

In Euangelistis, Matth. 27. Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes, vah qui destruis templum Dei & in triduo illud reedificas: salua temetipsum, si filius Deus, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus dicebant, Alios saluos fecit, se ipsum non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim, Quia filius Dei sum. Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei.

Decima octaua: Vestes Iesu diuisæ militibus.

Psal. 21. Ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Psal. 21.

In Euangelistis. Ioan. 19. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit, ut impleretur scriptura dicens, &c. Ioan. 19.

Decimanona: Tenebræ Iesu patiente.

Amos 8. Et erit in die illa, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebescere faciam terram in die luminis. Hierem. 15. Occidit ei sol cum adhuc eset meridies. Amos 8. Hierem. 15.

In Euang. Matth. 27. A sexta autem hora, vsque ad horam nonam, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Matth. 27.

Vigesima: Iesus sitiens aceto potatus.

Psal. 68. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Psal. 68.

In Euangelistis. Ioan. 19. Postea sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit, Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Matth. 27. Et dederunt ei bibere vinam cum felle mixtum. Matth. 27.

Vigesima prima: Iesus consummans omnia.

- Dan. 9.** Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & Prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. **Ionæ 1.** Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à furore suo.
- Ioan. 19.** In Euangelistis, Ioan. 19. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit consummatum est.

Vigesima secunda: Iesus pro nobis mortem gustans.

- Esa. 53.** Abscisus est de terra uiuentium: propter scelus populi mei percussus eum, & infra: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaeuum: & voluntas Domini in manu eius dirigitur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur in scientia sua, iustificabit ipse iustus seruos meos multos: & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperdiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia: pro eo quod tradidit in mortem animam suam.
- Ioan. 19.** In Euangelistis, Ioan. 19. Et inclinato capite tradidit spiritum. **Heb. 5.** Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum qui potest illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offereret, exauditus est pro sua reuerentia. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex his, quae passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.

Vigesima tertia: Iesus mortuus glorificatus à gentilibus.

- Esa. 65.** Quaesierunt me, qui ante non interrogabant: inuenerunt me, qui non quaesierunt me: dixi, Ecce ego, ecce ego ad gentem quae non inuocabat nomen meum. Expandi tota die manus meas ad populum incredulum & contradicentem mihi.
- Matth. 27.** In Euangelistis, Matth. 27. Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terra motu, & his quae fiebant, timuerunt valde dicentes. Verè filius Dei erat iste.

Vigesima quarta: Iesus integer relictus.

- Exod. 12.** Os non comminuetur ex eo.
- Ioan. 19.** In Euangelistis, Ioan. 19. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Facta sunt enim haec ut Scriptura impleatur.

Vigesi-

Vigesima quinta: Iesus perquam honorificè sepultus.

- Esa. 11.** Et erit sepulchrum eius gloriosum.
- In Euangelistis, Ioan. 19. Venit ergo Ioseph ab Arimathaea & rulit corpus Iesu, **Esa. 11.** venit autem & Nicedemus ferens mixturam myrrhae & aloës quasi libras centum. **Ioan. 19.** Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus.

DE RESURRECTIONE CHRISTI
Domini, & ascensione. §. 2.

Iesus ascendens in caelum.

- Psal. 67.** Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium, Dominus in eis **Psal. 67.** in Sinai in Sancto. Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. **Psal. 46.** Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubae: psallite Deo nostro, **Psal. 46.** psallite: psallite Regi nostro. psallite: psallite sapienter: Regnabit Dominus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam. **1. Sai. 63.** Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibibus de Bosra? iste formosus in stola sua, & gradens in multitudine virtutis suae. **Esa. 63.**
- In Euangelistis, **Marc. 16.** Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, **Marc. 16.** assumptus est in caelis, & sedet ad dexteris Dei.

DE MISSIONE SPIRITVS SANCTI
promissi ad Discipulos. §. 3.

Iesus promissum Spiritum Sanctum à Patre mittens, & Discipulos dono caelesti implens.

- Ioel. 2.** Et erit in nouissimis diebus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: **Ioel. 2.** & prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae. & iuuenes vestri visiones videbunt, & senes vestri omnia somnabunt. Et quidem super seruos meos, & ancillas meas effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. **Exod. 19.** Cumque euississet eos Moyses in locum **Exod. 19.** cursum Dei in loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis, & sonitus bucinae per uentum cre-scibat in manus. **Esa. 44.** Effundam aquas super sitientem, & fluentia super aridam: **Esa. 44.**

HHHh

effund-

810 DE CONVERSIONE OMNIUM GENT. PROC:

effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, sicut salices iuxta praterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum. Et ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israel assimilabitur. Sap. 1. Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Ezech. 36. Adducam vos in terram vestram, & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in preceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et habitabitis in terra quam dedi Patribus vestris. Et eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum.

Sap. 1.
Ezech. 36.

Act. 2.

In Euang. Act. 2. Factus est repente sonus de caelo tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersit a lingua tanquam ignis. seditq; super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & coeperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.

C A P V T V I I .

Notæ aliæ à Prophetis præuisæ de alijs Messiaæ proprietatibus, & excellentijs.

Nota prima: Iesus verus Propheta & Magister hominibus datus à Deo.

Deut. 18.

Moyfes Deut. 18. Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies. Et ait Dominus. Ponam verba mea in ore eius loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Hoc testimonium in Iesu impletum indicat ipse ita dicens, Ioan. 5. Si crederetis Moyfi, crederetis forsan & mihi: de me enim ille scripsit. Philippus quoque Ioann. 1. dicens Nathanaeli: Quem scripsit Moyfes in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.

Ioan. 5.
Ioan. 1.

Act. 3.

Apertius verò princeps Apostolorum Petrus Act. 3. Moyfes quidē dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester, &c. Eodem modo Stephanus Act. 7. Hic est Moyfes qui dixit filiis Israel, Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. Esai. 55. Incline aurem vestram, & venite ad me: audite & viuat anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Esai. 30. Et dabit Dominus vobis panem arctum, & aquam breuem: & non faciet auolare à te

Act. 7.

Esai. 55.

Esai. 30.

Docto-

Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum post tergum momentis: Hæc est via, ambulate in ea, & ne declinetis ad dexteram: neque ad sinistram.

In Euangelistis. Ioan. 13. Vos vocatis me Magister & Domine: & benedicitis, Ioan. 13. sum etenim. Matth. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

Secunda: Iesus Rex Israel, totiusque orbis Dominus.

Dan. 7. Aspiciebam in visione noctis: & ecce cum nubibus cali quasi filius hominis Dan. 7. veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingua seruiunt ei, potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Dan. 2. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus Dan. 2. cali regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidistis, quod de monte abscissus est lapis sine manibus & comminuit testam, & ferrum, & as, & argentum, & aurum. Hierem. 23. Ecce dies venient, Ierem. 23. dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra.

In Euangelistis. Luc. 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: Luc. 1. & regnabit in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Quæ sit domus Iacob, in qua Christus perpetuo regnat, Apostolus indicat ad Rom. 9. Rom. 9. Non omnes, inquit, qui ex Israel, s; sunt Israelitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est non qui filij carnis hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine. Et planius ad Gal. 3: Cog- Galat. 3. noscite ergo quia qui ex fide sunt, s; sunt filij Abrahæ. Itaque regnum Israel est ipsa ecclesia fidelium: quæ & perpetua erit, & in omnes orbis partes se proferet, & hoc regnum tradetur Deo à Christo in fine, vt scribit Apost. 1. ad Corinth. 15. Ioann. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Apoc. 1. Et à Iesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus Apoc. 1. mortuorum, & princeps Regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & Patri suo, ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum.

Tertia: Iesus Saluator populi sui.

Deuter. 4. Postquam te inuenierint omnia, quæ prædicta sunt, nouissimo tempore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius. Quia Deus misericors Deuter. 4.

Dominus Deus tuus est: non dimittet, neque omnino delebit, neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis. Esai. 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatores, qui liberet eos. Esai. 62. Dicite filie Sion, ecce Saluator tuus venit. Esai. 63. Et factus est eis Saluator, in omni tribulatione eorum non est tribulatus: & Angelus faciei eius saluauit eos. In dilectione sua & indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus seculi. Zachar. 9. Exultat sicut filia Sion, iubilat filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit, tibi iustus & Saluator.

In Euangelistis. Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Act. 4. Notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis edificantibus, qui factus est in caput anguli. & non est in aliquo alio saluus. Neque enim aliud nomen datum est sub celo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

Quarta: Iesus per sanguinem suum redemptor omnium peccatorum.

Exod. 12. Et sument de sanguine Agni, & ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Erit autem vobis sanguis in signum in aedibus, in quibus eritis: & videbo sanguinem & transibo vos. Neque erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti. Esai. 53. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostra super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum. Ibidem: Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longauum, & voluntas eius in manu Domini dirigitur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos: & iniquitates eorum ipse portauit. Zachar. 9. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.

In Euangelistis. Matth. 20. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem suam pro multis. Matth. 26. Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Rom. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiae suae.

Quinta: Iesus spes vnica gentium.

Genes. 18. Num calare potero Abram quae gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam & benedicenda sint in illo omnes nationes terrae? Gen. 22. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae quia obedisti voci meae.

Osee. 1. Et erit in loco vbi dicitur eis, Non populus meus vos: dicitur eis, filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi met caput vnum & ascendent de terra, quia magnus dies Israel.

Psal. 71. Et adorabunt eum omnes Reges terrae: omnes gentes seruiunt ei. Sit nomen eius benedictum in saecula: ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Israel, qui faciet mirabilia solus: & benedictum nomen maiestatis eius in aeternum, & replebitur maiestate eius omnis terra. fiat, fiat.

Esai. 49. Et dixit Patrum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & Israel conuertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea vsque ad extremum terrae.

Esai. 66. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, in Lidiam venentes (agitam, in Italiam, & Graciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus domum Domino.

In Euangelistis, Luc. 2. Viderunt oculi mei salutare tuum, quod paraesti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuae Israel.

Ioan. 10. Et alias oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor.

Ephes. 3. Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu: gentes esse coheredes, & concorporales, & participes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.

Rom. 9. Vocauit nos non solum ex Iudaeis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit, Vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam. Et erit in loco, vbi dicitur est: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.

Sexta: Iesus radix totius gratiae & iustitiae: caput & corona Sanctorum omnium.

Psal. 117. Lapidem, quem reprobauerunt edificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Sic ipse Christus posuit Matt. 21. sic. Pet. Act. 4. & epist. sua prima cap. 2. Paulus quoque ad Rom. 9. Esai. 28. Haec dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion, lapidem

probatum, pretiosum in fundamento fundatum. Qui crediderit, non fessinet. Vel qui crediderit in eum, non confundetur.

Esai. 53. Et erit iustus ipse iustificans seruos meos multos.

Esai. 53.
Idem. 61.

Esai. 61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis & indumento iustitiae circumdedit me, quasi sponsam decoratum corona, & quasi sponsam ornatum monilibus suis, sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram omnibus gentibus.

Ioan. 1.

In Euangelistis. Ioan. 1. Lex per Moysen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Unde de plenitudine eius nos omnes accipiemus.

Idem. 15.

Ioan. 15. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

Ephes. 1.

Ephes. 1. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiae eius.

Septima: Iesus in nouissimo die multis prodigiis finem mundi antecedentibus cum maiestate viuos & mortuos iudicaturus.

Iob 19.

Iob 19. Scio quod Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo.

Eccle. 12.

Eccle. 12. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Et cuncta quae fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum.

Esai. 66.

Esai. 66. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigae eius reddere in indignatione furorẽ suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.

Dan. 12.

Dan. 12. In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui: & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse coeperunt usque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam aeternam, alij in opprobrium, ut videant semper.

Ioel. 3.

Ioel. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel, quos dispererunt in nationibus.

nibus, & terram meam diuiserunt.

In Euangelistis. Marc. 13. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. Et nisi breuississet Dominus dies, non fieret salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuissimus dies.

Ibidem: Amen amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint uiuent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit etiam iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

TERTIA DISPVTATIONIS PARS. CAPVT VIII.

Christum fuisse verum Messiam.

Messiam non esse purum hominem, sed hominem Deum, demonstratur quamplurimis argumentis, sed cum agamus contra Iudaeos, ex solo veteri testamento duci possunt firma contra ipsos argumenta; quae nihilominus tot sunt, ut pleraque omittenda nobis sint breuitati ex more studentibus.

Primus ergo locus veteris testamenti, ex quo Messiae diuinitas euidenter deducitur, in Baruch Prophetae vaticinio legitur: cap. siquidem 3. dicit: Hic est Deus noster & non asstimabitur alius aduersus eum, & quae sequuntur vique ad illud. Et post haec cum hominibus conuersatus est. Vbi aperte vides Prophetam de aduentu Dei in carne loqui, Messiam ab illa Deum appellari. Quo testimonio conuicti Hebraei sine fundamento negant hunc librum Baruch in Canone scripturarum numerandum esse.

Secundum testimonium est Isaiae, qui non semel sed saepe vaticinatus est Christum & Messiam Deum verum futurum: cap. enim 7. de Messia loquens dicit: hic vocabitur Emmanuel. i. nobiscum Deus, & cap. 35. de Messia loquens ait: Deus ipse veniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt, &c. Ex quo liquido constat Deum illum venturum ad saluandum nos esse Messiam, cuius etiam sunt propria signa illa & miracula.

racula, quæ ibi prædicuntur. Nec ullus præter Christum illa perficit, neq; illa Iudæis ab alio quàm à Messia expectanda sunt, cum ante Isaiam. nec post illum ex Prophetis aliquis talia signa operatus sit: atque idcirco Patres hunc Deum, de quo Propheta loquitur, esse Christum rectissimè interpretantur. Athanas. lib. de humanitate Verbi post medium. Idem verò Isa. c. 45. ait: *In te est Deus, & non est Deus absque te: verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator.* Verba sunt Dei Patris filium alloquentis, vt constat ex antecedentibus verbis, *Hæc dicit Dominus.* Et clarius ex versione septuag. qui ita legunt: *Transibunt ad te, & a orabunt te, & in te orabunt quia in te est Deus, &c.* Et profecto locutio illa in te est Deus, Christo propriissime accommodata, quia in Christi humanitate est diuina persona, vt exposuerunt Epiphanius contra Hæreses cap. 57 & Cyrillus lib. primo in Ioan. cap. 15. Rectè quoque dicitur de filio: *Non est Deus absque te* propter vnitatem naturæ. Et D. Hieronymus. meritò, super hunc locum scribens annotauit Christum conuenientissimè vocari *Deum absconditum*; propter assumptæ humanitatis profundissimum mysterium. Hunc vero Isaiæ locum imitatus est Paulus cum dixit, *Erât Deus in Christo mundum reconcilians sibi:* vt S. Hilar. lib. 4. de Trin. annotauit.

Idem Propheta cap. 52. ita Deum loquentem inducit: *Hæc dicit Dominus Deus: In Aegyptum descendit populus meus, in principio etiam & infra subdit: Ego ipse qui loquebar ecce adsum.* Idem ergo Deus, qui antea per Prophetas loquebatur, quem populus Israël colebat: postea per incarnationem apparuit. Vt enim intelligeretur sermonem esse de præsentia Dei per incarnationem & aduentum Messia, subdit Propheta: *Quam pulchri super montes pedes euangelizantis pacem, annunciantis bona.* Et infra: *Consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem, expandit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terra salutem Dei nostri.* Expendunt hunc locum Soter epist. prima Decretal. Chrysostr. homil. 5. in Marc. Cyrillus lib. de Incarn. vniuers. c. 2. Euseb. lib. 6. de demonstrat. c. 24. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 13.

Quatuor hæc loca ex Isaiæ à multis sufficiat adduxisse, ad alios iam Prophetas accedamus, ac primò ad Hierem. c. 23. qui ita scribit: *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus, iustus, noster,* vbi habetur nomen Tetragrammaton quod est proprium Dei: quo loco de Messia esse sermonem Hebræi ipsi consententur, vt mirandum sit valdè eorum ingenia hoc vno testimonio non conuinci; sed conuincerentur quidem, nisi aggrauatum esset cor eorum, & nisi excæcasset illud iam pridem Deus, vt verbis vtat Isaiæ 6.

Non minus apertè idem vaticinatus est Zachar. qui cap. 2. scribit: *Hæc dicit Dominus exercituum, post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos:* Et

Et infra: *Lauda & letare filia Sion* (vsque ad illud) *Dominus exercituum misit me ad te.* Vbi Deus & Dominus exercituum missus à Deo exercituum dicitur ad saluandas gentes, & congregandam ex Iudæis & Gentibus Ecclesiam. Vbi nemo non videt apertum esse de Messia sermonem; vt affirmant Hieronymus. super hunc locum, Euseb. lib. 2. de Dem. c. 2. dem. 18. lib. 5. c. 25. & Hieron. 26. lib. 6. c. 17. Ambros. 2. de fide c. 3. August. 20. de ciuitate Dei cap. vltimo. An vero Prophetia de congregatione Ecclesiæ, & vocatione gentium ad eam sit impleta, ex ipso rerum euentu, atque ex Matth. c. 28. colligi potest, vbi Christum loquentem inducit in hunc modum: *Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Ex eodem Zachar. 12. idem probatur cap. 12. *Effundam super domum David, & super habitatorem Ierusalem spiritum gratia & precum, & aspiciet ad me quem confixerunt.* Vbi verus Deus est qui loquitur, & promittit se daturum spiritum suum, & tamen dicit se esse crucifigendum, vt rectè exponit Cyprian. lib. 2. contra Iudæos cap. 30. & Euseb. lib. 8. de Dem. dem. 4. Augustin. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 30.

Quod clariùs idem Propheta vaticinatus est, cum cap. 13. scripsit: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum. Disperdam nomina idolorum de terra.* Et postea circa finem subdit: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et dicit, *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Si de re iam exhibitæ, & omnibus nota loqueretur, clariùs potuisset in medium adducere.

Tertium testimonium est Malach. 3. *Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* Quin hic dominator atque Angelus testamenti sit Christus, qui postea in templo est præsentatus, nemo ambigere potest. Dominator autem proprium nomen est veri Dei in Scripturis. Sed nimis prolixa erit disputatio, si omnia veteris testamenti testimonia velim adducere; hæc sufficiant, quæ si singula expendantur, euidenter nostram assertionem concludunt, & omnia simul expensa, ingenia quoque omnia non omnino deprauata conuincere possunt.

Quartum, & fortè efficacius testimonium desumitur ex Psalmo secundo, qui Psalmus de Christo intelligitur, tum quia Rabbini teste Galatino de Messia exponunt, tum etiam quia de Christo intelligitur Act. 4. & 13. In hoc igitur Psalmo dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ac ne putemus Messiam esse filium Dei per adoptionem, quemodò etiam Israël dicitus est primogenitus Dei; subiungit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: & apprehendite disciplinam, &c.* Vbi notà in Hebræo fonte, quem aduersarij temper requirunt esse, *נשקוני*, *Osculamini filium*, id est, in signum subiectionis osculamini manum filij aut pedem. Neque obstat quod LXX, verterint, *Apprehendite disciplinam:* illi enim ad sensum, non

Athanasius.
Esa. 45.

Epiphanius.

Cyrillus.

D. Hieron.

2. Cor. 2.

Esa. 52.

Soter.
Chrysostr.
Cyrillus.
Euseb.
Tertull.

Ierem. 23.

Esa. 6.

Zachar. 2.

Hieron.

Euseb.

Ambros.

Augustin.

Matt. 23.

Zachar. 12.

Cyprianus.

Euseb.

Augustin.

Zachar. 13.

Malach. 3.

ad verba respexerunt: tunc enim adoramus verè Christum, cum eius doctrinam recipimus.

Nota præterea in sequentibus verbis (*Ne quando irascatur Dominus*) in Hebræo non esse *Dominum*, sed referri ad filium illa verba, *Ne quando irascatur, nimirum filius*. Ex quo intelligimus vocem *Domini* à LXX. additam ad filium esse referendam, de quo etiam intelligitur necessario id quod sequitur: *Cum exarserit in breui ira eius. beati omnes qui confidunt in eo*. Hinc est iam argumentum; Messias est filius Dei adorandus ab omnibus Regibus, & quibus ille irascitur ij omnino peribunt, & qui in illo confidunt, illi beati erunt: ergo Messias est verus Deus. Nam solus verus Deus habet imperium vitæ & mortis, 1. Reg. 2. Item in scripturis passim in solo vero Deo confidendum esse dicitur, vt Hier. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine*. Et infra: *Benedictus vir qui confidit in Domino*.

Testimonia hæc tenus diuina in scriptura existentia protulimus, quibus Messias Christi diuinitas comprobatur: nunc alia quoque testimonia diuina, à Deo mirabiliter extra Scripturam exhibita adduci possent, vt nostræ fidei assertio constaret magis, & pateret illustrius, quæ partim continentur prædictionibus Sibyllarum de Christi diuinitate, partim euentibus aliquot mirabilibus, quibus historiæ produnt diuinitus sæpè fuisse approbatam Christianorum de diuinitate Christi sententiam, quæ legi possunt apud Bellar. Tom. 1. li. 1. de Christo à cap. 4. & Gregorium de Valen. Tom. 1. d. 2. q. 1. p. 1. paragr. 19. Nunc soluere oportet argumenta, quæ Iudæi contra doctrinam hucusque à nobis traditam obijciunt.

C A P V T I X.

Soluuntur obiectiones Iudæorum quibus probare conantur Christum non fuisse verum Messiam.

Objiciunt primò Iudæi. Esto, aliqua de Messia à Prophetis prædicta, in Christo adimpleta sint, alia tamen existunt, quæ illi non conueniunt, Ergo non ille fuit verus Messias. Ant. prob. Nam ex Prophetis constat futuram Messias tempore maximam in populo Hebræo felicitatem, vt constat ex Isa. 6. Ioël. 3. & Amos 9. vbi dicitur: *Ecce dies veniet dicit Dominus, & comprehendet arator messorum & calcator viti mittentem semen, & stillabunt montes dulcedinem*. Prædixerat autem paulò ante: *In die illa suscitabo sabernaculum Dauid quod cecidit: sed hæc temporibus Christi non cõtigere, ergo, &c.*

Resp.

Resp. Hebræos sensu carnis esse deceptos. Regnum siquidem Messias, & felicitas per illum promissa, non caduca & materialis intelligenda est, sed spiritualis & æterna: promissa sunt nobis per Christum ea bona, quibus non possunt esse aliqua meliora. quæque salutem veram hominibus afferunt & cunctis mortalibus æquè possunt esse communia, huiusmodi autem proprietates non possunt conuenire temporalibus bonis, sed spiritualibus & æternis. Deinde idem Messias alijs Prophetarum oraculis describitur pauper, humilis, & vir dolorum, & sciens infirmitatem. Signum est igitur abundantiam bonorum per ipsum futuram, non carnaliter sed spiritualiter intelligendam esse, vt rectè Hieronym. sæpè docet super Prophet. & August. lib. de spiritu & littera.

Obijciunt secundo, Tempore Messias prædictum ab Isa. est c. 11. *Lupos cum agnis, pardos cum hedis. leonem cum oue habituros: Habitabit lupo cum agno, inquit Propheta, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: sed hæc non euenerunt diebus Christi, ergo, &c.*

Resp. hæc & similia non sic ad litteram & in sensu proprio esse intelligenda, sed in sensu Metaphorico: sæpè enim sub metaphora materiam rerum spirituales promittuntur, vt non debeant Iudæi ipsi litteræ, quæ spirituum occidit adeo firmiter adherere.

Tertiò obijciunt In scriptura prophetica significatum est fore vt aduentus Messias sit in summa gloria & maiestate: sic autem non venit Christus, ergo, &c.

Resp. Duplicem esse Messias aduentum in scripturis prophetis prædictum vnum in humilitate ad redimendum genus humanum à peccatorum iugo & seruitute Diaboli, de quo Zachar. 9. *Ecce rex tuus venit tibi iustus, & Zachar. 9. saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae. Iste aduentus iam est impletus.*

Alterum in gloria & maiestate ad iudicandos homines in fine sæculi, de quo psalm 49. *Deus manifeste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet, &c.* Et Isa. 66. *Ecce Dominus in igne veniet & quasi turbo quadrige eius reddere in in lignatione furorem suum. Hic aduentus adhuc expectatur ad eumque pertinent ea vaticinia, quæ malitiose Iudæi opponunt de gloria Messias: Ideo igitur Iudæi errant, quia primum à secundo aduentu non fecerunt, vt egregiè ostendit Cyprianus libro de Idolorum vanitate.*

Quarto obijciunt: In scriptura etiam prædictum esse, vt aduentu Messias vehementer lætaretur Israel, quod secus accidisse in aduentu Christi compertum est.

Resp. cum D. Paulo ad Rom. 9. *Non omnes qui ex Israel sunt veros esse Israe-*

1. Reg. 2.
Ierem. 17.

Bellaami.
Greg. à Val.
lantis.

Hieron.
Augustin.
Esaie 11.

psal. 49.
Esa. 66.

Cyprian.

Isa 6.
Ioël. 3.
Amos 9.

litas, neque qui semen sunt Abrahæ, filios veros, esse Abrahæ; sed qui filij sunt promissionis, estimantur in semine, hoc est veri Israel filij. Hic Israel spiritualis omnino lætatus est Christi aduentu, quamuis non ille carnalis Iudaicus. Quæ vero de lætitia Israelis in aduentu Mesiæ prædicta sunt, de spirituali Israele intelligi debent.

Quinto opponunt etiam alia vaticinia, quibus significatur fore ut Mesiæ populum suum vi atque armis liberet, quod non fecit Christus.

Resp. ea etiam spiritualiter intelligenda esse; de vi scilicet & potentia spirituali, quæ merito & passione Mesiæ contineretur, valeretque adeo ad superandos hostes spirituales, vindicandosque homines in spiritualem libertatem à peccatis; id quod optime ostendit Io. Driedo n. 2. de captiuitate & redemptione generis humani c. 1. memb. 3. dist. 3.

Vltimo tandem obijciunt quædam loca, quibus significatum est fore, ut ad aduentum Mesiæ reedificaretur templum, quod neque per Christum factum est. Id vero præsertim colligunt ex Isa. 2. *Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Sic prædixit Isa. vnde colligunt in diebus Mesiæ Hierosolymitanum templum & montem illum, in quo fundatum erat, supra omnes montes esse altius eleuandum, vt Galatinus refert lib. 4. cap. 17. Resp. hunc locum & si quæ sint similia huic, de templo spirituali, quod est Christi Ecclesia, intelligendum esse, vt inter alios egregie ostendit Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei cap. 45.

Quædam alia obijciunt, quæ ex prædictis facile solui possunt: omnia vero inde oriuntur, quod Iudæi litteræ corticem non sensum, corpus non animam sæpè attendunt, neque duos Christi aduentus agnoscunt, quæ duæ radices sunt Iudaicæ cæcitatibus, vt bene notarunt Tertullianus in Apologetico, aduersus Gen. c. 21. Cyprianus lib. de idolorum vanitate versus finem, Irenæus lib. 4. c. 56. Origenes lib. 1. contra Celsum non longe à fine, Rabbi Samuel in epistola de aduentu Mesiæ c. 1x & x. habetur Tom. 5. Bibliothecæ.

C A P V T X.

Soluuntur obiectiones, quæ à Iudæis fieri solent, contra Mesiæ Christi diuinitatem.

Objiciunt primo Hebræi verba illa Deut. 14. *Prophetam de gente tua, & de fratribus suis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus*. Quæ de Mesiæ esse prolata testes sunt fidelissimi Petrus & Stephanus Actorum 4. & 7. Atqui verbis illis Moyses indicat Prophetam illum non esse futurum Deum, tum

tum quia dicit sibi futurum similem, atque adeo purum hominem, sicut ipse erat; tum maxime quia subdit, *Ipsam audies, vt petisti à Domino Deo tuo in monte Horeb, quando dixisti, vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ait Dominus, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis similem tui*. ergo ille Prophetæ non erat futurus Dominus Deus; nam populus petebat, ne sibi Dominus loqueretur: at Deus admittit petitionem, dicens se daturum Prophetam & per illum locuturum.

Resp. hoc loco solum dici, illum prophetam fuisse futurum hominem verum, prophetam, legislatorem, mediatorem inter homines & Deum, & ita similem Moyse, & in natura, & officio: non oportet autem vt in aliis omnibus conditionibus futurus esset omnino similis, alias nec fuisset redemptor, nec natus ex virgine, nec in similibus perfectionibus Moysen superasset.

Quod verò postea significat Deum per se populo non esse locuturum, ita intelligi debet, vt non sit locuturus eo modo quo antea, quasi per diuinitatem ipsam, & signis & prodigijs illam indicantibus, sed humana voce per humanam naturam ex eorum genere assumptam: quo non excluditur quin ille Prophetæ Deus simul futurus esset, & verus homo.

Obijciunt secundo, Turpe valde videri, vt Deus æternus homo factus sit in tēpore, in præsepio reclinatus, traditus, flagellatus, crucifixus, mortuus: quæ non solum inconuenienter & scandalosè affirmari videntur de Deo, sed videntur quoque Diuinitati repugnare, non ergo Mesiæ qui homo erat futurus, neque Christus qui fuit occisus, verè est Deus.

Ad perfectam huius obiectionis solutionem plura essent hoc loco dicenda, ex ijs quæ latè à Theologis disputari solent 3. p. q. 2. sed incongruum contra Iudæos scribimus adducerentur; quibus (si semel Scripturis credunt illud est nobiscum commune, vt spretis humanæ sapientiæ rationibus, ea, quæ in scripturis continentur, tanquam effata cælestia, atque à Deo dictata & proinde verissima venerunt.

Quare si semel, vt demonstrauius, scripturæ palam affirmant Mesiæ fore Deum & hominem, Iudæorum est, sicut Christianorum, Deo dicenti credere, quicquid ex humana philosophia obijciatur. At verò loco solutionis prolixioris prædictarum difficultatū, quæ in obiectione insinuatur, placet partem eorum, quæ elegatissime Nazianzenus scribit Oratione 3. de Theologia, sub finem referre, vt quæ maxime videantur ad hunc locum pertinere. Progenitus, inquit est Christus, &c. quæ sequitur vsque ad Infernum descendit sed animas reuehit, atque in cælos ascendit, venturusque est ad iudicandos viuos & mortuos. Quibus eloquens atque doctissimus Pater ornate admodum ostendit, quoniam pacto Christus seruator noster, cum humanitate diuinitatem, cum humilitate gloriā cum

passione triumphum, cum morte victoriam gloriose coniunxerit. Atque hæc dixisse sufficiat, circa obiectionem secundam huius difficultatis; nam Deo dante in secundo Tomo pro Iudæorum Catechismo plura de convenientia incarnationis, Mortis, ac passionis Christi dicemus.

Tertio tandem possent quædam noui testamenti loca adducere, quibus aliquando Christus minor Patre factus filius aut creatus asseritur. quæ solent ab Arianis adduci contra Christi diuinitatem: sed quia Iudæi tanto persequuntur odio nouum testamentum, ut illo neque contra nos uti uelint, ea prætermittimus, attendentes solum ad obiectionem respondere, ea & similia de Christo secundum humanitatem intelligenda esse: secundum quam est filius Mariæ Virginis minor Patre factus atque creatus in tempore, etsi concedendum absolute non sit, Christum esse creaturam ut rectè admonuit D. Thom. 3. p. quia Christus in prædicta propositione sumi solet materialiter, pro supposito: secundum quod esset falsum dicere Christus est creatura, ea autem acceptio materialis huius nominis Christus in prædicta propositione est valde conformis rationi, & Theologifere omnes docent, & præsertim D. Tho. loco citato.

D. Thom.

Ad calcem huius cap. similitudines duas aliarum quarundam vnionum retum diuersissimarum lubet annotare, quibus fiat credibile potuisse Deum naturam humanam vnire diuinæ personæ: siquidem vniones aliæ creduntur, quamquam intellectui nostro difficillimæ sint, vel propter euidenter rationem vel propter probabilem Inter omnes eiusmodi vniones, illa ex D. Thom. sententia lib. 4. contra Gent. c. 41. & Athanasij in ymbolo, & aliorum Patrum, maxime videtur rationem huius negotij credibilem facere, qua videmus animam & corpus, licet res diuersissimæ sint, sic tamen copulari atque coniungi, ut ex illis coniunctis resultet vnica substantia vnica nempe natura humana. Quare ergo sibi Iudæi persuadere non poterunt fieri posse, ut ex subsistentia seu personalitate Diuini verbi, & humana natura seu humanitate constet vna quædam substantia, quæ sit non vna natura sed vna persona, in vtraque natura, Diuina, & humana subsistens?

Ducit etiam Durandus in 3. d. 1. q. 1. similitudinem ex arborum insitione, ea enim fit ut ex duabus diuersis naturis quarum, quælibet sit completa secundum speciem, rationemque retineat suam, constituitur vnum quoddam, vnitate quantitatis: sicut per hoc mysterium ex duabus etiam perfectis naturis quarum vtraque rationem suam conseruat, existit vna persona vnitate substantiæ & perfectionis, quæ in his quæ sunt corporis expertia nominari solet quantitas virtutis seu perfectionis. Ex his duabus similitudinibus, prior certe est aptior, sed altera quoque est cõueniēs, præcipue secundum vulgarem hominum opinionem. Neutra vero est per

per omnia vnioni hypostaticæ similis, in plerisque est dispar ratio, neque vero possumus aliquid huic mysterio simile proferre, quod per omnia quadret.

CAPVT XI.

De alijs erroribus & fabulis in Thalmud Iudæorum contentis.

Post hæc tam illustria scripturarum testimonia, quibus tam luculenter aduentus Saluatoris probatur, & Iudæorum pertinacia conuincitur, aliud afferemus ad eorum confundendam cæcitatem efficacissimum argumentum: fabulæ scilicet & nugæ Thalmud ineptissimæ, in quibus veluti in speculo deprehenditur, in quam profundos errores & densissimam cæcitatem, qui diuina gratia exciderunt, de more prolabantur: cum enim adeò clara sint fabulosa ista deliramenta, ut ne obtusissimis hominum ingenijs persuadere posse videantur, Iudæi tamen sub pæna mortis ijs firmiter credere compeiluntur.

Fabulæ igitur Thalmud collectæ olim fuerunt accuratissime à N. de Sancta Maria medico in lege Moysis versatissimo, postea verò ad fidem Christi conuerso, ex quibus etiam aliquas refert Sixtus Senensis in Bibliotheca sua sancta lib. 2. fol. 199. qui auctores Thalmud, blasphemias, ridiculasque fabulas fideliter transcripserunt, addentes singulis fabulis librum, capitulum, & priora verba capituli idiomate suo hebraico expressa. Nec de his licet dubitare, cum plenæ sint Italiæ & aliarum prouinciarum Synagogæ prædictis Thalmud voluminibus.

Incipiam igitur horum portentosas fabulas ex Sixto Senense referre, ut clarius Iudæi se à Deo derelictos cognoscant, qui eos apertissimis contra lumē naturale implicari erroribus ita permisit: ex innumeris stultitijs & blasphemijs collegit aliquas non solum aduersus Christum Dominum, sed etiam aduersus Moysaicam ac naturæ legem & contra ipsam Diuinæ Celsitudinis maiestatem.

Blasphemix ex Thalmud aduersus Christum Deum nostrum.

Blasphemix, quas impij Iudæi in Christum Deum nostrum emittunt, à Deo sunt execrabiles, ut animus horreat, manusque refugiat eas scribere:

bere: proinde tantum suffecerit hic loca quedam indicasse, vbi hæc habeantur.

In primis, Quo partu Christus natus sit, & quam habuerit Matrem ac patrem: Ordine primo, tractatu nono, versu quadragesimo nono, incipiendo à verbo *Mehila*.

Quæ fuerit Christi professio, studium, & ars: Ordine quarto, tractatu quarto distinctione quinta, charta decimasextima.

Quem Deum Christus coluerit: Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione secunda charta 107.

Qua de causa & quo supplicio Iudæi Christum interfecerint: Ordine 4, tractatu quarto, distinctione sexta, charta 43.

Quo nunc loco detineatur anima Christi: Ordine tertio, tractatu sexto, charta 57.

Aduersus diuinæ Maiestatis celsitudinem.

DEUS ante mundi creationem ne otio torpesceret, exercebat se in extruendis varijs mundis quos vbi condiderat paulò post destruebat, atque iterum instaurabat, quoad hunc, quem nunc habemus mundum facere didicisset: Ordine primo, tractatu quarto, distinctione tertia.

Deus tres primas horas diei totas insumit in lectione legis Iudæicæ: Ordine secundo, tractatu primo, distinctione decima quarta.

Moyse cum aliquando ascendisset in cælum, inuenit Deum scribentem accentus in Scriptura sancta: Ordine quinto, tractatu sexto, distinctione quinta.

Deus die prima Nouilunij mensis Septembris iudicat vniuersum orbem, reliquis deinde sequentibus decem eiusdem Lunæ diebus, applicat se ad scribendos iustos in libro vitæ malos vero in libro mortis: Ordine secundo, tractatu octauo, distinctione quinta.

Deum quotidie precatones, ac orationes deuoto animo facere. Ordine primo, tractatu primo, distinctione prima.

Deum habere locum quemdam separatim in quo statutis temporibus, multis cum lachrymis deflet, ac seipsum affligit quod Iudæis iratus, templum euerterit Hierosolymitanum, & populum suum in captiuitatem disperferit: Ordine secundo, distinctione quinta, & ordine primo, & distinctione septima.

Deus quotidie imponit sibi circa caput, & brachia vittas, siue cortigillas quasdam coriaceas, Thephilin appellatas; induitque se ipsum tunica quadam linea, quæ Zizit nuncupatur, atque hoc modo ornatus procubuit in genua, & orat. Ordine secundo, tractatu octauo, distinctione quinta.

Deum

Deum præcepisse populo Iudæorum, vt singulo quoque nouilunio sacrificium expiationis peragant, ad expiandum scelus perpetratum à Deo, quâdo lumen quod iniuste à Luna ademerat Soli attribuit: Ordine quarto, tractatu sexto, distinctione prima.

Deus quoties reminiscitur calamitates, quas Iudæi à cæteris gentibus patiuntur lachrymas duas effundit in mare Oceanum, & præ dolore pectus vtraque manu contundit: Ordine primo, tractatu primo, distinctione nona.

Deus tribus postremis diei horis laxandi animi gratia Iudebat olim cum pisce quodam magnæ magnitudinis, qui leuiathan appellatur: Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quartadecima, & ordine quarto, tractatu octauo.

Deus ignota de causa indignatus pisci magno Leuiathâ ipsum occidit, carnesque eius sale condidit, vt ex his cibum ministraret animabus sanctorum in futuro sæculo: Ordine, quarto tractatu tertio, distinctione quinta.

Deum quotidie semel nasci & tunc cristæ gallorum gallinaceorum ruborem amittunt, ipsique interim vno pede stant. tunc si quis eodem momento alicui maledixerit, is statim concidet mortuus: ordine primo, tractatu primo.

Deum creasse elementum ignis in die Sabbati: Ordine secundo, tractatu tertio distinctione quarta.

Cum olim Rabbinus quidam aduersus Rabbi Eliezer, disputationem inijsset, Deus voce cælitus demissa, sententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit, quam obrem indignati Rabbinus Deum anathematis pœnâ damnarunt, tum Deus ipse subridens, Filij, inquit, mei me vicerunt. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

Cum Deus die quadam in cæli curia differeret de specie quadam lepræ, quam ipse mundam esse aiebat, cæteris dissentientibus Rabbinis, qui immundam esse affirmabant, lis tandem communi omnium assensu, deuoluta est ad sapientissimum quendam Rabbinum, qui cum sententiam proferre pararet, statim eius anima relicto corpore, vociferari cœpit Mundam mundam: Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

Tanta fuit olim in Rabbinis quodam prudentia, vt diabolum simul & Deum hoc astute eluserit. Cum Rabbinus in extremo vitæ articulo laboraret, diabolus precibus exorat, vt se iam iam moribundum ad portas vscæ que cælestis regni deducat: vt inspecto inde loco diuinæ habitationis, lætus ex hac vita decedat. hanc gratiam cum diabolus veteri amico præstitisset, Rabbinus illico intra portas cæli se conijciens, iurauit per Deum viuentem se nunquam inde recessurum, qua de causa coactus est Deus

KKKk

hominem

hominem apud se retinere, ne illum perierum faceret sicque hac vna arte prudentissimus vir Deum, ac diabolum simul fefellit.

Aduersus sanctos veteris testamenti.

Cum Angelus Gabriel graue flagitium commisisset, Deus iussit illum igneo flagello flagellari: Ordine secundo, tractatu quinto, distinctione octaua.

Adam cum omnibus animantibus tam masculis, quam feminis coiuit, neque vnquam appetitui suo satisfecit, nisi posteaquam cum Eua concubuit: Ordine tertio, tractatu primo, distinctione sexta.

Coruus emissus à Noe tempore deluuij, nolebat ex arca discedere, timebat enim ne post discessum suum Noe cum cornice vxore sua coiret: Ordine quarto, tractatu quarto.

Iob nunquam fuisse inhumanis, & historiã eius esse confictam: Ordine quarto, tractatu tertio.

Dauid in adulterio, & homicidio non peccauit; & quicumque eum in his peccasse crediderit, hæreticus est: Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quinta.

Aduersus legem Moyfis.

Quod licitum sit cum propria vxore masculino concubitu vti: quare cum duæ mulieres essent de hac re apud Synagogam conquestæ; respõderunt Rabbinii virum esse vxoris dominum, proinde posse eum vti corpore vxoris suæ, vt cunque voluerit, nõ aliter, quam ille qui piscem emit: is enim tam anterioribus, quam posterioribus piscis eius partibus ad arbitrium vesci potest: Ordine tertio, tractatu tertio, distinctione secunda, & charta vigesima, facie secunda.

Si quis aut filiam suam, aut sororem suam sibi matrimonio iunxerit, is rem Deo facit gratissimam: Ordine secundo, tractatu primo.

Rabbinum, qui nõ oderit hostem suum vsque ad mortem & qui vindictam aduersus eum non quæserit, indignum esse nomine Rabbinii: Ordine quinto, tractatu primo, distinctione secunda.

Grauius plectendos esse eos, qui contradicunt verbis Scribarum, quam verbis Mosaicæ legis, quibus qui contradixerit, absolui potest, qui vero verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur: Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione decima.

Si testes de falsitate conuicti fuerint, puniri debent pœna talionis: quod si contigerit iniuste accusatum fuisse damnatum, & ita pœna affectum: tunc falsi testes absolui debent, & nulla pœna puniri: Ordine quarto, tractatu quarto.

Si

Si quem maior pars iudicum ad mortem damnauerit, is mori debet: si vero omnes nullo excepto, in eius damnationem consenserint, absoluetur: Ordine quarto, charta decima septima.

Si quis marsupium loco publico inuenerit, sciueritque eius dominum iam de inuentione marsupij desperasse, non teneatur ad restitutionem marsupij: Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione quinta.

Alia hæreses, & superstitiones.

Animas hominum migrare de corpore in corpus hac lege, vt si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum, in quo si iterum peccat, mittitur in tertium corpus, in quo si peccare non desistat, denique in gehennam derruditur: Ordine 4. tractatu secundo, & pluribus alijs locis.

Animam Abelis migrasse in Seth, animam vero seth in Moysem. ibid.

Animæ indoctorum hominum in resurrectione non recipient corpora sua: Ordine tertio, tractatu secundo, charta tertia.

Rabbinii duo singula quaque hebdomada pridie Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant: Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione secunda, charta 65.

Quicumque ter in Sabbato comederit vitam æternam consequetur in alio sæculo: Ordine secundo, tractatu primo, distinctione sexta.

Nihil comedi debet numero pari sed impari: hoc enim numero maxime delectatur Deus: Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

Si quis orauerit facie ad meridiem conuersa, sapientiam consequetur: ad septentrionem vero diuitias: Ordine quarto, tractatu tertio, distinctione 2 charta 25.

Si quis sub ventre Cameli, aut inter duos Camelos, aut inter duas mulieres pertransierit, nihil vnquam ex Thalmud poterit ediscere: Ordine quarto, tractatu decimo, distinctione secunda.

Si quis negauerit libros Thalmudicos, in quibus scripta continentur predicta sanctissima præcepta, Deum ipsum negat. Præfatione totius Thalmud.

DE CONVERSIONE
OMNIVM GENTIVM
PROCVRANDA.
LIBRI IX. PARS II.
CAPVT I.

De ratione agendi cum Iudæis & iuuandi illos.

*Iudæis blandi-
dijs ad fidẽ
orthodoxam
reducendi.*



VI muneris conuersionis infidelium incumbunt, maximè stu-
dere debent, vt alieni à Christiana Religione ad eam blandi-
mentis, non asperitatibus adducantur: quod præcipuè est ob-
seruandum cum Iudæis, teste D. Gregorio, qui potius auctori-
tatibus, rationibus & blandimentis quàm rigore, ad fidem Christianam
recipiendam prouocari debent. Quare in Euangelio eis annunciando, di-
uinarum scripturarum, præsertim veteris testamenti, testimonijs vtendum
est: confundendi enim expugnandiq; Iudæos nulla est alia ratio, nulla
via, nisi ex scripturis ipsorum Iesus Christus demonstretur: in quo omnia
à lege, & Prophetis prædicta penitus expleta sint, vt amentia & furoris sit,
alium, in quo illa fiant, præstolari. Incubuit in id studij vehementer Pau-
lus, egregius Christi prædicator, cuius indefessam in hoc Iudæis probandi
operam, cum alias sæpè, tum apud Thessalonicenses maximè actus Apo-
stolici commendant. Cum perambulassent, inquit, Amphipolim, & Apolloniam,
venerunt Thessaloniam, vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem au-
tem Paulus introiit ad eos, & per sabbata tria disserabat eis de scripturis; adaperiens,
& insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est Iesus
Christus, quem ego annuntio vobis. Cui præceptoris optimi industriæ par nobi-
lium auditorum cura respondit. Nam nobiliores, inquit, eorum qui sunt
Thessalonice susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutan-
tes scripturas, si hæc ita se haberent. Quo tempore eloquentissimi, ac scri-
pturarum potentissimi fratris Apollinis in Euangelico negotio promo-
uendo, & Iudaica perueritate confutanda extitit mirabilis vis. Iudæum, in-
quit, quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, po-
nens in scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & seruens spiritu loquebatur, & do-
cebat

*Vtendum cõ-
tra Iudæos
veteris testa-
menti testi-
monijs.*

Act. 17.

Act. 18.

cebat diligenter ea qua sunt Iesu. Ac mox: Qui cum venisset (in Achaia) contulit
multū his qui crediderant, vehementer enim Iudæos reuincebat, publicè ostendens per
Scripturas esse Christum Iesum. Hoc Apostolorum studium imitati in conci-
liandis fidei Christianæ Iudæis, vel si spontè insanire mallet, obstruendis
ac pudesaciendis, posteriores nonnulli, non verbo solū, sed literis etiam
egerunt: vt Christus in vtroque testamento pariter ostenderetur. Extat
præclara, ac prolixa disputatio Iustini Martyris cum Tryphone principe
Synagoga. Extant libri sancti etiam Martyris Cypriani ad Quirinum ad-
uersus Iudæos, in quibus breuiter certis capitibus Scripturas vtriusque
testamenti congruentes adhibet.

Sed quid immoramur Apostolorum siue aliorum Patrum exemplis,
cum Christus ipse sæpè fidem suam ex veteris scripturæ documentis asse-
ruerit, confirmarit, astruxerit: idque iam cum impijs & infidelibus agens,
iam cum suis mitioribus quidem, & ad discendum bene paratis, sed tamè
crasis adhuc, & parum ingenio promptis? At Iudæis quidè tum Moysen
suum obijcit, quem aut oscitanter legerent, aut infideliter acciperent:
propterea scrutari iubet Scripturas, quoniam ipse de illo testimonium
perhiberet, & Dauidem opponit de Christo canentem: Dixit Dominus Do-
mino meo, sede à dextris meis. Et cum accepisset Esaia volumen, ac locū fortè
aperuisset ex capite sexagesimo primo, in auribus illorum tunc esse pro-
phetiam impletam docuit, quod ipse ille esset quem Spiritus Domini vn-
xisset, atque ad Euangelizandum pauperibus misisset, vt sanaret contritos
corde, vt prædicaret redemptionem captiuis, & cæcis visum largiretur, &
contractos dimitteret liberos, & tempus salutare Deoque gratum annū-
tiaret hominibus: quæ omnia sanè ille egregiè præstabat; vt ipsa rei veri-
tate eiuicti testimonium redderent vel ij homines, qui mox præcipitem
ipsum acturi fuerant. Iam verò Discipulos quàm frequenter, quàm dilu-
cidè Scripturarum admonet, atque in iis præsertim quæ ab illorū & sen-
sū & studio maximè aliena intelligebat, hoc est, de passione sua & mor-
te, opprobrio crucis.

Ac denique videre est, in omni fere concione aut collatione Apostolo-
rum, Christi Euangelium testamenti veteris prædictionibus comproba-
tum: Huic, inquit Petrus, omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem
peccatorum recipere per nomen eius. Idem aliàs quoque: Deus autem qui prænun-
ciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit. Et infra: &
omnes Propheta à Samuel & deinceps qui locuti sunt, annuntiauerunt dies istos. Si-
militer Stephanus: Et occiderunt eos, qui prænucciabant de aduentu iusti, cuius vos
nunc proditores & homicida fuistis. Eodem modo Paulus ad Antiochenos:
Qui enim habitabant, inquit, Hierusalem & principes eius hunc ignorantes, & voces
Prophetarum quæ per omne Sabbatum leguntur iudicantes impleuerunt, &c. Cumq;

*Psal. 109.
Esa. 61.*

*Act. 10.
Act. 3.*

*Ibid.
Act. 7.*

*Act. 15.
Act. 27.*

consummasset omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento. Et Romæ in vinculis positus: Exponebat, inquit, testificans regnum Dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi & Prophetis à mane vsque ad vesperam. Atque ad Romanos scribens, segregatus in Euangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis. Immensum erit huius argumenti percurrere singula.

*Quæ cum ita se habeant, facile est Iudaicæ cæcitatæ causas pernoscere, quibus cum nihil magis in manibus sit, nihil frequentius in ore, quàm scriptura diuina, nihil est tamen obscurius atque infructuosius. Quin potius noxium & exitiale illorum redditum est, quod est vnicè ad salutem ipsorum diuinitus institutum, ita vaticinante Spiritu Sancto: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Verè enim ex mensa celestis Scripturæ, qua pasci & ali debuerant, scandalum potius & laqueum & dignam iræ retributionem accipiunt: quod oculi illorum clausi sint, & dorsum in terram incuruum, vt æterna & cælestia videre non possint, terrenis his infimisque affixi, dum in spiritali lege nil nisi carnale cogitant, nil nisi animale vel desiderant vel expectant. Propterea Esaias audiuit, *Claude oculos populi huius, & aures eius obrura, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Vident diuinos codices, & legunt, atque audiunt, sed in ijs ipsis cæci sunt, & furdi ac trunci. Ipsi enim oculos tuos compresserunt. Nam quod illa dixerit Esaias, propterea quod Christum repellentes, quæ de Christi excellentia Prophetæ docent, Iudæi intelligere nõ possint, apertè Ioannes indicat, cum recitato illo testimonio adiungit: *Hac dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Itaque accidit ijs quod ab eodem Propheta alibi scriptum est: Quoniam miscuit vobis Dominus Spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas & Principes vestros, qui vident visiones, operiet. Quo pacto verò oculos perfidorum claudat, & operiat maiores natu ac magistros, docet consequenter: *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent; Lege istum, & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, lege, & respondebit, nescio literas. Ita declarat sacram Scripturam non esse quidè ab illis auferendam (quos Ecclesiæ Scriuarios esse oportere præclare Augustinus dixit) sed tamen ita clausam, & illibatam futuram, vt æque & literas scienti & ignorantæ ex vsu sit.*****

In diuinæ verò Scripturæ sensu hauriendo 70. Interpretum versio amplectenda est, ac deinde versio Chaldaica à Ionatha edita, in his potissimum locis, in quibus non fuit corrupta, obseruanda. Deinde veterum Rabbinoꝝ argumenta illa, quæ ad Iudæos confutandos facere possunt, in medium producenda sunt: quæ ex Galatino, Porcetto, & aliis facili negotio poterunt

poterunt erui. Ac denique diuinæ Scripturæ interpretatio iuxta litteralem sensum, ex variis priscorum Sanctorum Patrum, & posteriorum Doctorum opusculis, aduersus Iudæorum errores, & impietatem conscriptis, quorum mentionem fecimus in principio, petenda est.

Sed quoniam aliquando, (vt optimè aduertit Possseuin. primo tomo Possseuin. Bibliothecæ lib. 9. cap. 4.) citantur Rabbini, quorum scripta antiqua, Christianæque Religioni fauentia, Iudæi recentiores penitus de medio tollere conati sunt: ne scilicet ad eorum fontes accedere possimus, sicut de libris Rabbini Haccados, qui temporibus Antonini vixit: aut iste Iudæorum dolus præmonendus est, aut certiores Rabbini, quorum scripta, vel saltem certa vestigia adhuc extant, afferendi sunt; ne Iudæi, si petant ostendi libros, ex quibus hæc argumenta desumuntur, & non habeantur, dicant à Christianis esse confictos: id etiam obseruandum est, ne quid Hebraice exprimatur, quod recte aut apposite non pronuncietur, cuiusque significatio non desumatur ex authoribus, & linguæ Sanctæ peritissimis: tractanda enim est Euangelica veritas Euangelice, hoc est, cum summa veritate & dignitate.

*Verum non sufficiunt prædicta, nisi causæ ac impedimenta omnia quæ eos cæcitate detinent, tollantur: inter impedimenta autem ea potissima sunt, lectio & retentio librorum impiorum, nefariorum, & damnatorum, in quibus passim aut delitescunt aut cernuntur (præcipuè in Thalmud & aliis Rabbinoꝝ scriptis) blasphemie in Deum & Sanctos, calumniæ & contumelie in Deum & Sanctos, obscuratio Euangelioꝝ, errores contra legem naturæ, corruptelæ: & deprauationes diuinarum scripturarum: qui ob graues hæreses, errores, superstitiones, delirameta, atque horrendas blasphemias contra legem diuinam & fidem Catholicam sæpe ac diuersis temporibus damnati, prohibiti, ac publice concremati sunt, tum à magno Iustiniano Imperatore, vt habetur in Nouell. 146. de Hebræis §. Quæ verò: tum à Greg. Papa IX. quem referens in Bulla ad Regem Franciæ, quæ incipit (*Impia Iudæorum perfidia*) secutus est Innocentius Papa IV. alijque summi Pontif. Clemens Papa Quartus in suis literis incipientibus (*Damnabili perfidia Iudæorum*) Honorius IV. Ioannes XXII. Iulius III. Paulus IV. Pius V. Greg. XIII. quorum Bullæ siue rescripta de hac re habentur apud Directorium inquisitorum, & similiter Edictum S. R. E. Cardinalium Generalium inquisitorum, qui non modo in Vrbe, & dominio Ecclesiastico, sed etiam in tota Italia eosdem libros perquiri & flammis tradiderunt, & qui deprehensi fuissent tales libros habere, penas pecuniales, & publicationem bonorum, & contumaces etiam vltimum supplicium incurrere decreuerunt, illorumque expurgationes seuerè prohibuerunt.*

Ac denique nouissimè D.N. Clemens papa VIII. valde apposite & oportune prouidit edita Bulla cōtra impia & scripta, & errores Hebræorum, quæ incipit, *Cum Hebræorum malitia*: anno 1592. vbi inhærens prædictorum Summorum Pontificum vestigijs, renouansque eorum decreta, & insuper sequentibus verbis circa prædictos libros suam mentem declarat.

Clementis
P. II. Bulla
contra Iu-
deorum
Thalmud, &
Cabalistas.

Omniibus (ait) & quibuscunque vniuersitatibus Hebræorum, eorumque singulis tam in temporalis S. R. E. ditione, quam etiam extra eam vbiuis locorum, & in quibuslibet orbis Christiani partibus constitutus perpetuo prohibemus, ne quosuis libros & codices impios Thalmudicos sepe damnatos, vanissimos, Cabalisticos, atque alios nefarios, à prædecessoribus nostris prohibitos & condemnatos, nec non opera commentaria, tractatus, volumina, & scripta quæcunque tam lingua Hebraica quam quavis alia hætenus conscripta, aut versa edita, & impressa, ac in posterum conscribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia seu continentes tacite, vel expresse, hæreses vel errores, contra sacras veteris testamenti scripturas, nec non contumelias, impietates, blasphemias, contra Deum, sanctissimam Trinitatem, & Saluatorem nostrum Dominum Iesum Christum, eiusque Sanctam, Christianam fidem, ac Beatiss. semper Virginem eius genitricem Mariam, & Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos Dei, Sacratiss. Crucem, Sacramenta nouæ legi, sacras Imagines, & Sanctam Catholicam Ecclesiam, & sedem Apostolicam, ac contra Christi fideles, præsertim Episcopos, Sacerdotes, & alias Ecclesiasticas personas, atque etiam contra nuper ad eandem Christi fidem conuersos, ac Neophytos, & alias contra Religionem Catholicam: vel in quibus etiam impudica, & obscena narrationes memorantur, etiam sub prætextu quod expurgata fuerint: vel donec expurgentur, siue quod de nouo typis excusa fuerint, matatis nominibus, vel etiam sub obtentu, seu tolerantia aut permissione (vt pretendunt) Secretarij, aut cuiusuis personæ sacri Concilij Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per recolens Memoria Pium Papam IV. prædecessorem nostrum editi, vel cuiusuis indulti apostolici, aut licentiæ per S. R. E. Cardinales etiam legatos, aut Camerarium, seu Cameram Apostolicam, vel nuntios etiam cum potestate Legati delatere, aut locorum ordinarios seu inquisitores hæreticæ prauitatis forsam quomodolibet concessa, aut quouis alio quæsito colore legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut euulgare ullo modo audeant, vel præsumant. Hætenus Clemens PP. VIII.

Quare cum experimento, & collatione similium librorum comperit fit, omnes ferè Rabbinorum commentarios ac libros vt plurimū prauā ac perniciosam doctrinam contra legem diuinam ex voluminibus Thalmudicis originaliter traditam & depromptam continere ideo grauissimi ac sapientissimi viri, ac sanctæ fidei Christianæ zelatores, censabant Iudejs tollendos esse non solum libros Thalmudicos, verum etiā quoscuque alios Rabbinorum commentarios, vel vt ab illorum errorum fontibus

fontibus fædissimis deriuatos, sed tantum eis sacræ scripturæ libros veteris testamenti esse permittendos, quia ab illis Hebræorum impijs tractatibus sensus diuinæ scripturæ oraculaque Prophetarum peruertuntur, summa cum diuinæ maiestatis iniuria. Deinde nomen Christi Domini B. Virginis Mariæ eius Matris, atque totius Ecclesiæ, pro qua sanguinem fudit, passim blasphemantur magno Christianorum dedecore, ac hereticis arma suppeditantur à Iudæis, vnde hæreses defendantur. Ac denique similibus libris dcentur Iudæi Christum Dominum, & Christianos omnes oppugnare, fraudesque suas & dolos transmittunt ad posteros. Quare per Dominos Cardinales Inquisitores tempore Iulij III. & deinde etiā in congregatione reuisionis librorum Hebraicorum sub Gregor. P. P. XIIII. anno 1576. sancitum, fuit ac denique Clemens PP. VIII. decreuit in Congregatione sanctæ Inquisitionis, vt Iudæis sola scriptura relinqueretur, super quo deinde visum est superfederi edita Bulla supra citata, contra impia scripta & libros Hebræorum, ex quibus liquet quam falsa sit Petri Galatini lib. 1. de arcanis Catholicæ veritatis c. 7. sententia, qui conatur ostendere Thalmud Iudæorum à Christianis recipi debere, & in Latinum sermonem conuerti, & publice in Christianorum scholis explicari. Hætenus quoad impedimenta conuersionis.

Ea vero quæ iuuare eorum conuersionem possunt, sunt hæc præcipuè: primo vt placide ac benigne hortentur, & peccata eorum conuersionem impediencia cum communicatione ipsis aperiantur, ostendendo quàm grauia sint, vt eorum pæniteat ipsos, non vt ira accendatur, aut Christianis odio habeantur, quin potius monendi sunt, vt charitate & virtutum exemplis eos ad conuersionem prouocent, ipsis autem correptio placida & facilis sufficiat.

Principes Christiani tam Ecclesiastici quam sæculares, ad insinuandam tum cum ijs, tum etiam cum alijs infidelibus Christianam benignitatem eos grauibus inquisitionibus, aut vectigalibus non premant, sed potius aliquid ipsis remittant; nam ad fidem inuitari possunt immunitione tribui, aut onerum ciuiliū aut publicorum immunitate, & pensionum promissione, exemplo sancti Gregorij Papæ, qui Iudæis qui in suis possessionibus patrimonij Siciliae erant, promissit se ijs, qui ad verum Dominum nostrum Iesum Christum se conuertere voluissent, onus pensionum eorum aliqua ex parte imminutum. Quod ita, inquit, fieri volo, vt si quis ex ijs conuersus fuerit, si solidi pensionem habet, &c. & taxat portionem imminutionis oneris.

Generaliter vero tam Iudæi quam Saraceni siue alij infideles ad fidem conuersi, eo quod infideles fuerint iniurijs, afficiendi non sunt: ne ceteri infideles videntes eos affici contumeliji, aut non honorari, sicut ceteri

Auxilium
& consilium
proconuer-
sione Iudæo-
rum.

Christiani, deterreantur à conuersione ad fidem, vt optime commendatur in Rituali Romano nouissime à Cardinali de Sancta Seuerina edito, in tractatu de Neophytis instruendis his verbis: *Parochi commendent eos, scilicet Neophytos, alijs Christianis, vt benigne, humaniter, & cum omni charitate cum eis agant, habeantque eos vt fratres in Christo non autem eurent, vilipendant, aut contemnant, quod ex infidelibus nati sint, imo maiori amore eos diligant, quod relicta infidelitate Christianam religionem amplexati sint, nec propter novam fidei susceptionem inter huiusmodi nouiter conuersos ad fidem, & alios Christianos antiquos discrimen faciant, nec verbo aut facto contumelijs afficiant, nec affici permittant, sed pro viribus contradicant, & pro eis se opponant ac prohibeant, & eos omni charitate prosequantur, & demonstrent sine personarum acceptione, omnes Christianos Catholicos vnum esse corpus in Christo, in quo, sicut dicit Apostolus, neque circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides qua per charitatem operatur. Et iterum: Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamē corpus sunt: ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vno corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Ac rursus: Vnum corpus est vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestre, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia & in omnibus nobis.*

Cum autem Christus se ijs communicauerit, & nos ipsis nostra communicare debemus, & quos Dominus noster per lavacrum regenerationis suo sanguine mundare, & sanctificare dignatus est, iniquum profecto est, vt si in aliquo culpabiles non inueniantur, nec nisi ratione originis suspecti sunt, antiqui Christiani eos vt immundos & indignos, ab officijs, hominibus, dignitatibus, & priuilegijs, quibus alij Christiani vtuntur, & gaudent, arceant, & matrimonia cum ijs contrahere nolint, & huiusmodi alia in illos faciant, quæ alios Infideles à conuersione plerumque auertunt, & ipsos Neophytos contristant. Adeo vt imbecilles & debiles in fide, quandoque cum se despectos vident, intrinsecus pœniteat, quod fidem Christianam susceperint, non sine magno animarum detrimento & Christianæ Religionis contumelia.

Quare publice, & priuatim non modo Parochi, sed etiam Episcopi & Prælati seuerè arguant eos qui novos Christianos sic despiciunt, contemnant, contumelijs afficiunt, & pristinam ijs conditionem exprobrant, vocando eos Iudæos, Turcas, Maranos, Regeneratos. Quos etiam pro grauitate facti coerceant, at puniant, aut puniendos curent; præcipue autem in Iudæos aut alios Infideles animaduertendum est, qui in sua cæcitate permanentes, Neophytos, qui relictis cæcitatibus erroribus, in fidei Christianæ lucem venerunt, audent contumelijs afficere, quacunquē lingua Apollatas & perditos homines eos vocantes.

Deinde

Deinde, vt aduertit Antonius Possëuinus, vrgendi sunt Hebræi exemplo plurimorum Patrum, qui ex Iudæis conuersi magnos progressus in Ecclesia fecerunt, vt eorum ingenia, doctrinam, sanctitatem imitentur ac Deo vocanti manus dent. Facile vero docenti fuerit petere ex Ecclesiasticis historijs quæ ad hanc rem faciant: cum præter multos Apostolicos viros, qui à Iudaismo conuersi diuinum fidei negotium vsque ad sanguinem propagarunt; quindecim fuerint Hierosolymitani Archiepiscopi, qui continue eam administrarunt Ecclesiam, plures Episcoporum decades passim, vt Christiana crescebat res: Sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, per plures doctissimi Rabbini, Linus, Euaristus, Theodorus. Pontifices Maximi, quique sanctissime vitam egerunt (ac fere nostris faculis) præter alios Paulus Burgenis, primo Carthaginensis, mox Burgenis Episcopus, idemque Castellæ, & Leonis Regis summus Cancellarius: Theologi vero ac Religiosi, & Religiosorum Generales Præpositi, quorum maxima laus hoc tempore fuit in Ecclesia. Hactenus Possëuinus.

Præterea ne Iudæi, & alij infideles propter amissionem bonorum suorum à fide suscipienda retrahantur, sed facilius conuertantur ad eam, notum fiat eis, quod venientes ad fidem omnia bona sua mobilia, etiam male & vsuris acquisita retinebunt, non tamen quæ certis personis restitui debent: quodque si filij familias fuerint, à parentibus vel alijs consanguineis successione legitima, vel aliqua eis debita portione, paternorum vel maternorum bonorum, priuari aut fraudari non poterunt, nec vllum testamentum aliæ vltimæ voluntas, neque vlla inter viuos, vel causa mortis donatio, vel alia alienatio facta in fraudem, obstare valeant; prout alias obseruatum & constitutum est. Ac nouissime Paulus P.P. 111. etiam ampliando quoad legitimam, & bona inter viuos, atque ad retentionem ex vsuris acquiritorum, perpetua sua constitutione sanciuit. Eadem etiam Bulla Pauli 111. quæ prodit anno 1542, iubetur, vt ciuitate, priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, sicut & alij gaudeant Iudæi, quandoquidem per gratiam baptismi conciuies sanctorum, & domestici Dei efficiantur.

Illud etiam valde expedire certum est ad Iudæorum & aliorum infidelium conuersionem facile procurandam, vt libelli de eorum erroribus, vel etiam aliquis ex prædictis, maxime epistola illa Rabbi Samuelis, ipsorum lingua conscriberentur, & ederentur; & editos Episcopi & Prælati, siue alij ad quos spectat de eorum salute tractare, Iudæis traderent & erogarent.

Denique quid agendum sit, & quomodo instruendi Iudæi ad fidem conuersi, ne ad vomitum reuertantur, dicemus late 2. Tomo, cum de Catechismo conuersorum ad fidem, deque instruendis Neophytis dixerimus.

C A P V T I I I.

In quibus casibus fit interdicta Christianis communitio cum Iudeis, & contra.

Iudeorum conversio illi sita est Christianis in generali quidem, quia cum aliis fideliis in eam familiarem conversationem, & in speciali iudaeorum casibus prohibentur Christiani communicare cum Iudeis: qui colliguntur ex c. nullus & c. omnes. & q. 1.

Primo interdictum Christianis habitare simul cum Iudeis: secundo ad eorum communia accedere: vel eos ad iocunda invitare: aut vna cum eis cibum comperire: autem interdictum est peccatum comedere cum eis, quando iudaei inter se iudicium ob hoc discernunt, nisi sit in extrema necessitate, ita Armilla verborum: & colligitur ex c. de c. omnes. Et clericus contra faciens debet deponi, & excommunicari: c. nullus nisi in extrema necessitate, & cum comedere non ut azyma sed materialiter ut panis sefi. Nec solum Christianis prohibitum est ad eorum epulas accedere, sed etiam ad eorum nuptias, dies festos, Synagogas frequentare: & cum eis ludere: & quod de re habilius est dicitur azyra. Tertio prohibetur Christianis simul cum Iudeis in bathraum intrare, & in eo se lavare: quarto vocare eos ad curandas suas infirmitates: quinto medicinas ab eis recipere, quod intelligendum est ex more Iudeorum, & aliorum, de medicinis donatis, & vltimo accipere, quae plurimum valent ad conciliandam familiaritatem, non tantum de his quae pretio emuntur: sed et interdictum Christianis filios in domibus Iudeorum nutrire: septimo Iudeis sanularum praestare, hoc est servare eis ut famuli quod non solum intelligitur intra domum Iudeorum, sed etiam extra illorum domos assidue non potuerunt eis servare, cum textus non faciat mentionem de domo, quia servando eis extra domum assidue, non solum est cum eis contrahere familiaritatem. Poterunt tamen in illis casibus, in quibus non contrahunt praedictam familiaritatem, ut colere agros eorum, & huiusmodi alia, ut colligitur ex c. nullus de iudeis, quod minus praestare debet ut collatis non ut servus: octavo famularum vnicuique sibi: non eius publicis officijs funguntur Christianos: vltimo vestire eorum azyris.

Primo interdictum a c. nullus & c. dicitur: Si vero quisquam illi fuerit, si fuerit clericus deponatur, si laicus excommunicatur: quae poenitentiae nisi graues ob causas, & grauem culpam in iure solent imponi. Quare magis graues grauius poenitentiae, nisi ex causa, ob leuitatem impenitentiae. Praeterea

haec Christianis interdicitur, ob periculum perfidiae, quod imminet ex assidua familiaritate cum Iudeis: & similiter prohibentur ad dignitatem fidelium seruandam, contra quae fieret, si Iudeis permitterentur officia publica, vel azyma eorum Christiani comederent, vel ad illorum conuiuia accederent: ipsis enim tanquam diuina profitentibus, nostra abominantibus, Christiani quasi profani & inferiores se exhiberent, illis tantum deferendo. Versantibus igitur tam in periculo perfidiae quam despectu Religionis nostrae sine rationabili causa. (inquit Cas. in Summa, verbo Iudeus) erit mortale: si vero non sit periculum subuersionis, & sit rationabilis causa, nullum esse peccatum existimat Armilla verbo Iudeus numero 3.

Ex dictis colligitur non esse interdictum aliquo iure Christianis emere, vel vendere aliquid Iudeis, sicut nec cum eis colloqui: ita colligit Abbas, & Summistę ex c. Cum miserabilem, de Iudeis. Sed, an Christianus tuta conscientia vendat agnum Iudeo, cum scit emere ad eum finem, ut eum riru Iudaico in Paschate sacrificet, diximus supra cum de communicatione in genere cum infidelibus ageremus.

Vltimo scire oportet, Praedicatoribus Sancti Euangelij ex ordine nostro agentibus in terris infidelium ex privilegio S. D. N. Clementis Papae VIII. fuisse concessum posse cum Iudeis ceterisque infidelibus conuersari verbo officio, & cibo: imo id fuisse iure concessum omnibus Sacerdotibus, qui causa praedicationis versantur inter eos, ex iure canonico stabilitum inuenimus.

Alia etiam in iure prohibita sunt Christianis in fauorem Iudeorum: qualia sunt, ne Iudei cogantur ad fidem, nec eorum pueri inuitis parentibus baptizentur, ne offendant eos in personis, nec in rebus, sine interuentu iudicis, ne impediant eos in suis obseruantis, dummodo nihil faciant in opprobrium nostrae fidei non exigant ab eis coacta seruitia, ne inuadant eorum Cameteria, nec exhument corpora eorum, ne die Sabbato trahantur ad iudicium, de quibus late Summistę verbo Iudeus.

C A P V T I I I.

Quenam Iudeis, Christianis Principibus subiectis, prohibita sint.

VT omnis occasio tollatur Iudeis Christianis se adfungendi, atque cum eis (quibus tam stricte in iure communio est prohibita) consuetudine

nem & familiaritatem contrahendi, inprimis in c. nullus de Iudeis precipitur, vt hi in omni Prouincia Christianorum in omni tempore (videlicet interdiu & nocte) publice signum portet in habitu, quo ab alijs Christianis populis distinguantur. Secundo, Ne officio publico fungantur inter Christianos. Tertio, Nouas Synagogas ne instituant & extruant; permittitur tamē eis antiquas retinere, easque reficere, dummodo solū in pristinum statum restituant, non tamen maiores ac magnificentiores redant. Quarto, Prohibentur ostia, & fenestras tribus diebus ante Pascha apertas habere, imò tota die clausas tenere coguntur, ne eo die in contumeliam Christi Domini & Redemptoris nostri, Christianos irrideant. Quinto, Non licet Iudæo Christianum seruum habere: quare seruus Iudæi etiam vernaculus ex eius ancilla natus Christianus effectus, statim fit liber nullo pretio soluto. Imò cum primum innotuerit seruum Iudæi fieri velle Christianum, statim ac cognitum fuerit eius propositum, fit liber nullo pretio dato. Sexto, Ne testimonium dicant contra Christianū, nec possint conuenire Christianum ante Iudicem Iudæum. Septimo, Iudæi, aut pagani, si furore perciti in violentem fieri Christianum irruerint, flammis traduntur concremandi, secundum legem Constantini. Alia verò que prohibentur Iudæis circa vsurarum exactiōe, videnda sunt apud Summistas verbo Vsuræ Illud hic obiter notandum est, Iudæo ad Christum sese transferenti, licet Ecclesia non possit remittere obligationem restituendi vsuras, si certę & notæ sint personę, quibus faciendā est restitutio: quando vero sunt incertę, iure potest Ecclesia remittere, vt ex huiusmodi remissione facilior ad Christum Iudæorum conuersio reddatur.

CAPVT IV.

Casus in quibus Iudæos aliosque infideles delinquentes Iudices Ecclesiastici punire possunt.

Quando verò Ecclesiastici Iudices, & Apostolici Inquisitores contra Iudæos grauitur delinquentes possint prouidere, constabit aperte ex Constitutione Pontificia Greg. XIII. quę incipit: *Antiqua Iudæorum, &c.* Quare placuit hic casus in specie referre, vt clarius constet agentibus inter Iudæos, quibus in rebus grauisime delinquant.

Statuimus, inquit Pōtifex, inquisitores hereticę prauitatis libere posse pro-

procedere in omnibus causis & casibus qui sequuntur:

Si quis Iudæus aut infidelis in ijs, quę circa fidem cum illis sunt communia, veluti vnum Deum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium & inuisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit vel priuatim alicui insinauerit.

Si dæmones inuocauerit, consuluerit aut eorum responsa acceperit, ad illos ve sacrificia, aut preces, ob diuinationem, aut aliā causam, direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusve rei fumigationes obtulerit, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterit.

Si Christianos verbo, vel facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefariē huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda adduxerit, aut adducere attentauerit.

Si saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel peccatorem fuisse, matremve Dei nō esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quę per se hereticę dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum aut corruptionem impiē protulerit.

Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore, aliquis Christianus à fide descuerit, quamq; semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudæorum vel infidelium ritus, caremonias, superstitiones, vel impias sectas transferit, vel redierit, seu in heresim aliquam inciderit, aut qui vt Christi fidem abneget, seu in heresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocunq; præstiterit.

Si quis Catechumenum, vel quemcunq; ex Iudæis, aut infidelibus Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, à fide, vel fidei instructione, aut à sacri Baptismi susceptione retraxerit, auerterit, vel dehortatus sit, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.

Si quis Apostatas, Hereticosve scienter domi suę receptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicunq; præbuerit, aut dona vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum eos deduxerit, vel associauerit, vel deducēdos aut associandos iurauerit, aut sumptus ministrauerit, duces comitesve illis adiunxerit, vel ne ab eis pertrata deprehendi, aut inuestigari queant fecerit, quique dictos Apostatas aut Hereticos scienter occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.

Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcunque loca tulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit.


Si Christianos deriserit, redemptionisq; hostiam salutarem in ar-

crucis immolatam Christum Dominum ludibrio & despectui habens: quandoque, maxime vero in sacro Parasceues die agnum. siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamque conspuerit, siue quid aliud contra ipsam fecerit.

Si nutrices Christianas, contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Rom. Pontificum prædecessorum nostrorum sanctiones, adhuc retinuerit, aut eas retinens die qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserit, lac vno vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit.

Et subiungitur: In quibus casibus vniuersis & singulis omnes inquisitores, omnium regnorum, ciuitatum, prouinciarum, dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani contra Iudæos & infideles quoscunque diligenter inquirent, & procedant: & quos culpabiles deprehenderit, in eos pro culpæ modo, & pro criminum numero, multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagella, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicaciones, exilia & alia atrociora decernant. Hactenus Constitutio.

(..)



LIBER

64 2
LIBER DECIMVS.
DE CONVERSIONE

SARACENORVM

procuranda.

P R Æ F A T I O.



GAREN I, quos vulgo Saracenos appellamus, adeo, & numero, & vitæ turpitudine creuerunt, vt & diuinis & politicis rationibus Christianorum Principum, & Virorum Apostolicorum animos, ad eorum conuersionem strenuè procurandam, permouere debeant.

Primò, quia instare videntur tempora, imò & præforibus esse, quæ per varia multorum Patrum vaticinia, & astrologorum Prognostica de Saracenorvm secta, ac præcipuè Turcarum imperio citò finiendõ prædicta sunt: ac in primis Sanctus Methodius Martyr à D. Hieronymo laudatus, loquens de fine sæculi, ait, *Surget autem Christianorum gens, & praliabitur cum eis, (scilicet Saracenis) & occidet eos gladio, & captiuas ducet mulieres eorum, & interficiet infantes eorum, & descendet filij Ismaelis in gladium, & tribulatione, & afflictionem, & reddet illis Dominus mala, quæ ipsi fecerant, & irruet super eos malitia, septies tantum, quantum in alij: gesserunt, & occidet illos Dominus in manu Christianorum, & erit Regnum Christianorum exaltatum super omnia Regna, celeberrimæ sunt etiam alix de ruina huius sectæ, hac ætate futura prædictiones: id enim iam multis retrò sæculis prænunciauerunt S. Cyrillus Doctõr Græcus ac Prophetix dono illustris, Ioachimus Abbas, ac plures alij, de quibus Melchior Sotherus lib. 1. de bello Pannonico ita scripsit: *Taceo interim ac lubens prætereo, Methodij. Cyrilli. Brigittæ. Ioachimi, Alsanfredi & Tor. Soterus. quati, atque aliorum multa, non è Druidum quercubus, aut cortina Cynthij elicita responsa, sed pñs mentibus, Spiritus instinctu, calitis enunciata oracula, quæ omnia tanquam ore vno prolata. Principibus Christianis deberi orbis imperium profitentur. Imo prophetix huius apud Æthiopes meminerunt Fraciscus Aluaresius Lusitanus, & Theuetus, ambo xui nostri historici: apud quos constans est, ab antiquis Patribus traditio Turciam totam, & loca sancta subiugo Principis alicuius Septentrionalis ventura. Vnde Mantuanus illustris Poëta ita scripsit,**

MMMM

pra-

praefatio vatum

*Arrestantur, opes Aſie Babylonica regna
Ad Christi reditara iugum.*

Pleni sunt equidem sacri libri nostrae gentis, plena Turcarum ac Saracenorum volumina, pleni vulgata, praedictionibus, minis, signis, famae ruinae vasti illius Imperij, ac turpissimae sectae Scimus Turcas saepe de his cogitare, legere, loqui, timere ac conari contra diuinum consilium ad suae amplificationem sectae, nostrae vero ruinae: nos vero quod dolendum maxime est nihil de his cogitamus neque Principes Christiani sequuntur ducentem ad bella Deum, & velut vocantem ad arma tam iusta, tam sancta, neque Ecclesiastici Ministris Euangelicis viam praeparant, vt facilius res ipsa peragatur.

Secundo, Est deinde Saracenorum ad fidem conuersio non valde difficilis, colunt enim vnum Deum turpi vitae genere: qua in re duo plane contraria conciliare nituntur. Cultus quippe vnius Dei, si ex genere spectetur honestissimus est & rationes plane efficaces producit ad vitae turpitudinem redarguendam. Ex quo efficitur. Euangelij Ministros eo, quod honestum est allectos & armatos facile posse multos a Mahometica secta deducere multos inquam ex ijs qui inter gentem illam inculta ingenio pollent: quod certe lucrum pretiosissimum foret.

Tertio, Qui valent ingenio apud Mahometanos philosophicis saltem rationibus adducti, per se ipsos, vitae turpitudinem deprehendunt, facileque perspiciunt suam sectam impuram esse neque cum purissimae naturae diuinae cultu posse subsistere: aut certe, si non vsque adeo perspicue id cognoscunt, suspectam tamen Religionem tuam habent: quod viam facit viris Apostolicis, ad illorum conuersionem fidentius tentandam, & vrgendam.

Quarto, Mahometani non vsque adeo proterue Christi veritatem audiunt ac Sectarij alij, cum a Mahometo ipso de Christi excellentia testimonium illustre perhibitum sit: praeterquam quod cum ipsi existiment, vnumquemque in Religione quam profiteretur, saluum fieri posse, per hoc ipsum (quamuis enormiter errent) aptiores fiunt ad praedicationem Christi leniter sine repugnantia audiendam. Ex quo Christianorum animi inflammari deberent, ad veritatem diuinam eis nuntiandam, quae semel excepta per aurem, (sperandum est) animos impios expiaret.

Quinto, Accedit Alcorani deformitas quae profecto tanta est, vt ad examen reuocata, & cum lege Christi comparata, Mahometanos vehementer commouere possit. Neque obstat eorum feritas, qui non disputationibus, ac rationum pondere, sed ferro sectam suam tueri docent: Nam certo constat,

constat, eorum plurimos externas leges patienter audire, quin etiam curiose scrutari: per quod ianua panditur Euangelio.

Sexto, Multis constat argumentis, plures Mahometanos Principes ipsumque in primis Persarum Regem signa beneuolentiae minime obscura Christianis Principibus ostendisse. Ex quo certe liquet, patere viam, qua viri Apostolicis in animos illorum insinuare, & velut ex obliquo spargere fidei semina valeant.

Septimo, Ipsi Mahometani Christianorum segnitiam redarguunt, qui erroris sui zelo ad gentiles conuertendos, hoc est, in suam sectam perducendos, missiones instituunt, vt ex Orientalis Indiae liquet historiis. Quomodo ergo ferunt Ecclesiae Principes, vt diligentiores sint ijs ad mendacia promulganda, quam Iesu Christi Ministri ad veritatem diuinam persuadendam? Profecto Mahometi ministri a Christi Ministris conuerti deberent, & anteuerti.

Octauo, Mahometani, vt nimis vulgatum est, adeo excrescunt numero, & vires acquirunt, vt ruinae Christianorum Principum regnis minetur. Nam, vt numerosissimam sobolem in Asia, Africaque, vagantem praeter ea, compertum est Catholicum Hispaniae Regnum, in summo discrimine vitae, fideique versari, ob reliquias Arabum, qui olim Prouinciam illam occuparunt. Et mirum est sane quo modo aetate hac coniuratione facta, non rebellauerint, & fidem Catholicam, vna cum Christianis hominibus non extrinxerint. Serpit vero grande malum hoc: augeturque numerus, & robor: timendumque est Europae toti, si illi Mahometi cultores Principatum obtineant. Quocirca eneruanda esset eorum vis, non tantum gladio, sed & Dei verbo, vt periculo propulsato, fides Catholica fortius inualesceret: praesertim cum hodie Mahometi cultores summa iniuria obtinent ac sedant terram sanctam, quae ad Ecclesiae regnum summo iure pertinet. Qua de causa notissimis patet historiis, pijsimos Principes de regione illa recuperanda, serio cogitasse, maximisque laboribus & sumptibus in eum scopum iustis exercitiis mare traicisse. Neque sane a tam glorioso conatu desistendum esset, quoad terra Christi sanguine perfusa, ad Christi regnum, ac tot Christianorum millia tam diu Turcico dominatu vexata, in pristinam libertatem redirent. Iam vero si arma ferrea egre mouentur, aequum omnino est, arma spiritualia idoneorum ministrorum impigre moueri.

Octo rationes haec a Principibus Ecclesiae expendi deberent: vt ex Ministris, qui fortassis in vrbibus Christianis ignauia torpent, aliquos desiderio diuinae gloriae excitatos, ad conuersionem Agarenorum destinarent.

De præcipuis erroribus Mahometicæ doctrinæ.

Cum Mahometus edoctus fuerit ab Arianis, Nestorianis, Iudæis, & Paganis, ex istis fontibus varios fœdos perniciososque hausit errores. Primo, cum Sabellio negat Trinitatem.

Secundo cum Ario, & Eunomio Christum creaturam esse contendit, eumque Deum dicere ridiculum putat.

Tertio, cum Carpocrate asseuerat Christum nõ Deum quidem esse, sed Sanctum prophetam.

Quarto, cum Cerdone asserit fore impossibile, vt Deus filium habeat, quod nimirum vxore careat, citra quam filium gignere non poterat.

Quinto cum Manichæis, Christum negat mortuum vel crucifixum fuisse, sed alium sibi similem.

Sexto cum Donatistis negat cuncta Ecclesiæ mysteria, quæ à Christi passione suam vim & efficaciam obtinent.

Septimo cū Origenistis dicit Dæmones esse sub mundi finem saluandos. Octauo, cum Anthropomorphitis, qui Deum corporalem asserunt, communicat.

Nono, cum Cerintho extremam felicitatem, vel summum bonum statuit in corporeis voluptatibus.

Decimo, cum Ebionitis circumcisionem admittit.

Vndecimo, negat Christum iudicaturum in die Iudicij.

Duodecimo, asserit quod Iudæi corruperint legem & Prophetas, & Christiani etiam, ita quod nihil remanserit de veritate legis, & Prophetarum & Euangelij nisi quantum in Alcorano continetur.

Decimotertio, quod Deus sit causa omnium peccatorum.

Quartodecimo, quod omnia ista mundana fortuita sint.

Quintodecimo, impropere Christianis adorationem imaginum.

Sextodecimo, imponit Christianis quod suos Sacerdotes adorent.

Decimo septimo, quod quilibet rectè viuens in sua secta saluari possit.

Decimooctauo, sui oblitus quod nullus saluabitur nisi in secta Saracenorum.

Decimonono, quod Angeli sint corporales, de flamma ignis facti seu geniti.

Vigesimo, quod Angeli sint occidendi: & tandem in die Iudicij resurgere habent cum alijs.

Vigesimo primo, quod Angeli beati peccent.

Vigesimo

Vigesimo secundo, quod Deus præceperit Angelis, vt adorarent primum hominem.

Vigesimo tertio, quod Angeli ignorabant naturas siue vocabula rerum quæ à Adam rebus imposuit.

Vigesimo quarto, quod anima Adæ sit de portione animæ Dei.

Vigesimo quinto, quod omnes homines ex vna anima sint producti.

Vigesimo sexto, dicit cælum productum ex fumo, qui surgit ex vapore maris.

Vigesimo septimo, quod sol, & Luna fuerint facti æqualis luminis & virtutis, sed ala Gabrielis Lunam tangens obscurauit illam.

Vigesimo octauo, quod licitum sit habere plures vxores.

Vigesimo nono, quod licitum sit repudiare vxorem.

Trigesimo concedit tanquam licitum adulterium, & fornicationem.

Trigesimo primo, concedit tanquam licitum, peccatū contra naturā.

Trigesimo secundo, ait, quod post resurrectionem erit vsus ciborū, & venereorum.

Trigesimo tertio, cum Titianis prohibet vini vsum.

Trigesimo quarto, quod omnia creata inuocant, & adorant Deum.

Trigesimo quinto, quod B. Virgo suscepta salutatione Angelica, & cōcepto filio fugit in longinquum locum, vbi erant palmæ, & ibi peperit.

Trigesimo sexto, quod B. Virgo cum portaret in brachijs filium, increpabatur à vicinis de peccato adulterij.

Trigesimo septimo, quod Prophetæ & Apostoli fuerunt Saraceni.

Trigesimo octauo, imponit Deo multa falsa & mendaciā.

Sunt alia per multa eius instituta, non solum non honesta, nec rationi consona, sed maxime obscena absurda, & ridicula, & pecudum potius quam hominum, vt quicumque dixerit, legem Mahometanorum esse legem porcorum, mihi quidem scite admodum, non solū vere dixisse videatur.

Auctores qui scripserunt contra Alcoranum.

Istius porro sectæ Mahometis falsitatem, & absurditatem multi Christiani auctores scriptis demonstrarunt atque confutarunt: Dionysius Carthusianus quinque libros scripsit. Richardus ordinis Prædicatorum dedit librū, qui inscribitur Cōfutatō legis Mahometicæ: Pius Papa huius nominis secundus Epistolā ea de re scripsit, ad Mahometē Turcarū Imperatorē: Bartholomæus etiā Vngarus, & Ioānes de Turrecremata, & Guilielmus Postellus in libris quos edidit de origine Tartarorū Persarum, Arabū, & Turcarū. Præterea Gabriel Bariletanus ordinis Prædicatorū scripsit Mahometū in sua lege permittere, quod a sinis & porcis magis cōuenit, quā humana ratione vt ceteribus: quod etiā vir inter Mahometanos medicinæ scientiā

clarissimus Auicenna nono suæ Metaphysicæ libro confiteri non erubuit: Paulus Burgensis in quadâ sua additione ad Postillas Lirani super cap. 13. Apocalyp. bene longam, satisque curiosam, & eruditam de secta Mahometis disputationem fecit, ubi citat, & laudat eximium quemdam tractatum, de lege & doctrina Mahometis, qui incipit, *Quod sunt dies serui tui*, Psalm. 118. à F. Nicolao Prædicatoris ordinis compositum. is per diu fuerat in regionibus Orientis, multumque versatus est cum Doctoribus istius sectæ, quin etiam ut ram subtilius & altius scrutari & nosse posset, & linguam & litteras didicit Arabicas. Et ut omnia illius doctrinæ arcana & secreta penetraret, frequenter cum nobilioribus eius Magistris, ea de quibus ipse vel dubitabat, vel penitus cognoscere negabat, communicauit. Vnde non modo perspectam habuit doctrinam Alcorani. verum etiam quemadmodum principes eius interpretes & doctores intelligerent atque interpretarentur. Fuit autem liber hic. simul cum alio Ioannis Cardinalis Turrecrem. Romæ typis mandatus anno 1606. hic apud Typographiam Guilielmi Faciotti, ille verò apud Aloisium Znaettum. Scripsit etiam B. Ioannes Damascenus in libello qui inscribitur Disceptatio Christiani & Saraceni. S. Thom. opusc. 3. cõtra Græcos, Armenos & Saracenos. Cardinalis Nicolaus de Cusa, in tribus libris inscriptis Cribratio Alcorani, Hieron. Sauanarola in opusculo de Triumpho crucis lib. 4. c. 7. Simancas in Institutionibus Catholicis ca. 39. S. Antoninus in 2. parte Chronicorum tit. 13. cap. 5. de Mahomete Agarenorum legiflatore scèdissimo, ubi plurima de secta Mahometana, & de eius auctore scribit. Michael Thomafius in libello scripto, Breuis Christianæ & Catholicæ fidei defensio, & Iudæorum, Mahometanorum atque Hæreticorum oppugnatio. Guilielmus Totanus in fortellitio fidei, & alij quamplures. quorum meminit Cardinalis de S. Seuerina, in suo rituali, in tractatu de Infidelium conuersione procuranda.

Ordo seruandus in Alcorani confutatione.

Quia immensum esset contra singulos huius sectæ errores differere, & forte minus utile, ostendenda erit in primis à nobis solita breuitate. legis Alcorani iniquitas & falsitas, sumptis argumentis ab ijs quæ illa traduntur, permittuntur, docentur, ac scribuntur: quæ fere omnia detestabilia, turpia, & vana sunt, omni æquitati ac rectæ rationi aduersantia: & ut nunc alia prætermittam (quæ millies sibi inuicem pugnant, & in quibus summa est stultitia, varietate nugæ) pauca ex illis à nobis erunt attingenda, tribus partibus hanc totam disputationem comprehendendo. In prima reducemus Alcorani iniquitatem, & malitiam ad causam efficientem, ipsum scilicet auctorem; ostendendo non à Deo, sed ab homine turpissimo

pro & facinoroso legem Alcorani fuisse huius Saraceno adhibentem. vbi de fine manipuli uel legis quam Authores dicuntur, ut contra contra, aliud celeberrime ac uulgane illi philosophi dicunt. Quædã uero quinquæ est talis sibi hanc præcipuum. Tertio ad inuentorem hoc est ad ipsas res quas confutamus, dicuntur, ut præcipit Alcoranus. Ac denique ad formationem. hoc est ad modum & formam, cum Alcoranus scriptus ac compositus est. in secunda uero parte est oppositio legis Euangelicæ præstantiam supra Alcoranum demonstratur, ex ipsa quatuor causarum capitibus, simulque aliquibus obiectis, quibus hanc ostendimus. In tertia tandem de modo adiuuandi Saracenos, & ratione agendi cum illis, ac de his quæ prohibita sunt agentibus inter illos, Deo dante differemus.

PRIMA PARS, DE CONFUTATIONE ALCORANI. CAPVT I.

De Alcorani institutione, & quis fuerit huius legis author & inuentor.

Alcorani legem latam fuisse à viro iniquo, rapaci, mœcho, homicida, falso Propheta, reuelationibus, imposturis, crudelitate, & alijs flagitijs, fallacijs & erroribus referto, clarissime apparet legenti eiusdem Mahometi vitam, à grauissimis authoribus conscriptam. Ex quibus omnibus doctissime Cardinalis Turrecremat. c. 1. contra errores Mahometi pulchre eius mores vitamque describit his uerbis.

Beatus, inquit Euangelista in Apocal. describens tribulationes Ecclesie, Mahometi & suorum futuram persecutionem prædicens eam sequentibus uerbis Apoc. 13. cap. proponit *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut Draco, & potestatem prioris uenem faciebat in conspectu eius. & fecit terram. & habitatores in ea adorare bestiam primam, cuius curam est plaga mortis, & fecit signa magna. & etiam ignem de celo fecit descendere in terram in conspectu omnium hominum. & seduxit habitatores in terra propter signa quæ sunt data illi facere in conspectu bestie: dicit habitatoribus in terra, ut faciant imaginem bestie quæ habet plagas gladij, & datum est illi ut ueret spiritum bestie, & imagini, & ut loquatur imago bestie & faceret ut quicumque non adora-*

dorauerit imaginem bestie occidatur. In quibus verbis Mahometus inter omnes hæreticos à fidelibus maxime venit execrandus octo nominibus.

Primo quia fuit scelestissimæ vitæ, vnde dicitur, *Vidi aliam bestiam,*

Secundo quia fuit prædo cupidissimus, vnde dicitur, *ascendentem de terra.*

Tertio quia simulator sanctitatis pessimus, vnde dicitur, *& habet cornua duo similia agni.*

Quarto, quia fuit in doctrina virulentissimus hinc ipsi conuenit, *Et loquebatur sicut Draco.*

Quinto, quia fuit in malis operandis studiosissimus; hinc rectè, *Et potestatem prioris faciebat,*

Sexto, quia fuit temerarius arrogantissimus; vnde conuenienter, *fecit terram & habitatores in ea adorare bestiam.*

Septimo, quia fuit seductor periculosissimus, bene ipsi appropriatur, *Et fecit signa magna.*

Octauo, quia fuit Tyrannus crudelissimus, vnde dicitur, *quicumque non adorauerit imaginem bestie, occidatur:*

Describitur ergo Mahometus vita scelestissimus cum subiungitur: *Vidi aliam bestiam,* videlicet Mahometum vitam voluptuosam (quæ bestialis dicitur Philosopho primo Ethicorum) ducentem. Nam fuit tanto libidinis ardore succensus, vt se iactaret super XL. homines virtutem generatiuam, & potestatem coeundi diuinitus concessam habere, & præterea concumbendi cum omnibus mulieribus quæ se ei prostituere vellent gratis, habuit ipse 15. vxores & 2. ancillas.

Secundo describitur prædo auarissimus his verbis, *Ascendentem de terra:* quia per mercationes & rapinas ascendit de paupertate ad diuitias. Mahometus enim vtroque parente orbatus, sub Manophi Auunculi sui tutela pueritiæ annos agebat, Idolorum tunc temporis cultui cum vniuersa gente Arabum inferuiens. Post aliquot autem annos mercenarius factus viduæ cuiusdam Cadigæ camelis agendis præfectus est, cum quibus in Syriam, aliasque regiones proficiscens innumera commisit latrocinia: tandè suæ Domini coniugio potitus, rebus & nomine auctus est: atque ita de ignobili & egeno in diuitem & famosum euectus. Et quia auaritia, vt dicit Ambrosius, quo plus ascenderit, eo ad altiora festinat, in tantam prorupit superbiam, vt regnum Arabum sibi polliceretur, nisi suos timeret contri-bules, quod eum pro Rege non tenerent, cum ipsi essent illo maiores.

Tertio, describitur vt simulator sanctitatis, *Habens nimirum duo cornua similia agni,* id est Christi: cuius duo cornua dicuntur Prophetia & nouæ legis latio, vnde Luc. 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Mahometus autem videns sibi ad regnum vsurpandum vires deesse, dolo vsus est; vt qui Rex esse non poterat, Prophetam se simularet, legemque sibi à Deo reuelatam mentiretur

mentiretur, vt infra fauente Deo ostendemus.

Quarto, dum dicitur *Loqui sicut Draco.* Notatur eius doctrina dolosa & venenosa. qua Agarenos, seu Saracenos infecit: hæ sunt enim draconis proprietates, vt occulte & fraudulenter decipiat, & venenum infundat. Narratur in quadam Chronica, quod Clericus quidam cum in Curia Romana, honorem quem ambiebat, assequi nequisset, indignatus, in partes vltimarias confugit, innumerabilemque populum sua simulatione ad se traxit: cui cum Mahometum præficere vellet, columbâ nutrijt granis in auribus Mahometi positus, ita vt columba super eius humeros stare, & de auribus eius cibum sumere assuefacta quotiescunque eum videret, super humeros eius profiliens rostrum in aurem immitteret. Hic ergo Clericus populum conuocans dixit, se illum velle præficere, quem Spiritus sanctus in specie columbæ monstraret, statimque columbam secrete emisit: illa super humerum Mahometi euolans, rostrum in eius aurem immisit: quo viso, populus credidit Spiritum sanctum esse qui super illū descenderet, ac verba Dei in eius aurem inflaret. Et sic Mahometus Saracenos ad legem suam seduxit, ad eamque quasi diuinam recipiendâ pertinaciter animauit, qui ipsi adhærentes Regnū Persidis, & Orientalis Imperij fines vsque ad Alexandriam inuaserunt. Alibi tamen legitur, Monachum quendam Sergium nomine, Nestoriana labe infectum, ab Ecclesia & Monasterio exturbatum in Arabiam confugisse, Mahomatoque adhæsisse, qui ipsum de nouo & veteri testamento plura edocuit secundū Nestorij Magistri sui intellectum, saluatorem nostrum Deum esse negatis, & partim prout sibi visum est, simulque Apocryphorū fabulis eum plenissime imbuens, Christianum Nestorianum effecit, vt tota iniquitatis plenitudo in Mahometum conflueret, & nihil ei ad perditionem sui vel aliorum deesset. Adiuncti sunt Iudæi Hæretico, qui ne verus Christianus fieret, dolose precauentes, huiusmodi nouis rebus inhianti non scripturarum virtutem, sed fabulas suas, quibus nunc adhuc abundant, ipsi Mahometo insibilant. Sic ab optimis Doctoribus Iudæis & Hæreticis, Mahometus instructus Alcoranū suum condidit, & tam ex fabulis iudaicis quam ex hæreticorum venenis confectam, nefariam scripturam barbaro suo modo contexuit, quem paulatim per Tomos à Gabriele, cuius nomen è sacra scriptura cognouerat, sibi allatum mentitus, gentem Deū ignoratè lethali haustu infecit: & in ore talium omnium calices melle liniens, subsequente mortifero veneno, animas & corpora gentis miserę (proh dolor) interemit. Bene ergo dicit Ioan. Euang. quod vt draco loquutus est.

Quinto reprobis Mahometus describitur à B. Ioanne, in malis operandis studiosissimus infectator: cum dicitur: *Et potestatem prioris bestie omnem faciebat in conspectu eius.* iuxta Magistrum Nicolaum de Lira: Modus primi

Regis in aliquo Regno, est regnum suum firmare, & dilatare quantum potest: quod fecit ipse Mahometus, & ideo dicitur, *Potestatem prioris omnem faciebat* quia quicquid solet facere primus Rex, ad firmandam & dilatandam suam potestatem, ipse diligentissime peragebat, in conspectu eius, id est, prout sibi ad suum intentum expediens videbatur. Vbi notandum quod Mahometus ad firmandam & dilatandam legem suam, siue potestatem, quatuor astutijs, vel cautelis usus sit.

Prima est: vt de lege sua non ratione disputaretur sed gladio: timuit enim quod si inter sapientes ventilaretur, facillimè vana & perniciofa ostenderetur.

Secunda est, Ne Saraceni studijs Philosophiæ vacarēt, per quæ legis suæ falsitas vel solo naturali iudicio satis manifesta deregeretur.

Tertia est, Quod in principio legem suam non nisi rusticis, & simplicioribus hominibus persuaserit apud quod Prophetam se mentitus, quiduis eo facilius persuasit. & obtinuit fraudulenta sua machinatione, quanto ipsi rudiores & honestæ ciuilitatis ac humanæ prudentiæ magis erant expertes: quibus per agros, & villulas in compositæ & agreste viuentibus facillimè se Dei nuncium & Prophetam esse persuadebat: vtpote qui, inter veritatem & mendacium, inter fatuitatem & sapientiam quid distaret, discernere nesciebāt, nec parum ipsi profuit Astrologi cuiusdam fauor & consilium, quo latrones, sicarios, & quicquid potuit pestiferæ gentis sibi vniuit, quorum auxilio terrorem suum super multos non leuiter auxit.

Quarta est, quod in lege libidinis & voluptatis frena laxauerit, quam carnales homines mente corrupti libenter amplectuntur: & ita patet, qualiter in dilatatione suæ sectæ in malis operandis fuerit studiosissimus.

Sexto impudens Mahometus describitur à B. Ioan. Euangelista merarij arrogantissimus: cum dicitur, *fecit terram suam, & habitantes in ea adorare bestiam primam*, id est, se ipsum, qui dicitur bestia ratione prius assignata: adorare non dico tanquam Deum, sed sicut Prophetam Dei summum, talem enim se prædicauit, & creditus est à gente sua illa stulta: tantæ autem reuerentiæ fuisse legitur, vt ausus fuerit dicere, *Credite in Deum, & in Nuncium eius Mahometum: Obedite Deo & Nuncio eius: Sequimini Deum, & Nuncium eius*. Quod profecto verbum arrogantissimum fuit, sicut infra ostendemus; vbi ipsum non Dei Nuncium, sed pseudoprophetam manifesta ratione demonstrabimus.

Septimo impius Mahometus describitur à B. Ioanne seductor periculosissimus his verbis: *Fecit signa magna*, falsa tamen, vt etiam faceret ignem de cælo in terram descendere: hic vt manifeste patet, & dicit Magister Nicolaus de Lira ignis metaphoricè accipitur, sicut & alia quæ dicuntur hic. Mahometus enim iam magnus effectus, epileptica passione cadere cepit: quamob-

quamobrem ne vel apud uxorem, vel populum suum vilipenderetur; se hoc pati ex apparitione Gabrielis Archangeli commentus est; vtpote non valens eius refulgentiam sustinere: sicut Daniel c. 10. dicit Angelo sibi apparenti: *Domine mi in visione tua dissolutæ sunt compagines meæ, & nihil in me remansit virium*: Angeli vero ignis vocantur secundum illud Psalmi. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem vrentem*. Verum quia id falso à Mahometo erat commentum; ideo subiungitur, *in conspectu hominum*, id est in opinione falsa sibi creditum. Commenti etiam sunt ipsius Discipuli, quod Lunam ad se vocatam fecerit descendere, qua ratione luminis conuenit cum igne, & hic secundum vanam opinionem hominum ignem descendere curauit: & ita vt sequitur, *seduxit in terra habitantes*, per se & discipulos suos, propter signa quæ falso dicta sunt de eo, & ab hominibus bestialibus credita.

Octauo, nefarius Mahometus à Ioanne Euangelista crudelissimus Tyrannus dicitur per hæc verba: *Habitantibus in terra sibi subiecta, scilicet, vt faciant imaginem bestie*. Dicitur autem eius Imago lex ab eo data, in qua representatur eius conditio & vita, & præcipit firmiter sub pena mortis illam custodiri, & hoc est quod dicitur, *vt faciant imaginem*, id est, opere impleant eius legem. *Et datum est ei*, id est, permissum à Deo, *vt daret spiritum imagini*, id est, vigorem suæ legi. Lex enim dicitur viuam, quamdiu viger, & mortua, quando alteratur. *Vt loquatur in nago bestie*, id est, sententiam suam ostendat, sicut dicitur, *Lex talis loquitur in tali casu*, nam omnia fere accipiuntur metaphoricè. sequitur, *Et quicumque non adorauerit imaginem bestie*, id est, legem bestialem Mahometi non receperit, & non coluerit, *occidatur: Et faciet per violentiam, omnes, pusillos, & magnos, diuites, & pauperes, liberos, & seruos habere charactrem in manu dextra*, id est, in opere, & in frontibus suis, per oris confessionem Hactenus ex Turrecremata.

NNN n 2

Mahome-

CAPVT II.

Mahometum non fuisse Apostolum siue Nuncium à Deo missum.

Nicolaus Clenardus vir egregius, qui è patria sua Belgio longissimâ & valde periculosa suscepit peregrinationem in Africam, & in ciuitate Fessa diu moratus est, eum in finem vt Mahometanam fidem perfecte edisceret, quo deinceps Mahometistis ab infidelitate sua, ad fidem Christi conuertendis magis vtilem ac fructuosam operam impenderet: recte fundamētum disputationis inter nos & Mahometistas notauit hoc fuisse, de Ecclesiæ Catholicæ statu sempiterno, vel euersione ante annos nongentos. Illi enim aiunt, vt Euangelio prodito abrogata est lex cæremoniarum, sic Mahometum successisse Christo, cum eius lex & Ecclesia interiisset. Quare hic negotij cardo est, & hinc ordiēda disputatio: Mahometum nec fuisse Apostolum, nec à Deo missum, nec Euangelicā legem fuisse abrogatam, aut extinctam.

Vt autem Mahometus se Dei Apostolum comprobet; tum ex litteris sacris suam auctoritatem & vocationem commendat, tum Saraceni aliquibus miraculis ab ipso Mahometo factis confirmant. Primo igitur Mahometus cap. 74. Alcorani inquit, Christum in nouo testamento de Mahometo venturo his verbis prædixisse, *Nuncia* (inquit ille) *vobis affero. de nuncio post me venturo, cuius nomen Mahometus*: quem locum Saraceni omnes credunt in Euangelio adhuc stare, sin minus, malitia & impietate Christianorum fuisse erasum. Secundo, in cap 71. Alcorani dicitur Deum in veteri testamento eiusdem Prophetæ futuram natiuitatem, tot annorū millibus ante prænunciasse, illis verbis Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus.*

Præterea Saraceni multa à Mahometo miracula gloriosa edita in confirmationem sui Apostolatus fuisse confingunt: ex quibus illa (inquit) sunt principaliora, quod in specie columbæ Spiritus Dei in eum descendit, & inspirauit, que, nammodum lex Alcorani erat conscribenda: quod dum coram vniuersa multitudine concionaretur, indomitus taurus, terribilior illo immani Atticæ regionis, qui ab Hercule victus, inter admirabiles eius labores numeratur, ad Mahometum accurrens, in genua se prosteruens & declinans humiliter caput, manum Prophetæ supplex deosculatus est: quasi exemplo suo demonstrans eum ab hominibus colendum, quem feræ & truculentæ bestię venerantur. Quid illud, quod Adamo nouem post eius creationem diebus, stupenda quædam visio accidit, quæ

dum attonitus miratur, diuinitus ei annunciatum est: eam fuisse præsignificationem quandam plurimorum prophetarum, ex quibus oriundus esset Mahometus: quem quatuor tantum annis narum inuisit Archangelus Gabriel, qui etiam antea de cælo descenderat, cum septuaginta Angelorū millibus. vt mundo eius natiuitatem testaretur, & qui postea cælitus eam legem detulit, quæ deinceps à Mahometo toti mundo erat imponenda? mitto diuisam in duas partes lunam, & huius generis quædam alia. Neque enim, inquiunt Saraceni, Mahometus adeo erat stolidus. vt Prophetam & Apostolum Dei se vendicaret, sine illo argumento, quo Deus semper omnes sine exceptione eiusmodi Prophetas voluit esse ornatos: neque Arabes, Persæ, Asiatici & Ægyptij qui eius Alcoranum susceperunt, adeo erant agrestes & barbari, vt vnico verbo victi, fidem veterem voluerint projicere, & nouam vndeunque oblatam arripere.

Tertiò, quia Mahometus (inquiunt Saraceni) non solum ad reformandum orbem, sed etiam ad castigandum, ob neglectam Christi sanctissimam doctrinam & Religionem, vltimo loco fuit missus: idcirco post ea miracula, suæ diuinæ vocationis indicia cum prædicatione Alcorani gladium copulauit: Deum enim aiunt, illi per Gabrielem Alcoranum misisse, præcepisseque, vt eum per orbem terrarum publicaret, simulque gladium tradidisse quo repugnantes castigaret: hancque contendunt Saraceni legem esse ipsissimam Dei voluntatem, veritatem certam, in qua promulganda, si operam suam poneret, Deum ei affuturum, & felicibus auspicijs conatum eius ad optatos exitus prouecturum. Et his promissis euenta (inquiunt) pulcherrimè responderunt. Rem siquidem aggressus mirabili felicitate Regiones maximas subiugauit, Arabiam, Asiam, Perliam, & alias plurimas: neque potentissimus Romanorū Imperator, eius cursum potuit retardare, aut hominum extinguere ardorem, aut amissas prouincias recuperare, aut vnquam extirpare, quam ille fidem seuerat: quæ & ijs in locis ad hunc vsque diem firma constansque permanit, & extremas Orientis plagas peruasit. Vnde sibi ipsis facile persuaserunt, (imo hoc est potissimum huius seetæ fundamentum) Deum primò misisse humano generi Moysem, deinde abrogata lege Christum Iesum, instructos facultate & virtute prodigiorum: hominibus vero non obsequentibus eorum dictis, misisse postremo Mahometum sine miraculis, armatum, vt quos non mouerant miracula, arma compellerent: ac proinde Mahometum fuisse postremum nuncium, nec futurum alium post ipsum.

Contra huiusmodi igitur deliria statuendum primum, Mahometum nulla fecisse miracula secundum, Non fuisse Dei nuncium neque Apostolum; ac tertium proinde, Non fuisse vltimo loco à Deo missum, quartum, Ipsum non esse Dei Prophetam.

Mahometum nullum operatum fuisse miraculum. §. I.

DE prima huius assertionis parte sufficiat nunc attigisse breuiter Mahometum nullum operatum fuisse miraculum: quis enim non aduertat, ea omnia quæ à Saracenis finguntur, vt eius commendent miracula, esse falsas eorum imitationes quæ in Salvatore nostro gesta sunt. Descendit super eum (quod ipsi non negant) in Iordane Spiritus sanctus, descendit quando nascebatur multitudo Angelorum cælestium: salutauit Mariam virginem Archangelus Gabriel, eique latissimum illud nuntium de Christo carnem suscepturo detulit. Ista quia visa sunt Mahometo plausibilia, & ad populum inescandum idonea, partim præstigijs, partim apertis mendacijs ad se traduxit. Deinde hæc omnia à nemine, nisi ab ipso authore visa sunt, imò hæc & alia confictæ fabulæ sunt, & contraria ipsi Alcorano. Prohibet enim Mahometus de se aliquid tale credere, præterquam quæ scripta sunt in Alcorano De omnibus Prophetis dicit: Multi multa mentiti sunt; quod ne de me existiment quidam, id solum de me verum credatur, quod Alcorani autoritate fulcitur. Ille enim cum miracula non fecisset, & hoc ostendere volens, introducit Deum loquentem & dicentem: Dixit Dominus ad me, propter hoc miracula te facere non permitto; ne tibi propter miracula eueniat, quod & alijs Prophetis accidit. suo igitur testimonio conuincitur nullum fecisse. Ait enim, quod cum homines ei dicerent, Ostende nobis aliquod signum sicut fecit Moyses, Christus, & alij Prophetæ; respondit, quod mundus non credidit ijs, sed dixit, incantatores esse, propter hoc Deus non permisit mihi miracula facere. non enim credidissent: sed veni in potentia armorum. Quod manifestè falsum esse ex eo patet, quod paruo negotio credidissent facienti miracula; cui crediderunt sine miraculis, latrocinia, rapinas, adulteria, & id genus plagia mandanti; quibus perpetrands genus humanum pronissimum est: quod ait de potentia armorum, quod pro miraculo adducit, falsum est. non enim semper fuit victor, vt Moyses & Iesus Naue, & Helias, quos Angelus Domini semper protexit, & victores effecit: Mahometo verò dentes contriti sunt, & facies collisa: hinc ergo non est, quod repente ei magna mundi pars adhaerit; sed quod talia mandata dederit, in quæ homines sine lege, procliues sunt.

Præterea eundem Mahometum nullum patrasse miraculum, ex alio ipsius testimonio manifestè constat: nam & ipse in cap. Prophetarum narrat de quærentibus ab eo miracula fieri, & dicentibus ipsi Mahometo:

Audiuisti

Audiuisti insomnia, blasphemias congregasti, vel fortè poetice loqueris. Veni ad nos ad minus in vno miraculo, quomodo & nisi sunt priores. Respondit, Subuertimus, inquit Deus, vrbes coram non credentibus, nunquid hi credent, & quomodo spectent ab eo miracula: & respondit eis; Quoniam qui præcesserunt vos, non crediderunt miraculis, & neque vos etiam miraculis credetis, nisi per enssem. Quibus testimonijs clarè conuincitur, Alcoranum nullis miraculis fulciri. Christiana autem fides quæ ardua docet, & præcipit, in miraculis manifestis & vtilibus, tum à Christo, tum ab Aposto is editis tota fundata est: & vsque ad præsentia tempora demones expelluntur, debiles curantur, mortui resuscitantur: hæc autem miracula Christiani patrarunt, hodieque patrant dicentes Christum crucifixum, verumque Deum esse: & in huius veritatis confirmationem, innumera sunt à Christi cultoribus patrata miracula. Quod si Saraceni dicant esse à nobis conficta ex eo magis conuincuntur: nam aut Christiana Religio diuinis miraculis à toto fere orbe recepta est, aut nullis miraculis confirmata: si primum, diuina est ergo, & digna quæ recipiatur: si autem nullis, hoc est magis miraculū, quod absq; miraculis, per homines simplices & idiotas hominibus ardua, naturæque vitijs corruptæ contraria imponentes id fieri potuisset: quod fecerunt Christiani non vi & armis alios interimentes, aut minantes, sed potius ab alijs illatam mortem patienter sustinentes.

Mahometum non fuisse Dei Apostolum. §. 2.

SE d iam 2. Mahometū scilicet Apostolū, vi & armis nitentē, euertamus. Primò quia Dei mos est legē statuētis per suos ministros & nūcios, nō violentia armorū cogere corpora, sed miraculis & suasionibus adducere animos. Hoc fecerunt Moyses & Christus: nā quod Mahometus dicit homines illis non obediuisse, manifestissimū est mendaciū. quippe & Moyse dicto audiētes fuerunt Iudæi, & totus pene orbis Christo, & nūc plurimæ adhuc gētes, & cum Mahometus viueret, pleræque nationes. Manifestius poterat monstrare à Deo esse missum se, si ea egisset quæ sola potest Deus, quæq; illis solis tribuit, quos mittit ipse ad salutē hominū. Nā quod ait incredulis nulla miracula prodesse se ipse nō intelligit, vt in alijs suis dictis. Quos enim vocat incredulos? si illos qui nullo modo sunt credituri, apud istos non solū miracula, sed nec arma quicquam profecerint: sin increduli sunt qui nō credūt, aut quibus difficile persuaderetur; istis certa efficaciora fuerint miracula, quā arma, & mundus admirabilia Christi atq; Apostolorū opera respicit, non ad victorias Persarū, aut Romanorū. Sed Mahometus conficius sibi se non habere donū illud cæleste efficiendi quæ naturæ vires superarēt, quoderat in prōptu, missum esse se dixit ferro munitū.

Atquæ

Atqui armatus hic victus est aliquando, & luculentum vulnus in ore accepit, unde molares aliquot & dentes amisit, & in fossam est deiectus, & victus turpiter. & quidem cum pridie victoriam sibi & suis ex caelesti oraculo promississet: quin etiam cum adhuc esset latro, cæsus saepe est, ut à Driantibus, quorum camelos inuadebat Mecha redeuntes, & Ciuitas illa quæ nunc eum adorat, capitis aliquando eum damnauit, ut latronem perniciosissimum: & præmium proposuit, si quis in potestatem vel viuum, vel mortuum redigeret.

Præterea quia in armis saepe numero videmus accidere, ut peior causa vincat meliorem, ut intelligamus non esse diuinæ æquitatis bella, sed humanæ malitiæ. Verum non ignorauit Mahometus mansuetudinem, clementiam, humanitatem esse potius diuina arma, quàm ista ferrea & chalybea fabricarum manibus conflata; idcirco ait: Missus sum à Deo, ad homines cum pietate & misericordia. Item per suasionem esse potius diuinitatis, quam violentiam & coactionem, idcirco alio in loco inquit: Nulla violentia est in fide. Et rursus: Vim nequaquam propter legem inferatis, cum rectæ prauæque viæ patefactæ sint. Sed nimirum si hoc ipse obseruasset, inualidum fuisset regnum Prophetiæ, & desertus Principatus. Persuasionem enim nemo esset vnquam ad assentiendum sectæ inductus tam absurdæ ac puerili. At ferri quis fuisset usus, si nemo cogeretur, & res non esset gladijs gerenda sed rationibus? Idcirco tanquam sui oblitus alibi, dicit: Nisi meam scripturam receperis, & crederis, cælitus esse ad me missam, meque confessum fueris Prophetam esse Deilegatum, diripiam substantiam tuam omnem, uxorem & liberos tuos captiuos abducam, teque ipsum interficiam. Et item: Viri boni quid vobis est cum illis incredulis commercij? cum nemine illorum contrahatis vel negotium vel societatem, vel amicitiam, nisi prius recta via Dei pugnatum aut prædatum vobiscum exeant: quod si facere recusarint; eos si fieri possit, vbicumque inueneritis, occidite hæc ille. Quid potest dici vel Deo, vel Prophetæ congruentius? Ideoque lingua vestra, eo nomine appellatis eos, qui vobis se adiungunt, quo denotatur, illos se ac rem suam & familiam conseruasse Mahometicæ legis professione.

Deinde quia non cõuenit mitti à Deo, nisi qui Dei sit simillimus sanctitate, innocentia vitæ, sapientia, & alijs virtutibus, quæ in Deo sunt eximie & infinitæ: qualis fuit Moyses, & Moyse melior Christus vel vestri legislatoris testimonio; Mahometus ipse, antequam ad legationem Dei nomine obeundam veniret, pessimus, in legatione ipso peior fuit. Ipse homo apertus & simplex profitetur, quæ negare non poterat, cum haberet confcios & testes suorum flagitiorum, peccatorum se à principio fuisse, & hominem facinorosum, sed condonata sibi esse à Deo peccata. Quæ tandem

dem fuerint priora illa scelera? erat prædo, raptor violentus, homicida, adulter impurus, eadem illa postquam de cælis descendit, obtinuit, nec quicquã mutauit de solita impuritate, ac crudelitate. Denique talis fuit, qualem quis filium suum esse nolleret. Quis igitur credat à Deo esse electum aliquem ad munus tantum, nec ab eo esse meliorem redditum? Potest cuiquam tanta bonitas contingere, quin bonum faciat? Potest tanta puritas, quin purget? At vero ne quis scelera & flagitia, quæ palam Propheta designabat, auderet carpere aut vituperare, auctoritatẽ diuinam omnibus interposuit, & se à Deo iussu id facere confirmauit; bella, cædes, rapinas, adulteria. Nec satis illi fuit, malũ & scelerosum esse, nisi etiam nequitie, ac scelerum suorum auctorem deũ faceret & causam, patrem bonitatis & iustitiæ, osorem vitiorũ. Mouet bella, rapit, occidit, ait se cũ potentia publica à Deo missum: incestat, adulteratur, polluit virgines, & maritatas, facit Deum lenonem suũ, & ait sibi datam à Deo vim generandi quantũ hominibus quadraginta. Quid potest dici obscenius? quorsum hæc generandi tam immanis potestas, nisi ut non solũ impunẽ & licenter, sed cũ aliquapã Religionis cognitione à muliebri simplicitate, & superstitione admitteretur ad concubitũ sinente marito, aut patre, atque etiam auctoritatem numinis reuerente, à quo esset illi tale munus concessum.

Addamus præterea, si à Deo munus hoc concessum est Mahometo tanto nũtio, & Prophetæ, cur nulli vnquam Prophetaũ aliorũ, non dico tantũ, sed nihil permissum est tale omnino? Quod si donũ est hoc & Deo dante, & Propheta accipiente dignũ, nemo non deberet expetere, & se in cænum illud fedissimũ immergere. Qui diuinæ naturæ atque ingenij vel minimã ac tenuissimam particulam mente ac cogitatione comprehendũt, continuo agnoscunt qualis est iste diuinus Nũcius, qui vim illam ac facultatem tantę turpitudinis, & licentiam adeo particularem & effrenam à Deo se accepisse gloriaretur? Si tam propinquus, tam acceptus, tam charus erat Deo, impartitus illi fuisset Deus non turpitudinem opũ, non voluptatũ, non rapinarũ, sed de suarum excellentia virtutũ, quem admodum Moysi, Christo, Ioanni, & alijs, quos ipse charos fuisse Deo perhibuit.

Nec solutio Saracenorũ potest satisfacere dicentiũ, Etiam si Mahometus fuerit homo nequã, & perditus; tamen Deus eligit quos vult: quia etiam si Deus ex peccatoribus iustos faciat, semel tamen electi à Deo, & in eius amicitiam admissi, peccatores esse desinunt, maxime si vera essent quæ ipse Mahometus de se finxit. Tanta enim cum Deo familiaritas, tam crebra colloquia, lex ipsa cælitus ipsi missa, fecissent eum sanctiorem. Quale autem est, formulam recte viuendi, pietatis, sanctitatis dare Deũ hominibus, per hominẽ ab illis virtutibus alienissimũ, ut nihil magis à norma illa discreparet, quã vita legati? Quid vero potest esse equius quã ut homines se

ad exemplum illius componant, quem videant admitti ad consortia Angelorum, ad colloquia Dei, præfici mundo à Deo ipso, ad leges vitæ & sanctitatis condendas.

Sed proprius accedamus ad id quod dicunt, à Deo fuisse promissum Mahometum, id vero erasum à nostris. Nam illo loco quo dicitur: *Et mittā vobis Spiritum consolationis*, Mahometum erat adscriptum, deletum autem à nobis odio Saracenorum. Quæro ante omnia; quinam eraserunt? priores Mahometo, an posteriores: prioribus nulla erat causa; nesciebant enim quis aut qualis Mahometus esset futurus, imo credituri erant optimum, & diuinum Prophetam futurum, qui esset à Christo non solum commendatus, sed iustus expectari. Posteriores non fecerunt; Nam Mahometus iam de eo conqueritur. Quid quod exant Euangelia scripta ante Mahometi ætatem, nec vlla est in eis mentio Mahometi, nec vlla eo loco erasio. Tot scriptores Christiani præcesserunt Mahometum, tam diuersi opinionibus, sectis, affectibus, quis vnquam illorum meminit Mahometi? Quod si Mahometum iussisset Iesus Christus expectari, tantum nobis fuisset nefas, illum priusquam veniret non expectare, & postquam venisset non recipere, quam Christum ipsum abnegare. Magnum odium versatur inter Christianos & Saracenos, idem inter Christianos & Iudæos, ac inter Iudæos, & ipsos Saracenos. Mahometus inquit, Moysen fuisse missum à Deo, Iesum vero verbum Dei, natum ex Maria Virgine; & nullus Saracenorum auderet aliter sentire, aut loqui, nec scripturam eradere, non amore Christi, aut nostri, sed propter testimonium Mahometi, quare ergo idem non est credendum nobis Christianis? Nos libros veteris testamenti legimus, veneramur, oracula esse Dei omnipotentis pro certo habemus: Moysen virum Dei, Prophetas sanctos fuisse credimus homines, ex testimonio Iesu Christi, qui si Mahometum nobis commendasset, sanctior etiam nobis esset illis omnibus: quemadmodum Ioannes Baptista de quo Elogium fuit Christi, *Inuentos de mulieribus non surrexisse maiorem*. Nec aliter expectatus & desideratus fuisset à nostris Mahometus, quam Spiritus ille consolationis ab Apostolis, qui decimo post Christi ascensionem die, diuinis muneribus Apostolos repleuit.

Mahometus non fuit postremus Dei Nuncius. §. 3.

Denique asserunt Saraceni postremum Dei nuncium fuisse Mahometum quod equè falsum & ridiculum est, ac alia quæ ipsi mentiuntur: Nam ratio ipsa postulat, vt præstantissima legatio præstantissimo legato commendetur. Cum res est absoluenda ingens & maximi momenti, & ad summam

nam Regni pertinens, quis mittitur nisi Regi proximus & intimus, vel interdum Rex ipse venit in colloquium cum ijs quibuscum agitur. Primum enim res per inferiores tractatur, ad vltimum vero, vt plena sit in consummatione auctoritas, per eum qui summæ sit auctoritatis. Conferamus iam Christum cum Mahometo, non ex nostra prædicatione, sed ex Alcorano, & Saracenorum secta. Christus verbum Dei, Mahometus homo merus. Christus Messias promissus patribus, nunciatus ab Angelo Virgini excellentissimæ: Mahometus obscurus & ignobilis. Christus semper Sanctus, Mahometus aliquando profanus, errabundus & latro, ac Idolorum cultor. Christus doctor sapientissimus: Mahometus omnis eruditionis prorsus expertus, nec suum ipsum Alcoranum intelligens. Christus de se, & de suis certus: Mahometus incertus, vt ipse in Alcorano confitetur. Christus viuens, vel, vt ipsi dicunt, raptus in cælum à Deo; vel, vt nos, reductus in vitam, Mahometus mortuus & computrefactus. Denique nec Mahometus negat multo se esse inferiorem Iesu Christo. Vtri ergo par erat legationem postremam mandari, in qua sigillum esset addendum normæ pietatis & vitæ totius? Conueniebat profecto vel Mahometum, si nuncius esset Dei, cum reliquis Prophetis venisse ante Iesum, vel post Iesum neminem mitti.

Accedit his, quod Christus ad diuinæ suæ legis confirmationem ea adferbat, quæ videntes dubitare non possent diuinitus fieri, & facultatem omnem naturæ superare. saraceni enim de illo testificantur, quod reddiderit lumen cæcis, sanitatem leprosis, surdis auditum, mortuis lucem & vitam, & alia innumera. Propheta ipsorum nulla se ait miracula fecisse; cum tamen id præcipuum sit diuinitatis signum: nempe ostendere vel se, vel eum à quo sit missus, maiorem esse & potentiorē naturæ legibus, quod & ipsi quantumcumque ignari, etiam inconsiderantes, satis tamen assequuntur; quia Propheta eorum negat se miracula edidisse, aut sibi eam vim à Deo concessam. Miracula nihilominus aliqua ei attribuunt, sed absurda aut ineptæ; quæ satis appareat esse conficta.

Ex his igitur patet, quam ridicula sint quæ pro Mahometis apostolatu Saraceni fabulantur.

Mahometum neque fuisse Dei Prophetam. §. 4.

Mahometus cum ad Regni fastigium vi & armis ascendere non posset; Marte & ingenio magno usus est; vt qui Rex esse non poterat, Prophetam se, & Apostolum Dei simularet; legēque sibi à Deo reuelatam tanquam summo Dei Prophetæ mentitus est: imo non solum Prophetam se effinxit, sed etiam Prophetam generalem, quin & finem & sigillum se omnium

Prophetarum temerè & mendosè afferuit : quæ omnia falsissîma sunt, vt ex sequentibus argumentis apertissimè demonstratur.

Primo, quia cum prophetia sit inspiratio vel reuelatio diuina, rerum euentus immobili veritate denunciâns, non potest prophetiæ quæ à Deo est, subesse falsum aliquod siue mendacium : alioquin Deus ipse esset author mendacij. Sed quamplurima de se ipso Mahometus prædixit, quæ non euenerunt ; prædixit enim se tertia die resurrecturum, quare à Saracenis vsque ad illud tempus seruatum corpus ita fætere aërem infecit, vt eum quam citissimè sepelire compellerentur. Dixit etiam sibi particulati reuelatione à Deo fuisse concessum, vt sine discrimine vlllo, posset cuiuscunq; mulieri adhærere, vt generaret virum sanctum & prophetam : at non legitur ipsum genuisse filium aliquem, ex quo tamen eius turpitudine quàm prophetiæ falsitas conuincitur. Ipse rursùm Mahometus composuit librum in quo scripsit duodecim millia verborum mirabilium ; mirantibus autem & quærentibus Saracenis quibusdam ab ipso Mahometo, respondit, solâ tria millia veritatem habere, cætera autem esse falsa. O egregium Dei Prophetam! O summum Dei & veritatis Apostolum! in duodecim mille verbis siue sententijs nouem millia confiteris mendacia? Quare cum in prædicto libro, vt author est Richardus in confutatione legis Mahometi cap. 9. falsum aliquod deprehenditur ; respondent Saraceni, & hoc Mahometum dixisse, cum affirmauit non omnia esse vera. Sed & ipso Alcorano, quem Mahometus se à Deo tanquam Propheta accepisse iactat multa continentur falsa, erronea quamplurima; mendacia quasi innumera, vt patet ex erroribus Alcorani initio huius disputationis relatis, & ex alijs infra referendis. Quare, vt etiam ipse Richardus se experientia comperisse testatur, multi Saracenorum, præcipuè viri periti & sapientes, quasi nullam fidem adhibent Alcorano ; & ideo de ipso cum alijs sapientibus disputare recusant, vehementissimeque contristantur, cum ab alijs ipsum legi conspexerint : & ideo verant ne in alias linguas transferatur : purum autem aurum nec aquam timet, neque ignem : talis est Euangelij doctrina, de qua libenter Christiani cum alijs nationibus disputant, legendumque omnibus offerunt, cupiuntque omnibus prædicari, & in alias linguas transferri.

Secundo, Principaliter prophetia cum sit donum Dei, datur ad vtilitatē Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ, secundum illud Apostoli 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem*, sed ea quæ à Mahometo gesta sunt, potius ad destructionem fidei & morum, quam ad ædificationem spectant.

Tertio, Quia licet prophetiæ donum necessario morum honestatem, mentisque sanctimoniam non requirat; secundum illud Apostoli 1. Cor. 3.

Si ha-

*Si habuerim prophetiam, & nouero mysteria omnia, charitatem autem non habuerò, nihil sum: & ob id, aliquando mentem peccatoris spiritus tangat prophetiæ, quædam tamen sunt peccata, vt prudenter annotauit D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 4. quæ vsum prophetiæ impediunt, qualia sunt carnalia: quia illa, passionis vehementia mentem à spiritualitate omnino retrahunt; ex quo quis ineptior fit ad prophetiam. Quare Rabbi Moyses apud D. Tho. dixit: Hoc est signum, quod aliquis sit falsus Propheta, quando voluptatibus sæculi detinetur. Cum ergo Mahometus carnalibus voluptatibus maximè fuerit inuolutus, utpote stupris, libidinibus, adulterijs, homicidijs, spolijs & rapinis, alijsque innumeris flagitijs; manifestè colligitur ipsum non Prophetam Dei fuisse, sed potius de illis, de quibus Ezechiel. 3. *Hæc dicit Dominus Deus, de Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.**

Quarto, Impossibile est esse Prophetam Domini illum, qui in doctrinis & denunciationibus propheticis sibi aduersatur: hoc passim inuenitur in lege Alcorani, spiritu prophetico à Mahometo composita. Et confirmatur quia Deus sibi ipsi contrarius esse nequit: at Mahometus in plurimis diuinæ legi, antiquis Prophetarum prædicationibus, & Christi Euangelio contraria docuit, vt constat legentibus Alcoranum: manifestum est igitur, ipsum non esse Prophetam Dei.

Quinto, Propheta dicitur, quasi proculfans, hoc est ignota, siue præterita, siue futura prænunciâns; at Mahometus ignota nulla præterita dixit: quod si aliqua de Adamo, de Noe, de Abraham, de Moysè enarrasse legitur; non ea illa puritate, qua in fontibus scripturæ sacræ inueniebantur, accepit: sed multa permiscens mendacia, totam pene scripturam infecit. Et vt alia prætermittam, quod clarius mendaciū seu potius delirium, quam asserere Virginem Mariam fuisse filiam Abrahami, & Abrahamū fuisse Patrem Moysi & Aaron; ita palam affirmat in cap. Abraham: & in cap. Mariem, hoc est, Mariam, docet Mariam Matrem Christi, sororem fuisse Aaron: & quod Moyses, & Aaron habuerint quandam Sororē quæ Maria appellabatur, & quod hi tres erant filij Abraham. quid ineptius, aut fabulosius? cum inter hanc Mariam, & B. Virginem Mariam matrem Iesu Christi Saluatoris nostri, mille quingenti anni interfuerint: quare captus est Mahometus in mendacio tam manifesto, Deo sic permittente, vt quilibet facillè deceptionē animæ aduerteret.

Deinde de Patriarchis, vt de Abrahamo, Isaac, & Iacob (itemque de Patriarcha Noë) affirmat quod fuerint Saraceni, & quod propterea diluuium venerit super terram; quia Noë prædicante hominibus, vt fierent Saraceni, ipsi renuebant: quæ omnia ridicula & fabulosa sunt: tū quia ipse Mahometus, sicut ipsemet docet in Alcorano, in c. Elcaminar, ait sibi ex persona Dei

fuisse mandatum, ut sit primus Saracenus in mundo: cum quia Patriarchæ isti fuerunt Christianorum, Iudæorum, ac Saracenorum progenitores, ac proinde non plus Saraceni quam Christiani sunt appellandi. De Apostolis etiam. ut ad Evangelij tempora descendamus, dicit in cap. Abraham quod illi testati sunt & dixerunt Christo, quod essent Saraceni imitatoresque Apostoli Mahometi; quod idem mendacium est apertissimum. Christus enim & Apostoli Mahometum (qui se ipso testante fuit primus Saracenorum) præcesserunt plusquam sexcentis annis. De Christo vero nec esse Deum, nec Filium Dei mentitus est: & quod mirabile est ut credatur. affirmavit Christum neque crucifixum neque mortuum fuisse. Res adeo toti orbi, & per tot sæcula Iudæis, gentibus omnibusque nationibus notissima, ut amentia sit eam negare. De se ipso denique affirmat: Christum prophetasse, dixisseque in Evangelio, Annuncio vobis de nuncio Dei, qui post me veniet, & nomen eius Mahometus: hinc enim mendacium est crassissimum, sicut & alia, cum nihil tale sit apud Evangelium, nisi velimus Christum deo prophetasse, quando dixit Matth. 7. Pseudopphetas venturos post se, qui intus forent lupi rapaces.

Ex quibus non obscure colligitur Mahometum circa præterita mendosum fuisse Prophetam, cum tot mendacijs veritatem corruperit. Quantum vero ad futurorum prædictionem attinet: nihil fere prophetavit, excepto illo de Resurrectione sui corporis. Quare excludendus est à numero Prophetarum.

Denique sapientiæ primo dicitur: *Spiritus disciplinae effugiet fictum: sed Mahometus maxime fuit fictus, & sanctitatis simulator, seductor hominum, omniumque sceleratissimus. Ergo impossibile est ipsum fuisse Dei Prophetam. Nec valet Saracenorum solutio, dicentium, Moysen. & David homicidas peccatoresque fuisse, & dono Prophetiæ præditos: quia etsi illi aliquando peccauerint, egerunt tamen penitentiam de peccatis suis, nec in illis continuo perseverarunt: Mahometus vero nec cessavit à scelere, nec penituit de peccatis; tñ quia aliud est esse Prophetam moribus improbum; aliud vero esse falsum, hæreticum, aut infidelé; mendosâ acturpia ac legi Dei contraria prophetantem seu docentem: quod nullatenus in Dei Prophetâ inueniri potest; cum Deus testis falsitatis non sit.*

CAPVT III.

Legem Alcorani nulla ratione esse à Deo.

Cum reprobus Mahometus nõ fuerit verus Dei Apostolus, neque Prophetâ, sed potius Pseudoppheta, facile erit deducere eius sectam siue doctrinam execrabilem, non esse à Deo latam; quod clariùs apparebit, si per singulas legis diuinę conditiones discurremus, quas Psalmista breuiter, cõpendiosè tamen, Psal. 118. illis verbis præscripsit. *Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Ex quibus quinque conditiones legis quæ à Deo est, ostenduntur, quarum nulla legi, siue sectæ Mahometi quadrat, ut patet ad singulas descendendo.

Prima conditio legis diuinę est, quod sit rationi cõsona, quæ ostenditur cum dicitur (*Lex*) Nam iuxta Philosoph. 2. Ethic. *Lex est ideo quod ratione consistat: Et Tullius: Lex nihil aliud est quam recta à numine Deorum tractata ratio: ex qua legis conditione luce clariùs colligitur, illam non esse à Deo datam legem, in qua traduntur quæ omnino à ratione discordant.* In secta autem Mahometi multa continentur rectæ dissona rationi, imò quæ bestialia sunt, ut fornicationes, adulteria, peccata contra naturâ, furta, & rapinę: de quibus infra latius dicemus: Quare manifestum est illam legem à Deo non esse.

Secunda legis diuinę conditio est, ut sit honesta, iusta & sancta præcipiens; id enim notatur à Psalmista illa particula (*immaculata*) quam etiam conditionem Tullius confirmat dicens: *Lex est recta ratio à Deo summo tractata, imponens honesta, & prohibens contraria:* hic enim est proprius legis effectus iuxta Aristotelem secundo. Et cor. homines inducere ad virtutem. Virtus autem est, quæ bonum facit habentem, ac opus eius reddit honestum. Cum igitur secta & doctrina Mahometi inhonesta & turpia multa contineat, ut ex dictis, & infra dicendis constabit euidentissime, non erit à Deo, qui cum sit sanctissimus, non nisi sancta præcipere potest.

Et quamvis in Alcorano ieiunium, oratio, & elemosyna commendentur; ista tamen opera, quę secundũ se optima & honesta sunt, non quidem primò inuenta sunt ab ipso Mahometo: sed ea mendicauit tum à Patribus veteris testamenti, Moysè, & Elia, & aliis; tum potissimum à Christo Domino, eaque didicit à doctrina legis veteris & nouæ. Quare ipse eorum operum primus Magister non fuit: fatemur tamen ipsum primũ auctorem monstruosi ieiunij extitisse, ita ut non aliud videatur instituisse ieiunium, quam ut postea & finito voluptuosius, & appetentius exciteretur omnis libido & turpitudò.

Tertia legis diuinæ conditio est; quod non solum exteriores actus hominis, sed etiam interiores dirigat, & ad Deum conuertat. Manifestum est enim quod vnusquisque legislator ad suum finem principaliter per leges homines dirigere intendit, sicut dux exercitus ad victoriam, & rector Ciuitatis ad pacem: finis autem quem Deus intendit per legem quam ipse dat, est ipse Deus, ergo lex quæ à Deo est, hominem ad Deum ordinare intendit, & ita conuertere animas ad Deum, vt illi fide & amore inhæreant. Ex hoc capite luce clarius apparet, à Deo opt. Max. qui vult omnes homines sanctos esse, legem Mahometi non emanasse, quæ animas non conuertit ad Deum, vt illi adhæreant; sed auerit, nec dirigit actus interiores, imo nec exteriores ad virtutum & sanctitatis opera; sed potius ad spurcitiem & maximas obsecnitates.

Quarta diuinæ legis proprietates est: quod habeat *testimonium fidele* certitudinis suæ, & rectitudinis: sicut enim veritas quæ subiacet facultati naturali intellectus, declaratur & firmatur per reductionem ad prima principia per se nota; sic veritas quæ transcendit naturale lumen interitus, qualis est doctrina fidei Catholicæ, declaratur & firmatur per opera miraculosa, soli Deo possibilia. Quare ad persuadendam nouam fidem, legem, aut alicuius personæ extraordinariam missionem, miracula efficacia, & sufficientia sunt necessaria. sic declarata & confirmata est veritas veteris legis, quia, vt habetur Exod. 19. in datione legis, audiri cœperunt tonitrua, micare fulgura, & nubes densissima terram operiere. hoc etiam modo confirmata est lex Euangelij miraculis factis coram Principibus huius mundi, tam per Christum, quam per suos discipulos: Ioan. 15. de se ipso inquit Christus, *si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et ipse Mahometus Christum in miraculis & signis maximis fateretur in 5. cap. quartæ definitionis Alcorani, his verbis: Filius tuus (alloquitur enim B. Virginem mariam) cæcos ac mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos suscitabit: quæ cuncta credentibus in Deum miracula contulerunt, & idem reperit in cap. 13. Et de discipulis Marci vlt. dicitur: *illi autem predicauerunt vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Hinc Propheta opera Christi præuidens, esse sufficientissima testimonia veritatis doctrinæ eius ait: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Præterea, qui mittitur, debet ostendere testimonio eius à quo mittitur, sibi traditam auctoritatem; alioquin nemo tenetur eum recipere: nam sicut, qui mittitur à Prælato ad prædicandum, vel à Principe, legationis alicuius explendæ causa; Principis ostendere debet testimonium vel Prælati, nimirum litteras eius sigillo munitas: ita qui à solo Deo mittitur, sigillum Dei ostendere debet, quod nil aliud est, quam miraculum. Sic enim dicitur Marci vltimo, vt supra; *Et sermonem confirmante sequentibus signis.* Et ad Hebræos 2. *Contestante Deo signis & virtutibus.* Vnde

Vnde miraculum est testimonium sufficiens; ad confirmandam alicuius legis veritatem: nam verum miraculum fieri non potest, nisi Dei virtute. Quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur: Deus autem non potest esse testis mendacij. Igitur quod miraculo confirmatur verum sit necesse est. & ex consequenti, vbi nulla sunt vera miracula, vera fides non est. Quare cum Mahometus, vt testatur Damascenus lib. de 100. hæresibus circa finem, nullo testimonio probare potuerit suam legem, clare constat, ipsum non esse prophetam neque Apostolum Dei.

Quinta conditio, Proprium est legis diuinæ quod sit *sapientiam præstans paruulis*, id est populis. Dicitur autem sapientia, quasi sapida scientia: quia cælestium & diuinorum contemplatione, dilectione, & dulcedine mentem perfundit, quia suo splendore intellectum illuminat, & affectum mellifluis inebriat amore. Hæc autem legi Mahometis non conueniunt, quæ carnalitatis & luxuriæ sordibus plena est, &c.

Aliæ conditiones quæ propriæ sunt legis diuinæ, in Alcorano minimè inueniuntur vt sunt quod vera in omnibus contineat, & doceat; hæc autem lecta erroribus & mendacijs scater; vt infra clarissimè constabit. Præterea quod graui & solida tradat non fabulas: hæc autem lex plena est fabulis, nugis, vanitatibus. ac innumeris rebus inter se pugnantibus & contradicentibus: quare sibi constans in omnibus non est, vt ex dicendis latius apparebit. Quibus omnibus probè consideratis, mirari quispiam satis nequeat quomodo vel somnianti, nedum sapienti persuaderi potuerit, Mahometum Prophetam esse: cum vita, & doctrina non solum diuinæ religioni sed etiam humanæ honestati ita repugnet; vt eum vel bruta animantia abominari debeant.

Porrò quis vnquam sanctorum, aut diuinorum nunciorum se in terrore gladij missum gloriatus est? quis ita facinorosè vixit? quis denique tot spurcitijs docuit? aut quis ita gula & libidini genus humanum prostituit?

CAPVT IV.

Legem Mahometi esse irrationabilem, ex parte eorum quæ docet, præcipit, permittit, & continet.

Restat vt ex parte materia, Alcorani legem esse irrationabilem demonstramus: & omisis alijs capitibus, esse irrationabilem deducemus,

mus, primò ex eo quòd manifesta continet mendacia & contradictiones. Secundò quia docet ea quæ cum recta ratione stare non possunt. Tertio, quia est lex turpitudine plena: permittens etiam illa quæ sunt naturæ legi contraria. Quartò, quia est iniqua & violenta.

Legem Alcorani esse irrationabilem quia aperta continet mendacia, & quamplurimas contrarietates. §. 1.

Innumera sunt mendacia, & nugæ manifestæ, quas Mahometus tam voce, quam scriptis docuit: protulit enim mendacia de se ipso, de Christianis, de Iudeis, de Apostolis, de Patriarchis, de demonibus, de Angelis, de Virgine Sanctissima, de Christo, de Deo, ac denique de scriptura sacra tam veteris quam noui Testamenti. Et quoniam immensum esset omnes eius fallacias, imposturasque confutare. (centum enim & tredecim fabulas de isto impostore ex Euodio Monacho Euthymius in sua Panoplia recenset) ideo de selectioribus quibusdam tantum dicemus.

Mendacium est, Scripturam sacram tam Veteris, quam noui Testamenti esse corruptam. §. 2.

Scriptura sacra corrupta non est. **M**Ahometus sequutus Manichæos, aliosque antiquos hæreticos, Maseruit in scripturis tam Veteris quam noui Testamenti multa tam à Iudæis quam à Christianis falsata, multa quoque superaddita, ac multa subtracta fuisse; ita vt nihil veritatis in lege & Euangelijs permanferit, nisi quantum est in Alcorano: qui ideò eam sententiam & errorem amplexus est, vt Alcorani secta scripturæ testimonijs non superaretur, ipse que liberius pro sua libidine aberraret: quemadmodum Augustinus de Manichæis lib. 32. cap. 19. contra Faustum scripsit: *Videtur ergo, inquit, id vos agere, vt omnis de medio scripturarum auferatur autoritas, vt suis cuius animus auctor sit.*

Hoc autem impijssimum mendacium multis clarissimisque argumentis conuincitur.

Primo, eodem argumento, quo Augustinus supra cap. 16. vitur contra Manichæum:

Manichæum. Nam cum Mahometus errores suos ex scripturis confirmat, & tamen easdem esse corruptas ostendit: ita sanè agere videtur ac si quis testem iuum prius dicat esse falsitate corruptum; & tunc demum producat eum ad testimonium: si enim falsati sunt ac fide carent Scripturæ Codices qui ante Christi aduentum vsque ad hæc tempora toto orbe terrarum custoditi, commendati ac clarificati peruenerunt; vnde miser hic & infelix Mahometus veteris, ac noui testamēti scripturas accepit? Præcipit ipse in Alcorano obseruari legem & Euangelium. Quæro ab eo, an illa quæ apud nos sunt, an alia. Non primum, quia, illa dicit esse corrupta; non secundum, quia talia in toto orbe non inueniuntur.

Secundo, quia siquid, quantumuis minimum, in scripturis falsatum esse dicatur, omnis scripturæ fides authoritasque adimitur; sicut enim de corruptione partis vnius, suspicari licebit, ita de cæteris partibus, cum nulla potior causa sit, cur hæc magis pars, quam illa incontaminata seruari debuerit. Vnde D. Augustinus ad Hieronymum Epistola 8. *Mibi, inquit, videtur exitiosissimè credi aliquid in sanctis literis haberi mendacium, id est, eos homines per quos illa scripta sunt, aliquid fuisse mentitos: quia admissio semel in tantæ autoritatis fastigium aliquo officioso mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit: quæ non, vt cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis consiliū officiumque referatur, Quæ ergo fides adhiberi poterit illi scripturæ parti, quæ in Alcorano continetur?*

Tertio, quia nulla erit scriptura, quæ non simili ratione, dubia, incerta, ac falsitatis & mendacij suspecta, argui possit. Vnde enim, inquit Augustinus contra Faustum l. 33. c. 6. *constat eos qui nunc habentur Hippocratis esse libros, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore, vsque ad hoc tempus successionis series ita commendauit, vt de his dubitare demens sit?* Mahometi, item Alcorani librum vnde nouerunt Saraceni quod ipsius sit quod incorruptus, ac integer, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua.

Quarta ratio, Ipse Mahometus in Alcorano dicit in cap. de Iona. Si fueritis in dubio, ait, de hoc quod reuelamus vobis petatis ab illis qui legerunt librum ante nos. Qui autem prius legerunt, sunt Iudæi, & Christiani, ergo Iudæos & Christianos consulendos de suis dubijs, Saracenis præcipit. Non ergo vitiatum sunt libri Iudæorum & Christianorum tempore Mahometi. Nec possunt dicere, quod postea fuerint vitiatum, dicitur enim in Alcorano in cap. Elchagar. Nos inquam, in persona Dei fecimus descendere recordationem Dei. & nos eandem custodimus. I. ex autem Moyfi, & sanctum Euangeliū apud Saracenos dicuntur recordatio: ergo Deus semper apud suos fideles testimonium suæ scripturæ conseruauit ante Mahometum, & conseruabit postea.

CAPUT V.

Alia mendacia Mahometi deteguntur, ac quedam alia quæ in Alcorano vana & ridicula continentur, referuntur.

NVlla re clarius Alcorani vanitas, anilesque nugæ deprehenduntur, quam aliquibus in medium prolatis exemplis & testimonijs. In primis, vt nunc omittam quamplurima alia. mirum est quot fabulosa & ridicula in historijs Alcorani passim conspiciuntur; de Adam, de Caim, de Abel, de prædicatione Noe. de Pharaone qui iussit sibi ædificium vsque ad cælum construi, vt videret Deum. His igitur omisis de Moyse & Angelo mortis, refert narratiunculam aptissimam, ad terrendum puerulum aliquem proteruum. Moyse, (inquit) cum solus per desertum vagaretur; forte sepulchrum inuenit apertum & vacuum, rectè ad quantitatem suam effossum; quod admirans cepit ad propriam mensuram metiri. interea Angelus mortis venit ad interficiendum Moysem: quem cum nouisset Moyse, quæsiuit, Ad quid venisti? respondit, Missus sum pro anima tua, cui Moyse. Quomodo ergo putas eam eripere? per os enim non poteris, quo locutus sum cum Deo: neque per aures quibus vocem Dei audiui: neque per oculos, quibus faciem Dei vidi: neque per manus, quibus donum Dei recepi: neque per pedes, quibus montem Sinai ascendi. Habes iustas causas ob quas non posset mors per membra illa irumpere. Sed si miser Moyse odorem aliquem præstaret & ex illis diuinis esset odoratus: non habuisset mors qua in illum penetrasset. His ergo auditis abiit Angelus Domini, formaque mutata attulit pomum de Paradiso: quod cum olfaciendum porrigeret, recepit Moyse. cumque naribus apponeret, arripuit eum Angelus tanquam Bubalum per nares, per quas tanquam emungens animam eius extorsit, sic mansit corpus eius in sepulchro nunquam reperto. Sed mirandum est odorem sacri suffitus in sacrificijs non illi esse opitulatum, nec odorem fumi resiliens ab igne. in quo Dominus descenderat in Sina. Quod si ille, quibus partibus cum Deo esset versatus, mortem non poterat recipere; quomodo mortuus est Mahometus, qui vidit, audiuit, allocutus est Dominum, & quidem tetigit eum Dominus: qui tactus non morbum debuit illi importare, vt vos dicitis, & cerebri debilitatem quod est Deo indignum: sed quod vita & salute omnium fas est credi, salutem atque immortalitatem.

Præterea

Præterea de Salomone (vt author est Richardus cap. 4.) dicitur in cap. Emule, quod interpretatur musca. Quod Salomon magnum Angelorum congregauit exercitum, & hominum, & irrationabilium animalium: recedentes autem inuenerunt quasi fluuium quendam muscarum, & tum iam dixit musca. O, muscæ introite in habitationes vestras, ne corrumpat vos Salomon, & exercitus eius, & musca subrisit. Et paulo post, omnes aues in exercitu inuentæ sunt, musca autem absens. Et dixit Salomon, Quid est, quod non video muscam? puniam eam. & amputabo caput eius, vel reddet mihi rationem propter quam abest, & longè est. Et dixit, Didici quod vos ignorastis, & veni ad vos ex Sabæa, cum veris nuncijs; inueni enim mulierem imperantem illis, & coegieam, & populum eius colere solem absque Deo, & reliqua.

Et in cap. Seui, inquit vermem significasse mortem Salomonis dæmonibus, vbi dicit expositio, Quod Salomon innixus suo baculo, tanto dolore repente correptus est, vt statim expirauerit, diuino autem miraculo non cecidit dæmones autem qui ei seruiebant videntes eum stare, credebant ipsum dormire. Et natus est quidam vermis è terra, & corrosit baculum cui innixus erat: quo contrito cecidit Salomon, & tunc currentes dæmones cognouerunt eum esse mortuum, & ex eo ceperunt hominibus iuxta posse nocere.

Refertur etiam Mahometum dixisse, dæmones olim solitos fuisse cælum conscendere, exploratum quid ageretur in consilio Dei. Deum verò cum aliquoties sentiret hostibus patefacta sua arcana, iratum deprehendisse fraudem; tunc apposuisse custodes & ianitores diligentes, qui excubarent; ne quis dæmon posset in posterum fallere, & creasse stellam lucidissimam, quæ exploratores dæmones patefacit, & persequitur. Quid fingi potuit crassius, & minus Deo conueniens? quasi falli possit Deus ratione vlla, aut ignoret quid Angeli & homines cogitent, non solum agant: aut ianitoribus ille indigeat, aut dæmones in cælum conscendant post casum: aut Deus ira de rebus agendis consulat, vt qua de re deliberet, aut quid statuerit, cognosci possit. Sed illud ad risum mouendum perfestuum, reputare quemadmodum insidiatores dæmones cælum clanculum ascendant, suspensioque vestigio ingredientur; quomodo fallant custodes. Alia ex parte Deum iratum, & dubitantem & quærentem intra se, num quos habeat in consilio parum fidos?

Aliam quoque narrat fabulam more suo. Air quippe, Iudæus vbi est, quem Deus euocabit post diem Iudicij? Respondit in medio inferni est vallis, in valle est gurgis, in gurgite puteus, in puteo arca, in arca vinculus catenis astrictus compede suo, qui stans per mille annos incessanter

fanter Dei misericordiam appellabit. ait, Quid ergo faciet illi Deus? Respondit, Post mille annos faciet eum adduci sibi, dicetque Quid tibi vis miser, qui aures meas inquietare non desinis? quæ te fiducia ducit? quo merito speras? Respondit gemens: Domine Deus meus, ego non habeo præter te, qui mei misereatur: tu satis habes præter me ubi vindices iram tuam. Miserere mei Domine, miserere mei: sed Deus iubebit eum reddi inferno abducentur ergo. nec adhuc misericordiam Dei inuocare cessabit. Misertus tandem Deus eripi eum præcipiet, cumque pice nigrior infernalis eum tingat color, interrogabunt Angeli qualiter Paradisi incolis miseri poterit: tunc lauari eum præcipiet Deus in fonte aërio, fietque albus totus, præter maculam in fronte. Mundatus ergo incedet per Paradisum, in publico conspectu omnibus notabilis. Hic ergo assignabunt eum inuicem omnes videntes, ereptumque inferno quasi improperando hinc inde murmurabunt. Ille verecundus, in tantum pudore vincetur quousque dicat, Mallem reddi inferno, quam huiusmodi probra longius terre. Dicit itaque Deus Angelis, ut iterum illum quinies lauent in fonte eodem, quo factò tolletur macula, reddeturque paradiso, & cessabit opprobrium. Vides hic sanctos illos spiritus factos à Mahometo irrisores, inuidos, & superbos, quales nec boni visi sunt inter nos; & quod flagitiosus est damnantes consilium, voluntatem, ac misericordiam Dei & Domini sui. iam quid opus erat fonte ad eum abluendum. aut ubi est is fons in cælo? quàm verò aptè rogat?

De veratione vini, & suillarum carniū ac de historijs aliarum rerum naturalium. potius hominem ad focum à largiore cæna sedentem, fabellas etiam ridiculas narrantem, quàm se Prophetam à Deo missum, ut ipse commentabatur, nemo non iudicabit. Introducit Iudæū se alloquentē in Alcorano dicens, Veras nos vesci suilla, cedo causam, quoniam, inquit, cū animantes omnes essent in Arca Noe, Elephans excreuit, inde natus est porcus qui rostro repando vertebat stercus, vnde natus est mus qui stupas quibus tabulæ naui erant compactæ, ardebat, hinc error ingens Noe, à quo Dominus consultus, attulit remedium iam prope deploratis rebus. iussit ut Noe feriret Leonem in fronte, ex Leone concitato felis prosiluit per nares, is murem venata est, & liberavit genus humanum tanto discrimine. Non sunt ergo felis, & porcus animantium formæ de principio à Deo cōditæ, sed casu extiterunt, & quidem porcus ex stercore Elephanti: mirum est eos qui alunt Elephantos, non percipere ex eorum stercore illam vtilitatem, nec vllum postea porcū esse sic natum. Vnde autem tam subitè inimicitia inter felem & murem? quid porro fele erat opus, an non alia animantes potuissent murem interficere? ut leo ipse, aut mustela?

Quare

Quare vero vinum prohibuerit, ipse more solito aliam fabulam lepidā excogitauit. Interrogat ergo eum Abdias Iudæus dicens, Cum in Paradiso vinum esse describas, quid operis ibi habet, si vinum illicitum est? si autem licitum, cur in hoc sæculo prohibes vinum? Respondit, Tam argute quæris, ut vna interrogatione geminam necessario responsionem extorqueas? Vtrumque ergo exponam, & illic esse licitū, & hic illicitum. Erant enim Angeli Dei duo Norrot, & Marot misi olim de cælis in terram, gubernado, & instruendo generi humano tributi, his interdictis ne occideret, aut iniuste iudicaret, ne vinum biberent. Multo itaque tempore hic habitati cum noti essent iudices vniuerso orbe, venit ad eos quadam die mulier, præ cunctis faminis omni modo pulcherrima, causam habens aduersus maritum, quæ ut causæ suæ accommodaret iudices, quadam die inuitauit eos ad prædium: quibus epulantibus ipsa epulas & pocula vini apponit, astat ministrans, offert crebro, inflat ut sumant, quid plura? Vicerunt blâditia mulieris: Inebriati poculis in hospitam formosam incaluerunt, victi accubitu petierunt, spondet conditione, dummodo alter verbum doceat, quo in cælum ascendebant, alter verbum per quod descendebant. Placet conditio Cum ergo didicisset, alleuata est subito, & ascendit in cælum. Quod cum vidisset Deus, explorata causa, posuit eam luciferum ita pulcherrimam inter stellas, ut fuerat inter mulieres, illis in iudicium euocatis proposuit Deus, ut eligerent inter pœnas sæculi huius, & alterius: elegerunt hanc, suspensi sunt ergo per catenas ferreas demissis capitibus in puteo Behil, vsque in diem iudicij. Quid ergo Abdias, nonne sufficiens videtur causa, cur Paradiso licitum sit vinum, & hic illicitum? Ait, vera satis, & merito. Sic ille.

Instituit præterea capitulum proprium in Alcorano de formica, aliud de aranea, de fumo aliud. Hæc & his similia nugator fatuus & ridiculus circulator Mahometus effutijt. Ex quibus quiuis recti iudicij aperte viderit, quam longè lateque à lege Dei hæc Mahometi lex distet.

CAPVT VI.

De fictione cuiusdam falsissimæ Visionis
Mahometi.

INter alia quæ improbus Mahometus ad comprobationem suæ legis, suæque sanctitatis commendationem finxit, est illa celebris apud Alcoranum visio, qua raptus est in cælum, vsque in conspectum Dei altissimi, quam ipse his verbis in cap. Filiorum Israel narrat in Alcorano, teste

QQQ

Richardo,

Richardo, in confutatione Alcorani, his, verbis: Laus ei (inquit) qui fecit transire seruum eius in vna nocte ex oratorio Elaram, quod est domus Mecha: vsque ad longissimum oratorium, quod est domus sanctę Hierusalem, quam benedicimus, & reliqua. Expositio autem huius sententię est, quod Mahometus vna dierum psallebat matutinam eius horam. quam cū perfecisset dixit hominibus. O vos homines considerate: heri postquam ego discessi à vobis, venit ad me Gabriel, post vltimam vespertinam psalmodiam, & dixit mihi. O, Mahomete mandat tibi Deus vt visites eum; cui dixi, Et vbi visitabo eum? & dixit Gabriel, in loco vbi est: & adduxit mihi iumentum, maius quidem a sino, minus autem mula & nomen eius Elmparac. Et dixit mihi, Ascende, hoc est, equita ad domum sanctā. Cumque conarer ascendere, aufugit iumentum: dixitque ei ita firmiter, Mahometus enim est qui vult te ascendere & respondit iumentum; nunquid pro eo missus sum? Respondit Gabriel, vtique Et dixit iumentum, non permittam eum ascendere, nisi prius rogauerit Deum pro me, Ego autem intercessi pro iumeto apud Deum meum, ascendique ipsum: & ambulabat me insidente tenui gressu: collocabatque vngulam pedis in horizonte visus sui, & sic veni in domum sanctā in minori spatio quantum oculi ictu percipisset. Erat autem Gabriel mecum, & duxit me ad rupem in domo sanctā Hierusalem: & dixit mihi Gabriel, descende, quoniam ab hac parte ascendes in cælum, & descendi. & Gabriel ad rupē Elmparac iumentum cum cingulo ligauit, & portauit me in humeris suis vsque ad cælum. Cumque venissemus ad cælum, pulsauit ianuam Gabriel, dictumque fuit ei: quis es? Respondit, ego sum Gabriel. Dictumque fuit rursum ei: & quis est tecum? Respondit, Mahometus: dixit autem Ianitor nūquid pro eo missus fuisti? & dixit Gabriel, etiā. Et aperuit nobis ianuā, & vidi gētes Angelorum: & bis flectens pro eis genua effudi orationē. Et post hęc cepit me Gabriel, & duxit me ad secundum cælum: Erat autem spatium horum duorum cælorum, iter quingentorum annorum. Et quam primum pulsauit ianuam, responsio facta est ei, per omnia similis vsque ad septimum cælum: in quo septimo cælo, describit se vidisse populum Angelorum quorum vniuscuiusque magnitudo millies mundi magnitudinem longe excessit: singuli septuaginta millia capitum habebant, & in quolibet capite septuaginta millia ora, & in quolibet ore mille septuagintas linguas laudantes Deum septingentis millibus idiomatibus. Cumque vidisset vnum Angelum flentem, causam percunctatus est: cui respondit Angelus, se peccasse, ipse autem pro eo orauit. Sicque inquit Gabriel commendauit me alteri Angelo, & ille alteri, & sic deinceps, quousque steti coram Deo, & tribunali eius. Et tetigit me Deus manu eius inter humeros, ita vt ad medullam spinę dorsii mei frigiditas eius pertransierit: & dixit

xit mihi, Imposui tibi & plebituz orationes: cumq; discessissem ad quartum cælum, consuluit mihi Moyfes, vt reuerterer ad leuandum populum, qui tot orationes ferre non poterat: & primo reditu obtinui remissionem à decem vsque ad quartam, & à quarto reditu, vsque ad septimam, & in fine tantum decreuit numerus orationum, vt paucę remanerent. Cūque diceret Moyfes, nec has poterunt ferre homines, ego pudore suffusus nolui amplius ascendere. sed rediens ad Elmparac equitavi descendens in domum Mechæ: horum autem omnium tempus minus fuit quam decima pars noctis. Visionem hanc hoc verborum tenore refert Richardus cap. 14. vir alias veratissimus in Alcorano. Saracenorū acerrimus oppugnator, plusque se prætermisisse, quam narraffe affirmat: hęcque est illa famosa visio qua (vt supra retulimus) audita à Saracenis mille homines à legere cesserunt, clamātes, Ascende de die in cælum, vt nos aspiciamus, & videamus obuiantes tibi Angelos ita fuerunt huiusmodi mendacio siue visione exasperati) sic enim Spiritus sanctus eum permisit mentiri, vt facile quis eum possit capere in sermone, figmētaque cognoscere. Quare inquam indignit Asino vel iumento à Mecha vsque ad Hierusalem. qui ex Hierusalem vsque ad vltimum cælum ascendit absque asino? Quorsum igitur Asinus orationes postulat Mahometi, cum bellua orationibus non indigeret? Quorsum in cælo tot Angelorum monstra, septuaginta millia capita, & in quolibet capite septuaginta millia ora habentia finguntur? aut quæ conuentio Angeli cum fletibus, aut fletuum cum gloria & læticia Paradisi? Aut quomodo potuit splendorem Angelorum in cælo sustinere, qui, vt ipse testatur apparente sibi Angelo, semper in terram concidebat, & spumans agitabatur, & incuruabatur, & contrahebantur manus, & pedes eius? neque in prædicta visione docet se spiritu raptum, sed potius corpore simul, & anima. quod lōge absurdissimum est. Cuius signum est, quia dicit Deum manu sua tetigisse eum inter humeros, & sensisse frigiditatem vsque ad medullam spinę dorsii. Vnde Deum, & singulos supponit positionem habere spatio corporali, ipsumque Deum vidisse oculis corporeis: quare non mirum si Deum corporeum faciat. At quomodo animam Moyfes oculis corporeis videre potuit? Ex quo & ex alijs, quæ breuitatis causa prætermittuntur, vana & mendacia esse omnia, quę in Alcorano continentur, colligitur, & eorum authorem non Dei sed Dæmonis fuisse Prophetam.

cillarum liberè permittit: quæ omnia non solum diuinæ legi, sed & naturali inuisa sunt.

In primis bestialis Mahometus peccatum contra naturam manifestè Saracenis concedit; quamvis aliqui ex ipsis glossas nescio quas excogitauerint, ad excusandum Mahometum, ipse tamen clare in Alcorano inquit, quod non polluant se cum Infidelibus nisi credant. Et de mulieribus inquit: Mulieres vestra iratura vestrae sunt, utimini eis ut vultis. Quam vero execrabile sit illorum scelus: quibus non sufficit sexus à Deo datus, sed si uel etiam sexum profanè & petulantè corrumpant. clarissime scripturæ sanctæ exemplo Sodomorum eorumque supplicio confirmant. Sed quia Saraceni scripturas non admittunt, rationibus naturalibus conuincamus, peccatum hoc, siue proprii sexus abusum, siue cum muliere propria, siue cum alijs commissum, crimen esse grauissimum admodum execrandum, & contra rectam rationem, & omnem debitum naturæ ordinem. Quare vniuersæ fere nationes & gentes appellant hoc detestabile scelus peccatum contra naturam: & quia est turpissimum, & omni execratione dignissimum; solet etiam vocari peccatum nefarium; quod perinde est ac si dicatur, peccatum infandum; quod quia est impudicissimum, & immundissimum, nec nominari debet.

Quod autem omnem debitum naturæ ordinem hoc crimen evertat & tollat, manifestè constat. Primo, quia natura rerum ortum, procreationem, & multitudinem procurat; at hominum ortus & procreatio fit & conseruatur legitimo fæminarum usu, nempe intra vas ab ipsa natura ad hoc deputatum, huncque fæminarum usum natura docuit ac constituit; & non istum turpissimum inuerso ordine concubitus; neque enim ex ipso oriuntur procreariue possunt homines, imo isto tam immundo & impuro coitu omnis hominum procreatio impeditur. Est igitur iste usus, & quicumque alius extra vas à naturæ designatum, turpissimus, & qui debitum naturæ ordinem dissipat.

Secundo, belluæ rationis expertes quarum actiones naturæ diriguntur, nullum alium coitum cognoscunt, nisi maris cum femina. Viri ergo qui spreto fæminarum usu, cum masculis aut cum fæminis, ac si mares essent, coeunt, omnem debitum & à natura institutum ordinem evertunt, suntque ipsis belluis peiores. Est itaque hoc crimen maximè detestabile & obsecrabilissimum.

Tertio, Deus & natura attribuunt singulis rebus vires, facultates, & instrumenta apta & conuenientia ad suas naturales functiones, ut ad incessum pedes, oculos ad aspectum, aures ad voces & sonos audiendos: sed vna cum viro Deus fæminam procreauit; ut vir consortem haberet, cuius naturali usu & opera, hominum ortum procurasset; & fæminæ destinatus est vir ut socius, cuius opera semen hominum procuratum

aptum in naturali vase reciperet, & ita conciperet fetum: inuersus igitur usus contra omnem debitum naturæ ordinem est.

Quarto, quis non videat rem esse spurcissimam, & omni detestatione dignissimam, virum procreatæ aetatis esse tam effeminatum, ut mollem & muliebrem usum & officium præstet obiectissimè? Nefas ergo est, ut homines, fæminarum siue muliebrem usum exerceant.

Quinto, si quis frumentum seminasset in tabulis vel faxis; iure diceres esse eum hominem stultum & insanum; Nam sementem facimus, ut metamus, & fruges colligamus: at nisi semina madetur terræ aptè & ad semina suscipienda præparata, nullæ messes, vel segetes prouenire possunt. Semen humanum est institutum ad homines procreandos, ut experientia constat: committi ergo debet vasi, & loco legitimo, & ad id à natura destinato, alioquin enim (sicut frumentum seminatum in tabulis vel faxis) amittitur; itaque contra debitum naturæ ordinem, extra legitimum & solitum fæminæ vas seminatur.

Sexto, id dicitur contra naturam quo utimur contra finem & ministerium naturale & debitum: at est à natura institutum, siue in pueris, siue in viris siue in fæminis, ut redundantes siue superfluentes potus & cibi faeces & excrementa egerantur, & emittantur è corpore, ergo ij qui eo utuntur ad semen hominis recipiendum, naturæ ordinem peruertunt, & ob eam rem iste abusus interdictus est, siue in pueris, siue in viris, siue in fæminis & quia crimen est omnino execrandum, & spurcissimum, fuit diuina lege sancitum, ut siue masculus siue fæmina quæ se hoc flagitio pollueret, occideretur; & è medio penitus tolleretur. Et hinc etiam fit, ut in Christianorum Prouincijs & Regnis huius fæditissimi criminis rei interfecti coburantur. Ut tam usus quam memoria illorum funditus deleatur; & peccatum tam spurcū & fædum penitus extinguatur. Quare hinc intelligitur quales sint Mahometi leges, quæ inpurissimum hoc scelus ut mundum & honestum admittunt. Denique turpitudines aliæ prædictis fædiore, si quæ excogitari possunt, apud Saracenos hodie in usu sunt: nam ut refert Bozius lib. 12. de signis c. 20. Est inter Turcas quorundam, qui religiosissimi habentur, secta. Vocantur hi Turbachi. Mos est istis palam per obscenitatem spurcissimam coire cum quibusuis, ipsis etiam belluis, præcipue verò cum asinabus, quibus ipsi vehuntur: & quo fidentius hac perpetrant, eo sanctiores existimantur. Ideo si in vno aut altero scriptore legissem, nullo modo inducere in animum possem, ut crederem: sed omnes qui Turcarum mores latius describunt, id constantissime affirmant: in his Ioannes Antonius Menauinus Genensis. Theodorus Spanduginus Catacuzenus, Bellonus Gallus, Ioannes Leo Africanus, qui quidem è Mahometorum sanguine ortus, Mahometo quoque diu additus, cum fuisset à nostris captus, Romam quoque Leone X. sedente adductus, Christo se dedit, & Africa descriptionem, moresque sue gentis proprio libro diligentissime

atos nobis reliquit. Adijt hic aliud lōge obscenissimum, solitos huiusmodi homines, ubi impetus eos libidinis arripuerit, violare mulieres obuias, quas posuerint in medijs vijs, nisi obstiterint illæ præ naturali, qui reliquus est humanæ menti, pudore. Quod vero est insanissimæ mentis, & ad præsens argumentum spectat, tanta superstitione defixi populi tenentur, vt credant hos homines diuinissimos, mulieres vero quæ compressæ fuerint ab istis, ex hoc facto quasi consecratas & sanctiores factas. Et post pauca. tam vero si libidinem spectes, nihil obscenius Mahometanis vnquam fuit. De nullis enim Regibus legas, qui non modo ducentas, aut trecentas mulieres, ad exsatiandam suam cupidinem conclusas habuerint, sed etiam totidem formæ elegantioris adolescentes; vt in more positum videmus apud Orthodoxos. ac Satrapas omnes Turcarum. Sic in cunctis celebrioribus Mahometanorum locis obsoletorum prostibula publice habentur. Quin lex est sancita ab Eubocare Mahometis successore, ac recepta ab Aomar & Odmen, posterisque omnibus, cuiuslibet fas esse ad quosuis usus adhibere quæcunque is habeat in suo dominio. Hinc haud verentur coire cum belluis, & omni se turpitudine commaculare: quod post alios refert Theodorus Spanduginus in vita Ismaelis & Tamma, vt vocant, Sophorū. Vt igitur alia gentes obscena fuerint, sane hac in re Mahometani purissimi sunt habendi; quia non modo feditate huiusmodi sed crudelitate in omnes, ac rapacitate cunctis populis illi præcellunt. Hactenus Bozius.

CAPV T I X.

Irrationabilem & turpem esse legem Mahometi,
quia tanquam licita permittit adulterium
fornicationem & polygamiam.

PRÆterea Alcorani turpitudine clarissimè conuincitur approbantis concubitum viri (etiam matrimonio ligati) cum mulieribus emptis & captiuis. Vnde in cap. 32. Alcorani inquit, Castitatem seruate, nisi cum proprijs vxoribus, aut sibi subiectis, & ancillis, inde namque nulla sit querimonia. Sibi tamen tanquam omnium turpissimo, non tantum ad ancillas, sed ad omnes aliorum vxores, (sicut equus & mulus) accedere à Deo fuisse sibi concessum, vt posset viros sanctos & Prophetas generare, impiè blasphemar.

Hic autem Alcorani error adulteriū siue fornicationem tanquam licita approbans, quod contra Diuinum præceptum sit, apertissime constat: dicitur enim Exod. 20. Non mœchaberis, & Tobix 4. Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, nō patiaris crimen sciri. Sed & rationibus agamus ostendentes esse etiam contra legem naturæ. Primo, Quia natura duce ad-

monentur Viri, non solum extra priuatos parietes, sed neque etiam extra proprium lectum fidem matrimonij violare: ita vt cum quis habet vxorem, neque liberam, neque ancillam habere insuper velit. Ita enim contractus hic matrimonij ex præscripto naturæ initus est, ita fidem quilibet coniugū seruare tenetur, vt adulter habeatur, quisquis ab hac fide vel lege defecerit: quæ enim iuris naturalis ratio exposcit, vt mulier si seruo cōiungatur, adultera sit; vir tamen, si ancillæ, adulterio non polluat: cum tamen in hoc summa, naturalissimaque iustitia sit: Vt alteri non feceris, quod ab altero pati nolis.

Secundò, quia illa quidem actio dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conueniens fini debito; siue quia nō ordinatur ad ipsum per actionem agentis, siue quia de se est improporcionata fini illi. finis autem quem natura ex concubitu postulat, est proles procreanda, & educanda: & vt hoc bonum quæreretur, posuit delectationem in coitu, vt Constantinus dicit. Quicumque ergo concubitu vitur propter delectationem quæ in ipso est, non referendo ad illum finem à natura intentum, contra naturam facit. Cum autem nomen concubinæ exprimat coniunctionem qua solus concubitus propter seipsum quæritur: patet quod contra legem naturæ sit, accedere ad concubinam, non coniunctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur. Nec obstat, si dicatur, quod aliquis ex tali concubitu prolem quærat, quoniam adhuc non est conueniens, ad prolem bonū, in quo non solū intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit, sed etiam educatio, & instructio, per quam accipit nutrimentum & disciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes proli obligantur secundum philosoph. 8. Ethic. Cum autem educatio & instructio proli à parentibus debeantur, etiam ad longius tempus, merito etiam naturæ lex ordinauit, Patrem & matrem perpetuo sibi mutuo conuiuere, vt communi industria & diligentia proli subueniant, hæc autem obligatio ad commanendum matrimonium facit. Patet ergo quod merito reprobetur coitus concubinarum: & error Mahometi. Nec debuit mouere Mahometum ad hunc errorem quod antiqui Patres vt Abraham, Iacob, & Dauid legantur concubinas habuisse, quoniam illæ vxores erant; non tamen dicebantur vxores, sed concubinæ, quia non erant principales: quamuis secundum veritatem erant vxores. Vnde Genes. 16. dicitur, quod Sara dedit Abraham Agar vxorem, & Genes. 30. dicitur quod Rachael dedit Balam antè ancillam suam viro suo in coniugem, vt de ea susciperet prolem, & sic concubiniarius ille coitus fuit in veritate coniugalis. Præterea, vt dicit S. i hom. antiqui Patres ea dispensatione qua plures vxores habebant, ad ancillas accedebant vxorio affectu. Vnde in illis non fuit bruta libertas quam lubricus Mahometus cōcessit suis.

Ex dictis igitur non solum adulterium, sed & fornicationē quamcūque etiam simplici legi naturæ repugnare non obscure constat: restat nunc ut de Polygamia. (hoc est de pluritate vxorum) quam Alcoranus ut licitam commendat, idem breuiter comprobemus: quia Polygamia tum ex parte viri, tum ex parte vxoris, iuri naturæ, & rationi matrimonij repugnat; ex parte vxoris omnes concedunt, quia repugnat quatuor matrimonij finibus: scilicet primo susceptioni, & educationi prolis, nam mulieres pluribus viris additæ, ut meretrices, pariunt raro; & quamuis parerent, nullus virorum sciret quifnam suus filius esset, quod non parum educationi officit. Secundo, Societati domesticæ & communicationi operum ad vitam necessariorum: nam tunc essent vnius corporis capita multa. quæ non facile conueniunt inter se; nec sciret mulier cui magis parendum foret sicut nec seruus qui multis dominis æqualibus inseruit. Tertio, Remedio contra concupiscentiam; nam & rixa inter corruales foueretur, nec tot viris vnius faminx gratus amor esset. Quarto, Significationi vnius Christi cum Ecclesia & anima: Vnus est enim Deus Ecclesiæ & animæ sponsus.

Ex parte etiam viri probatur. Primo, quia repugnat secundo fini, nam quot mulieres in domo, tot sunt dissentionum principatus: nec enim mulier est ancilla, sed post virum domina: repugnat tertio fini, quia nequit vnus vir tot feminis facile satisfacere, & vna semper alijs præferetur: repugnat etiam quarto fini, quia vna est tantū Ecclesia. Secundo, nō videtur æquum, ut mulier se totam viro tradat, non autem vir mulieri. Tertio, quia si Polygamia ex parte virorum licita esset, Deus procul dubio initio eam introduxisset: cum tunc maximè propagatio necessaria foret, quod tamen non fecit, sed vni viro vnam tantum feminam dedit.

C A P V T X.

Legem Mahometi esse irrationabilem, quia non præbet peccatoribus remedia ad salutem.

*De peccato.
rū remissio-
ne, quàm
impiè Ma-
hometus
senserit.*

MAhometus nulla habita ratione pænitentia, nihil de satisfactione pro peccatis admisis reddenda curans, nihilque de bonis operibus pro peccatorum condonatione præscribens in Alcorano, non aliud medium ad salutem consequendam, Saracenis etiam peccatoribus, quâ Turcis sceleratis prodesse affirmavit, quàm quod omnes confiterentur hanc veritatem, Non

Non est Deus præter Deum, & Mahometus est Apostolus Dei: hoc Alcoranus præcipit, ut dicatur vbique, hoc etiam ut maxime necessarium ad salutem commendat, ita ut quicumque hoc confiteatur, de necessitate saluetur: hac enim confessione furta, rapinæ, & omnia alia scelera, & flagitia, alioquin ingentia & plurima, condonantur. Quam verò sit rationi contraria hæc Mahometi doctrina, primo ex eo conuincitur, quia, hæc propositio, Non est Deus præter Deum, per se ipsam verissima est, nec ab vllō ei contradicitur: quis enim vnquam dubitauit de hac propositione; non est Angelus nisi Angelus, aut non est Petrus præter Petrum, si solus sit Petrus in mundo? hæc enim propositio per se nota est: quæ autem sequitur, Mahometus est Apostolus Dei, est valde ambigua. Qualis igitur erit conexio duarum propositionum, vnius quidem per se ipsam notæ, alterius vero per se ipsam ignotæ? aut quæ vtilitas vel virtus in ea esse potest, ut homines quantumuis innumeris sint polluti flagitiis, continuo horum verborum prolatione à peccatorum macula purgentur?

Secundo, quia si crimina quantumuis magna his verbis prolatis Saracenis condonantur, nullaque ratio habenda est satisfactionis aut pænitentia, occasio maxima præberetur hominibus passim delinquendi, in-trepidè mala perpetrandi, nullaque ratio haberetur honestatis, vana spe veniæ deceptis: quare hæc Dæmonis ars est ad perdendos homines inuenta.

Tertio, hac vna ratione monstratur prædictam doctrinam esse penitus absurdam, quia quamuis prædictis verbis Deum verum, verumque Prophetam confiteremur; adhuc similibus verborum pronuntiatio non sufficeret, ut vniuersa nobis condonarentur peccata: quia peccata nulla ratione delentur, nisi nos eorum pæniteat ex animo, simul cum proposito firmissimo nunquam deinceps peccandi; quod sequentibus confirmatur argumentis. Primum, Quia omne peccatum à nobis commissum propria nostra voluntate perpetratur; ergo, qui voluntariè diuina lege contempta, violataque rectæ rationis, & naturæ methodo, Deum offendunt, necesse est, si velint veniam obtinere, ut à malè agendo respiciant, & vitam emendent per veram cordis pænitentiam, quæ malè antea actæ vitæ detestationem, ac benè & iuxta diuinas leges viuendi propositum complectitur: nam experientia, & ratio etiam inter homines docet, ut si quis alium cōtumelia affecerit, velitque illi reconciliari; priusquam ad amicitiam & benevolentiam rekituatur; illatæ iniuriæ pæniteat, animumque deponat amplius offendendi. Nemo enim alteri condonabit etiam suppliciter signa pænitentia præbenti, & veniam petenti, si adhuc in obstinato animo lædendi perseveret. Quare cum Deus hominum corda exactissimè noscat, parum prodest, ut peccata condonentur hominibus, ista vel alia verba

proferte, si ipsos peccatorum non peniteat, & peccandi voluntatem animamque deponant.

Deinde quia multa sunt peccatorum genera, quibus non solum diuina maiestas offenditur, sed etiam proximis iniuria & damnum inferitur, qualia sunt furta, rapinae, latrocinia, adulteria: quare si is qui huiusmodi peccatis proximum laedit, absque vlla restitutione damni, iniuriae satisfactione diuinitus absolueretur, per solam horum verborum prolationem, Deus fuisset iniustus; sicut iniquus Rex esset qui furibus & praedonibus, nulla facta furti restitutione condonaret. Quare absurdum est, & cum recta ratione pugnant, quod docet Mahometus, nempe homines suorum peccatorum veniam obtinere per solam horum verborum prolationem. Ac denique cum facillimum sit, haec verba proferre, quibus homines veniam sine alio labore, & salutem assequuntur; absque vlllo rationis frano, legisve metu homines furta, latrocinia patrabunt, plurimorum caedes committent, in omnium scelerum & flagitiorum genera pro libidine sua labentur, ut qui facile omnium suorum peccatorum remissionem habent, dicentes, Non est Deus praeter Deum, &c. ut experimento inter Saracenos conspicitur, ubi peccata bibi solent tam facile, quam bibi aqua consuevit: adeo cacos, ut scelera omnium impurissima, & atrocissima honesta esse existiment; vel propter impunitatem spemque veniae non deterreantur committere.

Fit igitur ex dictis in lege Saracenorum neminem posse saluari; quia in ea non sunt adhibita remedia conuenientia, ad delendum peccatum: & certe nihil verius praedixit Mahometus, dicens in Alcorano in cap. Marci, quod interpretatur Maria: omnes in Infernum Saracenos ituros; & ipse etiam Mahometus Saracenis dixit, Vos post me in Septuaginta tres partes diuidemini, quarum saluabitur vna, reliquae vero omnes igne destruentur: & haec sententia, ut affirmat Ricardus c. 5. sic valet apud Saracenos, ut nullus neque sapiens, neque insipiens eam vilipendat.

C A P V T X I.

Legem Aleorani esse irrationabilem, dum docet vnumquemque in lege sua saluari.

Mahometus saluandos docet singulos in lege sua.

DOcet insuper Mahometus in Alcorano, quemlibet recte viuentem secundum praescripta, ac leges suae sectae saluari, nisi sit Apostata a lege Mahomeri, sic affirmat in cap. de Balchara quae interpretatur vacca: quod Iudaei & Christiani saluabuntur: & in cap. 4. Alcorani inquit: Sciendum autem generaliter, quoniam omnis recte viuens Iudaeus, siue

Christia;

Christianus, seu lege sua relicta in aliam tendens, omnis scilicet Deum adorans bonique gestor, indubitanter diuinum amorem consequetur. Aduersus hunc perniciosissimum Mahomeri errorem, quem olim etiam Ethnici receperunt, ut testatur D. Augustinus libr. 10. de Ciuitate Dei cap. 51. duobus potissimum mediis insurgemus. Primo, demonstrabimus religionem qua Deus verè colitur, necessario esse debere vnam vbique, nec extra illam posse contingere alicui salutem. Secundo, principaliter etiam probabimus, impossibile esse, quemlibet in qualibet secta saluari.

Non est autem dubium, quin vnam & communem oporteat esse Religionem qua Deus colatur, eique gratum praestetur obsequium: quod sequentibus argumentis ita conuincitur. Quia omnes tenentur Deo debitum cultum exhibere, debitamque vitae honestatem obseruare: ergo quicumque sit hic cultus Deo debitus, necesse est illum Deo ab omnibus exhiberi: nam alias non erit debitus ei, si sine iniuria, aut peccato subtrahi aut denegari potest: ergo necesse est vnam atque communem Religionem esse in omnibus; ergo vna fides, & honestas morum.

Secundo, Vna est veritas rerum diuinarum in se, quam non diuersificat nec variat diuersitas hominum, vel varietas Religionis eorum: non enim pendet vlllo modo huiusmodi veritas ex hominibus, vel dispositionibus eorum: vnus autem & eiusdem veritatis vna est apprehensio, siue per credulitatem, siue alio modo fiat: ergo vna debet esse fides & credulitas apud omnes, & quicquid contra hanc veram credulitatem fuerit, error est impietatis. Et confirmatur, quia aliqua sunt obsequia quae communiter exhibenda sunt Deo ab omnibus hominibus, & quibus sine Dei blasphemia contradicere non potest: quia sine Dei iniuria non posset dici Deum non esse adorandum, venerandum, orandum, & multa alia similia quae quia debita sunt, necesse habent omnes homines his Deum recognoscere & confiteri. Igitur cum haec obsequia infinita esse non possint, certa erunt, & determinata. Haec autem sunt quantum ad credulitatem, quae Religio Christiana appellat articulos fidei: igitur extra hanc credulitatem & fidem, cultumque Deo debitum, non potest esse alius cultus Deo gratus.

Denique principaliter hac argumentatione conuincitur, non omnes in sua secta saluari; quia, ex hoc sequeretur, quod omnes sectae Deo placerent, atque probarentur per se ipsae Deo; & hoc dici nequit. Nam cum pleraesque opiniones differentium sectarum, atque etiam nata ex opinionibus actionum studia oporteat inter se pugnare: fieri nequit, ut qualibet sectae per se, sint diuinae voluntati consentaneae. Inde enim (quod absurdum est)

sequeretur, eundem ipsum Deum auersari quod approbat; & id vetare, quod sibi tamen placet. Etenim ex omnibus contrarijs ac repugnantibus actionibus, necesse est quasdam esse rectæ rationi congruentes, ac proinde probari vel etiam imperari à Deo: eas autem quæ sunt his contrariæ, necesse est hoc ipso esse à recta ratione auersas; ideoque peccata Deo iniusta, & ab ipso prohibita. Itaque si opiniones omnes & actiones quarumlibet sectarum, diuinæ voluntati consentaneæ essent; & quedam ex illis, vt ostensum est, Deo sint exosæ, & ab eo prohibite, sequeretur, vt dicebamus, aliquid auersari Deum, quod ipse tamen approbet, & id ipsum vetare, quod sibi tamen placet. Accedit, quod si proprius etiam disciplinas inspiciamus earum sectarum, quarum notitiam tenemus, vt Gentilium, Iudeorum, Turcarum, Hæreticorum; in singulis prauos errores, atque adeo actionum instituta peruersissima facile animaduertimus: quæ esse quidem media ad salutem consequendam, ipsi grata Deo, neque cogitari sine summo scelere, neque dici, sine atroci blasphemia potest. Nam ex dictis, infraque dicendis constant multa absurdissima de erroribus tam Gentilium, Iudeorum, Saracenorum, quam aliarum sectarum.

Præterea nec inuincibilis ignorantia tantorum errorum sectatores excusare villo modo poterit aut saluare; quia etsi aliqui, ad quos Euangelij notitia nondum peruenerit, à peccato infidelitatis excusentur: tamen inde non statim sequitur, vt quisque possit secundum sectam quamlibet adipisci salutem: nam vt salutem consequaris, satis tibi non est, vt à peccato in prauis alioquin actionibus excuseris, sed præterea etiam necesse est, vt aliquibus medijs vtaris ad consequendam salutem, per se rectis, & à diuina prouidentia, ad eam rem institutis: cuiusmodi sunt fides, penitentia, &c. Vt enim Deus ipse hominibus proposuit finem vltimum, id est summam beatitudinem; sic ad ipsum etiam pertinuit, media aliqua, & bona & necessaria constituere ad perueniendum in eum finem. Quod si terminum tantum, & non etiam viam hominibus ostendisset; non esset perfecta illius prouidentia. Non est autem consequens, si per ignorantiam aut opinionem in prauis actionibus à peccato excuseris, vt etiam vtaris eiusmodi medijs, quæ per se sunt bona & necessaria ad salutem.

CAP V T XII.

Legem Saracenorum esse irrationabilem, quia violenta, & iniqua.

Est etiam Alcorani lex, vt breuiter dicam, ita violenta, vt merito possit appellari lex cædis & mortis; eo quod homines non blanditijs, non rationibus, sed cæde cogi præcipit ad credendum. Quare ipse Mahometus cum legem suam non posset miraculis confirmare, eamque omni ratione carere, manifesta iridem mendacia continere cõspiceret; ac multos propter hæc fore qui ei contradicerent; sibi ipsi datum esse aiebat à Deo instrumentum proprium, (id est ensẽ) ad interimendum; ipseque tulit mandatum in lege, vt interimerentur quicumque Alcorano aduersarentur, & non crederent: quare non semel aut iterum, sed passim, quasi mandatũ quoddã vniuersale illa verba repetuntur, interimite, interimite: in cuius confirmationem affert Ricardus exemplum Auunculi ipsius Mahometi, qui cum ab illo inuitaretur, vt Alcoranum reciperet; respondit dicens; Quid mihi, si hoc non fecero, fili fratris mei? cui tum Mahometus respondit, Interimam te, ô Auuncule. Hic autem dixit, Impossibile est esse quoddam aliud? nihil aliud, dixit. Auunculus autem inquit, Sequar te ad quodcunque voueris, lingua tantum, sed non corde, timore ensis. Omar autem filius Catempadi dixit coactus: Domine, tu scis quod solo timore mortis fio Saracenus. Filius autem Empiascaa timore ensis factus est Saracenus. Vnde misit literas ad Messæ, quas mulier quædam occultaui sub capillis, nuncians his, qui sunt in vrbe aduentum Mahometi, vt cauerent ipsi vim doctrinæ illius. Hæc Ricardus.

Secundo etiam huius legis violentia confirmatur; quia ipse Mahometus affirmavit, in tantũ eius legem permansuram, in quantum armis temporali- que potentia fulciatur. Aliud est etiam huius violentiæ argumentum, vt etiã ipse Ricardus refert: Quod quando Saraceni conueniunt, vt eos legem Magister doceat; ipse primum nudans ensẽ, eumque nudatũ manu detinens, vel in quodam eminenti loco ponens quoad finierit; eos docet: vt & sic clarius suadeat Mahometi doctrinam, potius gladio, quàm ratione niti.

Hæc est propagandæ Mahometicæ legis ratio, aliena & contraria ei, quã Sancti Apostoli & primi Ecclesiæ fundatores præmonstrarunt: qui nõ ferro, vt inquit Augustinus, sed ligno; non mortem minitendo, tormenta inferendo, sed obediendo potius, & supplicia, martyria, mortemque perferendo Ecclesiam plantauerunt, vt latius diximus lib. 2. & dicemus infra; Maxime quia

quia cum fides requirat affectum siue assensum voluntatis: secundum illud Apostoli: *Corde creditur ad iustitiam: & voluntas cogi non possit; quomodo igitur credent qui vi & armis coguntur fidem recipere? cum ipse Dominus maxime ab homine cor quarat: iuxta illud, *filii prabe mihi cor tuum*. Ex quibus non obscurè deducitur Alcorani legem esse iniustam, & iniquā: cum sit causa cædis, rapinæ, & periurij, aliorumque scelerum. Quod si aliquando prohibeat rapinas, periurium, & alia, ut inquit Ricardus; tamen hæc prohibitio potius permissio quædam est. Dicit enim, Ne faciatis mala, non enim placent Deo: si autem feceritis, ipse est misericors & miserator, & facile vobis parceret. De rapina autem nihil vnquam mandauit ut restituatur, neque talem ipsi consuetudinem habent: sed sufficit dicere Saracenum: Non est deus præter Deum, & Mahometus Apostolus Dei. De periurio autem palam dicit in cap. Elmin, id est mensa: Non imputabit vobis deus fraudationem iuramenti, sed inuocationem eius; quasi dicat, periurium non obligat ad culpam, sed ad penam. Et postea subdit: Pro transgressione eius sufficit decem pauperum educatio, vel totidem indumentum, vel vnus capriui redemptio qui autem hæc non potest facere, ter ieiunabit. ex his autem sequuntur omnia mala: non enim timent rapere, decipere, peierare, fidem violare; cum Christiano præcipiatur fidem seruare etiam inimicis & Infidelibus.*

Mahometus autem palam dicit in cap. Elmetaare, id est necatio. quod Deus dispensauerit ei, ut non seruaret quod licite iurauerat, non amplius, videlicet, ad Iacobitissam quandam accedere: quæ Maria appellabatur; & sic peierauit, cuius remissionis testes sunt, ut dicit ipse, Michael, & Gabriel. Iniqua est igitur lex illa, quam sequuntur omnia mala. Est autem iniqua, quia tot, & tanta mala, & mendacia Deo iniungit, & præter prædicta, etiam alia multa turpia & fatua.

CAPVT XIII.

Legem Alcorani irrationabilem esse, ex parte formæ, hoc est ordinis & stili.

Legis Mahometica confusio. **A**lcoranum pseudopropheta Mahometus, tanquam legem à Deo datam, ex Iudæis, gentibus & Christianis, variè, mixtè, confusèque collectam composuit: eam deinde versibus quibusdam rhythmicis condidit, quo facilius in animos imperitæ multitudinis per suauitatem cantus & rythmi influerent, & firmiter eis inhærerent. Nam sicut tradidit quidam nobilis Christianus Arabs, apud Dionysium Carthusianum li. 2. qui floruit circa

circa tempora Mahometi, & qui super omnes sui temporis Arabicæ linguæ vim, proprietatem, & elegantiam callebat. Vulgare tunc erat apud Arabes carminibus, & poeticis cantilenis studere: quin etiam versus facere, tam nobiles quàm ignobiles, tanquam quid vulgo vsitatum, pro nihilo ducebant. Legem suam Alphulian nomenauit, id est sectiones. siue capita; simulans legem ad se missam à Deo, non simul datam sibi vniuersam, sed per partes & interualla temporum; & ut Sibyllæ folia diuersis in locis, & temporibus, discretisque sententiis: callidè videlicet, ne quis in ea scriptura rerum consequentiam, & ordinem, ac rationem doctrinæ requireret.

Primus omnium Odmen, annis post Mahometum circiter centum, & decem, aliorum Mahometi successorum adiutorio, istam legem in vnum quasi corpus, & ad integritatem, quoad eius fieri potuit, redegit. Arabes appellarunt Alcoram id est scripturam; per excellentiam videlicet, præcisè scripturam appellari volentes: cum tamen ea sit ex varijs Iudæorum, Hæreticorum, & Epicureorum doctrinis, erroribus, fabulis, & blasphemijs, ceu indigestum quoddam chaos: quam tamen legem ipse ait descendisse de summo cælo, vsque ad infimum cælum, deinde paulatim in terras lapsam esse, & ad se delatam: de quo etiam Deum sermocinantem secum inducit. Inter præcipuos Mahometi amicos, & socios duo fuere apud posteros celebriores: quorum alter vocatus est Haly, cuius interpretationem Alcorani sequuntur Persæ: alter nominatus est Haumar; quem ut fidsissimum legis Mahometicæ interpretem cæteri (Turcas dico & Mauros) complectuntur, Persis hostili odio habitis.

Hanc vero legem non esse à Deo, inter alia ex eo præcipuè deducitur, quod ea quæ à Deo procedunt, ordinem & seriem inter se habeant, dicente Apostolo: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: quod & experientia testatur, tam in operibus nature, quam in sacris scripturis: Moyses enim valde ordinatè incipit à mundi creatione, & deinde totum Pentateuchum percurrit secundum ordinem temporis & historiæ. Alij autem prophetæ bene ordinate processerunt secundum ordinem historiæ, vel ad minus, secundum ordinem materiæ. Incipit quidem ab Incarnatione; & Natiuitate Christi, deinceps autem de vita & doctrina, & eius miraculis, & post hæc de morte, resurrectione & ascensione dicit. Alcorano autem omnino nullus est ordo temporis. Neque enim dicit, quibus Regibus vel secundum quod tempus; neque historiæ ordo est.

Ac denique adeo inordinatè procedit, ut nemo sit, qui possit reddere rationem ordinis, & historiæ, & capitulorum. Et neq; materiæ ordo est; nunquàm enim vnã materiã bene ordinateq; pertractat, quinimo ab vna materia,

ad alteram per suppositionem omnino impertinentem transfertur tanquam abstractus. Sed & neque ordinem habet argumentationum, vel alicuius demonstrationis: sed omnis doctrina ex suppositione procedit, & supponens quandam propositionem per se ipsam veram, ex illa aliam concludit, quæ nihil commune habet ad primam, quale est illud quod passim ab eo dicitur; Deus excelsus est & bonus, & quod Alcoranus lex est salutis, & Deus est Deus, & quod nullus est alius Deus præter Deum, & Mahometus est Propheta verus. Quæ autem hæc conclusio, Mahometum esse verum Dei seruum, & quod Deus est Deus? Vnde Ricardus in Alcorano versatissimus cap. 11. Confutationis legis Mahometicæ, ita inquit, *Neque reminiscor in toto libro me inuenisse vnam solam argumentationem quæ secundum rectam suppositionem, & conuenientem ordinem procedat. Nominum autem ordo illic Grammaticè & rythmicè optimus est: fere enim totus liber metricus & rythmicus est. Vnde & valde gloriantur Saraceni in sic pulchro & ordinato Arabicalocutionis modo: & ex his argumentantur, verum Prophetam fuisse Mahometum. Non enim sic ornate sciuisset loqui homo omnino Idiota. Cuius contrarium apparet verius: Videmus enim in diuina scriptura Deum loquentem cum Moyse, & cum aliis Prophetis, & nunquam his rythmis vel versibus his loquentem. Moyses autem legem, & Euangelium fatetur Mahometus à Deo esse, Deumque libros Moyse, & Christo dedisse: sed hi non sunt metrici vel rythmici: & nullus aliorum Prophetarum, qui diuinam vocem audiuerunt, dixit Deum metricè locutum esse, quod & sapientes, & Philosophi homines dedignantur.* Hactenus Ricardus.

Et quamuis Dauid versibus propheticè fuerit locutus, tamen non legimus ynquam Deum Dauidi, vel aliis Prophetis, versibus rythmicis prophetias dictasse.

Ac denique, vt patet concludam, ex prædicta Ricardi sententia, nihil pretio dignum in multis Alcorani capitibus; multa turpia, turpissimisque verbis conscripta, fabulosa, ridicula quamplurima; vt potius aniles nugæ, quam lex Dei esse clarè conspiciatur; adeo obscuro & intricato stylo, vt ipse Mahometus asserat se non totum Alcoranum intelligere: nec alium præter Deum intellecturum: quis ergo futurus eius vsus erit hominibus quod non intelligunt?

CAPVT

CAPVT XIV.

Legem Mahometi esse irrationabilem ex parte finis, quia vltimam hominum felicitatem posuit in carnalibus delectationibus.

CVM Mahometus esset voluptatum illecebris deditissimus, ipsamque voluptatum vim ad homines alliciendos agnouisset; vt prauo suo instituto, homines auerteret ab itinere cælesti, & in viam perditionis induceret; hanc viam ita in figura & aspectu composuit, vt omnibus plana, & patens, omni genere florum, atque voluptatum delectabilis esse videretur; proponens omnia quæ pro bonis habentur in terra: opulentiam nempe, honorem, quietem, voluptatem, ac illecebras omnes, quod non solum in hac vita, vt optimum constituit, sed & in alia finxit, promisitque expectandum: carnalis enim Mahometus præsentium bonorum fruitione captus, atque in his consequendis, iisque gaudento occupatus, non potuit, aut potius noluit intelligere alia esse bona hisce temporalibus & corporis bonis longè præstantiora; & ideo in corporis, sensualibusque delicijs ac voluptatibus alterius vitæ felicitatem vltimam collocauit. Hic est Mahometi Paradisus quæ ipse suis promisit, in quo non nisi carnales & obscenissimas promisit voluptates: promisit enim in eis, vt fere ex toto Alcorano constat, primo delicias epularum corporalium, dapiferos & Pincernas Angelos: secundo pretiositatem vestium & lectorum, vmbraculorumque amenitates: tertio delicias concupiscentiarum, & blandimentorum mulierum: quæ, vt ait Tullius, *voces potius pecudum, quam hominum sunt.*

Fundamenta autem & motiua mahometi duo sunt præcipue: primum, quia non esset beatitudo, vt ipse ait, si vllum oblectamentum in Paradiso deesset: secundum, quia frustra essent omnia in Paradiso, si non esset voluptas secundum luxuriam: vnde concludit porcus ille, quod quicquid volunt, præsto est, & quasunque delicias, & quomodocunque volunt, habent omnia ad libitum sine mora & difficultate. Ita quidem quod quas hic Vxores habuerunt fideles, habebunt & illic: cæteræ concubine erunt, ancillarum vero non erit numerus.

In refutatione igitur huius spurcissimi erroris, duo erunt à nobis præstanda. Primum demonstrabimus in alia vita non esse vsum ciborum & venereorum: secundum, non posse in his consistere veram hominis felicitatem.

Quantum ad primam partem, hic error apertissimis rationibus confutatur. Primo resurrectio futura erit ad vitam immortalem, vt patet: vnde Isā. 25. dicit: *Præcipitabit Deus mortem in sempiternum,* & Ozeē 13. Secundū translationem 70. *Absorpta est mors in victoria.* Et Apoc. 20. dicitur: *Mors vltra non erit.* Ipse etiam Mahometus in libro de sua doctrina, dicit, Quod postquam omnia mortua fuerint; Deus occidet mortem, & postea resurgent immortales & integri. Cum ergo omnino sublata erit mors, necesse erit à resurgentibus subtrahi, quæ corruptibili vitæ deseruiant, siue quæ ad mortalem vitæ statum ordinantur. Manifestum est autem quod ciborū vsus corruptibili vitæ deseruit; ad hoc enim cibos assumimus, vt corruptio quæ possit accidere ex corruptione naturalis humiditatis euitetur. Est etiam in præsentem necessarius vsus ciborum ad augmentum, quod post resurrectionem in hominibus non erit; quia omnes in debita quantitate resurgent. Similiter coniunctio maris & feminae corruptibili vitæ deseruit, ordinatur enim ad generationem, per quam, quod perpetuo conseruari non potest in indiuiduo, in specie conseruetur. Cum autem, vt dictum est, vita resurgentium incorruptibilis sit; homines enim iisdem numero conseruabuntur; ergo fatuum est & irrationabile dicere, quod in resurgentibus sit ciborum, aut venereorum vsus.

Secundo probatur, quia vita resurgentium non minus ordinata erit, quā præsens, sed magis. In hac vita vsus ciborum ordinatur ad aliquem finem; ad hoc enim cibus assumitur, vt per digestionem conuertatur in corpus: si ergo post resurrectionem erit ciborum vsus, oportebit vt ad hoc sit, vt cōuertatur in corpus: cum ergo à corpore resurgentis nihil resoluitur, eo quod corpus erit incorruptibile: oportet dicere quod totum quod conuertitur ex alimento, transeat in augmentum: & ita corpora resurgentium in infinitum augebuntur: aut oportebit dicere quod erunt ibi totæ egestiones, & aliæ seditates, vt tantum resoluitur quantum conuertitur, quorū vtrumque est inconueniens. Nec valet quod ipse Mahometus dicit in li. de doctrina sua, non fore ibi egestionem sordium, sed purgationem per sudorē: sicut puer in vtero matris, nutritur quædam, non tamen egerit. Corpora enim resurgentium ita erunt incorruptibilia, vt nihil de eis possit resolui: vnde non valet similitudo.

Tertio, hic venereorum vsus ad generationem ordinatur, si ergo post resurrectionem erit venereorum vsus, nisi sit frustra, sequitur quod tunc etiam erit generatio hominum, sicut & nunc; sterilitas enim & læsio & plaga est naturæ, quæ nō potest esse in optimo statu humanæ naturæ, cuiusmodi est status post resurrectionem: sequitur ergo quod multo fecundior & felicior erit proles procreatio quam hic. Cum ergo mors in vita illa non erit, crescet ibi populus in infinitum. Finita autem est regio Paradisi illius, & om-

& omnis regio corporalis: quare breui tempore necessario magna pars populi illius de Paradiso exhibit. Et erit necesse creari aliam regionē ijs, eamque non vnam solum, aut finitam, impossibile enim est, quascunque regiones finitas infinitos capere homines.

Si vero quis dicat vsu millium ciborum, & venereorum non respicere augmentationem & conseruationem corporis aut speciei, aut multiplicationem hominum, sed solam delectationem, ne aliquid in vltima remuneratione desit. At contra (vt bene D. Tho. 4. contra gentes) quia vita resurgentium ordinatior est, quam vita nostra: in hac autem vita inordinatum & vitiosum est cibus & venereis vti propter solam delectationem, non propter necessitatem sustentandi corporis, vel proles procreandæ, & hoc rationabiliter, nam delectationes quæ sunt in præmissis actionibus, non sunt fines actionum, sed è conuerso natura enim ad hoc ordinat delectationes in istis actibus, ne alienati propter laborem, ab ijs licet necessarijs naturæ, desisterent; quod contingeret nisi delectatione prouocarentur. Est ergo ordo præposterus, & indecens, si istæ operationes propter solas delectationes exercentur, nō ergo erit in resurgentibus, quorum vita ordinatissima ponitur.

Neque obstat supradictis, Christum post resurrectionē comedisse, & bibisse: quoniam id non tam propter voluptatem aut alterius rei causam, quā ad demonstrandam suæ resurrectionis veritatem. Quare cibus ille nō fuit conuersus in carnem, sed resolutus in præiacentem materiam: hæc autem causa comedendi non erit in resurrectione communi.

Ad secundam vero partem accedentes, facile erit rationibus naturalibus conuincere, hominis felicitatem non esse sitam in corporis voluptatibus. Prima, vt homo sit ab omni parte beatus, & acquisita bonorum sorte contentus, opus est vt eius desiderium sit vndique expletum, & ea quæ sunt in homine præcipuæ facultates, & nobilissimæ, adeptæ sint bonum, quod earum cupiditatem satiet. At planè experimur, in nulla re, quæ corporis sensibus percipitur, voluntatem hominum conuiescere vel intellectum expleri: nam quantacunque sensuum voluptate perfundatur homo, ac abundet; nunquam tamen omnino saturatur: semper enim plura & maiora bona appetit: non ergo ponenda est felicitas in ijs quæ corporis solum sensum oblectant, animum vero non satiant.

Secunda, Nulla animantium facultas expleri satiarique potest, nisi sui proprii obiecti adeptione, verbi gratia gustus non conuiescit vel oblectatur odore, sed rerum saporibus, qui in cibus quibus vescimur reperiuntur. Auditus non satiatur corporum coloribus, sed sonis, qui aures demulcent: sic intellectus noster verum habet, vt proprium, obiectum, sed vniuersè verū, vnde satiari nequit alicuius priuati veri consecutione, quia nullū est

particulare verum effectum, quod totam eius capacitatem æquet: quare in nullo vero conquietur, donec omne verum obtineat. Similiter nostra voluntas sua natura fertur in proprium obiectum, in id quod est vniuersè bonum, & ita nullo procreato peculiari bono satiatur, quousque omne bonum possideat: at in his rebus quæ corporis sensibus obijciuntur, neque est vniuersè verum, neque vniuersè bonum; siquidem præter eas aliæ multo sunt meliores & veriores. Vitæ ergo futuræ felicitas in his rebus minimè consistit. Item bona sensuum, non sunt propria obiecta intellectus, aut voluntatis; quippe quæ sunt obiecta sensus & appetitus qui sensuum est comes: at præstantissimæ hominis facultates sunt intellectus, & voluntas, quibus mens est prædita: fieri ergo nequit, vt in alio sæculo conquietatur homo, nisi hæc mentis facultates suorum priorum obiectorum consuetudine expleantur.

Tertia, quia homine intereunte, omnes sensus & corporis facultates & vires intereunt, vt quæ corporis instrumentis sunt alligatæ, & corporis vinculis astrictæ, & carni concretæ: & ideo extinctus homo, nec audit quicquam, nec cernit, nec gustat, nec odoratur, nec manibus contrectat, sed solum post hominis obitum, supersunt tres animi facultates, quæ rationis compotes vocantur, quæque ad suas functiones corporis adiumentis & instrumentis non egent, quia nulli corporis parti alligatæ sunt, nimirum memoria, intelligentia, voluntas, quæ mortis & interitus expertes sunt. Est igitur ridiculum, & penitus absurdum, dicere alterius sæculi felicitatem esse positam in rebus quæ sensus nostros oblectant: quandoquidem animus corpore solutus, & in aliam vitam translatus, sensibus caret, quos vna cum corpore amisit; & idcirco nihil percipere potest eorum bonorum, quæ ad corporis sensus spectant, sed eius felicitas consistit, in trium spiritualium functionum actionibus, nimirum in functione memoriæ, quæ semper est memor eorum bonorum quæ possidet: in actione intellectus, qui est omni sapientia plenissimus, vt pote qui omne verum, cuius mens hominis capax est, cognoscit perfectè absque villo errore, deceptione, & lapsu: neque enim vlla falsitate aut mendacio decipitur, neque vllis ignorantie tenebris obscuratur: nec alicuius rei discendæ studio, & desiderio tenetur. & in operatione voluntatis, qua semper iucundissimo quodam amore diligit Deum, qui est summum & infinitum bonum: & his actionibus expletur & satiatur animus dulcissima omnium bonorum possessione contentus.

Præterea quarto, ex conditionibus siue circumstantiis beatitudinis probatur, quarum prima est, vt beatitudo sit vltimè simpliciter, ad quod omnia referri debeant & ea ad nihil aliud: ita docet philosophus lib. 10. Ethic. cap. 2. & 7. Secunda, vt sit aliquid secundum se perfectum, & maximè excel-

excellens, inter alia bona, quæ conditio per se constat. Tertia, vt expellat omnem miseriam seu defectum boni, alias non esset beatitudo. Quarta, vt satiet appetitum hominis, ita vt nil præterea desideretur, cum anxietate, & inquietudine: hæc autem conditiones non reperiuntur in villo bono creato, & multo minus in illis bonis quæ ad corpus pertinent; vt sunt diuitiæ, cibi, venerea: quia secundum rectam rationem ista ordinantur ad ipsum hominem tanquam in finem: ac ex consequenti sunt inferiora homine. Ex quo etiam sequitur, quod non sunt perfectiora & excellentiora bona: maximè quia cum voluptas sit quidam appetitus humani quies in aliquo bono, aliunde obtento, atque adeo quiddam consequens aliud quod sit excellentius bonum. Deinde nec voluptates corporis expellunt omnem miseriam, neque satiant appetitum, quia cum ijs possunt esse quamplurima coniuncta mala, ac desideria, vt experientia constat.

Quinto, beatitudo vltima hominibus in præmiū bonorum operum promissa, consistit in his, quæ omnem humanæ facultatis virtutem excedunt, dicente Propheta Isai. 14. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit diligentibus se.* Et Apost. ad Roman. 8. *Non sunt condigne passionibus huius sæculi, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:* sed felicitas quam seductor ille Mahometus promissit, non est in aliis bonis maioribus, quam habet vita præsens. Promissit enim flumina lactis, & vini, & mellis; vnde non promissit eis alios liquores secundum speciem quam habet vita ista, etsi fortè gustu suauiores: & eodem modo se habet de saporibus, cum determinati sint numero specierum suarum, nec ampliores, nec alij esse possunt: idem quoque dicendum de omnibus generibus ciborum. Quare manifestum est, quod non aliam felicitatem promissit eis, quam carnalem, quam habet vita ista, eamque nec maiorem nec meliorem. Vnde patet, quæ turpiter errauerit assignando felicitatem futuram, illi vitæ præsentis tam propinquam, in bonis nimirum corporalibus.

Sexto, Summa perfectio hominis non potest esse in hoc, quod coniungitur rebus inferioribus se: sed in hoc quod coniungitur alicui rei altiori, finis enim melior est iis quæ sunt ad finem; sed delectationes carnales consistunt in hoc quod homo secundum sensum coniungitur aliquibus rebus se inferioribus, scilicet sensualibus: ergo error magnus est, in talibus hominis felicitatem ponere.

Septimo, In illo maximè ponenda est felicitas, per quod homo maxime accedit ad Deum, qui beatificator est Angelorum & hominum; sed per delectationes prædictas maximè impeditur homo à maxima appropinquatione ad Deum, quæ fit per contemplationem, quam maxime impediunt delectationes sensuales, sunt enim quædam vincula mentium humanarum, & excruciamenta oculorum intellectualium: si enim quis cibi & potus abundantiam frui,

frui, & sapientia vacare se posse putet, decipitur. maximus ergo error est, in talibus felicitatem ponere.

Octauo, Vbi talis veneris ac gula vsus erit, necesse est fore magnam & assiduum corporum exinanitionem, resolutionem, transmutationem, digestionem, somnum, & alia huic vitæ necessaria: ita vt ille Mahometi Paradisus, quantuscunque fuerit, sudoribus, egestionibus, & vrinationibus replendus sit. Quid ergo aliud erit nisi taberna indefessæ gurgitationis & perpetuæ fœditatis, & turpitudinis prostibulum, atque volutabrum porcorum. Omitto abominabiles & fœditates illas, quæ ex commixtionibus maris & feminæ sequuntur. Quod autem dicit Mahometus Angelos pincernas, & dapiferos futuros sibi credentium, quis non rideat? Quasi vero Angeli sancti felicitatem illam, quam nec oculus vidit, nec cor hominis concepit, deserturi sint, vt lectos fœdis glutonibus ad turpitudines exercendas parent ac ornent; Angelicæ beatitudinis excellentiam in coquinariam seu dapiferam seruitutem commutaturi.

Nono, Quia cum hæc beatitudo sit maximū bonum, Deo etiam debet conuenire, maximè cum Mahometus Deum faciat corporeum, habentem membra corporea, vt manus & pedes. Nam si, vt ipse inquit, non est beatitudo vbi voluptas absit, aut Deus non erit beatus, aut his etiam bonis fruatur. Erit igitur Deus similis illis Dijs quos Poetæ & fabulæ finxerunt, eruntque deæ: supposita vero hac sexuum diuersitate, consequens est vt concipiant: aliaque obscena & absurda sequantur, quod si Deum non esse corporeum Saraceni respondeant, atque ita sine corpore frui perfectè æterna felicitate; cur ergo hominibus etiam absque corporis voluptate, hæc felicitas contingere non poterit? Et confirmatur, quia Angeli, quos ipse Mahometus corporeos esse docet, fruuntur hac voluptate, ex delectatione ciborum & venereorum orta, aut illa carent: si primum, erunt Angelorum duo sexus, manducabuntque; Angeli & bibent in celo, quæ omnia ridicula sunt: si secundum, igitur Angeli aliam præter corpoream consecuti sunt felicitatem, quare ergo non & homines?

Decimo, quia animæ à corporibus separata, ex sententia ipsius Mahometi sunt nunc in Paradiso, ipse enim affirmat in celo se vidisse Abrahamum, Moysem, & alios: & cum hi beatitudine perfruantur sine corporis consortio, cum illo careant; vt alios omitam, Christus Dominus, & D. Virgo, Prophetæ, & Sancti alij, qui sobrij, moderati, casti, vel virgines fuerunt in hac vita imperfectionibus plena, in illa caelesti perfectissima, erunt ebrij, libidinosi, imtemperati? alioquin non futuri beati.

Præterea vndecimo, Si verum est, quod nullum oblectamentum sensuale defuturum sit futuræ beatitudini, seu Paradiso Mahometi, cum variis

varijs & diuersis oblectamentis afficiantur homines, vtpote quidam in cibis, quidam in potu, quidam in luxu, quidam in ludo, quidam in venationibus, quidam in piscationibus, quidam in hastiludijs, alij in diuersis alijs rebus: nos dicere oportebit, in Paradiso esse omnia genera ciborum, volatilia, oues, & boues, & vniuersa pecora campi, vniuersaque genera condimentorum, iuxta oblectamentum singulorum hominum; amplissima insuper flumina vinorum, iuxta varietatem gustuum singulorum hominum; apothecas specierum, & confectio-num; prostibula tandem luxuriantium, syluas feris plenas ad venandum, stabula multa equorum ad hastiludia exercenda, & ex consequenti, multa stercola animalium, & plura similia quæ inferri possunt, aduersus stultum Mahometum, Quæ & stultissima sunt, & omni derisione digna; illumque profectò Paradisum Mahometus suis descripsit, quem ipse bestialis sibi concupiuit.

Ac denique duodecimo Lactantij Firmiani lib. 3. diuinarum institutio-num cap. 8. ratione hac compendiosissima disputationem nostram concludamus. Cū te officio, inquit, hominis agatur; oportet summum summi animalis bonum, in eo consti-tui quod commune cum ceteris animalibus esse non possit. Sed vt feris dentes, armentis cornua, volucribus penna propria sunt; sic homini aliquid suum debet ascribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat: nam quod viuendi aut generandi causa datum est omnibus, est quidem bonum naturale, summum tamen non est, nisi quod est unicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit voluptatem; quoniam siue illa securitas, siue gaudium est, communis est omnibus. Aristippo ne respondendum quidem duco, quem in corporis semper voluptates ruentem, nihil aliud quam ventri & veneri feruentem, nemini dubium est, hominem non fuisse: sic enim vixit, vt nihil inter eum, pecudemque distaret, nisi vnum, quod loquebatur. Quod si asino, aut cani, aut sui facultas loquendi tribuatur, quarasque ab his, quid sibi velint cū feminas tam rabide consectantur, vt vix diuelli queant, cibos etiam potumque negligant, cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem abstinent: sed à fortioribus sepe contriti, eo magis insectentur, cur nec imbres, nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, pericula non recusent: quid aliud respondebunt, nisi summum bonum esse corporis voluptatem? eam se appetere vt fruantur suauissimis sensibus, eoque esse tanti, vt assequendorum causa, nec laborem sibi vllum, nec vulnera, nec mortem ipsam recusandam putent. Ab his ne igitur præcepta viuendi petemus, qui hoc idem sentiunt, quod animæ rationis expertes? Hactenus Lactantius.

Neque quemquam mouere debet, in Scriptura reperiri loca aliqua quæ vsus ciborum post resurrectionem, videtur hominibus promittere, Isai. 27. Faciat, inquit, Dominus exercituum omnibus populis ex mōe hoc conuiuium vindemia defecata: quoniam ista, & similia loca spiritaliter intelligenda sunt; quia mos est Scripturæ sacræ diuinæ intelligibilia, sub similitudine sensibilibus proponere; vt animus noster ex alijs quæ nouit, discat, vt docet D.

Gregorius, incognita amare. Quare secundum hunc modum delectatio, quæ est in contemplatione sapientiæ, & assumptio veritatis intelligibilis, per intellectum nostrum per usum ciborum, in sacra scriptura consuevit designari; secundum illud Prouerb. 9. quod de sapientia dicitur, *Miscuit vinum, & posuit mensam, misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mania ciuitatis; si quis est paruulus ueniat ad me, insipientibus locuta est, Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis,* & alia similia loca; quæ nulla ratione de cibo corporali intelligi debent, sed de illo cibo, qui in mensa sapientiæ fumitur, vt dictum est. Mahometus verò non figuratè, sed propriè de delectationibus corporeis loquitur. Quid quod Saraceni aliqui dicant, cū passim per Alcoranum sparfit Saracenorum beatitudinem esse, hortos irriguos possidere, mulieres, & pellices, iuuenes, verecundas, & pulchras, purpureis vestibus indutas, & his similia habere. Hæc sunt quæ de suprema hominis felicitate sensit obscærus canis, aut sus ille lutulentus, & vt Poëta loquitur, *Epicuri de grege porcus.*

Ex quibus facile erit motiuis siue argumentis Mahometi respondere: Et quidem ad primum resp. Vanum esse argumentum, nempe quòd si vllum oblectamentum in Paradiso deesset; beatitudo minime plena esset; quia, vt diximus, oblectamenta carnalia, qualia ipse Mahometus finxit, nõ pertinent ad veram beatitudinem; imò in contrarium formari deberet argumentum, hac ratione: In Paradiso erunt voluptates carnales, quales Mahometus describit; ergo sequitur quod ibi non erit vera, neque plena beatitudo; cum delectationes sensuales similes cum spiritualibus simul esse non possint, vt iam supra demonstrauimus. Neque etiam secundum motiuum vrget, nempe quod frustra essent animalia in paradysum, si non adesset voluptas secundum carnem: hoc enim motiuum ex ignorantia, & hebetudine mentis Mahometi, ad percipiendam spiritualem animarum, immensamque voluptatem, quam ex visione Dei percipiunt, emanauit. Quare non mirum, si carnalis homo non potuerit beatitudinem absque carnalibus voluptatibus excogitare. Erit tamen in corpore sua voluptas, & gloria & redundantia beatitudinis animæ in ipsum deriuata; corpus enim glorificabitur, eiusque glorificatio quatuor continebit dotes, tanquã quatuor partes corporum Sanctorum, quæ sunt claritas, impassibilitas, subtilitas, agilitas, & ita totus homo exultabit in Domino, iuxta illud Psal. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum,* Caterum differentia sexuum, & membrorum varietas post resurrectionem non erit frustra; cum sit ad naturæ humanæ perfectionem redintegrandam, in specie, & indiuiduo, quamuis animales operationes desint. Licet ergo viri & feminae cum membrorum suorum integritate resurgant, non sunt tamen dicendæ frustra feminae adesse, quia non erit commixtio cum eis.

S E C V N D A P A R S

H V I V S T R A C T A T V S:

De præstantia legis Christianæ, comparatæ
sectæ Mahometanæ.



MN superiori parte huius tractatus, in eo argumento versati sumus, ex quo satis constare potest, legem Mahometi ex quatuor illis capitibus, nempe authorem eius ostendendo fuisse turpissimum & iniquum; Secundò ex ipsis rebus quas præcipit ac docet; Tertiò ex fine, siue præmio suis sectatoribus promisso; Quarto denique ex forma seu stylo ipsius legis, irrationabilem esse. Restat vt in hac secunda parte de excellentia & præstantia eius legis dicamus, quam sanctissimè tulit Iesus Christus Saluator noster, sumptis argumentis à contrarijs omnino capitibus; nempe à mira authoris sanctitate, ab his quæ diuinitus constituit & docuit in ea, à fine Christianis ab eo præfixo; ac denique à forma siue stylo & ordine Sancti Euangelij. Postea in fine huius secundæ partis responsuri aliquibus obiectionibus, factis in fauorem sectæ Mahometicæ.

C A P V T I.

De admirabili Christi Domini sanctitate, ex
testimonio ipsius Mahometi.

EX multis eximijisque laudibus quibus Mahometus in suo Alcorano, (vt omittam testimonia alia grauissima clarissimaque) Christi Domini nostri excellentiam prædicauit & magnificauit, euidenter concluditur, authorem Religionis Christianæ in omnibus excellere ac superare Mahometum. Et vt ad rem accedamus, Mahometus in 5. cap. Alcoranific scriptum reliquit; Angeli Mariam alloquentes dixerunt, O Maria omnibus viris, & mulieribus splendidior, mundior, & iucundior, ferimus tibi summi Nuncij gaudium cum Verbo Dei; qui est Iesus, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo & futuro, vir sapiens & optimus, ab vniuersitatis creatore mittitur: ipse filium tuum cum diuina virtute venientem,

librum legiferum, omnisque magisterij peritiam, & Testamentum, atque Euangelium edocebit; filius tuus cæcos & mutos curabit, leprosos mundabit, mortuos resuscitabit; quæ cuncta credentibus in Deum miracula censentur: Verus Testamentum confirmabit, sequæ cum diuina virtute ac potentia patefaciens, dicet, Piæ credentes in Deum me sequamini: Deus enim mei vestrique Dominus est, quem adorantes recto procedent tramite. Sciens autem Iudæos in sua credulitate obstinatos manere, ait, quis in Dei nomine me sequetur? & viri quidam vestibus albis induti dixerunt: Nos in Dei nomine te sequentes in Deum credimus, te teste dixeruntque, O Creator nos libro Euangelij fidem adhibentes, legatumque tuum Iesum imitantes ascribe fidelibus tuis. Et Deus Iesum affatus; Ego, inquit, tuam ad me reducens animam & exaltans, teque ab incredulis liberans, eos qui te secuti sunt ijs qui verbo tuo non crediderunt, vsque ad diem publicæ resurrectionis, superponens, incredulos quoque summis cruciatibus, & hic & in futuro sæculo afficiam: fidelibus vero & beneficientibus merita sua cum gaudio conferam. De virtutibus igitur & iustitijs Iesu tibi reuelare decreuimus.

Ex his clarè colligitur Alcoranum Christo prærogatiuas quasdam supra Mahometum tribuisse; ac de eius persona in omnibus diuinis, quam de suo Mahometo iudicasse: quæ amplius erunt conspicua, si ad singulares circumstantias Christum Mahometo comparantes descendamus. Primo in Conceptione: nam Christus suæ matri, vt Alcoranus etiam tradit, fuit annunciatus per Angelum Gabrielem, & sanctificatus per Spiritum sanctum, & non ex semine viri, nec operatione naturæ, sed virtute Dei, ex Virgine Matre sine Patre conceptus.

Secundo; natus ex Matre sanctissima, vt patet ex suprascripto Alcorani testimonio; Et in super in Cap. Abraham habentur hæc verba: Dixerunt Angeli Beatæ Mariæ, O Maria Deus præposuit te omnibus mulieribus, & in loco supra citato; O Maria, inquit, omnibus viris & mulieribus splendidiior, mundiior, & sæcundiior: Mahometus vero in peccatis conceptus & natus est totus, & ex parentibus Idololatris.

Tertio Christus Iesus ab Abraham, & Isaac descendit, quibus facta est repromissio de benedictione, & consequenda hereditate. Mahometus autem descendit per Ismael, ad quem non fuit extensa promissio, sed de eo scriptum legimus, *Erit homo ferus, & manus eius contra omnes.*

Quarto, in Christi natiuitate Angeli cum grandi è celo splendore, Pastores ad gratulationem inuitant nati numinis. Stella verò Magos eodem adduxit, circumciditur puer octauo die, vt doceat nos legibus obedire, imponitur ei nomen personæ congruens Iesui, quod idem est ac saluator; ideoque in eius ortu tot sunt edita prodigia, vt iam tunc

sciretur hunc esse, illum, qui à Deo ad mundi reparationem electus, destinatus erat ac missus, duodecimo gratis anno remansit in templo in scijs Matre & Iosepho, & contulit cum Magistris Hebræorum de lege & Messia: quod ille maximis de causis fecit, primum vt patefaceret se iam tum ad quid venisset scire, & quæ à Patre mandata accepisset: & suppetere sibi si docere voluisset, sapientiam; nec temerè aut subito ad ingentia opera delectum ac ascitum, vt Moysen, & alios permultos, nec fortuito in id munus docendi incidisse. Hæc & alia de Iesu Christi infantia mirabilia comperta sunt, de Mahometo vero pubere nihil aliud, vt ipse fatetur, quam Idololum cultus.

Nisi quis nobis obijciat fabulam illam stultam & impiam de luce, quæ si in Alcorano contineretur, pluribus à nobis esset confutanda rationibus, sed quia inuentum est ipsorum Saracenorum, eam breuiter rejiciemus. Narrant lucem incredibilem conditam esse in Adam semine atque originem Mahometi: hanc cum esset genitus Seth, transisse in Euam, ab hac in Seth, ab illo in vxorem, concepto illo qui propagaturus esset genus, ita deinceps ordine per genitores ad Mahometum: & hanc lucem tantâ fuisse, vt omnes animantes eam sint admiratæ: oportet igitur maiorem fuisse quàm lucem Solis. Nam hunc Solarem splendorem non admirantur brutæ animantes: quis vnquam rei tam inusitatæ tamque stupendæ meminit? videlicet prætermisisset tam grande miraculum Moyses, qui de Patribus etiam minutissima persequitur? prætermisissent alij scriptores infiniti, qui à condito orbe fuerunt ad ortum Mahometi? Quid vero luce opus fuit ad Mahometum declarandum? quasi Moyses & Christus nuntij Dei nõ fuerint, & sine luce, cum autem ventum est ad Abraham, nõ ad Isaac migravit splendor ille per Saram, sed ad Ismaelem per Agar, & ex Sara per Isaac traxerunt originem Moyses & Christus, quos Mahometus ipse maiores se & sanctiores fuisse confitetur. Tandem lux hæc peruenit ad matrem Mahometi, à qua in Mahometum prorsum demigravit, ibique conqueuit: si hæc lux à parētibus fuit Mahometi, quomodo puer fuit idololatra, & grassator? quin potius à conceptu ipso sanctus & venerabilis? quis non illum adoraret vt cælitus demissum, in quo tam admirabile conspiciebat signum fauoris diuini? quid opus illi fuit alijs miraculis aut alijs argumentis diuinæ legationis?

Quintò de persona Christi, hoc est, de excellentia sanctitatis ac vitæ & morum probitate, sapientiæ, virtutis, miraculorum, officijque præminētia supra Mahometum, ex ipsius Mahometi & Alcorani doctrina facile comprobatur. Nam cum Mahometus finxit se legem à Deo accepturum, à Gabriele in cælum duci, & in primis in sex cælis singulos Patriarchas vidisse cum Angelorum multitudine, Adamum, Noë, Abrahamum, Iose-

phum, Moysen, Ioannem Baptistam qui omnes Mahometo tanquam Prophetæ ipsis excellentiori, & in maiori apud Deum gratia humiliter supplicabant, in septimo quod erat supremum cælum Dei que thronus, proximum conspicatus Christum Mahometus, se ipsum eidem magna cum humilitate commendabat; perinde ac si Christus tantum superaret Mahometum, quantum Mahometus reliquis illis præcellerat. Præterea in loco supra citato Iesum appellat Mahometus virum sapientem & optimum; fuit enim Christi vita admirabilis & diuina, nec possedit vllas opes, nec ambijt, contentus tegumentis corporis, & victu in diem quaesito, qualiscunque contigisset. oblatum est ei regnum, spreuit & reiecit, nullam voluptatem vnquam captauit, nullum in vita eius crimen, nulla criminis suspicio vel leuissima, inter tantam inuidiam, & odium. Nulli est vnquam assentatus, nec loquutus ad gratiam, semper rectum & verum, etiam cum præsentissimo periculo, & capitis discrimine: vel Martha (que ipsi & Discipulis eius ministrabat, & parabat cibum atque hospitij) officium Magdalene prætulit, nullam aliam in rem intentam quam vt illi audiret.

De modestia & mansuetudine illius infinitum esset dicere, quanta æquanimitate & accepit iactas in se contumelias, & pertulit quæcunque euenissent. Nemini maledicenti sibi remaledixit, nec mordentem rememordit. Asperius interdum increpauit vitia, non sua causa, sed publica, imo eorum ipsorum quos ita obiurgaret, vt nihil vel vtilius, vel lenius esset tali asperitate, nulli in eius sermone admisti ioci, nulli vel in dictis vel in factis lusus, omnia semper (quod Deum decebat) seria & seuera. Magnitudinem suam, & paternum in nos affectum patefecit, quod in loquendo captui illorum se accommodauit, cum quibus ageret. Nec dixit quicquam ad ostentationem suæ sapientiæ: quod fecisset quisquis in tam nouis & mirabilibus præceptis vitæ captasset authoritatem, & fidem: quod fecerunt Mahometus in Alcorano, Rabini Iudæorum in Thalmud, & Philosophi gentium.

Seruauit perpetuam castitatem, neque vxorem duxit. Non erat fas eum habere sponsam mulierem, cui desponsata erat Ecclesia, & singulæ nostræ animæ: nec gignere corporaliter liberos, qui tot gigneret quotidie spiritualiter. Decebat quoque hominem spirituales castitas & mundities corporis. Adeo quod venerat, vt homines non terrestres faceret, sed cælestes, & à contagio liberaret carnis, ad cælestem puritatem, & munditiam traductos.

Postremo noluit discrimen aliquod inter sobolem naturalem & adoptatam relinquere, omnes voluit spiritualiter creare: vt omnes sciant ad gratiam se atque adoptionem hæreditatis filij Dei pertinere, non ad naturam

turam. Quid ergo, dicat aliquis, exemplumne præbet omnibus vt calibes viuam & casti? Præbet certe quantum quisque potest consequi: sed quemadmodum ipse idem de castitate dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc, nisi quibus est calitus à Patre concessum.*

Mahometus vero qualis fuerit, iam superiori cap. descripsimus. Vir prima ætate idololatra, & pauper, latrocinia exercens, tunc nactus opulentas nuptias militauit sub Heraclio Imperatore inter populares suos Arabes. In ea militia occasionem Principatus ac potentiam inuenit: nam cum Arabes irati Heraclio, discessionem ab eo fecissent, hic se ordinibus iratorum militum admiscuit, eorumque animos aduersus imperatorem exacuit, & in defectione confirmauit. Tum creatus est à parte quadam militum dux Mahometus, quemadmodum ij solent in omni seditione extolli, qui praua multitudinis consilia comprobant, potentesque & principes insectantur. Humilitatem generis & vitæ prioris sordes multi in eo nouo duce aspernabantur. Ipse vt ab illo se contemptu vindicaret, quod est apud stolidam plebem facillimum atque efficacissimum, diuinitatem suis actibus prætendit: non iam se ducem & Principem ferens militari fauore electum, sed Prophetam & nuncium Dei omnipotentis, vt obtentu diuinitatis omnes haberet dicto audientes. Hic est ille Dei Propheta, latro primum, mox seditionis miles & transfuga, dein modicam authoritatem & effrenatissimam eius libidinem diximus supra: At vero ne quis scelera & flagitia, quæ palam Propheta designabat, auderet carpere aut vituperare, authoritatem diuinam omnibus interposuit, & se à Deo iussum id facere confirmauit: bella, caedes, rapinas, adulteria. Nec satis illi fuit malum & sceleratum esse, nisi etiam nequitiam ac scelerum suorum authorem causamque Deum faceret, patrem bonitatis & Iustitiæ, osorem vitiorum. Mouet bella, agit, rapit, occidit; ait se cum potentia bellica à Deo missum: incestat, adulteratur, polluit virgines & maritas; facit Deum lenonem suum, & ait sibi datam à Deo vim generandi quantum hominibus quadraginta. Quid potest dici obscenius? quorsum hæc generandi tam immanis potestas, nisi vt non solum impune ac licenter, sed cum aliquapiam religionis cognitione à muliebri simplicitate & superstitione admitteretur ad concubitum, sinente marito aut patre, atque etiam authoritatem numinis reuerente, à quo esset illi tale munus concessum?

Sexto admirabilis Christi sapientia nota est in Alcorano maximè in locis in princ. huius cap. adductis, vbi Christum appellat sapientem, & omnis magisterij peritiam edocentem. Sed clarius ex doctrina Christi id constabit, initium disciplinæ suæ sumpsit Christus Dominus à refutatione receptorum errorum, de opibus, de voluptatibus, honore, dignitatibus, gratia, potentia: quæ omnia spernere suos, ac pro nihilo existimare iussit,

tanquam fluxa, vana, commentitia, breui peritura. Caput doctrinae suae, pietatis, amorem esse dixit erga Deum, & homines, in quo ostendit homini, quis esset finis & exitus bonorum omnium, & quemadmodum petendus. Amor enim Dei, quia nos Deo iungit beatissimo, beatos efficit. Amori erga Deum amores rerum istarum officunt, inter quae versamur. minus enim amat singula, qui amat plura & sensus vsu, aut voluptate rerum mundi huius ceterioris delinitus, à rerum altiorum amoribus mentem quasi manu iniecta retrahit. Contemnenda igitur haec sunt quae videmus & contrectamus, si vniuersum amorem nostrum in eo quod oportet collocare cupimus. Non est charitas nostra in res plures partienda, quae tota ipsa ad deo est exigua. Christi ergo disciplina fuit haec, omnia ita à nobis esse possidenda & sumenda, ne in animum penetrarent: non debere voluntatem ad se pellicere, quae praesentis tantum necessitati seruiunt, & subinde nos à cura aeternitatis abstrahunt: cui curae quicquid noceret, rescindi abijciq; imperauit, opes, honores, amicos, parentes, & liberos, si esset necesse, & proprium corpus, quicquid eam adiuuaret, adfiscisci & amplecti, sobrietatem, patientiam, tolerantiam, animi æquitatem. Ex Dei amore amor proximi nascitur, tanquam filium necessario amet, qui patrem. & eadem res vtrique charitati simul sunt noxae, atque vtilis. Ex opum, & potentiae, & claritatis cupidinibus nascuntur lites, rixae, iurgia, pugnae, caedes, odia, ex illarum neglectione quies, & pax, & amicitia. Vicissim quoque magnum est argumentum charitatis Dei, charitas hominum. Et quoniam quidem ad caelestem illum amorem ficti ac instructi sumus, vetat nos hic Christus odijs, & simultatibus assuescere. vult amore iungi, vt immortalē illam vitam iam nunc incipiamus meditari. Nec solum redamandum esse amicum, sed non habendum inimicum odio: quod praecipuum arduum nimis, & factu asperum inueteratae nostrae consuetudini, vnumque ex difficillimis Christianae pietatis, fractae quidem & corruptae naturae sententijs atque opinionibus videtur. Nam sensui naturae integre, quam Dominus restituit, nihil est probabilius, nec æquius nec facilius factu. Haec & alia Christus diuina praeditus sapientia docuit, & fecit, sicut Mahometus tam in doctrina, quam vitae probitate dissimili ac omnino contraria via processit, vt latissime ex his quae diximus supra patet.

Septimo de potentia Christi, hoc est virtute operandi miracula, clarissima sunt Alcorani testimonia; vt iam vidimus supra, imo & Christi miracula tanta, & tam manifesta fuerunt orbi, vt nulla vnquam gens fuerit vel tam impudens, vel tam Christo inimica & infensa, vt ea sit negare ausa. Itaque Gentiles, Iudaei, Agareni omnes grandia & mirabilia esse à Christo edita opera confitentur, sed alij alias in causas referunt. Agareni Deum authorem illorum fatentur, Iudaei, & Gentiles Dæmonem,

Sed

Sed res ipsa clamat apertissime Deo authore, atque approbatore illa omnia esse facta. In cecitate & surditate natis videndi & audiendi vsus non quem amiferant reddidit, sed largitus est omnino nouum. Deam bulauit super tementes vndas, vt nos super solidam terram: imperauit ventis, mari, tempestati, & paruerunt dicto. Expulit Dæmones ex humanis corporibus, abstulit lepram, roborauit membra, & compages humani corporis dissolutas, sanauit omne genus morborum. Reddidit lucem & vitam mortuis. Multis modis miraculum superat potentiam naturae: in ipsa actione vt solem sisti, vel retro agi ab occidente in oriens. Lapidem vel hominis corpus tolli in caelum, grauiam in aqua non demergi: tum in subiecto actionis, vt caeco reddi lumen, mortuo vitam. Lumen enim & vitam natura potest tribuere, sed non his. In ordine quoque ac ratione qua fit, vt repente sanari ægrum, sereno caelo dari pluuiam, subito sterni ventum & mare turbatum: hinc in agente, vt hominem inspicere hominum cogitatus: vel in instrumento, vt luto sanari cecitatem. Omnis generis acta sunt à Christo prodigia, & si cui vnum illorum, vt sunt hominum mentes diuersissimae, vel suspectum esset, vel non plenè satisfaceret, addita sunt tam multa, & varia, vt iam omnis dubitandi occasio sit sublata. Et egit varijs modis: Alias solo iussu, vt se ostenderet Regem naturae: alias inuocatione Patris, vt indicaret à quo haberet omnia, tum calumniae occurreret eorum qui in Beelzebub Principe Dæmoniorum Dæmonia illi aiebant expellere. Interdum re aliqua adhibita, vt luto, vel sputo: vt ostenderet quemadmodum Deus quandoque operetur solo verbo & nutu, alias tactu vestis eius: quandoque instrumentis quibus vult, etiam parum aptis, vt luto ad curandam cecitatem. Sed illi naturae Domino nullum est ineptum instrumentum, qui nec instrumentis indiget. Nonnumquam manu imposta: interdum absens solo iussu. Nec vnquam occasionem ipse edendi miraculi captauit: semper vsus est oblata: non ad vsus artis sue cepit tempus aut locum quod praestigiat ores faciunt, sed subito semper & pro re nata. Nec vtilitate aut comoda sua vnquam spectauit, sed aliorum: vt appareat non illi gloriae suae seruire in miraculo, sed adduciat hoc approbatione fiducia eorum qui peterent, vt homines fidē habere sibi & Deo assuescerent. Nec vllū vnquam egit miraculū corporale, quod non magnas significationes haberet spirituales: quod sigillatim referre hic esset longū & superuacaneum, praesertim cū hisce rebus nostrorum libri sint referti.

Mahometum vero nullū fecisse miraculū, ipse de se ipso clarè testatur, vt supra demonstrauimus: discipuli tamen eius quatuor eum praecipue fecisse miracula nugantur. Vnum de Angelo descendente de caelo, & cum ipso familiariter loquente. Secundum de luna quae de caelo descendit ad ipsum, & locuta est cum eo. Tertium de arbore ficu, quae ab eo vocata humi-

VVV

liter

liter se inclinavit erga ipsum. Quartum de boue & agno qui humana voce loquuti sunt ei: verum ista nugæ & fabulæ, meraque sunt figmenta & mendacia.

Octavo Mahometus Christum sæpe appellat Prophetam & Apostolum Dei, magistrum & Doctorem excellentem. Mahometus vero neque Apostolus est, neque Propheta, vt latissimè supra demonstrauius. neque Magister, cum ipse sæpe se ignarum fateatur: affirmans solum Deum scire Alcorani expositionem. Denique Christus secundum Euangelicam veritatem mortuus est, resurrexit, ascendit in cælum, & venturus est iterum, vt faciat iudicium mundi in fine sæculorum. Certa res est, nihilque ambiguitatis apud omnes nationes habens: Alcoranus autem contendit Christum non esse mortuum, sed quod assumpsit eum Deus: quare tam secundum Euangelium, quàm secundum Alcoranum in omnem euentum Christus viuit, Mahometus autem mortuus est: excellit igitur in hoc, sicut & in alijs, Christus Mahometum; vt nunc omittam alias innumeras Christi excellentias contentus his, quarum est testis & iudex Mahometus.

Conferamus igitur iam Christum cum Mahometo, non ex nostra prædicatione, sed ex Alcorano & secta vestra. Christus Verbum Dei, Mahometus homo merus. Christus Messias promissus Patribus, nuntiatus ab Angelo virgini excellentissimæ: Mahometus obscurus & ignobilis. Christus semper Sanctus, Mahometus aliquando profanus, & erro, & latro, Idolorumque cultor. Christus Doctor sapientissimus, Mahometus omnis eruditionis prorsus expertus, nec suum ipsius Alcoranum intelligens, Christus de se, & de suis certus: Mahometus incertus, vt ipse in Alcorano confitetur. Christus viuens, vel, vt vos dicitis, raptus in cælum à Deo: vel, vt nos, reductus in vitam: Mahometus mortuus & computrefactus. Denique nec Mahometus negat, se esse multo inferiorem Iesu Christo, Cum igitur Alcoranus de Christo multa & magnifica, vt vidimus, fateatur, de Mahometo vero è contrario pauca, & ea quidem vilia; mirum est quare Saraceni non sequuntur potius Christum, quàm Mahometum, Euangelium, quam Alcoranum, cum valde credibile sit à nobiliori, & excellentiori legislatore, legem emanasse meliorem.

CAPVT

CAPVT II.

De excellentia legis Christi, nempe Euangelij, tam in se quam Alcorano comparata.

SI quis Euangelij virtutes, doctrinam, stilum, propius attentiusque contempletur, clarè intelliget non hominis esse opus sed Dei, nec potuisse ab humanis ingenijs sine proprio & particulari Spiritus diuini afflatu componi: quæ vt legenti fiant apertiora, ostendenda erunt ex illis quatuor capitibus, ex quibus supra clarè deduximus legem Mahometi vanam, mendacem, iniquam, turpem, inordinatam, neque à Deo emanasse, neque ad Deum homines dirigere nempe ab authore siue conditore legis, à materia quam continet, à forma qua scripta, à fine quem hominibus præscribit. Ex his igitur causarum generibus breuiter Euangelij excellentia supra Alcoranum luce clarius apparebit.

Euangelij excellentia supra Alcoranum, ex eo quod lex sit à Deo lata & tradita, & homines ad æternam felicitatem perducatur. §. I.

In primis Mahometus ipse in Alcorano Christum Dominum supra omnes Prophetas, qui vnquam fuere, aut futuri expectantur, commendauit, Euangelijque doctrinam supra omnes diuinas scripturas magnificauit, vt inter alia loca manifestè testatur in Alcorano in c. Elmeide, Terminauimus (inquit) viam hominum per Iesum Christum filium Mariæ veracissimum Prophetam, & dedimus ei Euangelium, in quo est deductio, & lux, & veritas manifesta, & in eodem cap. inquit quasi ex persona Dei, O Christe considera quem dedi tibi Spiritum sanctum vt loquaris: item in incunabilis bis docui te librum, & sapientiam, & legem Moyfi & Euangelium. Ecce quam aperte fatetur ipse Mahometus Euangelij authorem esse Deum, illudque Christo inspirasse: ipsius vero Alcorani authorem solum nouimus Mahometum hominem ignarum, impium, turpem, mendacem, innumerisque alijs sceleribus famosum.

Præterea sicut Mahometus in hoc sæculo carneus fuit, & turpissimus, ita & in futuro carni studendum putauit: nam & eam beatitudinem posuit,

VVV u. 2

fuit;

Mahometus
Christum
deprædicat.

suit, quæ magis porco quam homini conuenit. Paradisi, inquit) solum aureum, Smaragdis & hyacinthis crebro interpositis est distinctum, omni fructifera constitum arbore, decurrentibus per amœna fluentis: quorum alia quidem lac, alia mel album, alia vinum purissimum fundunt. Dies (inquit) vnus erit mille annorum, Annus quadraginta millium annorum, quæ proportio inter diem & annum tam docta. & ex astronomorum regulis desumpta, vt non amplius quam quadragies maior sit annus die. Sed quæ potest in cælis esse nox, vbi semper splendeat Sol, nec se vnquam illinc aufert vel recondit? Dies autem si Solis est præsentia, semper est in cælo dies: sin conuersio cæli naturalis, horis quatuor & viginti conficitur. Addit: vestientur illic omni colore, præterquam nigro. Primum ferculum in mensa erit iecur piscis Albisbusi, credo quod palato Mahometi erat gratissimus; sed non est omnibus idem, palatum, nec idem sapor: & quasi homo qui totus erat corpus sine mente, nihil reliquit menti, quæ est hominis pars præcipua. Euangelium vero Christi non in corporis bonis & cõmodis sitam ait esse beatitudinẽ sed in eo quod in homine est potissimum ac excellentissimum, nempe in animo, & in vitæ huius curriculo laborioso atque ærumnoso, sed in bonis sempiternis. Beatitudo igitur nostra quam expectamus in altera vita, est ipsa Dei visio, qua nihil optabilius inueniri potest. Videbit enim beatus animus & quæ sunt in cælo & quæ sub cælo. Quid erit quod eius aspectum fugiat? nullum deerit oblectamentũ, nihil requiret vltra plenus animus. Nam quid pleno opus est? nihil illi deest qui nihil cupit. Desideria nostra implebit optimus, ac maximus Deus in quo omnia bona insunt, nec vllum cupiditatibus nostris relinquet locum, erit Deus omnia in omnibus, qui sine fine videbitur, sine fine amabitur, sine defatigatione laudabitur. Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illius Ciuitatis supernæ quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere latari: neque illic beatitudo humani corporis in epulis erit, aut in vino, aut in coitu. Ex redundantia beatitudinis animæ glorificabitur corpus ipsum, & similitudinem eius induet. Fulgebit tanquam Sol in conspectu Dei, teneritati eius nulla resistet materia: leue & agile infinita spacia in ictu oculi permeabit, nihil erit quo amplius lædi possit: inuiolabile erit & impassibile, more animæ, & ita totus homo exultabit, & dicet cum Propheta; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Dominum Deum viuum.*

Ex

Ex parte rerum quas Euangelium continet, in multis præexcellit Alcoranum. §. 2.

IN Euangelio veritatem manifestam contineri docuit sepiissime Alcoranus. Est enim lex à Deo ipso lata, vt etiam Alcoranus fateretur, ac ex consequenti ex omni parte pura, recta, sancta, ab omni immunditia penitus abhorrens, ab omni errore prorsus aliena, rectæ consona rationi, tota vndique perfecta, & quæ docet homines omnem vitæ perfectionem, & sanctitatem, sicut Deus ipse, à quo promanat, totus est secundum se perfectus, purus, & sanctus. Quare nihil potest habere stultum, mendosum, falsum, aut imperitũ, ac multo minus turpe aliquid aut præcipere aut approbare, qualia omnia in Alcorano probauimus reperiri.

Præterea Euangelium omnia habet quæcunque par est habere diuinũ librum hoc est humanæ salutis. Primum omnium non de humanis artibus atque opificijs, non de speculatione causarum, non de circumspeditione & prudentia vel publica vel priuata præcepta continet, sed de immortalitate, ac bonis æternis. Idcirco Euangelium nuncupatur, hoc est bona & lata annuntiatio. Disciplinæ aliæ, sapientiæ, artes quæcunque ac prudentiæ huius mundi nuntiant venire ad Imperium, ad regnum, ad opes, ad potentiam xui huius fragilis ac breuissimi, ad opiparas epulas, ad ludos, ad voluptates, ad decus, ad laudem, ad rigidam atque inanem virtutis vmbra, ad terram fluentem lacte & melle, ad puellas formosissimas, & quotidianas comotationes. Euangelium autem Christi venire celeres atque expeditos ad amandum Deum, vt cum illo ad æternitatem iungamur, vnde existet beatitudo inæstimabilis. Hinc vt Deus homines omnès absque vlla exceptione aptos idoneosque condidit suæ felicitati, ita & legem quam ipse traderet, hoc est felicitatis huius viam certissimam, communem esse omnibus voluit. Nulla ab ea ætas excluditur aut repellitur, nullus sexus, natio, conditio; eaque de causa Catholica est fides nuncupata.

Deinde admiratione non caret, in toto Euangelio, & quidem ab imperitis humanæ sapientiæ conscripto nõ inueniri ea quæ in monumentis maximorum ingeniorum, magnaque eruditione & cognitione rerum atque vsu excultissimorum crebra sunt, vt aliquid sit varium & pugnans, vt aliquid ineptum, puerile, frigidum, absurdum, ridiculum. & vbi scripori danda sit venia quod dormitarit. Nihil in eis tale: Vt appareat rectorem moderatoremque illarum mentium & manuum fuisse Deum, illisque id beneficium esse collatum, quod nulli humanorum ingeniorum, naturæ quidem

In Euangelio
continetur
veritas.

dem relicto inditu reperies Nullum est verbum quod ad summam instituti non pertineat, hoc est ad rationem pietatis. & cum in his quæ mediocria possent existimari, sic eluceat diuini consilij effectus, minus erit profecto mirandum, nihil in eis esse obscenum, & turpe, vt in Alcorano Mahometi, & apud gentium vates: nihil anile, delirum blasphemum, vt in Thalmud Iudæorum, & apud plerosque Philosophos. In expositione autem eorum quæ Christus vel egerit, vel dixerit, eadem admirabilitas maiestatis quæ in cæteris, seu potius amplior & sublimior. Nihil deinceps Euangelistæ scripserunt quod nostra non referret cognosci, nihil omiserunt quod referret. Nam quicquid è re nostra est nos scire, Euangelij est explicatum: curiosa, hoc est, quæ ad salutem nostram nõ faciunt, prætermissa sunt. Et hæc omnia non tractant tanquam encomium sed narrationis modo, purè, simpliciter, nude: ex qua promptissimum sit iudicare, illum & virum fuisse optimum Deum ipsum summum ac præpotentem. Quibus de causis & rationibus hoc possum affirmare, nõ minus audacter quàm verè: si cuncta humana sapientia conspiraret, vt hominem aliquem Deum esse vellet ostendere & eius opera & dicta diuina. fingeret de illo homine quicquid animo esset collibitum, & in id quod finxisset adhiberet rationis cultum, differendi vim & acumen rationum, non posset tamen Euangelium vnum quale est nostrum componere, hoc est conscribere, quo id possit euinci ac persuaderi, quemadmodum Euangelistæ nostri fecerunt solo historix cõtextu detractis quibuscunque humanæ sapientiæ viribus atque ornamentis. Hoc verò vt profanis atque imperitis fortasse videatur incredibile aut non satis probabile, quisquis tamen altius in Euangelij sensu penetrarit, facile mihi assentietur.

De Euangelij forma & stilo. §. 3.

Cum Euangelium sine discrimine omnibus esset tradendum, par erat, vt ab omnibus capi tenerique posset, ad rectam obseruantiam & cultum. Quare non est traditum Euangelium obscurum & difficile ad intelligendum, tanquam paucissimis profuturum, sed facile, dilucidum, apertum, expositum omnibus. Vt nemo esset quin petere illinc posset, & tanquam de fonte haurire quæ salutis suæ expedirent. Philosophi atque Oratores locuti sunt excultius, ornatius, accuratius, subtilius in omni genere artium: videlicet non scribebant omnibus, at ex ingenio vel facundia decus, & gloriam captabant. Ergo illa ipsa tam elaborata pauci adeunt, pauciores intelligunt. Nihil est scilicet periculum, si illa tenebris obruta sub ignorantia delitescant. At quod scire omnibus expedit, & est necesse, quod extremæ calamitatis est nescire, vtique congruum est quod ab omnibus quantum sat est intelligatur.

Quare:

Quare proposita est Dei disciplina ea facilitate, quæ apta esset omnium ingenijs, quam omnes facillè caperent, simplici videlicet narratione, exemplisque, & similitudinibus sumptis de rebus notissimis. At in hac ipsa facilitate & simplicitate tam vtili tam congruenti quibuslibet, quanta occultatur altitudo mysteriorum, quæ diutissimè exercere possint magna atque sublimia ingenia, nec non bona ac religioni dedita pacere? Nullum est in Euangelio verbum, quo non regatur grande aliquod & admirabile arcanum. Magna est in Euangelistis narrationis cõstantia, qui tenor perpetuus, facilitas autem in affectata & vbique similis sui. Grauitas vero & seueritas diuinis rebus congruens, nihil in illis prorsum iocosum aut ridiculum, non delapsi sunt ad vllam sui ostentationem, non ad citandos eruditos nationum, non ad aliquid inferendum ex sapientia mundi, quæ tum maxime erat in pretio, non ad descriptiones regionum aut locorum, non ad inanes vllas atque otiosas digressiones, aut quæ aménitate sua detinere possent lectorem, nihil in istis vacans aut aliorum pertinens. In Alcorano verò, vt vidimus ostendimusque supra mira est inconstantia, inscitia, & obscuritas. Vides autem quantum inter Euangelium & Alcoranum intersit? illud obscurum, difficile, intricatum, nemo intelliget nisi Arabs: nostrum vero planum, facile; nihil fieri potest in quacunque lingua dilucidius, vt ea Philosophia aperta esset omnibus, quæ salutis omnium euulgabatur. Quid quod & ipse Mahometus ait se non totum Alcoranum intelligere nec alium præterquam Deum intellecturum? quis ergo est futurus vsus eius, quod homines non intelligunt? Rogo, cum vir sapiens loquitur hominibus rudioribus & præcipit vt aliquid agant, accommodatne ad suam excellentem intelligentiam ea quæ dicit, an potius ad captum eorum quibus loquitur?

C A P V T I I I.

Conclusio supradictæ excellentiæ legis Christi, vbi breuiter duodecim prærogatiuæ Euangelij, supra Alcoranum recensentur.

Ex prædictis cum Cardinali Turrecrem. colligere possumus duodecim excellentias, siue prærogatiuas dignitatis, quibus lex Christianorum à secta Mahometi distinguitur. propter quæ Saraceni, & quicumque alij Infideles, si veræ beatitudinis cupiunt participes fieri, omni alia lecta religione ad fidem Christi, ad Religionem Christianam, extra quam non est salus, deberent quàm velociter concurrere. Habet in primis fides lexque Christiana.

Excellentia
legis EVANG.
§. 1.

Christiana.

Christianorum originem summæ nobilitatis, quoniã non ab hominibus, nec casu aut fortuna allata est, sed ab ore Dei processit. Lex verò siue secta Mahometi, non habet originem cælestem, sed terrenam, non diuinam sed diabolicam: vt supra manifestè ostendimus.

Secundò, Lex Euangelica, siue Christianorum habet Magistrum & Doctorem summæ sanctitatis, & gratiæ præ filijs hominum: non autem talis fuit Magister, & Doctor saracenorum sectæ: videlicet Mahometus, qui non modò non sanctus, sed sceleratissimus idololatra, homicida, raptor, lubricus maximè, vt supra ostendimus.

Tertiò, excellit lex Christianorum in hoc quod habet signa confirmatiua diuinæ potestatis, quæ scilicet sola diuinitatis potestate fieri poterant, sicut est resuscitatio mortuorum sanatio leproforum, cæcorum illuminatio, & huiusmodi, quæ innumerabilia per Christum, & Discipulos suos in nomine eius facta sunt, & fiunt per orbem vniuersum; vnde de Christo dicitur Luc. 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes.* Quoniam omne genus miraculorum fiebat per eum Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, & pauperes euangelizantur.* De signis vero quæ in nomine, & fide eius per alios fiunt, dicitur Marc. vlt. *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur; in nomine meo demonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Cæterù non solum sancti mortui huius Christianæ fidei veritatem miraculorum operatione confirmarunt, verùm etiam viuè eadem signorum virtute, veritatem illius per orbem quotidie testantur. Secta verò Mahometi nullis talibus signis, nullis huiusmodi miraculis, per Mahometum, nec per suos confirmata est, nec ostensa à Deo esse; vnde ipse profiteretur, signa sibi non esse data, sed in armorum potentia venisse, sicut supra ostendimus.

Quarto, lex Christianorum in hoc præcellit, quod habet testes grandissimæ authoritatis. Habent enim Prophetas sanctos veteris testamenti, vnde Christus ait Io. 5. *Scrutamini scripturas, ipsæ testimonium perhibent de me.* Cæterùm testes maximæ authoritatis, nulla exceptione maiores habet fides Christiana ex nouo Testamento. Habet imprimis Ioannem Baptistã, quo teste Christo, *inter natos mulierum, maior non surrexit.* Cuius etiam sanctitatem commendat Mahometus plurimum in Alcorano supra; Ioannes iste testimonium perhibet de Christo, & ait Ioannis primo. *Hic est, quem dixi, qui post me venturus est, ante me factus est, qui prior me, scilicet dignitate, est, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia: & infra: Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere: & infra: Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

Præterea Christiana fides habet testimonium suæ veritatis omnes Apostolos, qui Spiritu sancto suggerente ipsius symbolum fidei ediderunt, quibus

quibus Dominus ait, *Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, usque ad ultimum terræ.*

Quintò, Christiana lex in hoc excellit, quod habet documenta irrefragabilis veritatis. Psalm. 118. inquit Propheta, *Principium verborum tuorum Veritas, in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.* Singulare testimonium & indubitata veritatis præbet Mahometus de lege Christi in cap. de Iona, ita dicens suis Saracenis: si in aliquo dubio de Alcorano essent, quod petant ab illis qui ante eos acceperunt libros, scilicet à Christianis. & Iudæis. Secta vero Mahometi non est sinceræ firmæque veritatis, sed est multis erroribus, multis sceleribus aut blasphemijs plena, vt supra ostendimus.

Sextò lex Christianorum excellit, quoniam habet mandata & præcepta totius honestatis splendoribus virtutum plena; sobrietatem enim, & iustitiam docet prudentiamque, & iustitiam, quibus nihil est vtilius in vita hominibus, Sap. 7. maximè cum inducat homines ad dilectionem Dei, & proximi, in quibus duobus lex pendet, & Prophetæ. Secta vero Mahometi turpia præcipit, turpissima concedit plena est factoribus: & immunditijs, vt supra satis plene ostensum reliquimus.

Septimò, lex Christianorum præcellit, quia habet consilia perfectionalis sublimitatis, imperat enim inimicis charitatem, benignitatem odijs, vera maledictis subsidia; persequentibus patientiam, esurientibus victus administrationem præcipit, & gratiam remunerationis promittit. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui vos oderunt, orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.*

Habet etiam Consilia Euangelicæ perfectionis de quibus dicitur Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Secta verò Mahometi non habet talia perfectionis consilia, sed iniqua, & impia, quæ latrones, & Tyranni habent; puta, homicidiorum, violentiæ, rapinæ, vindictæ. Vnde Mahometus neminem penitere dicit, nisi de iniuria illata vindictam ceperit. Iubet carceribus tradi & occidi omnem non recipientem legem suam, & huiusmodi.

Octauò, excellit lex Christianorum, quia omnem enormitatem longè arcet, nullum enim malum permittit, tanquam perfectissima, sed omnia excludit, & puniendâ prædicat, propter quod legislator Christus Matth. 12. inquit, *Dico autem vobis quod de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines super terram, reddent rationem in die iudicij.* Secta verò Mahometi non est huiusmodi, vt supra ostendimus: multa iniqua, & impia permittit & concedit: licet autem Mahometus quandoque prohibeat aliqua peccata, vt rapinam, vel periurium, vel fornicationem, vel quædam alia mala, tamen ipsa prohibitio est quædam permissio; dicit enim, *Ne faciatis talia, quia*

Deo non placent, sed si feceritis, ipse est misericors, & miserator, & indulgebis vobis de facili. Talis enim facilis indulgentiæ largitio æquipollet permissioni delictorum, quia, teste Gregorio, *facilitas veniæ incentiuum præbet delinquendi.*

Nonò, Lex Christianorum præcellit, quoniam habet Sacramenta miræ virtutis & efficaciz, in remedium & medicinam defectus, & vulnerum peccatorum. Habet inter alia Baptismi sacramentum, in quo lauatur, & purgatur anima à sordibus originalis peccati, & actualis, si inesse simul contingat. Habet etiam Sacramentum confirmationis, in quo datur Spiritus sanctus ad gratiæ augmentum, & ad robur spirituale animæ, contra insultus, & bella hostium spiritualium. Habet insuper Sacramentum Eucharistiæ omnium Sacramentorum excellentissimum, in quo sub vtraque specie Christus veraciter contentus vitam gratiæ præstat se dignè fumentibus. Item habet Sacramentum penitentiz, quæ est secunda tabula post naufragium, & est medicamentum vulnere, & spes salutis, per penitentiam enim peccatores saluantur, per eam Deus ad misericordiam provocatur, & sic de alijs sacramentis. Secta vero Mahometi (in hoc omni aliâ secta perniciosior) nulla habet sacramenta, licet, ad designandum calliditate Diabolica, quod ipse Mahometus vtriusque testamenti conseruato esset, & sic tanquam Propheta, vel Apostolus, siue Dei nuncius haberetur, seruari primum præcipit Sacramentum veteris legis, scilicet circumcissionem; & primum noui, scilicet Baptismum: Omnes enim sub prædicta maledicta secta aberrantes, masculi circumciduntur, & tam viri, quam fæminæ aqua lauantur.

In vtraque tamen manifeste errant, nec sacramenta aliqua tenent, sed tantum vmbrailem quandam similitudinem. Nam circumcisio, quæ in octaua die fieri præcipitur, Leui. 13. in ætate adulta iuuenili & vltra per ipsos fit, & sic prædicta Circumcisio, non est veteris testamenti, siue mosaica, sed magis Ismaelitica. In Baptismo similiter errant: tum quia non vtuntur eo in forma, qua Christus instituit dicens *Matt. vlt. Euntes docete omnes gentes baptiz. antes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Tum quia non videntur Saraceni tali oblatione vti, nisi pro abstergendis corporalibus inmunditijs; nam de Spiritualibus sordibus nihil curare videntur. Vnde, dicentes, Conseruare vtramque legem, potius vtriusque se manifestant corruptores. Ea etiã animi cæcitate sunt perfusi, vt credant huiusmodi lotiones tibiæ, & pedum, & c. sibi proficere ad salutem. Interiora autem sunt lauanda, scilicet malitia cordis, incredulitas animi, & sordes peccatorum.

Decimo, Fides siue Religio Christiana excellit, quoniam non armorum violentia, aut potentia tyrannica, non quæstus aut commodi gratia, non

terrenæ gloriæ, aut carnalis voluptatis promissionibus introducta est; sed patientia, sed miraculis; pauperibus etiam prædicantibus, & ad contemptum mundi, & deliciarum fugam inducentibus. Vnde 1. Corint. 1. Apostolus. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret; vt non gloriatur omnis caro in conspectu eius.* Secta verò Mahometi, vt supra dictum est, per violentiã per potentiam armorum, oppressiõibus, depopulationibus, rapinis atque homicidijs, introducta, & plantata & extensã est. Si quis verò ex parte Mahometi velit opponere quod Moyse cultores Idolorum expugnauerit, reducat ad memoriam prodigia & miracula, quæ ille fecerit in lege, & videbit quod ex præcepto Domini hoc fecerit: similiter de Iosue filio Num, ad cuius verbum Sol & Luna steterunt. Quæ miracula cū nõ possint fieri nisi à Deo, manifestũ est quod quicquid illi fecerunt, iussu Dei factum sit. Mahometus vero nullum miraculum ostendit, quod sit in testimonium, vt ei credatur, cùm officij sui non fuerit nisi occidere homines, & latrocinari, & diripere aliena, & captiuare, in perpetuamque seruitutem redigere parentes cum liberis. Præterea illi sancti viri tunc expugnabant cultores Idolorum. Mahometus persecutus est, & sui persequitur populum Dei, qui vnum verum Deum creatorem celi & terræ adorat, colit, & laudat.

Vndecimò, excellit fides Christiana, quoniam habet existentiam incorruptibilis firmitatis, vnde Psalm. 118. dicitur, *In æternum Domine permanet verbum tuum.* Secta verò Mahometi non habet durationis firmitatem, nisi quantum duratura est apud eos armorum potentia, & facultas temporalis, vt ipsemet attestatur Mahometus.

Duodecimò, longe Religio Christiana antecellit, quoniam habet promissa ineffabilis felicitatis, quæ est visio facie tenus omnipotentis Dei, diuinitatis perfectæ fruitjonis suauitas: promittit siquidem seruatoribus suis felicitatem ipsam, quam Angeli habent in cælo, quæ profecto ineffabilis est. Quæ enim lingua potest dicere, aut intellectus capere sufficit superne felicitatis quanta sint gaudia? Interesse Choris Angelorum, cum beatissimis spiritibus semper persistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici incorruptionis perpetuo munere lætari. Secta verò Mahometi non promittit obseruantibus legem suam beatitudinem, nisi carnalem, & voluptuosam in potibus vini, mellis, & lactis, & in luxibus, & in mollibus lectisternijs, sicut supra notauimus, quæ etiam communia sunt brutis animalibus.

Quas quidem Christianæ fidei excellentias super omnem aliam sectam

utinam Saraceni, alijque infideles sanis oculis attentè considerarent. Nā si id facerent, credimus, quòd, si eis saluationis verus appetitus inesset, illustrante illo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū, ad Christianam Religionem magna cum deuotione festinarent.

CAPVT IV.

Causæ aliquæ tantæ durationis legis Mahometi.

Hebræorum persecutio nes.
Nulla vnquam secta, nullaque gens infesta & inimica populo Dei, tam diu infestauit, & afflixit eum, quàm gens Mahometana Christianum populum. Hebræa gens dura ceruice grauata & oppressa est ab Aegyptijs, sed annis minùs ducentis. Tempore Iudicum Hebræus populus vexatus est à Mesopolitanis, annis octo: à Moabitis annis decem & octo: à Chananzis viginti annis: à Madianitis septem annis: ab Ammonitis, per annos decem & octo: à Philistæis, annis quadraginta: tempore Regum aliquot annis post discissionem Hebraici Regni, in Regnum Israël & regnum Iuda, Assyrij & Chaldæi siue Babylonij ceperunt infestare & vexare Hebræos: eaque vexatio ab initio vsque ad finem, id est vsque ad reditum Iudæorum à captiuitate Babylonica, durauit annis minùs trecentis. Denique Rex Antiochus Epiphanes, & successores eius, Iudæorum grauissimi hostes, gentem Iudaicam per annos quadraginta afflixerunt. Et vt de populo Christiano loquar, Christiani per illas celebres decem persecutiones Romanorum Imperatorum, à Nerone vsque ad Constantinum Magnum vehementer afflicti sunt, per annos circiter ducentos sexaginta. Persecutio item Barbarorum, à Gothis vsque ad Longobardos, per annos fermè trecentos exercita est aduersus Christianos. At verò secta gensque Mahometana ab origine sua, quæ fuit circa annum Domini sexcentessimum trigessimum, vsque ad præsentem Domini annū millesimum sexcentessimum quintum, quo tempore etiam plurimum ualeat, & uiget, nongentis septuaginta quinque annis perdurauit. Dignissimum igitur uidetur curiosa scrutatione, attentaque consideratione, quas ob causas tantam ea secta habere potuerit diuturnitatem.

Christianorum persecutio nes.
 Equidem plures eius rei causas satisque probabiles inuenio, quarum tres primas à Dei prouidentia petitas, tractat Paulus Burgensis, in ea quæ de secta Mahometica fecit, disputatione, super cap. 13. Apocalypsis. Prima causa est huiusmodi, Habet hæc secta quædam & probabilia, & laudabilia Deoque grata, ob quæ uidetur non sine causa tolerari à Deo. Hęc enim secta maximè odit, & detestatur Idololatriam; prorsus adeo vt nullas vel
 Dei,

Dei, vel Angelorum, vel sanctorum hominum imagines non solum colat, sed nullo etiam in loco depingi patiatur. sicut etiam in veteri testamento, Deus omnium Imaginum Iudæis uenerationem & cultum interdixit. Scelus porro Idololatriæ super alia scelera, odit & execratur, & punire solet Deus. De quo scelere in scriptura loquens Deus, ait, *Ego Deus fortis & zelotes*, istis uerbis significans, sicut zelus uiri de adulterio suæ uxoris est implacabilis, ita Deus non parcat populo suo idola colenti, sed grauissimis eum supplicijs punit. Scelus Idololatriæ per metaphoram uocatur fornicatio hominis à Deo, *Qui elogant se à te, peribunt* (ait Dauid) *perdidisti omnes quibus fornicantur abs te*. Quantus uero quamque implacabilis sit zelus mariti ob adulterium uxoris, ostendit salomon his uerbis. *Zelus & furor uiri, non parcat* *Prou. 6. in die uindictæ, neque acquiescet cuiusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.*

Secunda causa: ista secta Mahometana Christianos suæ dominationi subiectos fere non cogit abnegare fidem Christi, sed eos patitur, & fidem & Religionem, & disciplinam Christianæ legis colere, vt cernere licet in Christianis qui sunt in Græcia, & in Asia, & in Syria & in Aegypto; permittit in terris suis quatuor Patriarchatus; plurimas item Ecclesias & monasteria: permittit Christianos undecunque venire ad terram sanctā, uisitare sepulchrum Domini, aliaque sancta loca, quin etiam Christianorum custodię ea permittit, sinit habere inibi monasteria & hospitia, nec legem & Religionem Christianam damnat, secundum Mahometis uide licet sententiam, qui Christianos secundum legem suam saluari posse confessus est. Quod si alicubi, & aliquando aliqui Christianorum ad renuñciandum Christo uel minis, uel promissis quodammodo cogantur, id nec generale est, nec per se fit, sed vt ita dicam, per accidens; quo scilicet eorum ministerio in rebus bellicis fidelius & tutius possint uti.

Tertia causa est eadem ipsa, propter quam passus est Deus Philistæos, Ammonitas Moabitas, Ismaëlitas, Madianitas, gentes nimirum Hebræis inimicas atque infestas, uel illis uicinas, uel ipsis etiam immixtas habitare. Primò quidem ob bellicam Hebræorum eruditionem, vt ex assidua cum hostibus decertatione prudentiores & fortiores ad pugnandum in eos fierent. Deinde vt si Dei legem uiolarent, & ab ipsius cultu ad idololatriam defluerent, per istas gentes uicinas promptam acciperent à Deo punitionem; præterea id ipsum ualebat ad Hebræorum uirtutis ac pietatis explorationem, atque probationem: hac de re in libro Iudicum capite secundo & tertio ita loquitur Deus, *Ego non delebo gentes quas dimisit ioseph, ut in ipsis experiar Israël, utrum custodiant uiam Domini, & ambulent in ea. Has gentes dereliquit Dominus, ut erudiret in ijs Israël, & omnes qui non nouerant bella Chananeorum; & postea discerent filij eorum cer-*

tare cum hostibus, & habere consuetudinem preliandi. Ob easdem has ipsas causas passus est Deus & patitur, Mahometanos hostes acerrimos Christianorum tam diu regnare & vigere.

Quarta causa: Hoc ipsum permisit Deus ad puniendos flagello Turcarum & Mahometanorum Christianos, Græcos, & Orientales, ob multiplices ipsorum errores circa fidem; & ob ingentem eorum superbiam, atque contumaciam aduersus Romanos Pontifices & Ecclesiam Romanam; & ob multiformem perfidiam, variasque prodiones, quibus vsi sunt aduersus Christianos exercitus Occidentales, in recuperatione terra sanctæ.

Quinta causa: Nostris discordijs atque disidijs, secta ista & aucta & roborata, & firmata tam diu præualuit. Arma enim in Turcas & Mahometanos conferenda, in nostros conuertimus: gladium bellicum in hostes Christiani populi distringendum ac vibrandum in nostra ipsa viscera imprimimus. Heu furor heu dolor! sed meliorem quæto in posterum Deus Christianis Principibus det mentem. Quantum valerent & possent aduersus Turcas, concordes Principes Christiani satis ostendit sacrum illud belli aduersus Turcas factus ante annos triginta quatuor inter summum Pontificem Pium Quintum & Catholicum Regem Philippum secundum, & clarissimam Venetorum Rempublicam factum.

Sexta causa: Habet hæc secta & alia complura & tria præcipue, vulgò admodum probabilia. Primo nihil præcipit & tradit credendum hominibus, quod sit supra sensum, aut certè supra captum humanæ rationis: vt propterea, dediti sensibus homines, vel sola rationis regula metientes quæ credenda sunt, ab ea lege recipienda propter difficultatem intelligendiam, minimè retardentur. Deinde est ista lex, & secta valde carnalis, plurimum indulgens voluptatibus & rerum terrenarum cupiditatibus, super omnia verò libidini dominandi, & imperandi, quocunque modo id consequi possit; ad hæc autem procliuissimi sunt mortales, eaque flagrantissimè concupiscunt atque consectantur. Postremò ista lex & secta non per efficaciam prædicationis, nec per mirabilitatem signorum & prodigiorum persuasa est hominibus: sed inuecta & intrusa est per vim bellicam & terrores bellicos, & tyrannicam violentiam; quibus rebus plurimas gentes & provincias vel imbelles, vel tunc inermes, ac præsidijs bellicis destitutas, inuadens, facillè dominatum earum obtinuit, atque in his diu præualere potuit.

Septima causa: Hæc secta ex alijs pluribus sectis mixtè confusæque collecta est: quia ex omni secta habet nonnulla: habet etiam vnde & cur aliarum sectarum cultoribus placere queat.

Octaua causa: Hæc secta tam diu conseruatur & perpetuatur ob imperij

perij Turcici potentiam, valde stabilem & firmam ac durabilem. Est quidem Turcicum imperium planè tyrannicum; quia in eo Princeps proprium omnino bonum spectat, nullo autem modo bona curat subditorum: deinde quia subditos tractat vt seruos & mancipia, quantum ad honores & possessiones bonorum temporalium: tum quia leuissimis de causis quoslibet, etiam optime meritos & bonis & vita spoliatur. Hoc tamen tyrannicum imperium tam diu conseruatur has ob causas. Primò quidem terrore potentæ bellicæ; habet enim amplissimum & validissimum equitatum, peditatum verò ex Asianis, & Europæis tantum, vt vel ipsa multitudine etiam mortuorum hostes obruat: sed maximum eius robur est in pluribus fortissimorum & fidsissimorum Genizzarorum legionibus. Deinde ne vel Turcæ ipsi, vel Christiani eis subiecti, nec, vt vocant, Renegati, qui tenent arma, & res bellicas tractant, rebellare aduersus Imperatorem queant; quatuor diligenter seruat, quæ secundum Aristotelem in politicis ad tuendam diuque conseruandam tyrannidem plurimum conducunt. Tenet enim subditos prorsus subiectos, & viles, & item pauperes & inermes, & inuicem diffidentes: habet plurimos exploratores & insidiatores quibus magna proposita sunt præmia; & sufficit qualibet suspicio, aut etiam vmbra dubitationis de quocunque, quin etiam vel minima calumnia valet ad perdendum hominem. Super omnia curat, ne imperio suo subditi, præcipue verò quorum in bellicis functionibus vitur opera & ministerio, ab vilius externæ gentis, vel Principis patrocinio vel gratia villo modo pendeant.

C A P V T V.

Causæ cur tanta hominum multitudo sectam Mahometicam amplectatur.

Cum autem fides Christiana, vt iam supra ostendimus, tot excellentijs & nobilitatis prærogatijs super omnes leges priuilegiata sit, atque virtutum floribus tota plena, super aliam sectam emineat; Secta-que Mahometi siue Saracenorum erroribus, & spurcitijs perfusa sit, quæ mirum fortasse aliquibus videbitur & quæstione dignum, Cur ad prædictam Mahometi sectam tanta hominum multitudo, & populorum diuersitas confluerit, maximè cum ratio naturalis hominis, vt ait Philosophus primo Ethic. semper ad optima depreceat. Huic dubitationi primo respondet Richardus, in confutatione legis Mahometicæ cap. 10. his verbis.

Notandum

Notandum autem, quatuor esse partes eorum qui retinent errorem Mahometi. Primo qui ingressi sunt Saracenisimum per enssem: qui etiam nunc suum errorem cognoscetes respiscerent utique, nisi eum propter enssem timerent. Alia particula eorum est qui decepti sunt à Diabolo credentes vera esse mendacia. Tertia particula est eorum, qui nolunt discedere ab errore maiorum suorum: sed dicunt detinere ea, quæ eorum Patres detinebant, Mahometi sectam tanquam minus malam sine dubio elegerunt. Quarta pars eorum qui propter remissionem vitæ, & mulierum multitudinem, & alia remissibilia potius in his immundiciam, quam æternitatem futuri seculi amauerunt, & cum his concordēs sunt, qui apud eos Sapientiores appellantur.

Et qui literarum peritiam habent, non credunt legem illorum esse veram, vel bonam simpliciter: sed vehemētia voluptatum excæcat iudicium rationis. prout dicit sapiens. Sicut & multi literarum expertes non seruant Euangelij legem, etsi redant bonā & veram esse, potius imitantur viam Alcorani, quamuis credant in veritate illum errasse.

Et huius rei signum in utrisque est. transmutatur enim quidam Saraceni in Christianos, & Christiani quidam sunt Saraceni. Christianus quidem nunquam in morte fieret Saracenus, sed in vita: Saracenus autem potius in morte fit Christianus, quam in vita: Vierque igitur horum potius elegit Christianus mori, quam Saracenus, nisi aliquo modo pradiſta vi abstrahatur. Hæc Richardus.

Quare cum in hac secta alij teneantur errore quodam tradito per manus à maioribus & ignorantia meliorum, alij metu, alij cupiditate opum, alij illectamentis voluptatum. (Sunt enim omnia quæ ille præcepit eiusmodi, ut homines nec pœnis legum possint ab eis auerti, ac coërceri.) ut mirandum non sit crassos illos ac rudes ad id quod suadet libido se adiunxisse. Et quemadmodum Imperium armis atque vi retinetur, ita etiam secta. Quod præuidens Mahometus legislator, dixisse fertur, tam diu legem suam duraturam, quam diu victoria suorum Scilicet conficius erat sibi, non in recti persuasionem illam esse sitam, sed in violentia. Idcirco qualem ferret legem perpendens, quatuor illam vallis sepiuit, ne aditus pateret ad illam subuertendam. Primò, quod iubet eos interfici qui Alcorano contradicerent. Deinde, quod verat cum hominibus diuersæ sectæ disputatione congregari. Tertio, ne credant cuiquam nisi Agareno. Quarto, ut segregent se prorsum ab alijs, & dicant: Mihi lex mea, tibi tua: vos ab eo quod ipse operor estis liberi, ego inuicem ab eo quod vos operamini. Quibus munimentis tuta erit cuiuslibet scurræ, aut lenonis aut Tyranni institutio.

Cardinalis vero Turrecremata latius propositę satisfacit difficultati. Ad hanc, inquit, quæstionem faciliter responderetur, si considerentur astutia, & vię quibus versutijs vsus est Mahometus ad introducendam sectam suam, & quibus posset errorem suum tegere, & Christianę fidei veritatem

veritatem in opinione stultorum, & insipientium hominum deprauare: de quibus quia plura superius percurrimus, pauca subiungemus. Fuerunt autē quinque vię, siue astutia Mahometi, quæ sunt contrarię vijs, quibus fides Catholica stabilitatem suscepit; de quibus S. Thom. 1. contra Gent. cap. 6. loquitur.

Prima est, quod carnalium voluptatum promissionibus, ad quarum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos allexit; promisit enim hominibus legem suam suscipientibus, legem carnalem, & voluptatibus plenam, qualem sibi præparari optabat; ibi carniū, & omnium fructuum vsus, ibi lactis, vini, & mellis riuulos, & aquarum splendentium cursum, ibi pulcherrimarum mulierum & virginum amplexus, & luxus, quibus summa voluptas eius describitur; quæ omnia obedientibus sibi promittit. Vnde non mirum si carnalis & bestialis populus secutus est illum. Fides vero Christiana è conuerso intrauit; non enim carnalia promittit, non voluptatem carnis, sed felicitatem, qualem ipsi Angelici Spiritus habent, quæ ineffabilis est, & incomprehensibilis, quemadmodum supra prosequuti sumus.

Secunda via, quæ Mahometus vsus est ad alliciendum populos ad sectam suam, quod præcepta dederit promissis conformia, carnali voluptati habenas relaxans quibus facile carnales homines obediunt. Ut enim Tullius narrat, bene dixisse Platonem, *Voluptatem escam esse malorum, qua capiuntur homines ut pisces hamo; & Virgil. in Buccol. Trahit sua quemque voluptas.* Hac ratione, ut dicit Lactantius, Epicureorum disciplina multo celebrior semper fuit, quam cæterorum; non quia veri aliquid affert, sed quia multos ad populare nomen voluptatis inuitat, dicens voluptatem esse maximum bonum. Non sic autem lex Christiana processit, in qua voluptates carnis maxime prohibentur, & omnia, quæ in mundo sunt contemni decentur; quæ verè à tota multitudine hominum appetuntur, ut sunt libidines, delectationes gulæ, & honores mundani, quibus animi mortaliū maximè afficiuntur, ut dictum est. Vnde 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ;* quibus exhortationibus animos mortalium assentire maximum miraculum est, & manifestum diuinæ inspirationis opus; ut contemptis visibilibus sola inuisibilia capiant.

Tertia via, quæ Mahometus processit, fuit, quod documenta veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quouis mediocriter sapiente naturali ingenio agnosci possint; quin potius vera, quæ docuit fabulis, & falsissimis doctrinis miscuit, ut quod deus sit vnus, sitque

Creator omnium rerum, & quod ei timor & honor exhibendus sit. At quod pietatis opera exercenda sint, quilibet etiam parum doctus intelligit esse faciendam, & quæ etiam antequam Mahometus illa scriberet, in Euang. plenius continentur. Lex vero Religionis Christianæ plurima documenta tradit veritatis diuinitus hominibus reuelatæ, quæ excedunt totius humani intellectus virtutem, & facultatem; vt est Trinitas personarum, in vnitæ sententiæ Diuinæ, generationis arcanum, Diuinæ incarnationis mysterium, & Eucharistiæ ineffabile Sacramentum, & similia. quæ omnia superant omnè creatum intellectum, de quibus Ecclesiast. 3. dicitur: *Multa supra sensum hominis ostensa sunt tibi*, & Propheta in Psal. 118. *Considerabo mirabilia de lege tua.* Item *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Id est, ex me, attingere. & Apost. 1. Corinth. 2. *Quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei: nobis autem reuelauit per Spiritum Sanctum.*

Quarta via qua Mahometus in propagatione suæ legis vsus est, sicut in cap. præcedenti diximus, fuit tyrannica violentia & potentia armorum. Non enim signa adhibuit supernaturaliter data, quibus solis diuinæ inspirationis conueniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi Diuina, ostendit Doctorem veritate inuisibiliter inspiratum. Vbi notandum, quod non aliqui Sapientes in rebus Diuinis exercitati & humanis, à principio crediderunt ei; sed homines bestiales in desertis errantes, omnis doctrinæ Diuinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem, alios armorum violentia in suam legem coegit.

Illustris vero Christiana Religio, non sic armorum potentia introducta est, vt in præcedenti cap. dictum: quia Deo non placent violenta obsequia; sed miris prodigiis, & operibus visibilibus, quæ totius naturæ superant virtutem & facultatem, videlicet mirabili curatione languorum, mortuorum resuscitatione, caelestium corporum mirabili mutatione; & quod mirabilius est, humanarum mentium inspiratione; vt Idiota & simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam, & facundiam in instanti consequerentur. Vnde soli Christiani prædicationibus, martyrio, & miraculis, non vialiqua temporali, omnium nationum gentibus Christi fidem suaserunt, quod propheta ita Spiritu præuidens ait: *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vnde Lactantius dicit: *Denique nulla gens tam inhumana est, nulla Religio tam remota, cui aut possessio Christi, aut sublimitas Maiestatis ignota sit.*

Quinta via, qua Mahometus in dilatatione legis suæ vsus est; fuit; quia nulla Diuina oracula præcedentium Prophetarum, ei testimonium perhibent, quin potius quasi omnia veteris & noui testamenti documenta, fabulosa narratione deprauat, vt patet eius Alcoranum inspicientibus, & astu-

ro consilio libros veteris, & noui testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. E conuerso vero, quia fides Christiana ex lege veteri, & Prophetarum oraculis veritatis suæ habet clarissima testimonia, Christus mandat scrutari scripturas, dicens Ioan. 5. *Scrutimini scripturas: illa sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Ex quibus satisfactum esse creditur questioni, qua quærebatur, Quare tanta populorum multitudo sectæ Mahometi erroribus & factoribus plenæ adheferit. Nec de hoc debent multum homines admirari, qui in nobilissima Christiana Religione militant; quoniam, vt scriptura sancta testatur, *stultorum infinitus est numerus*, Eccl. 1. & Matth. 20. dicitur, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vnde etiam maior est vilium rerum, quam pretiosarum multitudo, vt ferri, plumbi, quam argenti, & auri, & pauciores pretiosi lapides, quam non pretiosi. Hæc Turrecrenata.

CAPVT VI.

Felicitate & victorijs Mahometanorum non probari, eorum legem esse à Deo.

CU in fide Christi (obiiciunt Mahometici) toto orbe propagata, passus est Deus innumeros populos Mahometi opere ab imperio Christi secludi, & ad suam legem compelli, Mahometique dominationem indies feliciter augeri: si igitur Christus est Deus, illicque Mahometus aduersus, cur se à Mahometo superari passus est? Vera igitur, inquit Saraceni, fides nostra est, vestra autem falsa: hoc igitur potissimum argumento aduersus Christianos se defendunt, quo etiam multi ex Christianis ignari ita obuoluntur, vt quid respondeant prorsus ignorent.

Michael de Medina lib. 1. de recta in Deum fide assertit aliquas rationes quibus præmuniri possint qui forte videntes Mahometanorum prosperitatem, nutarent in fide, nimirum inquit, familiare esse infidelibus, vt in præfenti vita felicitate aliqua fruantur, vel quod bona quædam moralia faciant, quæ diuinam Magnificentiam quodammodo remunerare non dedecet, vt de Romanorum felicitate docuit Augustinus. Aut quod magis credendum est, ad probandos fideles. De quo etiam argumento optimè ante Medinam egit Sauanarola lib. 4. cap. 7. de triumpho Crucis.

Elegantissime vero inter alias Pius 2. in epistola Morbisano Turcarum Principi missa, prope finem proposita satisfacit dubitationi, simulque errorem siue astuciam Mahometi rejicit ac detegit, præcipientis Sarracenis, ne de Alcorano disputationem admittant: præmissa igitur aliquorum legis Mahometicæ errorum confutatione, sic ait: Cognoscis iam, nisi fallimur, veritatem, & maiestatem nostræ legis, nec vtilitatem ignoras: incipisque de tua diffidere, & ardes desiderio disputandi, vellesque latius cuncta discutere: sed obstat legifer tuus, & inquirere verum prohibet, & interminatur, & clamat: Non est mea lex, quæ disputationi subijcienda sit, caue ne quid loquaris: arma sunt in manu mea: dum nihil credis, multum imperij adeptus es. Qui non audiunt meam vocem, gladio conterendi sunt, ensis meæ legis dignitatem tuerur. In Arabia ortus eius fuit ex patuo principio, quantum creuerit, vides. Aegyptum adiecit meæ legi, & Syriam, & Mesopotamiam, & Libyam, & Indiam, & Mauritaniam, & partem Hispaniæ, & diuitem Asiam, & doctam Græciam, & fortem Thraciam, & nobilem Macedoniam; sunt, & aliæ quamplurimæ Regiones sub Imperio meæ legis, quæ armis, non verbis quæsitæ sunt. Muliebre est verba verbis refellere, viri ferro decertant. Si non fuisset vera mea lex, non dedissent superi Imperio nostro, nec non Dominationi nostræ tantos successus atque prosperitates. Amat nos Deus, & legis odorem sentiens, gratulatur, & sternit iter victorijs nostris. Sed audi quam inanis est timor. *Omnis qui malum facit* (inquit in Evangelio veritas) *odit lucem.* fures noctu domos perfodiunt, & in obscuro adulteri latitant, non adhibent testes, qui peccant, nolunt deprehendi mendaces. Cum his sentit tuus legifer.

Veretur ne disputando suæ legis vanitates innotescant, veretur ne pudenda sua detegantur. Prohibet disceptari verbis: armis defendi suam legem iubet, nec alium iudicem quam ferrum deposcit: multumque gloriatur de suæ legis incremento. Diximus cur creuerit, plebes voluptas allexit: neque inficiamur multas tuæ gentis victorias partas, & ingentia confecta bella. Tuæ victoriæ nihil habent miraculi, ad quas nunquam nisi grandi prærogatiua tuorum ventum est. Sed quid agimus? non his argumentationibus stat recta fides, Vici, fudi hostes, Imperiū teneo. Si sic licet arguere, vera fuit sub Alexandro magno tot victorijs illustrato, & sub eius successoribus religio, qui & in Græcia, & in Asia, & in Syria, & in Aegypto, & in Libya, & in Perside, & in Scythia, & in Indis regnauere, imperio per arma quæsitro. Vera etiam Romanorū fides vsque ad priorem Constantinū, qui orbem sibi ferro subiecerunt, & omnes domuere quas adiere gentes. Scimus tamen & Alexandrū, & eius heredes, & Romanos, & qui sub eis erāt, Iudejs exceptis,

Idola

Idola coluisse, alij Iouem, alij Martem, alij Mercurium, alij Solem, & Lunā, & alij sidera. Multi etiam, vt Aegyptij, animalia bruta colebant. *Quis nescit* (inquit vnus ex Poetis) *Volusi Bithynice, qualia demens Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat.* Et quod stultius fuit, & allium, & porros, & cepe inter numina postulerunt. Præclaræ tamen Aegyptiorum victoriæ memorantur, sicut de Oriside proditum est, qui victum peragrauit orbem. Ergo & Deos Aegyptiorum recipiemus, & veram eorum Religionem fatebimur, quia vicerunt? Non sic ratio suadet, neque sic Iudei sensere, qui victi ab Assyrijs, & ab Antiocho, & à Romanis, & in seruitutem ducti, non tamen victorum leges de dijs acceperunt, sed victi, & angariati, & mille modis oppressi in sua lege manserunt. Nec nos Christiani cum prælio superamur, aut aliis calamitatibus affligimur, legem nostram aut relinquimus, aut accusamus: sed arbitramur pium Deum nos tanquam filios propter peccata, quæ committimus, verberare, quia non paremus Euangelio, non seruamus legem nostram, neque manemus in traditione Sanctorum Patrum, sed victi fragilitate aberramus, & labimur, vt homines. Ipse vero lapsos corrigit, & plagis multis nostras iniquitates emendat. Cognoscimus errata nostra, & considerantes quefecimus, minorem esse penam, quam delictum non ignoramus. Si cadimus in bello, si amittimus Regnum, si iugo seruitutis opprimimur, dicimus cum Daniele Propheta Daniel. 2. *Deum esse in celo qui reuelat mysteria, mutat tempora, & transfert regna, vt vniversi cognoscant, quod dominatur in excelsis in Regno hominum: & cui voluerit dabit illud.* Nouimus Deum & Iudeos, & Christianos posse cum velit, & voluisse aliquando, alterius sectæ hominibus subijcere, propter offensas populi, qui eum ad iracundiam prouocauit: sed conuersi ad Deum non desperamus misericordiam consequi. Quamuis enim *irascitur Deus* (vt inquit Propheta) *non tamen obliuiscitur misereri.* Pius est, & benignus, nec deserit clamantes ad se. Absit autem, vt propter victoriam, meliorem esse credamus Religionem vincientium. Sic enim fatendum esset, omnes qui vicerunt Hebræos melius de Deo sensisse, quam ipsi victi, quod neque tu dices, neque tuus legifer, qui defensionem suæ traditionis in armis collocat, & omne genus ratiocinationis effugit, maximum iniquitatis indicium. Non sic Beatus Petrus, qui donatis à Christo Domino, caelestis Regni clauibus, & Pastor constitutus gregis Christiani, paratū se ait rationem omnibus reddere, de ea quæ erat in eo fide, nec aliter suos auditores edocuit. Et beatus Laurentius martyr, *mea nox* (inquit) *obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.* & in Euang. Luc. 11. Non probat Dominus eum qui lucernam accendit; & sub modio ponit, sed super candelabrū

Luc. 11.

Matth. 10. eam esse vult, vt luceat omnibus qui sunt in domo: & predicari verba sua super tecta iubet, & de se ipso dixit: *Matth. 10. Ego palam locutus sum mundo.* Deceptores, & pseudopropheta in angulis predicant, & volunt occulta esse quae dicunt, aut iuramenta taciturnitatis exigunt, sicut Romae accidit in his qui bacchanalia celebrant. In occulto enim Deo suo sacrificantes, nullum flagitium libidinis omittebant. Quod si alia non essent contra tuam legem indicia, hoc vnum sufficere potuit, quia prohibuit eius lator in disputationem venire. Sciebat non equa esse, neque vera quae tradiderat: videbat veterem, & nouam legem contra se stare, intuebatur Philosophorum acutissimas rationes sibi aduersas esse, nec sperauit in ceteru hominum, aut in scholis virorum excellentium sua deliramenta posse defendi. Animaduertit homo sagax, & ingeniosus in malo, gentiles, qui Deos colebant, damnatos esse, & iam propemodum exterminatos, nec Iudaeis locum esse, quorum lex translata esset cum Sacerdotio ad Christianos. Cumque statuisset nouam legem, idemque sibi nomen daret, sperauit quod modo euenit, iratum Deum Christianis, qui suae legis mandata transgrediebatur, aduersus transgressores, victoriam concessurum: atque idcirco suae legis defensionem in armis collocauit quam alioquin hominibus gratam, propter licentiam voluptatum, non ambigebat.

Diaboli hoc fuit inuentum. Antiquus hanc viam suae nequitiae serpens excogitauit, qui cum vidisset sese procul eijci, & Christiana Religione augescere, idola deseri, nec amplius Deorum multitudini locum esse, sed vnum tantum Deum adorari cum Patre & Spiritu Sancto Iesum Christum, Heraclio imperante, Mahometis spiritum excitauit, eumque sibi ministrum elegit, hominem prius Idololatram, fortuna pauperem, mente superbum, natione Arabem, qui consilio quorundam vsus Iudeorum. & Christianorum perueriorum, inter quos fuit Sergius spiritu ambitionis inflatus, legem tertiam edidit, ex veteri, & noua conflata, multis ineprijs extrinsecus adiectis, legem diximus, quia legem vocat; nos blasphemiam rectius appellamus. Hactenus Pius Pontifex.

TERTIA

TERTIA PARS.

CAPVT I.

De ratione agendi & iuuandi Sarracenos.



Mahometus cupiens legem suam hominibus persuadere, eaque per vniuersam orbem propagare, hac vsus est astutia, vt sepe iam diximus, vt ea in sua lege praeciperet & commendaret, quae grata essent auditoribus, & maxime plebibus quae iumentis similes existerent, nec deceptus est in hac parte. placuit enim noua lex, & breui tempore ita coaluit, vt in multis populis, gentibus, ac linguis reciperetur, cuius fundamenta in voluptate iacta fuerunt. Verum sicut agricola non imprudens, postquam vineam plantauit, fossam circumducit & sepem, ne destruat a feris; ita & Mahometus suam legem conseruare, ac munire statuit. Animaduertit, homo sagax duobus modis suum dogma conuelli posse atque confundi, auctoritate scilicet & ratione. Atque aduersus haec duo, quae poterat inueniri remedia non neglexit. Autoritatem opposuit, quod paulo ante retulimus, antiquam scilicet & nouam legem deprauatam esse, nec quicquam veri restare nisi quod Alcoranus haberet. Rationi arma obiecit, iubens ne quispiam de sua lege disputaret, neue rationem quaereret: in eum qui contra niteretur ferro vindicandum esse. atque simili vallo suam legem callidus veterator communiuit.

Quare cum neque auctoritate neque ratione contra Turcas siue Sarracenos agere possimus, difficilius omnibus nationibus iuuantur, cum omnino videatur aditus reclusus, vt rationes audiant, erroresque suos agnoscant; adhibita enim rebus luce, facile est quid quaeque res, & cuiusmodi sit manifestare: parit enim rationem cognita veritas, & veritatem confirmat adhibita ratio. Quare non mirum si religio falsa & umbratilis, in qua nihil est solidum ratione, non sinatur attingi, ne sicut vitrum tenuissimum, falsum & inane, leuissimo contactu disrumpatur: quamuis inter hos Persae (vt ferunt) disputationem de sua secta non refugiant. quare omni adhibita cura magna cum discretionem, expugnandi sunt muri Mahometis, qui nec ferrei sunt, nec adamantini, nec ex viuo lapide erecti, sed potius ex fragili materia ac in arena fundati. Aggrediendi sunt leniter, quasi alio tendendo, & veluti non disputando, inquirendum ac disputandum, quare Mahometus suae legis discussionem prohibuit, ac ex dictis in superio-

perioribus convincendi sunt id timore veritatis, ne huius luce mendacia detegantur refugisse. Religio enim quæ firma, quæ solida, quæ vera est, rationes non reformidat: rationis quidem umbra & imago in veram Religionem pugnare quandoque potest, ratio vero ipsa, non potest, & illas umbras leui momento lux veræ Religionis dispellit. Aurea est pietas veræ Religionis, aurea, non deaurata, quo magis clarificatur & detegitur, hoc pulchrior & præstantior existit. puriorem ac nitidiorem illam reddit, bellū quānam pax aduersus gentes, aduersum hæreticos, qui scoria & rubigine conabantur veritatem sinceræ Religionis obducere, puritatem enim excellentiæ suæ magis ostendit, quo est acrius agitata & concussa. Non est ergo metuendum, ne vera Religio detractis velamentis, fœditatem vllam oculis contentium ostendat. Meruant hoc aliz Religiones falsæ, atque umbratiles, in quibus nihil est solidi, ideoque attingi sese non sinunt.

Præterea incorruptionem sacrarum literarum oportebit inprimis ostendere, ex his quæ supra latius comprobauimus, Mahometique in hac parte calumniam apertam detegere eosque teneri scripturas admittere: sed quia in hoc forsitan frustraneus labor adhiberetur, confugiendum erit contra Sarracenos ad naturales rationes, vt D. Thom. monuit libr. 1. cap. 2. contra Gentiles, Et si quamplurimi inueniantur qui rationibus ac disputationibus consentiant,

Quod si nec rationibus præberent auditum, adiuuandi erunt assiduis precibus, ac integerrimæ vitæ exēplo. Multi enim ex Turcis, maximè qui metu tantum, ac ob carnis illecebras Christo renunciarunt, dociliores sunt alijs. Cum enim reclamantem sentiunt conscientiam, ratione aliqua cuperent auitam Religionem iterum amplecti. Reliqui autem Turcæ ipso naturali lumine ducti, ac Christum blasphemari non permittentes, diuitias & pulchritudinem Christianæ legis eo magis admirantur, quo magis aliquis vitæ probitate, plusquam argumentis, auctoritatem sibi apud eos conciliauerit. Probitas enim ac temperatā, quarum virtutum rectissima norma est nostra Religio, præcipua ratio est, atque perefficax (quod alibi quoque diximus) ad persuadendum. Quamobrem id altissimè iis qui adierint Turcas, & Gentes infixum cordi esse debet, quod Apostolus Petrus dispersis in Oriente fratribus scribebat dicens: *Charissimi obsecro vos tanquā aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis.* Ac postea penultimo eiusdem epistolæ capite. *In quo (ait) admirantur non concurrentibus vobis in eandem Luxuriæ confusionem, blasphemantes qui reddent rationem ei; qui paratus est iudicare viuos, & mortuos.* Hoc igitur virtutis fundamento nixi, si aliud non consequeremur, quam vt peccati fœdita-

fœditatem agnoscerent, atque ab ea sensim secedere aliquatenus attentarēt; ac propterea minus peccatorum committerent, certe diuinæ pietati gratissimum esset.

Deinde pro iuuandis Turcis obseruandum est quod Ricardus docuit, nempe quod Sarraceni valde curiosi sunt audire aliquid de nostra fide, & maxime de diuina Trinitate & incarnatione, non tamen volunt his credere, neque possunt hæc intelligere. Et quia superant rationē & humanū excēdūt intellectū, illa nec credere volūt, nec intelligere possunt. Dicitur enim in Isaia c. 6. *Si non credideritis, non intelligetis.* Vnde non oportet his statim à principio diuina proponere, neque ante porcos margaritas spargere: sed conandū inprimis vanā legē illis ostendere. Non enim oportet virtutes inferere, nisi prius passiones radicitus euellantur. Oportetque & in omnibus breuē viā eligere. Facilius autē est illorū fidem falsam ostendere, quā nostrā verā demonstrare. Fides enim cū eorū sit quæ non aspicimus, donū est Dei.

Lingux Arabicæ necessitas ad Saracenos iuuādos. §. I.

Extant (vt Anton. Possuin. lib. 9. suæ bibliothecæ c. 9. docet) epistolæ Nicolai Clenardi, inter quas vnā Iacobo Latoro sat vberē scripsit, anno 1541. cū Fesæ esset in Africa, quò ad Arabicam linguam addiscendā traicerat, & vbi nouenniū ideo impēderat, eo nimirū cōsilio, vt, quemadmodū aduersus Hæreticos à pluribus Latinè scribebatur, sic ipse cōtra Mahometanos stilum Arabicum stringeret. Id quod fieri nō posse iudicauit, nisi illorū dogmata penitus cognita habuisset, nec tantū hauserit quod à Latinis de gente illa traditū fuerat. Nam præter Alcoranū habent libros Sunne adeo ridiculos, vt ipsi sese possint cōfutare, nisi miseris esset persuasum, Mahometū fuisse Prophetā veracē. Hos autem Sunnæ libros cū se conquisturum Clenardus pollicitus esset, & aduersus eos Arabicè scripturū; (etenim cōtra Mahometum, inquit, Latinè scribere quid pertinet ad tot nationes Orbis, quæ solū linguā norunt Arabicam?) nescitur tamē an vnquā id præstiterit. Nusquā vero sic seruebat Alcoranus vt Fesæ: Tuneri quidē vigebar omnes cæteræ disciplinæ Turcicæ; at Fesæ post Gramaticem, toti erant in Alcorano & suis Doctoribus Scholasticis. Scholastici dicuntur qui de eorū cæremonijs agunt de Lustratione, oratione, Matrimonio, & alijs eiusmodi. quarū periti nominantur Alfachij, hoc est, sapientes. Porro Dialecticam, Rhetoricam, & alias artes aliquas vix pauci attingunt. Est autem apud eos hic mos; statim à primis annis ad verbum edicunt Alcoranum, & memoriæ mādant, quem nō intelligūt, nec tamen vllis in Scholis hic Codex apparet: sed ludimagister in memoria depromit pēsūm, & in tabula lignea describit; id puer reponit in animo, & postridie alterū scribitur pensum, donec anni, aut biennij spatij totū ediscat Alcoranum. Multo plures reperias qui teneat sic

Alcoranum, quam qui ipsum habent domi Codicem. Quare difficillimum est irrepere mendas in Alcoranum. Post hunc ad verbum ediscunt libellū, qui dicitur Cæremoniarum Turcicarum, nec tamen eis aliquid exponitur, nisi quod assequuntur commercio sermonis vernaculi, qui licet multum distet ab ea oratione, quæ conspicitur in libris, aperit tamen aditum ad intelligenda percipiendaque pleraque vocabula. Hinc iam pergūt ad Grammaticam, est que apud eos receptus author, Ibun Melic, qui chiliade versuum, id est mille distichis eam est complexus vniuersam. Hanc vero Chiliadem difficile admodum è tabulis suis memoriæ mandant, vt quotidie pensum reddant præceptorī, domi interim lectitantes Glossemata; nam in Scholis nullus comparet liber. In hac autem Grammatica ferme versantur biennio, siue etiam quidam quadriennio. Porro auctoritates citantur à Grammaticis pene omnes ex Alcorano, vnde fructum memorię capiunt. Citantur item crebro Poetę, quibus Arabes abundant. Verum ita hæc Poetica discipulus intelligit vt carmen Ennianum Thomista, qui post Alexandrum, & Petrum Hispanum statim lectitat Scholasticos. Quare paucos reperias, qui eleganter, ac purè loquantur. Nam etsi Alcoranistę sint, isque liber stylo sit elegantissimo scriptus, contenti sunt tamen memoria, & magis suæ falsæ Religionis gratia discunt Alcoranum, quam vt eum curent intelligere. Siquidem dogmata sua iam ex aliis libellis norunt, vt Ethica nouit Thomista, qui tamen non legerit Aristotelem; adeo vniuersus orbis consentit, vt rerum magis, quam verborum cognitio appetatur. Extant ergo apud Arabes Poetę quamplurimi, quos tamen pauci lectitant: dum enim in artium scriptoribus vtuntur vocibus ijs, quæ passim non sunt obuia, eæ velut ad aliud sæculum & priscum ab istis pertinentes putantur. Scholæ sunt in ipsis templis, ad quas non liceat adire Christiano, neque Iudæo; Tabernæ librariæ non habentur Fesæ, quamuis tam multi sint litterarum studiosi. Cæterum die veneris singulis hebdomadis, peracta oratione, apud summum (quod nominant) templum, est librorum auctio: illuc conueniunt quotquot empturiunt, seu vendituriunt. Prodeunt autem fermè Codices vetulsi, pauci admodum, quod ab hinc annis ducentis refrixit amanuensū industria, & in desidiam sint lapsi Fesenses, estque hæc merx cara, quæ tamen ab omnibus magno pretio rapitur. Quod si quis sit liber iustæ magnitudinis, non eū reperies venalem nisi per fragmenta; ac forte totius vitæ cursu non consequeris; aut Zemachiū aut alios Commentatores Alcorani, sed nūc caput, nūc dimidiatū, nūc manus mutilas ipsius libri in foro videbis, vt sæpius idem cogaris emere, si totū postules, idque vix post multos annos. Præla ignorant. In hūc auctionis locum, Christianis aut Iudæis licet intrare, vna tantum lege, nempe vt obruti faxis pereant, tam religiose suos Codices inuident à Religione Maho-

Mahometi alienis. Multa & alia conspiciuntur inter Mahometistas, quæ præferunt aliquod virtutis specimen, qua Satanas nefariam sectam tegat: nimirum, vt non multum solliciti sint de castino, nec duris casibus frangi videantur, ita vt in blasphemias erumpant, sed potius illud pronuntiet, Laudetur Deus. Quo magis dolenda est earum Nationum iactura, quod homines huiusmodi tam turpibus opinionibus à Christo sint abstracti, non aliam ob causam, quam quod credant Mahometum fuisse verum Prophetam, qui vt in Alcorano Trinitatem negat, sic penitus tollit nostræ Religionis fundamentum.

CAPVT II.

Sequitur praxis Sarracenos iuuandi.

Pius secundus Pontifex summus, & alias vir doctissimus zeloque Religionis flagrantissimus, in epistola ad Morbissanum Turcarum Principem præmissis aliis, eum in fide instruere, præcipue errores Mahometi confutando nititur: & quamuis non minus breuiter quam eleganter Alcorani reijciat commentitias nugas, & errores, nos tamen tatum de vno, aut altero in quibus est fere totus disputationis Cardo ex mente eiusdem Pij 2. dicemus, vt sic nihil non refutatum ex Mahometi lege permaneat. Audiât igitur non solum Turcarum Princeps, sed & omnes Sarraceni Primum secundum Pontificem Maximum in hæc verba veritatem fidei nostræ comprobantem Alcoranique fabulas & errores propulsantem.

Nemo hominum sapientiam contemnit, nemo odit, nemo est qui nolit esse sapiens. Verum primus Sapientiæ gradus est nolle errare, & verum quam libentissimè audire: maximè in his rebus: vnde homini est salus, sicut est Religio, quæ ordinatur ad æternam vitam. Audi ergo verum circa Religionem. Si non scribimus verum, argue scribentes, & despice tanquã stultos. Sed noli falsum dicere, nisi cognoueris falsum esse. Et narrabimus breuissime ab initio mundi vsque ad obitum Saluatoris Christi nostri, legis arcana. Deinde aliqua de tua lege dicemus, eaque conferemus ad inuicem, & quantum intersit ostendemus, conabimurque quantum ex alto dabitur, lucem tibi ostendere, per quam possis ad eam lucem peruenire, quæ illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mundum.

Cum creasset Deus in principio cælum & terram, & maria, & lucem, & solem, & lunam, & alia sydera & plantas, & herbas, & volucres, & pisces, & quadrupedum genus inexterminabile (vt scribitur Sapientię 2.)

ac reptilia, & alia animantia; postremo Adam creauit, & insufflauit in eum spiraculum vitæ. & posuit eum in paradiso deliciarum, & fecit adiutorium simile sibi Euam ex costa eius eductam. Gen. 2. Et data licentia qua possent cæterarum plantarum degustare fructus, vt abstinerent à plantario Prudentiæ imperauit. Et ambos cum præuaricati essent, ex paradiso eiecit, atque in eishumanum genus morte damnauit: iussitque laboriosam vitam, & ærumnis plenam ducere. Ab his propagata Creatura rationalis, cum rursus animo rebelli Diuinam Maiestatem contemneret, & in vitia quoque prolaberetur, aquarum diluuiio deleta est. Noe cum Coniuge & sex aliis animabus in arca saluatus est, & ab his omnes homines qui modo sunt, & post diluuium fuerunt, originem ducunt. Tres Filij Noe, Cam, Sem, & Iaphet, redeuntibus aquis in locum suam humanam gentem reparauerunt, adeo vt traditum sit, prius quam Noe moreretur, quatuor millia hominum ex suis & filiorum lumbis exiuisse, ex quibus etiam iniqui emerferunt, Nemrot Filius Cam, & qui cum eo in contumeliam Domini turrim Babel edificare cœperunt. In ea diuisum est labium vniuersæ terræ, & confusione impeditum opus. Secuta est peccatum pessimum Pentapolitana submersio, & Abraam & tot inuenti Religiosi: in femine Abraam benedictæ sunt gentes, & circumcisionis pactum cum eo percussum est. Fuit enim iustus & placuit Deo in operibus suis, cum filiū Isaac diuino imperio immolare non detrectasset. Neque Isaac Patris viam deseruit: cui natus est Iacob, qui alio nomine dictus est Israel, & huic duodecim filij fuerunt, à quibus duodecim tribus emanarunt. Is cognito quod Ioseph quem putabat extinctum, magnus & potens esset in Aegypto, cū reliquis filiis ad eum migravit. Multiplicatum est illic Iudæorum semen, & in gentem magnam cum creuissent Israelitæ; surrexit Rex alius qui Ioseph & opera eius ignoraret, grauius laboribus oppressi sunt, & cõtumeliis innumerabilibus affecti: & miserante Deo, per manus Moysi, & Aaron seruitutem effugerunt, & sicco vestigio rubro mari traiecto, per annos quadraginta cibo caelesti vitam in deserto egerunt. Et circa montem Sinai diuinam legem in tabulis lapideis acceperunt: acquisita est terra promissionis, sed non tota in manu Moysi. Post obitum eius mirabilia fuerunt opera Iosue, & aliorum Iudicum: inter quos etiam Prophetæ claruerunt viri excellentissimi. Successerunt inde Reges, & alij Prophetæ in populo Dei, & non sine caelesti munimine conseruata est gens Hebræa: & Prophetæ quidem interpretati legem, salubria tradidere præcepta, virtutem extollentes, & vitia affulminantes, & multa per illos scripta sunt diuinitus reuelata, quæ de futuris notitiam præbuere. Non tamen pauca perpessi sunt aduersa Iudæi, cum legem Domini contemnerent, & in traditionibus Patrum non permanerent. Ceperunt

eos.

eos Chaldæi, & in seruitutem redegerunt. Et nunc Syri, nunc Arabes, nunc Aegyptij in eos arma verterunt. Multæ fuerunt eorū tribulationes, multæ calamitates, ac miseræ, sed de omnibus liberavit eos Dominus, cum ad eū clamauerunt, & tora mente redierunt: quia cor contritum, & humilitatum non despiciet Diuina maiestas.

Hæc, vt arbitramur, communia tibi nobisque sunt, & in Alcorano Mahometæo magna ex parte continentur. Verax igitur & tuo, & nostro iudicio lex Iudæorum, verax Moyses & dauid, & Salomon & Isaias, & Ieremias & Ezechiel, & Daniel, & veraces omnes Prophetæ Domini: vera Iudæorum fides qui ante Christum in fide permanserunt: mendaces omnes gentes quæ coluerunt Idola. Notus ante Christum, solus in Iudæa Deus. Nihil huc vsque contendimus. Cõcedis hæc, nisi fallimur, omnia. In his quæ sequuntur discordia erit. Sed nos in luce ambulamus, neque offendimus ad lapidem pedes nostros: & ne de cetero tu quoque offendas, magnopere cupimus, & vltro ne decipiaris lumen offerimus. Tu creatura Dei es, & ouis eius, sed errabunda extra caulas, in alienis pascuis, procul ab ouili Domini letiferum capis cibum, & pestifera aleris herba. Nos boni Pastoris exemplo, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, vnam quæ aberrauerat, secuti sumus, teque quærimus, & in viam salutis optamus reducere.

Dolemus te virum excellentem nobilitate, moribus illustrem, gestarum rerum gloria clarum, Imperio magno præditum, & pluribus naturæ dotibus eminentem, non incedere vijs Domini, non nosse mandata eius, non esse in lege sua. Compatimur tibi & tuorum subditorum infelicitatem deploramus, qui tecum pereunt. Nec te credimus libenter errare, cuius naturam bonam esse confidimus. Ignorantia veritatem retinet: tui te parentes & seipfos deceperunt, cum progenitoribus laboris. Sed timenda est scriptura quæ ait, 1. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur.* Quod si cæteris in rebus præcipuam curam, exactam diligentiam, summum studium adhibeas, ne quis fallat te, circa Religionem potissimum curandum est ne fallaris; in qua tanto cautiorem te esse oportet, quanto in ea cum maiori periculo delinquitur. Cæterarum rerum ignorantia hæc quæ sunt temporalia in hoc sæculo adimere potest. Religionis, alterius vitæ bona, id est animæ felicitatem deperdit. Quod ne tibi accidat, si nobis aures & fidem præstiteris, facile adiumento erimus.

Audisti ea quæ de veteri testamento diximus, nunc de nouo agendū est, in quo plurimum discordamus. Audi quæ subiungimus, sic & tuæ legis tenebras odio habebis, vt speramus, & nostram legis lucē amabis. Duo in veteri testamento vaticinia reperiuntur, quorum alterum est; *Non auferetur*

Z Z Z z 3

sceptum.

Gen. 49.

sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, siue, vt Chaldæi dicunt, *Messias*. Alterum est quod ait, *Cum venerit sanctus Sanctorum, cessabit vñctio vestra*. His vaticiniis prædictum est in aduentu Christi, Iudæos, & regnum amissuros esse, & Sacerdotium, sicut & factum est. Regnum quod Iudæorum fuerat Idumæi acceperunt. Regnante namque Primo Herode Antipatri Filio, genere Idumæo, & alienigena, Christus ex Maria virgine natus est, Dei filius, verus Deus, & verus homo, qui Sacerdotium Iudæorum ad Christianos transtulit; Petro sibi successore delecto, in quem Pontificis maximi potestatem transfudit, neque vltius apud Iudæos pastoralis ouium cura permanfit, dicente Domino ad Petrum, *Pasce oves meas*. Pastor ipse bonus & Pontifex magnus Christus, pastores deinceps & Pontifices Christianos, non Iudæos esse constituit, quamuis Petrus & alij plures ex Iudæis, non amplius Iudæi, suum summum Pontificium acceperunt. Arque in hunc modum Iudaica cessauit vñctio, & translatum est Sacerdotium. Quo facto & lex ipsa translata est, dicente Apostolo: *Quia translato Sacerdotio, necesse est etiam vt legis translatio fiat*. Hebr. 7. Deus igitur qui multifariè multisque modis olim Patribus in Prophetis locutus fuerat, nouissimè per Filium suum, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula, allocutus est homines, nouam legem edidit, & noua dedit præcepta, quibus seruatis vitam mererentur æternam.

Heb. 7.

In tempore igitur, quod in altissimo indiuiduæ Trinitatis consilio, ab æterno fuerat diffinitum, regnante apud Hebræos Herode, imperante apud Romanos Augusto, quiescente mundo, & aduentum Domini mirabili & inaudita prioribus sæculis pace honorante, missus est Angelus Gabriel de cælo qui Mariæ felicem conceptionem & sacratissimum partum annunciarer. Sed ante præcurfor natus est Ioannes qui penitentiam prædicaret. Luc. 1. Conceptit virgo de Spiritu Sancto, vt prædixerat Angelus, & seruata dignitate virginitatis filium simul & Dominum peperit. Natus est Christus Saluator octauo Calendas Ianuarias, & in ipsis Calendis circumcisus est, & iuxta vocem Angelicam, Iesus appellatus, qui salutem attulit humano generi. Plurima de infantia Saluatoris scripta sunt, nec dubium est quin omnis eius ætas signis & miraculis plena fuerit. Sed Ecclesiæ nostræ grauitas, & acere iudicium ea tantum recipit quæ certa sunt, Apocrypha prætermittit. Duodecimus Saluatoris annus memoriam habet quia templum ingressus est, & cum legis Doctoribus disputauit, & aliqua ex parte splendorem suæ diuinitatis ostendit. Sed circa trigessimum annum, fulgor ille plenius emicuit. Tunc enim baptizatus est à Ioanne, & Ioannem ipse baptizauit, & paterna vox audita est, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Conuertit aquam in vinum, & innumerabili-

Luc. 1.

bus coruscavit miraculis. Elegit sibi Discipulos, quos vocamus Apostolos, & circumiens Regiones, & mentes hominum, & corpora sanauit ægotantium: & faciens ipse quæ docebat, toto triennio prædicauit Euangelium. per Iudæam, & vicinas provincias beatissima vox intonuit: quæ vita hominum esse deberet, ostendit excellentissimè, & præcepta tum vetera innouauit, tum noua prioribus multo vtiliora instituit: abdita & obscura quæ erant in veteri lege multa reuelauit, & obscuros Prophetarum sensus aperuit, & quæ de se prædicta fuerant, palam exposuit: mysterium sanctæ Trinitatis ostendit, & vnitatem in Trinitate monstrauit, docens tum Patrem, tum filium, tum Spiritum Sanctum diuinis honoribus prosequendum, & hos tres vnum esse Deum. Prædixit non modo mortem suam, verum etiam genus mortis, & quod tertia die resurgeret, & quod ascensus in cælum, rediturus esset in fine sæculi iudicare viuos & mortuos. Comprehensus est sicut ipse voluit, & traditus Pilato Præfidi, qui eum neci daret. Testes in eum citati sunt, nec est inuenta in eo mortis causa; quia peccatum non fecit, nec repperus est dolus in ore eius. Maximum crimen obiecerunt, quia filium Dei se fecit, & Regem dixit; & propter veritatem occisus est, crucifixus atque sepultus: & iuxta verbum suum resurrexit à mortuis: & quadraginta diebus cum Discipulis commoratus, cum eos confirmasset atque corroborasset, atque in orbem ire iussisset, Euangelium disseminaturus: tandem videntibus illis, eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, ascendit ad cælum, & sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; & inde venturus est iudicare viuos & mortuos, & redditurus vnicuique secundum opera sua. Interea Spiritus Sanctus ab eo missus omnia suggerit Ecclesiæ, quæ necessaria sunt ad vitam æternam.

Hęc nos Christiani firmiter credimus, hęc est fides nostra, quam cunctis gentibus prædicamus, & impartiri omnibus cupimus. Hęc ab Apostolis, & eorum successoribus per fideles manus immutilata, & incorrupta ad nos vsque delata sunt. Hęc vos Turcæ Sarraceni magna ex parte negatis: etsi enim Christum ex virgine natum, & Sanctum virum, & Dei flatum, & Prophetam magnum, & mirabilium operum effectorem & adhuc viuentem confiteamini: Deum tamen & Dei filium esse inficiamini, nec sibi, nec sancto Spiritui diuinitatem conceditis, & Trinitatem personarum in Diuinis respuitis, & Christi mortem deriditis, quem translatum, & alium sibi similem loco suo interfectum arbitramini, nec eius aduentum in extremo Iudicio expectatis, & alia non pauca Christianæ legis reijcitis, & plurima creditis, quæ apud nostros risu digna videntur, quæ non dimitemus intacta. Atque nos credimus

dimus non solum ex noua lege, sed & veteri innitimur.

Vos Mahometo, & Alcorano eius fidem tantummodo adhibetis, & hominem mortuum sine conteste, sine ratione, sine miraculis sequimini. Nos vno credimus. viuit enim vestro testimonio Christus: nos Deo prestamus aures, & signis, rationibus, & sacris ducimur testimoniis. Quod si nos audies, monstrabimus breuiter nostrę legis splendidam lucem, & tuę obscuram caliginem deregemus. Sed opus est pijs & attentis auribus, quando fidei sublimitas attingitur, & magna Dei panduntur arcana. Sepe iocis & inanibus fabulis te presentem adhibuisti, & leuiore audisti narrationes, non est cur hæc grauias contempnas, aut ea necesse recuses, ex quibus tu pendet salus. Non est anima nobilis, cui non insit veritatis amor, non est homo, qui nolit saluus fieri.

Audi ergo qui generosus es, audi quę te saluare possunt: Quid est inter Christianos, Turcasque controuersię in quo simul contendimus? quę dissidij causa. Sane non alius discordię fomes est, nisi quia circa diuinitatem non eadem sapimus, de Patre, de Filio, de Spiritu sancto contendimus: hoc est præcipuum dissidium, quo sublato facile omnia componentur. Attingemus hæc, & quę sit inter nos de Diuinitate dissentio, latius exponemus. Nos in Deo tres personas esse dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & in tribus personis vnum Deum confitemur, vos dicitis vnicum esse Deum creatorem cęli & terrę, & omnium quę in eis sunt. Nulla est de vnitatem contentio. Non latent nos verba Moyse, dicentis in exorcio legis: *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.* Et rursus in lege scriptum est *Exod. 29. Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, non erunt tibi dii alieni præter me.* Et rursus. *Ego sum qui sum, Et, Si quaesierint nomen meum, vade & dic illis, Qui est, misit me ad vos.* Et in Cantico *Exod* dicitur: *Dominus omnipotens nomen eius.* Quę testimonia vnum esse Deum, vnum Dominum manifestę declarant, & vnam potestatem, & vnam naturam. Nam Deus, nature; Dominus, potestatis est nomen. Færemur item quod vos de vnitatem diuinitatis. Hic amicitia est atque concordia, vobis vnus Deus est, & nobis vnus. Dicitis principium omnium rerum esse Deum, nos idem affirmamus. In quo igitur dissentimus? Multę sunt quę de Deo aliter Christiani dicunt, aliter Sarraceni, seu Turcę. Vos Deum corporeum dicitis, nos incorporeum. Vos fortuita quę hic in terra geruntur, esse arbitramini, nec curare de his Deum, nos gubernare eum, qui creauit omnia, non dubitamus. Vos Deum Patrem in Diuinitate negatis: nos Patrem & Filium cognoscimus. Vos Spiritum Sanctum ex Diuina Maiestate reijcitis: nos ponimus & veneramur. Mittamus alia, hæc aggrediamur in quibus plus ponderis est. Nos Christum Dei filium dicimus, vos negatis.

CUR

Cur negatis? sanę quia nec vxorem habet Deus, ex qua filium procreare posset. Quod si vxor ei fuerit, filiosque genuerit, mundus qui vnus imperio regitur, in plures diuisus Dominos diu stare non posset. In vnitatem concordia est, quę seruat imperia in pluritate discordia, quę maxima regna subuertit. Sed qui tam rudis, tam vecors, tam demens Christianus est, qui generare Deum ex connubio & permixtione arbitretur. Non sumus adeo hebetes Christiani, vt tantum nefas admittamus. Saracenis suaderi hoc possit, qui Deo & corpus & caput, & manus, & cętera membra concedunt. Nos Deum spiritum esse asserimus, incorporeum, immortalem, æternum, & incomprehensibilem: qui dum se ipsum intelligit in mente sua, Verbum concipit quod nos Dei filium esse dicimus: nec aliud est in Deo, se ipsum nosse atque intelligere, quàm Deum esse. Nihil est enim in Deo nisi Deus. Deum autem cuius est Verbum, nominamus Patrem, & processum ipsius Verbi, generationem filij esse dicimus.

Nec veritas hæc de Verbo Dei apud Christianos tantum illuxit: Gentiles Philosophi ante Christi aduentum, eadem quę nos asserimus, nonnulli affirmarunt. Siquidem Platonici Philosophi in suis libris apertissime dixerunt, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et reliqua ferme omnia comprobant de Verbo Dei, quę Ioannes in Euangelio suo tradit, vsque ad incarnationem Verbi, quam ignorarunt, quia nondum natus erat Christus, & alta legis mysteria absconderat Deus a sapientibus huius seculi, quę reuelauit paruulis. Quod igitur Platonici Verbum Dei nominant, & Deum esse dicunt, nos filium vocamus ex Deo genitum, & Deum esse fatemur: nec ruinam mundi ex filij generatione timemus, quando vnus dumtaxat filius est. Et Pater & filius vnum sunt, vna potestas, vna voluntas, vna maiestas, nec verbum conceptum ab intellectu concipiente discordat.

Obscura hæc verba videbuntur: at si voles, præsto erunt qui lumen asserant, & apertissima omnia reddant. Et tu solem hunc corporeum cernis qui noctem abiens & diem efficit rediens; hic a se ipso lucis producit radios. Hęc productio generatio quædam est in sole: & radij Solis, filij Solis eius non inconuenienter vocantur. Quę similitudo quamuis multifarię est inepta: nam solis plures sæpe vidimus radios, Deo vnico tantum est filius: in eo tamen conuenit, quia vna est Patris & filij diuinitas atque essentia: quamuis comparatio corporalium rerum nulla satis cum Diuinis quadrare potest. Sed accipe testimonia, & qui ratione non capis, cede auctoritati. Vetus testamentum & Iudeis, & Christianis, & Saracenis commune est. *Eructauit* (inquit Dauid ex persona Dei) *cor meum verbum bonum.* *Psal. 44.* Hoc est quod Dei filium dicimus, & vnicum Patris æterni, non ex

AAAAA

carnali

carnali coniugio, aut humano complexu, sed ex corde Dei, id est intellectu productum asserimus. Et rursus, *filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hodie dicit, quia Deo nec heri preterijt, nec cras imminet. Sed hodie semper adest, cui presentia sunt omnia. Iterum ante *Luciferum* (inquit) genui te, ut intelligas quia non loquitur de Salomone Dauid, sed Deus Pater de filio Deo, quia ante Luciferum nemo fuit. Et in lib. prouerb. legimus: Sapientiam Dei quæ Dei filius est, dicentem: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, ante montes & colles ego parturiebar*. Nunquam enim Pater sine filio fuit, nec sine Patre filius. Et hoc est quod in Euangel. inquit Ioh. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum*. Quæ myſteria profunda & alta cum nõ intelligeret Arrius, nec Mahometus, negare maluerunt veritatem Dei quam suam ignorantiam confiteri, & suas ineptias impudenter ingerere, quàm aliorum sapientiam philiter discere. Stulta hæc & damnoſa pertinacia est. Deo enim & Prophetis eius oportet credere: & si quid est cuius rationem non capimus, debemus cum Paulo dicere: *O altitudo diuinarum scientiæ & sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*. Fatentur Iurisconsulti non omnium quæ à maioribus suis instituta sunt, rationem reddi posse, & tamen legi parendum esse, quia non sine causa condita fuerit: quanto minus arcana Dei licet cognoscere? plurimæ sunt occultæ causæ, ad quas nulla potuit curiositas hominum peruenire; quia sicut oculi Noctuæ ad solem, ita noster intuitus ad ea quæ sunt diuinitatis. Non est ergo mirandum, si neque generationem filij, nec Spiritus sancti processionem, neque Trinitatē in Diuinitate intellexit carnaliter homo, vel Arrius vel Mahometus. Sed illud in eis damnabile ac detestabile fuit, quod sacræ scripturæ, diuinis que testimonijs non acquieuerunt. Nam quid opus est argumentis vbi Deus ipse loquitur? De Pythagoricis traditum est, quod in disputando soliti erant dicere, *Ipse ait*. Ipse autem erat Pythagoras, tanquam eius auctoritati non liceret aduersari: quāto minus Deo qui verax est, & omnis homo mēdax?

Sed negabis hæc esse Dei, quæ asserimus, testimonia. De his posterius dicemus. Nunc de Spiritu sancto agendum est, cui tua lex diuinos honores abrogat. Non est huiusmodi erroris Mahometus inuentor. Arrij, & Nestorij, & Macedonij hæc olim dementia fuit, quos sacra Patrum Concilia damnauerunt; sed eorum virus apud Aegyptios, & Arabes aliquandiu latuit; & postremo auctore Mahometo, & Magistro eius Sergio late diffusum est. Ne mouearis, dum vera loquimur, caue ne sequaris cæcos, disce spiritum sanctum esse Deum, & tertiam in Trinitate fore personam. Diximus paulò antè Deum Patrem, dum se cognoscit, Verbum concipere & filium gignere. Nunc quod sequitur adicimus, cognitioni esse annexam appetitiuam quandam operationem, cuius principium voluntas est. Inter operationes

operationes vero, quas voluntas producit, præcipua est amare. Adhibe hic aures, & mentem erige. In Deo perfectam & absolutam fateri cognitionem oportet, & amorem pari modo, cuius processus per appetitiuam operationē exprimitur, sicut & verbi generatio per intellectiuam: & alia est operatio qua intelligit, alia qua appetit. Intellectiua ex his completur, quæ sunt quodammodo in ipso intelligente: nam sicut sensibilia in sensu, sic intellectibilia in intellectu esse dicimus. Appetitiua autem completum accipit, secundum quendam ordinem, motumue ad eas res, quæ obiciuntur appetitui, & occultum quoddam principium sui motus habet. Ea vero quæ principio feruntur arcano, Spiritus nomen acceperunt, nam & ventos Spiritus esse dicimus: & in scripturis *procellarum spiritus* appellantur, quia non apparet afflationis spiritus initium. Respirationem, etiam & arteriarum motum ab intrinseco & occulto principio manantem, vocamus spiritum: atque hoc modo congruenti quadam similitudine, quantum diuina humanis verbis indicari possunt, Diuinus ipse amor à Patre filioque procedens, Spiritus dictus est. In nobis duplici ex causa procedit amor: aliquando ex corporea & materiali natura, & is plerumque immundus est, & menti noxius. Aliquando ex ipsa proprietate spiritualis naturæ, cum bona intelligibilia & rationi conuenientia adamamus: & hic purus est amor, & laudabilis, & animæ salutaris. In Deo Corporalis amor seu materialis locum non habet, sed ille tantum reperitur qui simplex est & nitidissimus, & purissimus, quem Spiritum sanctum appellamus. Nec nos intellectualem & sancto amore quicquam prosequimur, nisi quod intellectu concipimus. Conceptio autem (vt diximus) quæ fit ab intellectu, Verbum est, atque ita necesse est amorē ex Verbo oriri. Amat enim Deus quod de se ipso intelligit, id est, Verbum quod concipit intelligendo. Verbum autem Dei dicimus filium Dei, qui & ipse Patrem nouit, & amat: atque ita fit, vt amor ipse cui Sanctus Spiritus est nomen, ex Patre filioque procedat, sitque cum Patre & filio pariter Deus. Nam sicut diuinum intelligere essentiæ diuinitatis est, ita & amare. Et sicut Deus se semper intelligit, ita & se semper amat, & omnia amat, suam bonitatem dum amat. Rursusque sicut Dei filius, qui est Verbum Dei in diuina natura subsistens, Patri coæternus, perfectus, & vnus Deus est; ita & Spiritus sanctus Deus est. Patri & filio coequalis & coæternus. Et quia omne quod subsistit in natura, intelligibili apud nos, persona dicitur, apud Græcos *ὀνομαστος*; consequens est, vt tres personas in diuinitate ponamus, quia tres sunt subsistentes, Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus, neque has personas dicimus esse per essentiam diuersas, sed per solas relationes distinctas, quæ ex processione Verbi, & amoris proueniunt. Atque in hunc modum Christiana Religio diuinitus illustrata distinctas tres personas confitetur in diuinis,

non tres Deos, sicut Mahometus falso opinatus est: sed Patrem, & filium, & Spiritum sanctum, vnum esse ab æterno Deum asserimus: nec tamen ipsum Patrem, qui filius est, nec filium qui Pater est, nec Spiritum sanctum qui Pater est aut filius. Vna est enim Patris, & filij, & Spiritus sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud filius, aliud Spiritus sanctus: quæuis in personis alium Patrem, alium Filium, alium Spiritum sanctum diuina docente auctoritate dicamus.

Nec similitudo in his quæ creata sunt, summæ deest Trinitati *Inuisibilia Dei* (sicut Apostolus ait) *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Sempiterna quoque virtus eius ac Diuinitas relucet in anima nostra, quæ diuinæ Trinitatis est imago. Est enim anima nostra substantia quædam incorporea & ratione prædita, & actus quidam siue forma organici corporis, quæ dum corpus mouet, & regit, sui meminit, se intelligit & se diligit: quibus in rebus quædam apparet Trinitas memoriæ, & intelligentiæ, & amoris. Tria hæc ad se ipsa referuntur, quia non est amor sine memoria nec memoria sine notitia. Nā quis meminit aut amat quod nescit? inseparabilia sunt hæc à semetipsis, & tamē quodlibet eorū, & simul omnia vna essentia sunt, & vna vita in anima vna. Differunt tamē, quia memoria non est intelligentia vel voluntas siue amor. Quod si hæc diligenter inspicias, inuenies summæ illius Trinitatis, atque vnitatis vestigium, & imaginem quandā quæuis imparē. Quicumque enim sempiternam & incommutabilem naturam per memoriam reminiscitur, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profecto reperit in semetipso summæ Trinitatis imaginem, non tamen omnino similem, sed qualemcunque, ita vt in similitudine magna, inueniatur dissimilitudo. Et si enim homo meminit, intelligit, & diligit, non tamen memoria est, nec intelligentia, nec dilectio sed sunt hæc in eo, & in vna substantia, non sicut accidentia in subiectis, quæ possunt abesse sed substantialiter existunt in anima, & vnus homo est qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In simplici vero natura, quæ Deus est, quamuis vnus sit Deus tres tamen sunt personæ, vt dictum est, & ipse Deus est, hæc tres personæ. Sed illud fatis ad rem nostram est, quia tria hæc aliquomodo vnū sunt. Reperitur & sub alijs nominibus, & alio modo in nostra natura illius summæ & ineffabilis Trinitatis imago. Nam mens & notitia eius, & amor tria quadam sunt: mens enim nouit se & amat se, nec amare se potest, nisi etiam nouerit se. Duo quædam sunt mens & notitia. Et hæc tria quamuis distincta inuicem sint, vnum tantum esse dicuntur, quia in anima substantialiter existunt: & est ipsa mens quasi parens, & notitia eius, quasi proles eius. Mens enim cum se cognoscit, notitiā sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente & notitia procedit, dum mens cognoscit se, diligit se: non enim posset se diligere, nisi cog-

nosceret

nosceret se: amat enim placitam prolem notitiā suā. Et ita amor quidam complexus est parentis & prolis: nec minor est proles parente, cum tantum se nouerit mens quanta est: nec minor est amor parente, & prole id est mente, & notitiā. Considerat hæc rationalis homo, & videns tria in vna essentia concurrere, extendit se ad contemplationem Creatoris, & intelligit vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem, & vnum Deū colit, vnā essentiam, & vnum principium, sicut patriarchæ, & Prophete, atque Apostoli tradiderunt.

Sed audiamus iam tandem ipsos, & diuinæ legis auctoritatem, & testimonia afferamus, sine quibus vana est omnis argumentatio: Deum Patrem omnes sacræ litteræ confitentur, & Dei nomen Paternitatem & omnia refert. Et, si filium dicimus, non possumus Patrem negare. De filio adducta sunt testimonia legis, ergo & Pater ostensus est, sicut & saluator ait: *Ioan. 14. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Nunc de Spiritu sancto quod cepimus prosequendum est. In Gen. 1. legimus quia *Spiritus Domini* Gen. 1. *ferebatur super aquas*. Quis tunc Dominus nisi Deus fuit, & cuius Spiritus nisi Domini? & quomodo Dei Spiritus nisi Deus? Deus est quicquid Dei est, nec aliquid illi immixtū est. Incompositus est, simplex est, & purus Deus. In Iob 33. scriptū est: *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis Dei vni-* Iob 33. *uificauit me*. Dei sunt hæc opera, non hominis. Quis fecit hominem nisi Deus? est igitur spiritus Domini, propter quod dictum est, in Psal. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*. Quis hic spiritus nisi Deus, quis impleat orbem, nisi Deus, cui cælum sedes est, & terra scabellum pedibus eius? Et apud Poetas Deum ire per omnes terras, tractusque maris, cælumque profundum, traditum est. Et rursus: est ne sedes Dei nisi terra, pontus & aer, & cælum & virtus? Propter quod Psal. 138. *re-* *ctè ait David Psal. 138. Quo ibo à spiritu tuo?* Ostendens non esse locum in quo posset fugere Spiritum Domini qui est vbique. Esse autem vbique, implere & continere mundum soli Deo tributum est. Deus igitur sanctus Spiritus est, qui hæc peragit & futura prænoscit, & prædicat, sicut scriptum est, *Responsum accepit Simeon à Spiritu sancto, quia non moreretur nisi videret Christum Domini*. Non est cur Deum negemus, qui Dei efficit opera. Non igitur solus Pater Deus est, neque solus filius, sed Spiritus sanctus cum Patre simul, & filio Deus est. Quia non aduersatur rationi Trinitas personarū in vnitatem Diuinitatis, quemadmodum superius ostensum est. Sed iam Trinitatem ipsam ex sacris Codicibus demonstramus, & Moysen ante omnes audiamus, cuius hæc sunt verba in capite libri, quem Genesim nostri Gen. 1. *vocant: In principio creauit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis & vacua Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Tria commemorat, Deum, principium, & spiritum. Ideo in Deo, Patrem intelligimus, in principio, filium, in

Psal. 109. spiritu Domini Spiritum sanctum. Et accipiatur principium hoc in loco pro filio, sicut in Psalmis, *Psal. 109.* de suo filio dicit Deus: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Tentans diabolus primos Parentes, interposito serpente, & suadens vt ederent de ligno prohibito: *Eritis, inquit, sicut dii scientes bonū & malum.* Quod perinde accipiendum est: eritis sicut diuinæ personæ, quibus ignotum est nihil. Et cum eijceretur Adam de Paradiso, inquit Dominus: *ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis* quibus nobis: patre scilicet, & Filio, & Spiritu sancto. Sed manifestius eadem Trinitas ostenditur cum dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Cum ait, *faciamus, & nostram,* plures personas indicat: cum dicit *imaginem,* vnitatem diuinitatis ostendit. Nec solitarius est, cum dicit *faciamus,* neque alia à se loquitur, qui *nostram* ait. Duo sunt pluralia verba *faciamus, & nostram,* vt videatur Pater cum Filio, & Spiritu sancto miscere sermonem, quod non sono vocis, sed intellectu expressius est. Dixerat, *Creauit Deus cælum & terram: Deus, & creauit* singularia sunt, quia vnus est Deus, & vna diuinitatis essentia subiungitur, *faciamus & nostram,* vt pluralitas in personis intelligatur. Idē & Psalmista canit Regius, dum ait: *Verbo Domini cæli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quid manifestius dici potuit? in conditione cælorū tres personæ concurrunt Dominus, Verbum, & Spiritus. Dominus Patrē exprimit, in Verbo filium accipimus, Spiritus is est quem sanctū vocamus.

Et rursus Propheta, vt trinitatem personarum in diuinitate cognoscas, ter Deum prouocat in benedictione. *Psal. 66.* *Benedicat nos Deus, & metuant eum vniuersi fines terræ.* Trina Dei cōfessio trinitatem exprimit personarum, & cum subditur: *metuant eum omnes fines terræ,* vnitas aperitur diuinitatis. In *Psal. quoque 44.* multum expressē Trinitatem innuit filio, *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Et postea subdit, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus:* id est Pater, & Spiritus sanctus, & cum sequitur, *præ participibus tuis:* mysterium quoque incarnationis aperit, de quo suo loco prosequemur. Et *Isaias 6.* in visione sua clamantia introducit Seraphim, *sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Ter sanctus ad tres personas refertur: & semel Dominus & semel Deus dicitur: quia vnus est Dominus, & vnus est Deus. Et rursus idem vates ex persona Christi loquitur & dicit: *Dominus meus misit me, & spiritus eius; Dominus meus,* inquit id est Pater meus, *misit me,* scilicet filium: & *spiritus eius* qui est sanctus Spiritus. Quis hic non intelligat Trinitatem? non latuit Prophetas hoc mysterium.

Possent & alia plura huiusmodi testimonia ex veteri Testamento adferri quæ Trinitatem planè ostendunt; planius tamen locutus est in Euangelio Dominus, qui cum in orbem mitteret discipulos: *Euntes (inquit)*

docete

docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti. Tres nominauit personas, in nomine dixit, non in nominibus vt essentia vnitatem in personarum trinitate demonstraret. Et Ioannes Euangelista qui de pectore Domini veritatem hausit, in epistola sua, *Tres (inquit) sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* Et Apostolus Paulus *Rom. 11.* *Misit (inquit) spiritum filij nostri, in corda nostra.* Et alibi, *spiritus eius, qui suscitauit Iesum habitat in nobis.* Et iterum, *Ex ipso (inquit) & per ipsum, & in ipso (sunt omnia, ipsi gloria.* Ex ipso dicit propter Patrem: & per ipsum propter filium: in ipso propter Spiritum sanctum. Non dicit ex ipsis, aut per ipsos, siue in ipsis; nec ipsis, sed ipsi gloria, inquit, vt Trinitatem simul & vnitatem agnosceremus. Atque his testimonijs, & auctoritatibus illuminata est desuper Christiana Religio. Summa enim fiducia confitetur, & prædicat vnum Deum esse, qui est causa causarum, principium & finis omnium rerum, & omnis auctor creature, & summum bonum, & nihilominus tres personas in Deo recognoscit, & Trinitatem in vnitatem veneratur: cui qui aduersatur, salutis expertem se reddet, & ambulat in tenebris, & veritas non est in eo. Tu vero si sapias; de tenebris emerges: & candida luce perfusus, sacratissimam Trinitatem & cognoscendo coles, & colendo cognosces.

Nec aduersaberis sacrosancto Euangelio, in quo legitur: *Verbum caro factum est.* Negat tuus legifer incarnationem Verbi. Nam cur (inquit) factus est Deus homo, & in ligno Crucis Deus passus, qui alio modo genus humanum redimere poterat? Negat tua lex Christi necem, & alium suo loco interfectum existimat: nec Deum incarnatum cognoscit, neque crucifixum aut mortuum. Nos vtrumque prædicamus, quia factus est Deus homo, & passus est, & propter salutem hominis hæc facta esse testamur. Ait enim de seipso Dominus: *Veni filius hominis saluare quod perierat.* Constabat primæ parentis errato, omnes homines culpa teneri: clausa erat paradisi porta, nec mortalibus patebat in cælum aditus. Decebat summam Dei bonitatem, hominem qui ceciderat, reparare, nec miserum esse perpetuo finire, qui ad beatitudinem perfruendam creatus fuerat. Sed obtabat iustitia Dei, quæ pro peccato satisfactionem exigebat. Dignus erat infinita pœna, qui maiestatem offenderat infinitam. Nec homo tanti erat, vt infinitam posset redimere culpam. Stabat hinc diuina Iustitia vltionem petens, illinc diuina bonitas miserandum esse contendens. Audienda fuit vtraque vox, quia vniuersa viæ Domini misericordia & veritas. Quare et si poterat aliter humanæ imbecillitati consilere (est enim omnipotens) hic tamen conuenientissimus fuit modus, quem elegit, vt assumpta humana natura, ipse pœnas solueret. Factus est

est

est Deus homo, vt homo fieret Deus: Veritas de terra orta est, & Iustitia de cælo prospexit. Coniuncta est humanitas diuinitati, vt acciperet de plenitudine bonitatis, quod suæ defectum suppleret infirmitatis. Fuit hic modus saluandi humani generis diuinæ bonitati conueniens. Satisfactum est iustitiæ simul, & misericordiæ. Satisfactum est amori & odio. Placuit hoc diuinæ potentæ, quæ nihil frustra, nihil non decenter ac conuenientissimè facit.

Et licet necessitate absoluta, qua necessarium dicimus, sine quo aliud esse non potest, Incarnatio Verbi necessaria non fuit: eo tamen modo quo necessarium accipitur id, quo conuenientius & congruentius perueniatur ad finem, dicere non pudet ad reparationem hominis, Incarnationem Filij Dei necessariam fuisse. *Ego sum Deus, ego sum Dominus, & non est alius absque me saluator*, ex persona Christi (inquit) Isaïas, quia non poterat homo saluare seipsum, quare necessarium fuit vt homo fieret Deus, & Deus saluaret hominem. Propter quod pulcherrimè & ad propositum aptissimè inquit, ex nostris Professoribus vnus in hunc modum, de mysterio diuinæ Incarnationis: *Suscipitur à maiestate humilitas, à virtute infirmitas, ab aternitate mortalitas, & ad deponendum conditionis nature debitum, natura inuiolabilis est vnica passibili. Deusq; verus, & homo verus in vnitate reperitur, vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem hominum Deiq; mediator & mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non praberet exemplum.*

Intelligis quam conuenienter Filius Dei carnem assumpserit, vt Deus, & mortem obierit vt homo. Sed quæris testimonia antiquæ legis: non negabimus, præsto sunt: *Ecce* (inquit Isaïas) *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel*, quod interpretatur nobiscum Deus. Quomodo nobiscum Deus est? nisi quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis? Et iterum eiusdem Prophetæ verba sunt: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. An non hic mysterium incarnationis plane ostenditur? & quæ tunc futura erant, quasi præterita manifestantur? *Puer* (inquit) *natus est nobis*, qui natus est in humana paruitate; & *datus est filius quemadmodum Ioannes ait: Quia sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret vnigenitum*. Datus est Christus ex diuinitate, natus ex humanitate, natus ex virgine. Cuius imperium super humerum eius: quod est imperium super humerum eius? quod est imperium Christi nisi lignum Crucis in quo pependit, mundum vicit, aëreas potestates debellauit, & subactò triumphatoque diabolo, regnum suum potenter intrauit? *Oportuit enim Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*, vt inquit ipse in Euangelio Luca. Imperium igitur super humerum eius fuit, quia crucem gestauit

gestauit humeris, quamuis eo fatigato Simon Cyrenæus angariatus sit eâ tollere. Dicitur *admirabilis* propter signa & prodigia quæ fecit, lumen cæcis, auditum surdis, claudis ambulationem, debilibus fortitudinem, & mortuis vitam restituens? *Consiliarius* appellatur propter Euangelica consilia, quæ adiecit antiquæ legi. *Deus* asseritur, ne putares purum hominem natum; nam Deus humanæ naturæ coniunctus est. *Fortis* quia spoliavit infernū, & portas aëreas cōfregit, & vectes ferreos dissipauit. *Pater futuri sæculi*, quia cælum aperuit electis, & regnū homini præparauit æternū, post hanc vitam in cælesti Hierusalem. *Princeps pacis*, quia nato Christo, clausum est apud Romanos templum Iani, & mira pax exorta est: & *gloria in excelsis Deo* cantauerunt Angeli & *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Ostendit & alio loco idem Isaïas cap. 45. Incarnationem Verbi dicens: *Isai. 45. Dominus enim Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet & saluabit nos*, quod perinde accipiendum est ac si dicat, Carnem accipiet, & mortem pro nobis subibit. Et rursus *vere tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator. Absconditus* (inquit) quia in carne latuit Saluator Israel, quia tua morte nostram mortē redemit. Et ne putes tēporalē esse salutē saluationis genus addidit: *Israel saluatus est*, inquit, *in Domino*: id est in virtute Domini. subdit *salute æterna*: quam consecuti sunt omnes, qui ex Israel Christo crediderunt. Apertissimum testimonium est Isaïæ. Sed audi Ieremiam, cap. 23. eius sunt hæc verba: *Eccē dies venient, dicit Dominus, & suscito germen iustum ex semine Dauid, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & in diebus illis saluabitur Iuda, & habitabit Israel confidenter: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Deus iustus*. Considera verba, & attende mysteria. *suscito germen iustum*, id est Christum sanctum, & iustum, *ex semine Dauid* secundum carnem: quia ex profapia regia, & sanguine Dauid Maria Mater Domini nata est. *Et regnabit Rex*. quomodo regnabit? sane quemadmodum ipse apud Mattheum in Euangelio dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: quod est Regem esse. *Et sapiens erit*, sapientia creata scilicet, quæ hominis est, & increata quæ Dei est, & quæ est ante sæcula. *Et faciet iudicium*, discretionis scilicet & discussionis; nunc discretionis, dum eligit ex mortalibus quos vult, & alios suo arbitrio dimittit: & in fine sæculi discussionis, quādo reddet vnique secundum opera sua. *In diebus illis saluabitur Iuda*: id est quicumque crediderint & baptizati fuerint salui erunt. *Et habitabit Israel confidenter* in statu Ecclesiæ triūphantis. *Et hoc est nomen quod vocabit eū, Deus iustus*, vt scias quia Christus ex semine Dauid natus, non solum homo sed etiam Deus est: nec alteri quam Christo hæc verba conuenire possunt. Accedat & alius Propheta Baruch nomine, quid ille ait? *Hic est*, inquit, *Deus noster & non estimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus, & cum*

hominibus conuersatus est. Docent hæc omnia incarnationem Verbi, & hominem factum Dei filium ostendunt & manifestant.

Nunc de morte audi, & eos contemnit, qui Christum volunt esse tractatum, & nondum mortuum, sed incredibili dementia circa diem supremum Iudicij cum omnibus Angelis interficiendum putant. O nefandam audaciam, & stultitiam alijs inauditam: dimittimus Angelos quorum incorporea substantia est, & mortalis. Christum interfectum negant, & aiunt interficiendum. At Dauid Psal. 68 ex persona Christi: *quæ non rapui tunc exoluebam* (inquit) quia non peccauit, & penas dedit, pro alieno delicto mortem subiit. Quod manifestius Isaias 33. ostendit dicens: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liore eius sanati sumus. Omnes enim nos quasi oues errauimus, & unusquisque in via sua declinauit: & Deus posuit super eum iniquitatem, expiandam omnium nostrum.* Et subditur. *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum.* Et paulò post, tradidit in mortem animam suam & cum sceleratis deputatus est, ipse multorum peccata tulit, & pro transgressoribus rogauit. Si vidisset Propheta passionem Christi, vix potuisset apertius loqui. Nec Ieremias tacuit tormenta Domini, qui eum ex ligno Crucis ita loquentem, inducit. *Voce omnes qui per viam transitis, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.* Et ipse saluator de se ait: *Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur Principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. & iterum alibi, sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Et ne de morte dubites, scribit Euangelista Ioan. 18. *Cum accepisset Iesus acetum, dixit, Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum.*

Prophetæ Christum moriturum & à mortuis resurrecturum prædixerunt Euangelistæ & obiisse in cruce, & sepultum resurrexisse tertia die affirmant. Certa res est, nihil ambiguitatis habet, veritati omnia consonant, Resurrexit Dominus, ascendit in cælum, & venturus est iterum ut faciat iudicium in fine sæculi. Tua lex non recipit, quia non sapit de Christo, quæ sapere oportet. Cuius alterum aduentum non solum Euangelium, sed antiqui etiam vates ostendunt, sicut paulo ante de Ieremia diximus. Contestis eius est Daniel, dicens, *Ecce in nubibus cali quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & sequitur: Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & lingue seruient ei: quibus in verbis viri doctiores iudicium Christi facile inueniunt, in fine mundi: Et ipse Christus de se ipso loquitur: Dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Maiestatis (uæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus* Israel.

Israel. Et in actibus Apostolorum legimus, *constitutum esse Christum à Deo Patre viuorum & mortuorum Iudicem* Hæc nos de Deo sentimus, hæc & firmiter credimus, hæc salubriter prædicamus, æternam vitam promittentes omnibus qui Christo credunt, & in Trinitatis nomine baptizati opera faciunt Euangelio digna. Quæris quæ sit ista vita æterna, quid agat illic homo, qua voluptate lætetur, & quam beatitudinem assequatur: Respondemus cum Euangelio Ioan. 17. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Summa ibi felicitas erit videre Deum in sua natura, & eius perfrui bonitate. Caudio nostræ mentis hinc satiabimur, hinc implebimur, hinc summa felicitas erit herere Deo, & Deum cognoscere. *Videmus enim nunc per speculum (ut ait Apostolus) tunc facie ad faciem, & in nubilo, teste Iob: In facie Domini videbimus lumen, & satiabimur cum apparuerit gloria eius: & erimus sibi similes, ut ait Ioann. Nec oculus vidit (inquit Isaias) nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ promisit Dominus diligentibus se.* Et Apostolus, *non esse condignas passionibus huius sæculi dicit ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, Tua lex in alia vita flumina lactis & mellis, & vini promittit & cibaria delicata, & vxores multas, & concubinas, & Virginum coitus, & Angelorum in turpibus obsequijs ministeria, & quicquid caro deposcit. Bouis hic paradysus, & asini potius, quam hominis est. Hactenus Pius Pontifex II.*

CAPVT III.

In quibus rebus sit prohibita Christianis communicatio cum Saracenis.

Supponenda sunt quæ libro Secundo diximus in genere de communicatione prohibita Christianis cum infidelibus, in specie vero oportebit examinare quæ sint interdicta Christianis cum Saracenis.

Primum igitur statuendum est in Iure & in Bulla cænæ Domini esse excommunicatos fideles omnes, qui Saracenis aut inimicis Christiani nominis auxilium ferunt in damnum Christianorum & Catholicorum. Et ut clarius constet de mente legis, in ea numerantur omnia quæ ferri aut mitti prohibentur. Nimirum, equi, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybs, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, cannabis, funes tam ex ipso cannabe, quam ex alia quacunque materia, aliaque huiusmodi.

Deinde in particulari explicantur, qui sint hi infideles ad quos hæc omnia deferri prohibentur, scilicet Saraceni, & Turcæ & hæretici per Romam. Sedem expressim nominati, & generatim omnes Christiani nominis ho-

tamen formaliter, & licet primum sufficiat ad rationem peccati, non tamē ad rationem p̄na, quia in lege p̄nali verba in formali significatione sunt intelligenda. Nec obstat cap. dictum, quia ibi Papa declarauit qui habet auctoritatem interpretandi. Sibi autem est amplectenda tantum interpretatio, vbi facta est, non in alijs casibus, nam si mandans superincluderetur in faciente, non esset necessarium exprimere in Bulla, & tamen mandans aliquando exprimitur, aliquando non.

Quartum dubium, an deferentes huiusmodi prohibita ad Hæreticos, comprehendantur in hac censura. Respondeo quod nullo modo. Ita Nauar cap. 27. num. 62 quia non dicuntur Christiani nominis inimici, cum Christum profiteantur, & nomine Christiano militent, licet opera & fidem Christianam non habeant, peccant ergo mortaliter p̄dicti, sed non incidunt in hanc excommunicationem.

Quintum dubium, quid per arma intelligitur? Respondeo cū Syluest. verb. excommunicatio 7. paragr. 59. Tabien. excomm. 6. paragr. 1. & cōmuni opinione intelligitur offensiuā, quā defensiuā, quod probatur ex lege armorum ff. de verb. signific. & ex l. 3. ff. de vi & vi armata, vbi habetur arma esse scuta, galeas, gladios, fustes, & lapides: dicuntque hi Doctores ea dici arma, quæ principaliter & vere instituta sunt ad p̄zliandum offendendo, vel defendendo. Vnde cultri ad scindendum panem, vel ad scindendos calamos, non sunt arma: Vt etiam dicit Panorm. cap. Clerici de vita & honestate Clericorum, nec alia instituta in vsū agriculturæ, possunt tamen secundum p̄dictos auctores, hæc conferri arma, ex intentione vtentis. Nam si aliqui vellent his vtī ad p̄zliandum, tunc dicerentur arma etiam cultelli, & alia huiusmodi, & quia ea deferrent ad infideles, includerentur sub hac censura. E contra vero in alijs armis etiam si desit intentio vtendi illis ad p̄zliandū, qui ea deferret ad infideles, incurrit hanc excommunicationem, vt notat Ioan. And. Panorm. & Glos. super cap. Ita quorundam, de Iudejs.

Sextum dubium, quæ dicantur lignamina. Respondeo cum Syluest. excommunicatio. 7. paragr. 19. & Tabien. excomm. 6. num. 3. intelliguntur ligna ex quibus possent trirēmis, naues, vel aliz machinæ ad impugnandū fieri, & non alia ligna ad comburendum, vel in alios vsus extra bellum, vt patet ex verbo Bullæ, vbi dicitur, Quibus Christianos impugnant. Nauar. super cap. ita quorundam not. 7. num. 14. dicit comprehendī etiā sub hoc nomine ipsas trirēmes & naues iam factas, quod mihi placet, licet Caiet. verb. excommunicatio cap. 20. solam materiam intelligat, quia latius hic sumitur quam in dicto cap. vbi dicitur, lignamina galearum: hic vero sine addito, dicitur, lignamina, vt comprehendat materiam, & quæ ex ea fiunt.

Septimum

Septimum dubium, quid significant, Alia prohibita. Pro solutione notatur, tria esse genera prohibitorum in iure. Quædam prohibentur absolute, omni tempore, & omni loco, V. g. deferre prohibita, vt arma & instrumenta bellica; alia tantum tempore belli, vt mercimonia, victualia, & alia huiusmodi, cap. quod olim de Iudejs. Alia prohibentur omni tempore, sed non omni loco, quia deferre hæc in Alexandriam, Aegyptum, & terram Soldani, nullo tempore licet, vt habetur in extrauag. multa de Iudejs.

Secundo, nota tempus Treguę reputari pro tempore belli, vt habetur c. significauit de Iudejs. Tempus tamen extra actuale bellum & induciarū non reputatur tempus belli, vt bene notat Tabien. verb. excommunicatio num. 5. qui ad quæstionem respondet v. excom. 6. §. 4. Omnia hæc tria genera comprehendī sub illo verbo, Alia prohibita. Syluest. verb. excommunicatio 7 §. 60. & Caietan. verb. excommunicatio c. 20. dicunt tantū ea quæ pertinent ad bellum ibi intelligi, & ego ita credo, quia illud relatiuum Alia, refertur ad antecedentia in quibus continentur tantum prohibita, ad p̄zliandum pertinētia. Item verbum sequens (quibus Christianos impugnant) ad idem determinatur, nam mercimonijs aut victualibus non dicuntur impugnare, licet tempore belli ministrentur.

Octauum dubium, An qui deferunt ista ad infideles, non vt impugnent Christianos sed alios infideles, incurrant hanc excommunicationem. Respondeo, si ista quæ deferunt, permaneant vt possint postea impugnare Christianos, absquē dubio incidunt in hunc Canonem, si vero ea quæ deferunt verisimiliter consumuntur, talia deferre non est prohibitum. Hæc de primo genere.

Secundum genus personarum comprehensum in hac excommunicatione non continet omnes qui faciunt certiores infideles, de quibuscunq; rebus Christianorum, sed quomodo huiusmodi res concernunt ad statum communem alicuius Reipublicæ Christianæ, & cedunt in damnum & perniciem ipsius; vtrumque enim est necessarium ad incurrendam hanc censuram. Eodem modo intelligendum est de tertio genere personarum, quod non quicumque dant consilium, statim sint excommunicati, sed solum quando hoc consilium cedit in damnum & perniciem Christianorum.

In posteriori parte huius excommunicationis quia aliqui potuissent allegare priuilegium aliquod à sede Apostolica obtentum, vt possint ad infideles deferre prohibita huiusmodi: ideo Papa derogat in totum huiusmodi priuilegio. Vt autem conferamus p̄dicta cum iure antiquo, nota, quatuor esse maxime inter alia Pontificum decreta similia in iure huic excommunicationi Bullæ Cœnæ.

Primum

Primum est Alex. 3. cap. ita quorundam, de iudicijs vbi excommunicat tria genera personarum.

Primò deferentes Saracenis arma, ferrum, lignamina galearum.

Secundò gerentes gubernationem & regimen in galeris, & in piraticis nauibus.

Tertio subministrantes necessaria ad impugnâdos Christianos eisdem Saracenis. Per Saracenos autem intelligere oportet, omnes qui sequuntur sectam Mahometanam. Iste Canõ. vel istud Ius in multis excedit Bullam, & est illa latior, in quantum sub illo verbo (subministrant necessaria) comprehenduntur, tempore belli victualia deferentes, quæ in Bulla Cænã nõ continentur, vt supra diximus. Et simile est de dantibus, vel mutuantibus pecunias eis ad impugnandum Christianos. Primum vero genus personarum continetur in Bulla Cænã, & etiam secundum sub illo verbo (consilium præstantes.) Est tamen strictius ex alia parte.

Primo, quia Bulla cænã, præter Saracenos ad quosuis Christiani nominis inimicos extenditur.

Secundo, quia complectitur curam gubernationis gerentes, non tantum in galeis, & nauibus piraticis, sed omnium infidelium contra Christianos, licet pirate non sint.

Tertio complectitur deferentes non tantum arma, & ferrum, sed etiam stannum, plumbum, & alia metalla, armorum materiam, & equos etiam tempore pacis, quæ illic non includuntur, nisi prout necessaria sunt illis Saracenis ad bellum contra Christianos.

Quarto complectitur certiores facientes infideles de rebus pertinentibus ad Christianos, quæ non comprehenduntur in Iure.

Præterea sciendum est alterum decretum fuisse Clementis III. c. Quod olim de Iudæis, vbi excommunicat habentes commercia cum Saracenis tempore belli, & eos qui per se vel per alios, nauibus vel quouis alio ingenio, aliqua rerum subsidia, vel consilia duxerint impendenda etiam tempore belli durante, intelligendo etiam tempus Treguarum, vt supra diximus. Hæc excommunicatio non est reseruata, neque pertinet ad Bullam cænã, nisi merces sint, alia omni tempore, & loco prohibita, vt supra diximus. Item impediens subsidia, nisi sit aliquid eorum quæ in hac Bulla prohibentur, non incurrit excommunicationem Bullæ, vt si victualia, pecuniaz, & similia impendantur, quia non sunt in ea prohibita.

Tertium decretum est Innocentij III. c. ad liberandum, de Iudæis, vbi excommunicatur omnes, quos Alex. excommunicauit, vt supra, & insuper addit vendentes galeras vel naues, & qui machinas, auxilium vel consilium præstant Saracenis in dispendium Terræ sanctæ, & non est reseruata. Apponitur etiam inter alias pænas, vt hi non absoluantur, nisi totum quod

quod habuerunt ex commercio damnum, & tantumdem de suo sat reddant in fauorem terræ sanctæ. In Bulla vero Cænã, non continentur hi, nisi simul deferant ad ipsos, vt supra diximus. Non continentur inquam, vendentes galeras & naues, reliqui vero continentur, & licet hic Can. Procedat tantum, cum sit in dispendium terræ sanctæ, tamẽ absolūtẽ sunt excommunicati per c. ita quorundam, de Iudæis. quia ministrant Saracenis necessaria. Et dicuntur necessaria, non quia Saraceni illis indigeant, sed quia ex se sunt necessaria.

Quartum Decretum est Clementis V. in extrauag. multa, de Iudæis, vbi excommunicat deferentes equos, arma, ferrum, lignamina, victualia, & alia quæcunque mercimonia, in Alexandriam, vel alia loca Saracenorum terræ Aegypti, & mittentes hæc vel portantes, vel de portibus eorum, vt eis deferantur, extrahentes, vel extrahi permittentes, vel talia agentibus quomodolibet fauorem vel auxilium præstantes. Est quæ hæc excommunicatio Papæ reseruata. Vbi patet multos excommunicari, qui in Bulla Cænã Domini non continentur, & è contra in Bulla non tantum ad Saracenos, sed ad infideles alios ista prohibentur deferri. ibidem continentur certiores facientes tempore pacis, & pro redemptione captiuorum arma deferentes, quod olim licebat in cap. Significauit, de Iudæ. Secundum aliquos, vt refert Syluest. excommunicat. 7. paragr. 61. sed ego contrarium censeo, cum Glos. illius cap. quod intelligendum est de alijs mercibus, extra arma, ferrum, &c.

Restat denique aliud dubium, An Christiani à Saracenis (quod sapissimè contingit Christianis inter Saracenos degentibus) capti, & serui effecti, & remigio mancipati, & additi lethalem culpam, & proinde excommunicationem contrahant, cum iussi remigant in bello contra Christianos, metu mortis, verberum, aliorumve cruciatuum, quæ mala alioquin sustinerent si à remigando desisterent? Nauar. in Manual. cap. 27. num. 63. vers. septima, quod Christiani existimat eos quidem in excommunicationem non incurrere, sed tamen lethalem culpam contrahere, & proinde absolui non posse à peccatis, nisi remigandi mentem & voluntatẽ exuerint. Priorem partem probat: quia verisimile inquit, non est, Ecclesiam excommunicatione eos ferire in tanto periculo constitutos, eos vero à lethali culpa non liberat, quia putat contra Christianos remigare esse per se malum, & proinde nec iussu Dominorum, nec metu mortis, à culpa excusari: non fecus ac si Saracenus seruo Christiano imperaret vt furaretur alteri vel aliquem hominem occideret.

Mihi tamen aliud videtur: puto enim remigare, in eo qui tanquam seruus est remigio additus & traditus, esse per se rem differentem. Est enim proprium serui ad id destinati munus. Vnde sicut Nahaman non pecca-

bat, tamen si suo Principi in seruiebat in templo Idola colenti, dum Regis imbecillitatem suis manibus sustentans, vna cum eo sese inclinabat, suo enim munere fungebatur: nec ancilla peccat, si Dominam Ethnicam & gentilem comitetur gestando caudam, & simul cum ea in templo Idolorum genua flectat, non quidem, vt Idolum veneretur, sed vt suum officium præstet. Ita etiam Christiani in seruitutem redacti, & destinati remigijs nequaquam peccant in remigando.

At dices, Remigant contra Christianos, fateor, sed hoc illi faciunt, vt suo officio & muneri satisfaciunt: nec enim illi sua voluntate, & arbitrio sunt remiges effecti, neque eis præcipitur solum vt remigent contra Christianos, sed vt absolute & simpliciter remigent, quod non est per se malum opus. Quare cum remigare duro Dominorum imperio & iussu coguntur, minime adiguntur ad id præcise contra Christianos præstandum, sed simpliciter & promiscue, contra omnes, vt ita suum officium exequantur & obeant. Aliud vero esset, quando iuberentur arma capere & pugnare contra Christianos, aut furari, aut innocentem hominem occidere, hæc enim sunt per se mala, & proinde nullo metu etiam mortis facienda.

Ad id vero quod obieciatur, nimirum Christianos in remigando Saracenis opitulari: respondemus eos per se solùm, quod debent officium, & ministerium præstare, ex accidenti vero consequi, vt in eorum Saraceni iuuentur, qui non est eorum propositus finis: nec tamen inde efficitur vt iure possint contra Christianos remigare, etiam quando ad id nullo metu adigerentur, tunc enim cum omnis metus & periculum abesset, lege charitatis desistere à remigando deberent, cum possent citra vllum incommodum Christianorum libertati, salutem, & vitam prodesse. At vero tanto cum suo detrimento, & malo, nulla lege compelluntur ad consulendum aliorum vitam & bono. At commune bonum, inquit, iure naturæ debet priuato præferri. Non diffitemur id lege Charitatis Christianos præstare oportere, vbi Saracenis, vel Turcis, pugna esset contra certam Christianorum Rempublicam, aut contra Regem, vel Principem: sed in præsentia sermo tantum est de seruis Christianis, qui remigant in triremibus, vel nauigijs Saracenorum, contra priuatos Christianos pugnantium.

Vltimo denique dubitari poterit, An Saraceni Christianorum Principum iurisdictioni subiecti puniri queant ob delicta contra legem naturæ commissam, aut contra Deum in ijs, quæ sunt illis nobiscum communia. Respondeo posse, vt si furta, adulteria, parricidia, vel homicidia perpetrant, quoniam sunt crimina contra communem Reipublicam salutem, cuius ipsi quoque sunt participes. Si item idola venerentur, si Deum negent vnum esse, si in Christum, Religionemue Christianam maledicta conijciant: si Christianos in Christi, aut Christianæ Religionis odium, ignominiam aut contemptum

temptum malè habeant: si Sanctorum imagines conculcent, reliquias proterunt, si cruces prosternant, refue alias sacras impiè & nefariè polluant, violent, aut tractent, Vnde merito à Christianis Imperatoribus præfancitæ sunt leges, vt Idolorum templa clauderentur, & impia sacrificia cessarent, quod iussit Constantinus Magnus, placuit C. de Paganis: & vt reuerterentur, quod est postea à Theodosio imperatum. Nam ait Nicephorus l. 9. hist. Eccl. c. 25. Primus Constantinus sacrificare Dæmonibus profus prohibuit, aras autem eorum non sustulit, mandato illo promulgato, vt Deorum fana clausa essent, ne ab aliquo adiri possent, idem filij eius fecere. Sed Theodosius legem tulit, vt Deorum fana diruerentur. Teste igitur Nicephoro simulacra & statua Deorum deijciuntur, frangebantur, & comminuebantur. Editæ quoque sunt Imperatoris leges, quibus Pagani in Christum & Christianam Religionem contumeliosi, & iniurij pecuniarijs penis, atque etiam bonorum publicatione multarentur.

Quæritur insuper, an liceat Christianis Principibus impune permittere Saracenorum ritus? Respondeo ex parte licere, ex parte vero, non licere. Si ritus ira sint superstitiosi, vt nec eorum secta quam superstitiose profitentur, congruentes sint, nequaquam eos tolerare Christianum Principem decet: quia & à Christiana Religione, & ab eorummet secta, quamuis impia, sunt alieni. Si tamen sint ipsorum proprii, nec à veteri, & antiqua professione discrepent, permitti, & tolerari possent ad plura, & deteriora mala euitanda; nimirum ad communem Reipublicæ pacem tuendam, ad dissidia & odia profliganda, ad expeditiorem eorum conuersionem. Nam cum eorum vana & superstitiosa secta, tota vndique erroribus sca-teat, ac fateat, facilius, citius, & commodius possunt hac ratione confutari.

LIBER VNDECIMVS DE ETHNICORVM CONVERSIONE PROCVRANDA.

Præfatio.



N oraculis antiquis habemus, certè clarissimas de conuersione omnium Ethnicorum prophetias. futurumque vt Ecclesia Dei ad agnitionem diuinæ veritatis perducatur omnes nationes: & vt nunc cæteros omittam Prophetas, Isaias 2. cap. clarissimè vaticinatur, non vnis, sed in vniuersum nouissimis diebus fore, vt gentes confluant ad montem Domini, & inuident alios populos: neque vllum tempus exceptit, quo id non contingeret. Sic alibi: *Multiplicabitur, inquit, eius imperium, & pacis non erit finis.* Et de Ecclesia rursus, quæ prius erat quasi tellus deserta & inuia, ad quam nemini patebat accessus ante aduentum Christi, nullus eius erat cultus: *Latabitur, ait, deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit latabunda & laudans.* Explicat alibi eadem elegantissimè Isaias. *Deserta, scribes, tua, & solitudines tuæ, & terra vicina tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi vt habitem. Et dices in corde tuo quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens, transmigrata, & captiua; & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola: & isti vbi hic erant? Hac dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum: & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.*

Non discedamus ab eodem Isaiâ: qui sic alibi refert Deum loquentem ad Ecclesiam: *In indignatione mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui, & aperientur portæ tuæ iugiter die, ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur.* Quasi nullum sit momentum diei vel noctis, quo Ecclesiæ portæ claudantur, sed sint semper è gentibus qui ingrediantur ad ipsam, ita vt non possit etiam eo tempore quo necesse videtur, qualis est nox, claudi. Prædictæ igitur Prophetiæ quæ necessa-

rio

rio impleri debent, animos virorum Apostolicorum vehementer mouere ac inflammare deberent. Quid enim acrius animum pium vrgebit, quam diuinæ promissionis veritas, quæ pollicetur Gentilium respicientiam. Porro acerrimum calcar habent Euangelici ministri, ad Ethnicos profecturi, vt liberent onus impositum ferant: diuinam scilicet pollicitationem diuinorum oraculorum futuri prouentus. Et enim nihil æquè firmum negotiatores habent, qui ad extremos Indos auri amore nauigat quàm promissionem: & tamen firmiter & perseuerantius Oceanum vincunt, quàm Iesu Christi famuli, quos amor salutis proximorum lentè admodum afficit.

Secunda ratio, quia cum hoc sæculo ab anno circiter quingentesimo supra millesimum plus terrarum atque hominum fuerit detectum, quibus Euangelij lux nondum plene illuxit; quam totis fere mille superioribus annis, innumera etiam sint Regiones, ac Gentes quæ quotidie à Lusitanis & Hispanis in vtraque India deteguntur, quibus Euangelica tuba nondum insonuit, manifesto monstratur præforibus esse tempora, in quibus plenitudo gentium intret Ecclesiæ ouile: verè enim diuinum fuisse consilium clarè perspicitur, vt tot nationes antea ignotæ, hoc sæculo reperirentur, vt ad Euangelium vocarentur, & concorporales fierent & participes mysteriorum Christi. Horum igitur omnium oportet procurare salutem, ac ministros Christi excitare, ne tota die otiosi animarum salutem negligant, imò Dei consilia conatusque adiuuantes diuino operi strenuè se accingant: maximè cum tanta atque adeò vasta orbis portio patuerit, ac tot nationes nostra ætate repertæ sint, quibus nec syllaba sancti Euangelij innotuerit; nec credi potest frustra tot fuisse adiuuentas, sed diuina potius prouidentia, vt primùm innotuerint, deinde adeantur, ac tandem Euangelicam pacem accipiant.

Tertia ratio: Dolendum est profectò, innumeras nationes barbaras diuinum cultum Dæmonibus diuinitatem simulantibus afferre, & magnificentissima templa impuris creaturis dedicari: vt apud Iaponios, Sinas, & Indos passim cernitur. Qualis ergo zelus Christianorum erit, nihil curare quod cultus Iesu Christo debitus totij Dijs commentitijs reddatur? quare rectè monet D. Chrysof. ho. 4. in c. 1. epist. 1. ad Corinth. Nos Ethnicos muliebri, vel etiam maiori vlulatu deploremus, quoniam communem salutem non intelligunt, neque enim adeo uxorem virum suum amare oportet, vt nos vniuersum genus humanum, idque ad salutem allicere, siue Ethnicus sit, siue quiuis alius.

Quarta. Hic (si vsquam) misericordia vim suam prodere deberet Tartarus quippe sinus suos pandit & laxat, vt innumerabilem multitudinem Idololatrarum quotidie cadentem absorbeat. Nunquid animè illæ Christi sanguine redemptæ non fuerunt? Quomodo ergo tam ingens humani generis

Gentium
conuersio
prædicitur.
Isaiæ 2.

Isaiæ 7.

Isaiæ 35.

Isaiæ 49.

Isaiæ 60.

Rationes
quibus Euan-
gelium disse-
minandum
Gentibus
suadesur.

neris pars cedit in prædam Dæmonis?

Quinta, Eò maior misericordia Gentilibus impendenda est, quo simplicius peccant. Certum est quippe in alta eos Iesu Christi ignorance versari: quid vero agent, quomodo Christum agnoscent? Profecto nisi per auditum non agnoscent. At quomodo audiant sine prædicante? Etenim durus corde oportet esse Christianos, quos tantæ cladis sensus non tangit, & pro virili parte sua, ministros ad gentem derelictâ mittere minimè curant.

Sexta ratio efficacissima subest, ab Apostolorum imitatione petita: ij enim à Christo ad remotissima Gètilium Regna missi, opus certè gloriosum à fundamentis ceperunt, vt ab eorum imitatoribus perficeretur. Quales ergo imitatio erit, opus imperfectum relinquere, cum vires & industria suppetant, ad ea quæ desunt feliciter implenda? Vtinam qui Christo placere cupiunt, animaduertent quanti sit momenti ratio hæc, (quæ si obseruetur) Iesu Christi famulos Apostolis simillimos efficit. Profecto Christus singulari prouidentia duos nobilissimos Apostolos Petrum & Paulû ad arcem Romani destinauit Imperij, vt omnes Gentilium superstitiones, quæ ibi vigeant, aboleret. Vt per hoc ipsum Ecclesiæ Principes discerent, qua sollicitudine, ac dilectione Ethnicos homines amplecti, & ad æternæ salutis viam perducere deberent. Et quidem ratio hæc summos Antistites non segniter vrget.

Septima. Sanè si Iesu Christi famuli de conuersione gentilium, vt par esset, agerent, omnis capitis multis, ex hoc vno potissimum incitarentur, quod missiones istæ diuinis consolationibus affluunt. Quis enim vir pius non intima voluptate capiatur, cernens nascentem Ecclesiam, nouellos Christi partus sacro baptismi fonte lustratos, syncerum Euagelici textus intellectum, sincero exercitio confirmatum? Quid quod noua in Ecclesia noua miracula coruscant, quæ nostros Europæos in extremis orbis regionibus Christi causam agètes vehementer inflammant & exhilarant, & novos populos efficaciter trahunt, & admiratione suspendunt?

Ratio octaua. Habet quoque missio quæ ad istos infideles fit, facilitatem miram, vtilitati coniunctam: facilitatem, inquam, in disputationibus, ac fidei persuasionibus. Cum enim rudes sint & crassissimis erroribus exæcati, mirum est quam facile conuincantur, vt ad disceptationem ventum est. Quod certe assertum ex recentibus constat historijs. Iaponij quippe (pro Gentilium conditione non prorsus rudes) in primis Europæorum congressibus mirabili stupiditate conuicti sunt. Et ex hoc certè capite conuersio Gentium cum facilius sit, auidius à viris Christianis arripienda est.

Nec retardare debet plurimas harum gentium nationes barbarissimas esse,

esse, ac belluinis moribus imbutas, vix quicquam humani sensus habentes, sine lege, sine Rege, sine vlllo tenore viuentes, ac proinde ineptas esse verbi Dei prædicationi: quia nullum hominum genus, vt doctè ac eleganter probat Iosephus Aosta, exclusum est in Euangelij fideique communicatione, vbi à Christo Domino Apostoli audiunt, *Euntes in mundum vniuersum, predicate Euangelium omni creatura.* Et rursus: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in omni Iudæa & samaria, & vsque ad vltimum terra.* Et alibi: *Docete omnes gentes.* Quis igitur tam illustri præcepti toties commendati auctoritatem contemnat? Aut quam hominum nationem adeò feram, & ab omni humano sensu remotam, beneficio prædicationis, fidei, penitentiae, ac diuinæ doctrinæ destitutam putet, cum audiat Dominum de vniuerso mundo obeundo, de omnibus docendis Discipulos constanter? Quin potius si attentius diuinas scripturas legamus, apparebit fortassis non sine magnitudine ac diuino quodam mysterio, extremum & abiectissimum genus hominum, vel præcipuè ad sortem Euangelij vocari. *Aethiopia*, inquit, *præueniet manus eius Deo.* Quæ vero gens despiciatur his, qui vel ipso terrore & putore horrore pene habentur? De his Sophoniâs quoque Propheta: *Attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insule gentium. Sed & vos Aethiopes, interfecti gladio meo eritis, illo nimirum gladio quæ Dominus venit mittere in terram, quod est verbum Dei; pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus. Cur enim contemptos, ac sempiternæ obliuioni datos homines arbitramur apud pium conditorem, & benignissimū Redemptorem? Nunquid non vnus Pater est omnium? An alio sanguine Græci & Romani, alio Barbari & Indi redempti sunt? Ipsos certe Iesu Christi Apostolos scimus ad remotissimas ac ferocissimas nationes penetrasse, neque earum belluinis moribus deterritos, neque sensus stuporem pertæfos, & prædicasse Euangelium, & baptizasse, & munus inde Domino iuxta prophetiâ vaticiniû obtulisse. Agnoscebât se debitores crediti talè Græcis pariter ac Barbaris, sapientibus atque insipientibus. Intelligebât in Christo Iesu non esse Iudeû & Græcum, Barbarum & Scytham, sed nouâ creaturam, quæ secundum agnitionem Dei renouatur in imaginè eius, qui creauit illam. Etenim quos pater familias licet debiles, licet claudos, licet panosos, & horridos ad præclaras cælestis conuiuij epulas pro sua magnificentia inuitari iubet; cuius obsecro temeritatis, cuius impudentiæ erit, hos vt serui conuiuas dedignentur, auersentur, fastidiât? Nisi putamus melius esse perspectam ministris, vel conuiuarum ratione, vel conuiuij dignitatè, quam ipsi omnium conditori & largitori? In illo certè linteo quod Petro esurienti cælitus oblatum est, omne genus non solum volucrum, & animalium; verum etiam serpentum ac reptilium expositum ac præparatû diuina nos docuit historia, vt etiam sordidos, & abiectos, atque vt ita dicam humi*

Marc. 19.
Act. 1.

Matth. 28.

Psal. 67.

Soph. 2.

humi repentes à Domino sanctificatos intelligamus. Quod autem Deus sanctificauit, nobis vt immundum fastidire ac repellere minimè licet. Quamobrem desinamus vel tarditatem, vel duritiam Barbarorum tantis diuinæ charitatis promissis opponere, & eum qui promittit fidelem existimantes, à communi omnium salute nullum genus mortalium putemus exceptum.

Ordo seruandus.

Nos igitur vt horum omnium saluti consulamus, maximè his qui ingenio & politia pollent, tria præstabimus, Primum Gentilium errores ad vniuersalissima capita reducemus, eosque naturaliratione fulti, per singula capita confutabimus. Nec pro errorum confutatione vlla inducemus argumenta vel intricata, aut nimia subtilitatis, vel cauillota & fucata: omnia erunt, vt speramus, facilia & dilucida, quæ intelligi à quouis animaduertente queant. Secundo, De iuuandis Gentibus, rationeque agendi cum eis: actandem Tertio de communicatione cum Gentibus, atque ea quibus casibus licita sit, dicemus.

PRIMA PARS.

DE GENTILIVM ERRORVM

CONFVTATIONE.

CAPVT I.

De erroribus Gentium in communi.

Gentium errores.

Illa solum desumam ad Gentilium errores confutandos, quæ præcipua sunt, & à multis recepta & circa quæ celebres sunt hominum de colendo Deo sectæ & adinueta, neque prosequar ex ijs, nisi ea tantum, vnde videro iacturam Religioni importari, vel vt frigeat, vel nutet, vel omnino cadat. Nam abolita iam vel satis à maioribus explosa & profligata, ne attingam quidem: vt de Ioue, de Iunone, de Hercule, de Venere de Marte, alijsque huiusce notæ. Quis enim adeo nunc insanit, vt illos esse Deos suos credat, quales nemo velit habere liberos aut seruos: ad errorem illum conuincendum, satis sunt olim à sanctis viris dicta multa, cum is adhuc hominum animos occuparet.

Præ-

præcipua autem Gentium errores circa diuinam naturam cognoscendam ad hæc capita commoda reduci possunt. Nam vel ita barbari aut ignari sunt, vt Deum esse non intelligant, illumque primum, & summum principium, à quo omnia hæcque videntur producta sint, non agnoscant: vel eo cognito in hoc primo principio definiendo plurimum errent. Hi autem errores omnes, vt fecit D. Tho. lib. 1. contra Gentes ca. 9. ad quatuor capita reduci possunt: nam in hac prima causa, quam nos Deum appellamus inquirenda, in tribus maximè cernimus homines errasse. Primo in huius principij natura, substantia, & perfectione prout in seest cognoscenda. Secundo, in ratione explicanda, qua à primo hoc principio omnia fuerunt condita, & quo modo ab eo regantur & cõseruentur, eisque se variis modis communicauerit. Tertio, in exponendo vltimo creaturarum fine maximè hominum.

Circa primum articulum, nempe circa Dei naturam & perfectionem in varios grauesque errores Gentiles prolapsi sunt, quos ad certa capita redigere, penè esset impossibile. Circa secundum vero de processione creaturarum facilius errorum species ad certas classes à D. Thom. lib. 2. contra Gentes c. 3. referuntur: *Primus*, inquit, *est eorum error, qui creaturarum naturam ignorantes, nihil supra corporalem creaturam existimantes, dixerunt creaturam, primam causam & Deum constituere; de quibus dicitur Sapientie 13. Qui autem ignem, aut Spiritum, aut aërem, aut girum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & Lunam Deos putauerunt. Secundus error est, eorum, qui ea qua solius Dei sunt, vt creare, futura cognoscere, miracula operari, creaturis aliquibus ascribunt; de quibus dicitur Sapient. 14. Incommunicabile nomen lignis & lapidibus imposuerunt. Tertius, Est eorum qui diuine virtuti in creaturas operanti aliquid detrahunt, quales fuisse illi qui duo rerum principia constituunt, vel qui res non ex diuina voluntate, sed ex necessitate natura à Deo procedere asserunt: similiter & illi, qui res vel omnes, vel quasdam ad diuinam prouidentiam non referunt. Ac denique quarto multi ex Gentibus errarunt, existimantes, creaturas rationales quarum finis vltimus est ipse Deus, alijs creaturis esse subiectas, vt sunt illi qui hominum voluntates astris supponunt, vel qui Angelos animarum creatores faciunt, aut ipsas animas mortales ponunt. Quibus erroribus natura humanæ derogant dignitati.*

Circa vltimum vero hominis finem exponendum, tam varij sunt, ac à veritate alieni errores; vt Marcus Varro teste D. Augustino libr. 19. de Ciuitate Dei cap. 1. ducentas & octuaginta opiniones, seu, vt melius dicam, deliramenta enumeret. Præsumebant enim temere, vltimum hominis finem, & beatitudinem in hac vita inueniri posse, vt qui alterius vitæ cognitione carerent. Quare præsentis vitæ aliam succedere, in qua mortales actionum suarum præmio, vel supplicio à Deo afficiantur, non agnouerant. Ac tandem circa honorem & reuerentiam exhibendam huic vltimo fini, ac principio omnium rerum, toto errant cælo, cum verum

DDDDd

cultum

cultum Deo altissimo debitum in hominum mortuorum, vel demonum, vel aliarum rerum & simulacrorum vanissimum, superstitiosissimumque honorem transtulerunt.

Contra hos igitur Gentium vanissimos errores breuiter agemus, licet non eodem ordine in omnibus seruat.

Præterea cum in adducendis gentibus ad fidem, non solum opus sit eorum errores destruere, sed & veritates nostræ fidei eis aperire, vt optimè aduertit D. Thom. lib. primo contra Gentes cap. 9. *Sapientis intentionem, ait, circa duplicem veritatem rerum diuinarum versari. Primo circa errores contrarios destruendos, & ad huius veritatis manifestationem per rationes demonstratiuas, quibus aduersarius conuincatur, procedendum est. Secundo, Circa veritatum fidei que nostrum intellectum excedunt manifestationem: in quibus soluenda sunt rationes aduersariorum, cum veritati fidei ratio naturalis contraria esse non possit, & rationibus probabilibus, quibus fidei nostræ mysteria esse euidenter credibilia Infidelibus ostendatur.*

*Qua in
Gentium
conuersatione
obseruanda.*

Ex quibus in conuersione Gentium procuranda tria potissimum intendere debemus. Primum, eorum errores destruere. Secundum, fidei nostræ mysteriorum credibilitatē cōprobare. Tertium, modum cū eis agendi præscribere, quæ tria à nobis breuiter erunt in hoc opere præstanda.

CAPVT II.

De Scriptoribus aduersus Ethnicos.

Adversus Gentium errores, & Idololatrias præsertim veteres, ac falsarum Religionum cultores ex antiquis Patribus scripserunt Iustinus Philosophus & Martyr, Tertullianus in Apologetico, & libro de Idololatria, S. Cyprianus de Idolorum vanitate, & aliis in locis, Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Lactantius Firmianus, Arnobius, Augustinus præcipuè in libro de Ciuitate Dei, nunquam satis laudato, S. Thomas in lib. contra Gentes, Guilielmus Parisiensis lib. 1. de fide ac legibus. Ex his igitur Ecclesiæ Patribus innumera & efficacissima desumi possunt argumenta, quibus Infideles trahantur, vt oculis quasi apertis sursum sectarum nugas, & fidei nostræ solidam veritatem conspiciant.

Pro iuuantis vero edocendisque gentibus, maximè vero noui orbis, siue Indiarum Occidentalium, & Orientalium, Sinarum, & Insularum, Japoniis aliisque quamplurimis, videndi sunt doctissimi viri ex Iesuitarum familia, qui rara doctrina experientiaque præditi de hac re scripserunt: quales sunt Anton. Possesinus 1. tomo suæ Biblio. lib. 9. & Iosephus Acosta. in lib. de

procuranda Indorum salute, Alexander Valignanus in Catechismo Iaponiorum: hi enim post diuturnam rerum experientiam, alter pro Indorum Occidentalium, alter pro Iaponiorum conuersione accuratissimè scripserunt. Sed præcipuè nostri temporis clarissimum lumen Ludouicus Granatensis perlegendus erit in aureo illo volumine cui titulus est, Introductio ad Symbolum, maximè in 5. lib. qui est veluti aliorum compendium.

CAPVT III.

De Ultimo fine hominis.

AB hominis fine ad quem à Deo cōditus est, Christo propitio exordiamur disputationem, quam fuse, doctissimè tamen prosequitur Ludouicus Viues lib. 1. de veritate fidei Christi. à quo breuitati solitè consulentes ea quæ præcipua ac selecta sunt decerpimus. Ad hominis, inquit, verum germanumque finem inueniendum, operæ pretium fuerit, vt hominem ipsum, humanaque omnia singulatim euoluta atque explicata proponamus nobis ante oculos. Primum omnium nasci hominem videmus, tum ali, & crescere, quod viuere vocatur: hoc ei est cum stirpibus commune, distinctum à non viuentibus. Vis ergo & facultas est in eo aliqua, per quam vivit, quæ ipsi negata est quæ non viuunt: ad hæc utitur sensibus externis & internis, in quo à belluis nihil differt, differt à stirpibus. Aliquis ergo in eo est vigor, cuius ope, actionibus illis fungitur, qui non inest plantis nec herbis. Veniamus iam ad ipsius proprium. Vtitur consilio, iudicio, ratione, sermone, quæ belluis non sunt attributa, vti est à Philosophis declaratum. & res ipsa ostendit. Aliquid ergo habet quo carent cætera animantes: per quod animal est hoc rationale, cætera sunt bruta, muta, & rationis expertia. Ea vis & facultas mens dicitur, seu ratio qua vna homo censetur, aliis omnibus non dissimilibus rebus tanto ab homine interuallo separatis, saxis, arboribus, belluis. Habet in mente functiones duas: alteram qua in bonum tendit, voluntatem: alteram quam huius velut consultricem nuper diximus, iudicium siue ingenium, quæ quid vere bonum & malum sit inquirit. Voluntas ex se qualitatem habet nullam, talis fit omnino quale id quod amplectitur: si bonum, bona: si malum, mala. Illic est virtus, & hic vitium. In ingenio succrescit, cum non exercetur, ignorantia. quæ est velut tenebræ cum autem probè exercetur, peritia, quæ est tanquam pura lux, quæ autem prauè, peruersitas, & corruptela, quæ est ceu lux quæ in lucerna ex oleo ardens medicato varias rerum imagines objicit oculis, vt capita asinina,

Ad quem finem homo conditus.

vitulina, vineam per parietem expansam, fallitque intuentes ea ipsa que vera deberet ostendere. In animo quem communem fecimus cum bestiis, sunt sensus interni, imaginatio, phantasia, existimatio, memoria, hinc affectus varij de opinione boni vel mali, presentis, ac venturi, lætitia, mæror, cupiditas, merus, & alia quæ subtilius exequi non est loci huius. Iam in corpore sunt sensus interni, in illis integritas & vigor, tū integritas membrorum, sanitas, vires, robur, species, habitudo, & per sensus voluptas infusa. Foris ad nos veniunt quibus conferuetur corpus, ea ex quibus est concretum & coagmentatum. Sumimus enim ex terra, aqua, aere, & igne, quæ huic tuendæ, ac fulciendæ compositioni conducant, tum quibus recuperetur sanitas amissa, vel dubia & nutans confirmetur, quibus singuli sensuum voluptatibus & delicijs sibi congruentibus titillentur motu quodam suavi & iucundo.

Hæc præbuit natura. Nos adiecimus nostra primum pro teneritudine, atque imbecillitate corporum necessaria, indumentum, habitacula, instrumenta exercendæ terræ, & quodammodo cogendæ: vt fructus fundat, ac veluti debitor reddat creditum: tum quod vires nacti essemus perexiguas, addimus nobis adiutores, socios, amicos, administratos, tum ex bellorum rabie seruos, & alioqui nati & compositi eramus à natura ad societatem, quod benevolentia, & sermo indicant. Iam ad procreationem sobolis stimulat nos natura, vt conseruetur genus: itaque vxores asciumus, vnde nati liberi, ab vxoribus affinitates ortæ, à liberis consanguinitates & propinquitates, & charitatis mutua nexus, & sociabilitate cætus & congregatione hominum concelebrati: vnde pagi primum, inde oppida, vrbesque extiterunt, non solum amore coniungente homines, sed interdum malis & necessitatibus, dum cogunt se in vnum ij, quorum alij alijs vsui possint esse. Ex malitia & iniquitate hominum leges sunt ortæ; & ad legum æquitatisque conseruationem Magistratus cū potestate constituti, ad cõprimendam audaciã malorum, ad propulsandam vero vim hostilem & iniuriam externã arma inuenta sunt, & multitudo armata effecit bellum. Qui cætui & multitudini illi profuisset, afficiebatur honore, tum ad referendam ipsi gratiam, tum ad exemplum aliorum. Communicationi autem rerum à primo seruebat commutatio, in cuius locum cum res esset visa impedita, & inexplicabilis, successit nuuntus, qui omnia exæquaret.

Tum vt homo inter homines agebat ex naturali quadã Dei similitudine quam nos deprauauimus, orta est cupiditas excellendi: sed excellentia degenerãte ad res inanes, ac falsas, dum corruptè de bono decernimus. Alij enim bonũ posuerunt, ac proinde præstantiam in forma, alij in robore, alij in animositate, fuerunt qui in rapinis & cæde hominum, qui in lusionibus, qui in honestate generis, qui in nihil sapiendo & vita belluarum proxima. Alij etiam

etiam honorem captarunt, non in sua solum Ciuitate, sed procul apud externos: non suo tantũ æuo, sed ad posteros, quæ gloria nũcupatur. Signa honorũ & excellentiæ excogitata permulta, in verbis, in nutu, in gestu, in toto corpore, in loco, dum sedemus, dum assurgimus, ambulamus, trãsimus. In his omnibus immerfit se & iudicãdi prauitas, & cupiditas insatiabilis permiscuit omnia, cõfudit, torsit, ad fines tum à natura ipsa, tū à recta inuentione hominũ alienissimos. Nõ possum persequi singula quod esset operis imensis, & in presentis minimè necessarij. Quis hic non cogatur exclamare: O hominem miserum iumentum, quis te adeo oneravit! sed non est ei onus ab alio impositum, ipse sibi ascium, & suis manibus imposuit.

Hic est homo, hæc humana. Dispicimus iam vbi est eius finis. Finem voco ad quem referuntur cetera omnia, ipse ad aliud nihil. Quod vt exemplo fiat manifestum, præparationi nauis finis est nauigatio, sed non postremus: neque enim ibi sistit destinatio animi. Nauigationi propofita est pecunia, neque hæc postrema, quam videlicet alterius rei gratia querimus: nempe vt vestem paremus & alimenta: alijs vero vt seruos, domos, rem familiarem amplam: alijs vt gerant bellum, vel decus sibi concilient vel auctoritatem, vt est cuiusque animus & cupiditas. Et cibũ experimus quo recte valeat corpus, aut animus; & recte volumus habere, vt probe fungamur actionibus quas cupimus, & hæc aliorum tendunt, vel vnde venerant reflectuntur. Non sunt itaque hi fines quos hic querimus, sed vltimũ illum in hominũ actionibus inuestigamus, ad quem tanquam summũ & præstantissimum tendunt omnia: ipse sui tantum gratia queritur, non aliorum, qui finis bonorum nuncupatur.

Olim qui Philosophiam profitebantur, partim cõtradicendi studio, partim sui ostentandi, partim quod non omnes eodem modo considerarent hominem, varios depinxerunt fines. Fuerunt qui voluptatem ponerent, quod ad eam bestie omnes, vt & nostra animalis pars, seu nutu suo ferrentur prone. Adiecerunt alij indolentiam; eãque præcipuam esse voluptatem dixerunt: alij sanitatem. Quidam sensu magis populari, nihil esse potius, aut præstabilius arbitrati sunt opibus, honore, potentia. Alij penitus inspexerunt hominis naturam, finemque in animo esse oportere statuerunt, nempe virtutem, qua componitur & formatur animus, ne in motus illos inconditos ac turbulentos intumescat ac tumultuetur: hi fuerunt Stoici. Aristoteles alius ascendit ad mentem, & quod in ea existimat esse optimum, videlicet contemplationem rerum maximarum, id postremum esse censet in bonis. Addit velut appendices corporis & animi, & vite seu bona, vt ipse vocat, seu commoda, vt Stoici. Hæc duæ nationes ex disputationibus Socratis sunt natæ, quas litteris mandauit discipulus eius Plato, qui in constituenda

Varij fines
hominis à
Philosophis
dati.

beatitudine hominis varius est & incertus, tamen quibusdam locis plus vidit, quam reliqui omnes Philosophi. Ait enim alicubi, virtutem doctrinamque precipuum esse bonum: alibi vero contemplationem, optimi nempe Dei: alibi sublimius elatus, amorem eius atque imitationem esse affirmavit, quod dictum quia veritati est proximum, ad postremum disputationis reservabimus. Reliquæ omnes opiniones ac sectæ iam olim aliarum telis confixæ, & argumentationibus refutatæ sunt. Facilius enim cuique fuit contra falsum dicere quam verum inuenire. Eorum rationes huc adferre operosum esset nimis, & superuacaneum. Attingam tantum aliquas, non ex illis subtilibus atque intricatis, sed cuiusvis captui aptas & congruentes. Constat homo, ut nullus ignorat, ex animo & corpore. Finis ergo illius in externis rebus non potest situs esse, quæ nec sunt in homine, nec quicquam sunt hominis. Et ea cum hominis gratia sint quæ sita & parata omnia, non possunt profecto finis esse hominis, contra potius homo est illorum causa & finis. Neque enim vel pecuniam, vel possessiones, & opes alias querimus propter seipsas, nisi quod adferunt vel delectationem, vel decus, vel usum aliquem ad necessaria. Hæc igitur vterius posita sunt, quam diuitiæ. Quod si hæc absque numeris liceat consequi, pauci numos attingerent: ut Reges & proceres magnamini, quibus cum pecuniarum usus omnis abundè suppetat, ipsi nec pecuniam contrectant unquam, ac ne vident quidem.

Nec præterea in vita hac finis hominis ultimus inueniri potest, finem appello, id quod perfectum hominem reddit ac beatum: at felicitas hæc & consummatio bonorum in vita hac nulli potest euenire. Nam si quis hominem intus & foris inspexerit, facile intelliget finem nullum habere hominem in hac vita se dignum, & in quo possit cōquiescere: alibi ergo querendus est hominis finis, non hic. Nam prima conditio ultimi finis est, ut sit homini proprius, ac ea de causa in optima illius & præstantissima parte situs, ut qui vnus satis sit ad felicitatem: quod autem felicitatem beatitudinemque allaturum est, maximas ut delectationes importet sine vlla molestia vel perturbatione necesse est. Adde his, ut sit perpetuus, nec auferri possit. Nam si quis metus interueniat ne amittatur, is metus felicitatem diluet & corrumpet. Ideo in sua cuiusque manu positum esse oportet, aut certè illius de quo exploratum habeamus, daturum eum quoties nobis lubuerit. Si quis hominem contempletur hac in vita, inueniet nihil minus assequi finem suum, quam illum. Corpus est imbecillum sortitus, fragile, & morbis ac mortis generibus innumeris obnoxium: æui brevis ac incerti, cui exitus singulis momentis, plurimis & variis de causis impendet. Brutis vero firmitiora sunt corpora, minus concussa morbis & ætas diuturnior: quæ fuit Theophrasti, & quorundam aliorum querela, dum in sapien-

sapientiæ curriculo multas paterentur moras, & interciperentur, antequam metam contingerent.

Deinde quanam felicitas est, quæ minimum prodest possidenti, plus delectat spectantem, quam habentem? Quid quod est res momentanea, corrumpitur mille casibus, morbo, ætate, plaga, vlcere, papula, à sole, à vento, ab æstu, à rigore. Voluptates corporis breues & plane momentaneæ, nec unquam merè, semper molestia commistæ, & temperatæ. Relinquit vero post se marorem & morbos. Bruta illis & maioribus, & pluribus, & diuturnioribus perfruuntur: quippè quæ undique voluptates conquirunt, & abiectiores sunt ad eos sensus quibus potissimè voluptates capiuntur, nempe gustum & tactum. Adde quod eas sumunt securè, sine reuerentia, sine respectu Dei, & hominū, sine repugnantia mentis, quæ prauis cupidinibus reclamationat. Quod si in illis esset felicitas, felicior fieret homo, quo eis & diutius, & crebrius vteretur. Atqui tum fit miserior, frangitur enim & debilitatur corpus, animus autem in belluinam naturam degenerat: ut felicitas ea, nihil aliud sit quam verti in pecudem. Nec ipsos suos sensus delectatione afficit voluptas, nisi moderatus sit eius usus & rarus: quemadmodum est apud quemdam Poëtarum, voluptates commendat rarior usus. Cuiusmodi porro sit voluptas existimanda, declarauit consensus generis humani, qui tegi illas, qui dissimulari atque occultari voluit, nec est vllus qui de gula aut libidinis perceptis voluptatibus gloriatur, nisi forte insanit, & pudorem omnem excusit, hoc est, (ut Cicero dicit) nomine sit homo, non re. Nam quisquis humanum habet sensum, querit tenebras, & vbi delitescat, etiam in ijs quæ sunt lege, ac iure permixta, ut cum Coniuges dant operam liberis.

Iam comedere ipsum, & bibere, quàm res est molesta, toties, tam diu repetendum: & vbi finitum est, abit delectatio, relinquuntur ructus, excretio, meiere, excernere, grauitas somni in quo nihil homo differt ab arbore. Si nimium ederis, aut biberis, aut naturæ parum congruentia, labor, molestia, dolor, mors. Aedificatio res ridicula, lapidem lapidi superponere, tignum tigno addere, bacillum bacillo, stipulam stipulæ. Vestes pudori cōsulunt. Quod bonum esse potest in eo, quo felicius careremus si liceret? Hæc enim nostra infirmitas inuenit, non præstantia. Quanto sunt meliorem conditione, quibus hæc non sunt opus. Denique quid potest esse circa corpus, vel in corpore bonum, aut expetendum, cum ipso nostro corpore nihil sit turpius nihil tetrius & fetidius? Tollat quis cuticulam, videbit subito quanta existet feditas, quæ undique per omnes corporis meatus, tanquam per cloacas continenter scaturit. Quæ externa sunt præternaturalia, quæ naturalia per pauca sunt & exigua, nempe quis corpus alitur & regitur:

creta humana vanitas inuenit, & nos deinceps delicijs, & prauo vsu auximus in immensum, & effecimus vt illis indigeremus. Multæ gentes his demeritiæ nostræ inuentis non vtuntur, nec indigent, faciliusque ac felicis atatem degunt tanti pöderis expertes. Nam opes, honores, dignitates qui quærunt, aut qui quæritas tueri student ac conseruare, quam multis & varijs se molestiis inuoluunt? Quid, quod non sunt in manu possidentis aut potestate, fortuita sunt: qui desiderat & affectat plerumque nõ cõsequitur. Confluunt vero ad negligentem, atque etiam interdum ad aspernantem. Adde his quam multarum inimicitiarum sint causæ ac fomenta, inuidia cõpetitorum. Vnde non singulorum modo hominum turbatur quies, sed vniuersæ Ciuitatis ac Regni, & Prouinciz totius, minoribus vero quanto sint odio, qui se ab illis premi censent.

Seculi in-
mensura.

Age vero, quibus tandem de rebus est tanta digladiatio, tam acerba contentio? de leuissimis ac minutissimis, de pecunia. Atqui ea per se nihil est, alibi ex auro, alibi ex argento, ex ære, cupro, orichalco. Fuit aliquando ex soleis calceorum, est in quibusdam Orientis Ciuitatibus ex fabis, certo numero distributis arbitrio Principis aut Magistratus. Et modo vsus sit idem, quid refert quæ sit pecunia? quæ ad paranda ea est excogitata, quibus corpus quotidie indiget. Nam & gemmis prima conciliatio pretij dicitur fuisse, quod vim dicuntur salubrem habere corpori. Itaque in multas medicinas adhibentur. Ergo semoto vsu nihil refert aurum habeas, an saxum, adamantem, an scrupum ex glarea sumptum. Quod si instrumentum est pecunia, res est vtique, cum ibi sistitur, inanis: vt si quis pennas coaceruaret diligenter multas, & varias, nunquam scripturus. Vsus porro necessarius exiguus est. Quid faciunt centum millia ducatorum, vbi duo vel tres sufficiunt? Vsus superuacaneus prauitatem demonstrat iudicij. Quisquis enim superuacaneum dicit, eo ipso nomine vanitatem coarguit vacantem & redundantem.

Accedit honor, quid rei hoc est, nam euanescit protinus, si quid ex eo coneris attingere. Aperiri caput, de via cedere, blandè appellari, duci & reduci, hæc nihil sunt. Stulta opinio & inconsiderantia efficit, vt aliquid esse credantur. Adde quod alieni prorsum sunt arbitrij, nempe populi, bellæ multorum capitum. is vt variè de præstantia iudicat, ita honorem quo non decet applicat, vnde non decet detrahit. Quæ potest esse felicitas in alieno arbitrio sita, atque eo rudi, crasso, ac proinde iniquo? De nobilitate verbum nullum faciam: quoniam nihil puto ab hominibus stultius, aut inanius excogitatum, quodque minus haberet solidi quod apprehendas.

Si sunt hi hominum fines, si ad hæc est homo conditus, quid eo potest fingi miserabilius? quanto beatius viuatur sine his? quæ aliud prorsum non sunt,

sunt quam fontes omnium curarum, molestiarum, cruciatuum animi, perennes & copiosissimi, contra quæ sigillatim multa sunt ab excellentibus ingenijs collecta, vt operæ sit superuacaneæ illa persequi, quæ sunt cui-libet obuia. Denique omnia hæc quæ ad vitæ huius excogitauimus subsidia, quomodo beabunt nos, cum ne tueri possint à morbis, doloribus, molestiis, anxietatibus, fame, siti, algore, æstu, morte. Hæc circa corpus, aut in ipso corpore.

Scrutemur si placet, animum, in cuius parte ima, & ea quæ corpus attingit, sunt motus illi perturbationesque qui affectus vocantur. His vero quid turbulentius, atrocius, sæuius? qui minimo excitantur flatu, sauasque tempestates in toto homine concitant, vt non videatur iam homo esse, sed plane pecus aut fera: vitamque vniuersam tantum abest vt beatam efficiant, vt reddant prorsum insuauem atque amarissimam. Omnique mortalis Philosophiæ in hoc versatur cura & labor, vt sedentur & conuiescant hi motus.

Altera superior pars ac melior, mens dicitur. Quæ sunt illius bona? duo, vt i & functiones duæ. In intelligentia est peritia, in voluntate virtus; in intelligentia humana tantæ sunt tenebræ, ea nox, vt quod acutissimus & peritissimus homo assequitur, non multum abesse videatur ab eo quod nocte obscurissima cernimus lucernis remotis. Scilicet memoria est angusta, fluxa, infidelis, acumen autem ingenij retusissimum, segnissimè diligentia & tarda. Quomodo constitues in eo felicitatem, quod vel nullum est prorsum, vel adeo tenue atque exiguum, vt pro nihilo sit habendum? Quo magis Aristotelis sententiam miror, qui cum non ignoraret quam infirmæ essent etiam circa corporalia, quæ sub sensu veniunt, ingenij nostri vires, finem hominis in contemplatione posuit rerum supremarum, & quidem in hac vita: vt nihil videatur fecisse aliud quam excitare hominibus cupiditatem eius rei quam consequi non valerent. Equis tandem in cæco, vel homine visus hebetissimi, dicat felicitatem esse, multa acutè cernere: hoc irridere potius fuerit vitium, quam ostendere quid habeat optimum natura.

Altera pars est voluntas, atq; ea potior. Huius perfectio est virtus, quocirca in excelso loco residere dicitur Domina & Regina omnium. Equidè ad virtutis nomen non possum non assurgere, & multū ei deferre, agnosco rem vnã esse omnium pulcherrimam, & præstantissimam, cui omnes merito plurimum tribuant: sed ipsam nõ propter se, sed propter beatitudinem illam sempiternam, ad quam per virtutes venitur. Nam si ad hanc vitam referantur omnia, nec vlla sit alterius spes, memoria, respectus, profecto nihil est virtutis nomine inanius, nec aliquid intus continet, nisi apud callidos forte astutiã cõmode ac suauiter viuendi. Virtutes cõsentur hæc, Iustitia,

fortitudo, continentia. Accedit prudentia, quæ magis reatrix est & moderatrix virtutum, quam virtus ipsa. Non eripis cuiquam suum, reddis depositum, non fraudaris, non circumuenis, præstas pietatem patriæ, parentibus, propinquis, necessariis, benefactori gratiam, iustus es: ad hunc eundem modum in actionibus aliarum virtutum. Subis pericula intrepide, perfers incommoda fortiter, obijcis te morti animose, fortis es. Si hæc facis omnia, ut vir bonus habearis, ut sis in pretio, ut benevolentiam, ut honorem, ut decus colligas, (quibus ex rebus dignitas, opes, & vita iucundissima comparatur: ex contrariis autem ignominia: dedecus, damna, peneque legibus constituta.) an non virtus tua cautio est, seu cautionatio verius, non aliter quam navigatio & negotiatio; & bellum quod milites mercede perferunt? ita habebis in bono opere voluntatem pessimam, nec minus assequar, imo magis multo, quam is, qui simpliciter habet optimam, & sequitur bona fide rectam conscientiam. At dices, hic est vere vir bonus, non ille: vana sunt voces. Quid est enim vir bonus, si hæc vita sola spectatur, nisi inane nomen? quis est iudex, quis est vindex rerum intra cuiusque pectus occultarum? Non minus diu vivit vir malus, quam bonus, & magis ex animi sui sententia & voto. Confecto autem cursu, nihil vtrinq; remanet: imo sæpenuero hominis mali restat fundatum patrimonium astutia & calliditate, honestati liberi, etiam fama illius tanquam boni & præstantis viri. Sed natura tamen & imago veritatis adeo sunt apud animos nostros fortes, ut vel falsam & degenerantem virtutem propter veræ similitudinem quandam & velut umbram, non possimus non admirari quia veræ virtutis venerationem ac benevolentiam Deus humanis pectoribus indidit.

Quapropter cordatiores ex Philosophis satis intellexerunt vana & infrugifera esse omnia, si huc tantummodo referrentur: ideoque virtutum & vitiorum premia ad alteram vitam remiserunt, ut Socrates, & hunc secutus Plato, & Platonem Cicero, & alij complures. Quod quia natura duce ac magistra probabile erat in vulgus, Poetæ quoque tenuerunt. Sed hæc ita sunt leuiter dicta & frigide, ut idem ipsi non satis viderentur credere, quæ affirmabant, quemadmodum alibi docebo. Sed profecto ita est, nullum habet homo finem in hac vita se dignum. Quod si nec habet in altera, frustra est; non est autem frustra: conditus est ergo ad alteram, & ibi est quies, & finis, & beatitudo illius.

CAPVI

CAPVT IV.

Quis sit hominis finis, ex ipso homine perscrutatio.

Verum ex homine probe attenteque considerato, non fuerit profecto *Verus hominis finis inquiratur.* operosum, quis illius sit finis, aut quæ certe eius ratio, inuenire. Non aliter quam si quis in extremis illis Oceani Insulis, ubi nullum est ferrum, gladium videret ab aliquo nostrorum hominum allatum, multum voluendo, & versando, & ad rem aliquam accommodando atque experiundo, usum tandem illius inueniret, in quem esset paratus. Sic homo inspiciatur diligenter intus, & foris. Quæ in se, quæque extra se habeat recensimus paulo ante. Ex naturæ præstantia & ratione vñus facile intelligetur, non huc eum spectare, neque huic esse vitæ conditum. altior enim est naturæ conditio quam pro his rebus, nec usus earum tam præstans instrumentum postulat, nec usus instrumenti huius hinc est rebus aptus & accommodatus. Dicamus hæc apertius & explicatius, ut ab omnibus possint intelligi, modo mentem atque attentionem adhibeant.

Nihil vnquam assumitur in usum & finem alterius, quod sit potius & præstabilius eo propter quod sumitur. Id nec in vita contingit vnquam inter sapientes, nec in natura, quæ summa sapientia regitur. Semper enim quod alterius gratia ab aliquo expetitur, minus est illi, quam illi quod expetit, alioquin contrario potius modo expeteret. Omnes pecuniam damus propter cibum; & hunc volumus propter vitam, vita ergo melior cuique quam cibus, & hic quam pecunia: nam qui vitam impendit propter honorem & famam, charior & melior est huic fama, quam vita. Appetitus enim noster natura sua in id fertur, quod sibi censet esse bonum. Quo ergo melius & potius existimari, eo feretur pronius & vehementius. Itaque in quod potissimum, & propter quod aliud faciet, id censet sibi esse omnium optimum. Quod si sit voluntas sapientis, non fallitur; & id reuera erit optimum, quod maxime omnium expetet, & in cuius gratiam sumet alia.

Natura ergo quæ est sapientissima omnium, nempe à sapientissimo composita, constituta, instructa, ea quæ reuera sunt præstantissima & optima statuit summo loco, & horum gratia cætera, non vice versa. Creauit ergo quidque, & ei attribuit hunc finem, ut bene sit illi. hoc enim non potest dari aliud potius aut melius, & in eo cuiusque rei appetitus conuiescit, dignumque id est in quod sumantur & referantur alia.

Sensuum ergo corporalium finis est, ut bene sit eis; mentis vero ut

bene sit illi. Sensus merito in rebus vitæ huius occupantur, in esu, potu, calefactione, refrigeratione, & huiusmodi: quoniam per hæc bene est ipsis, integrioribus sunt enim, acutius noscunt, & perfruuntur suis voluptatibus. Mens vero si in rebus vitæ huius occupetur, quis erit fructus? non ei bene erit, vt quæ nec clarius intuebitur res excelsas vel abditas, nec perfruatur voluptatibus cognitionis: imo eo longius aberit ab intelligentia rerum se dignarum, quo attentius & diligentius in nauauerit rebus vitæ huius, nempe parandis ijs quæ postulat corpus. Itaque quod melius est, fieret instrumentum deterioris, nempe mens corporis: & sensibus seruiret intelligentia: cū omnibus è contrario potius natura informationem hanc indiderit, externa esse condita propter corpus, hoc propter animum; & in animo quæ sunt inferiora, propter superiora, videlicet propter meliora, sunt minus bona.

Præterea neque in rebus externis finis, cum in eo sit corpus, cui seruiunt externa, non ergo in externis finis, quandoquidem non ibi sistitur: sed vltimus est progressus, nempe ad corpus, hoc est sensuum gratia. non ergo vltimum corpus. Sensus ad animum referuntur, quæ in animo ad mentem, mentis autem est cognoscere: erit ergo ex noticia appetitus aliquis menti coniunctus. Nam cognitio omnis in animali propter appetitum est. Non enim experit quis vt norit, sed nouit vt expetat. Incognita enim expetere non possumus. Is appetitus mentis voluntas nominatur, cuius est ipsa mēs consultrix, & ductatrix. In voluntate ergo tanquam postrema & summa est finis, & voluntatis finis, hominis est finis. At voluntatis finis & beatitudo est, illi esse optime. Non est autem ei optime in cessatione ab omni actu, alioquin torpenti & dormienti melius esse posset, quam vigilantibus & agēti. Quod si cessanti esset optime, quorsum spectat vis, & vigor, & vita, & motus, & pronitas ad actionem, quæ sunt naturæ munera pulcherrima, quæque nos merito tanti facimus. vt vicissim torpor, & stupor, & otium, & cessatio turpissima & deuitanda sint, illorumque munerū orbitas & priuatio. Nec ad eam felicitatē quæ esset per torporem, opus esset mente, & cognitione, & voluntate, sed saxo aliquo. Quumque à volendo sit voluntas dicta, quomodo optime erit ei, si desinat voluntas esse? Velle ergo melius ei quam desiderare, & melius velle, quam nolle. Velle enim voluntatis est actio ad suum bonum, nolle auersio à suo malo. Itaque & amare, quod est volendo adherere, melius quam odisse, quod est nolendo auerti.

In amore igitur optima & præstantissima voluntatis actio. Amor autem desiderium habet coniungendi & fruendi re chara. Quod si voluntas assequitur, acquiescit & bene sibi esse putat. Quale ergo fuerit quod amat, & quo fruatur, tale erit bonum eius, & talis fiet ipsa. Non ergo optime erit ei, nisi fruatur re optima, & quæ implere possit amplitudinem desiderij eius. Nihil

hil autem implere desiderium illius potest, nisi solus Deus. Reliqua enim quibuscunque potest capi & teneri, vilia sunt, diluta, breuia, momentanea, exigua in coniunctione ergo sola & fruitione Dei optime est illi, ibi ergo finis eius & proinde finis hominis.

Ex cognitionis quoque ratione idem ipsum potest colligi. Habet homo sensus corporis, per quos facies rerum externas præsentibus cognoscit, habet sensus internos per quos res easdem, sed absentes, habet rationem quæ per causas & abditissima natura totius vagatur, & discurret per caelos, per elementa, per minima & compacta ex elementis, per effectiones rerum, per ea quæ corporis sunt immunita & spiritalia nominantur. Dicant mihi an hæc cognitio, quæ est pulcherrima, aliquid ad vitam hanc degendam faciat: nihil profecto. Iam homo erectus super res conditas transcendit caelos, & vniuersitatem mundi, vsque ad authorem omnium Deum. Maligna quidem & perobscura notitia, sed tamen quanta satis est ad consulendum voluntati, & eam excitandam, vt sic erga quidque horum afficiatur, quæ e ipsum sit. ita & ex iis omnibus cognitionibus amores nascuntur, nempe rerum corporalium præsentium, rerum corporalium absentium, rerum spiritalium, Dei denique ipsius. Deus est ergo optimum & præstantissimum quod mens assequi potest, quodque ostendere potest voluntati, & huc tendunt omnes cognitiones. Nā cognoscimus præsentia, per quæ venimus in cognitionem absentium: cognoscimus corporalia, ex quibus transitur ad incorporalia: cognoscimus composita, ex quibus ad simplicia, ex mortalibus ad immortalia, ex rebus conditis ad conditorem. Summum ergo cognitionis est simplex, incorporeum, immortale, conditor, nec est quicquam vltius, & hoc implet solum. Nam reliqua immensum relinquunt vacui.

Porro id efficit beatum, quod implet, & sariat, & quietat, idque est optimum & supremum, quod illa potest amare. Et quemadmodum per cognitiones alias ad Deum ascenditur, ibique sistimus, ita per amores aliarum rerum ad amorem Dei, supra quem nullus est alius. Quod si amare potest Deum mens nostra, quia cognitum, amare debet. quia optimum (amor enim ad bonum semper tendit) quod assequi profecto potest: alioqui vanos appetitus indidisset natura menti nostræ, & in præcipuis defecisset. Neque enim amor beatum facit, nec quiescit, nisi per coniunctionem fruatur re amata, torquet videlicet absentia & desiderium. Nihil reliquorum nos sariat, inter manus elabuntur cum possidentur, cum delectant diluta sunt, & diffugiunt, vt in eis bonum illum quod querimus non possit esse comprehensum. Atqui coniunctio cū Deo non potest esse in hac vita talis qua efficiamur beati. Restat ergo altera vita in qua sit. Quippe in vita hac propter magnas huius corporis tenebras, nec tantum nouimus Deum, nec tantum amamus, quantum esset opus: & subinde à notitia & amore reuocat nos corpus, vel esuriens, vel sitiens,

Sensus duplices in homine.

Voluptas celestis.

vel dormitans, vel languens, vel dolens, vel delassatum: nec fruimur bonis illis Dei: imo quo ardentius hic amamus, eo torquemur acrius desiderio coniunctionis. Illic vero deposito corpore, aut mutato, & clarius cernemus, & ardentius amabimus, & coniunctissimi erimus, & perfruemur bonis incredibilibus.

Hic est hominis finis, aut nullus est alius. Atqui ostensum est esse aliquē, hic ergo certe est. Ergo & argumentū hoc, quo conficitur non esse hic hominis bonum, & aliquod vti que esse, tantum est, vt multos Philosophorum coegerit affirmare, post hanc vitam futurum bonū quod exoptamus, tamen timide & quasi diffidenter.

A stipulatur huic nostræ sententiæ corporis nostri status rectus, & spectās in cælū, tanquam in patriam ex peregrinatione & exilio. Iam vitæ nostræ ratio quæ nusquam sistit, nec acquiescit præsentibus, intenta semper & prona in futurū. Bestiæ acquiescūt præsentibus, & fruuntur hac vita: quod sensus nostri declarāt, qui præsentibus sunt contenti, mens vero perēnis in modū fluminis nusquā subsistit, semper in futurū agit suspensa & anxia. Pueri parant se iuventæ, hæc ætas senectuti, senectus vterius mittit cogitationes, nulla ætas sibi prospicit, sed venturæ. Patres de filijs sunt solliciti; hi de nepotibus, hodiernus dies seruit craftino, hæc hora seruit sequenti, hoc momentum alteri momento. Etiam in medijs voluptatibus si quid cogitationis & mentis admiscemus, nunquam præsentem carpimus, nisi cum expectatione continuo mox secuturę, quouiq; est penitus consumpta. Ita prius recessit quam desijt sperari. Omnino quęcunq; in vita cogitamus, dicimus, molimur, agimus, non stant recta in præsens, sed prona in futurū, & pendēt ex spe, arare, scribere, serere, legere, comedere, bibere, & reliqua omnia: vt sciamus peregrinari nos, atque aliquo tendere, irrequieto motu, non huc pertinere. Iam vero natura summi illius in quo est finis bonorū, omne malū excludit, ac proinde curas, mērorem, dolores, quod contingere in vita non potest. Vel ipsa certè cogitatio si cui bene sit, illud tamen mutari posse aut finiri oportere in morte, non fineret vitam esse iucundā, nedū beatam, nisi quis obliuionem vellet animo infundere, ne vnquam de varietate casuū, & exitu vitæ veniret in mentem: quod fieri non potest in tot exemplis quotidianis, & sicut corpus erectū admonet nos cæli, ita compactio molestiæ ac vanitatis huius. Habemus corpora multarū rerum indiga, obnoxia casibus, morbis, molestiis, variis de causis, & pene quotidie. Quid animū? perturbatum, irritabilem, mentem ignaram: quæ potest inter hæc esse felicitas? illa quoq; est infinita persuasio toti fere generi humano, aliquid aliud futurum post mortem melius hac vita: & id commune desiderium expectat, vt existimari necesse sit, a natura esse inditum.

Futura in omnibus spectamus

CAPVT V.

De Vita vteri, de hac nostra, & altera.

Quemadmodū (inquit Ludouicus Viues) in Matris vtero paramur huic luci ac vitæ, ita in hac vitæ (quæ ad alteram relata, similis est vtero) angustia & tenebris illi alteri paramur sempiternæ.

Et quemadmodum homo cū in vtero formatur, quia vivit more plātæ, clauditur angusto gurgustio, quod eiusmodi vitæ generi sufficit: ita egressus ex vtero quia sensibus est vsurus, prodit in amplitudinem & lucē functioni atque officijs sensuum necessariam: sic etiam hinc discedens, quia vsurus mente transit in tanto maiorem & præstantiorem lucem, quāto est mentis cognitio amplior & capax & excellentior quam sensuum. *Na. Triplex vita.* scens satus deponit inuolucra, quibus erat tectus in vtero, & ea per quæ alebatur, exit nudus: sic homo abiens ex vita, deponit hic illa sua ceu inuolucra: moriuntur fētus nascentis inuolucra, moriuntur & hominis ad alteram vitam migrantis. Nascitur infans quasi inuitus cum labore & cruciatu, ita & qui ab hoc corporis domicilio discedit. Egressus autem infans longè alia vititur vitæ ratione, quam prius; sic animus relicto corpore. Caterum sic habitudo ac pene tota huius vitæ ratio ex illa in Matris vtero formatione & constitutione ducitur, vt tali quifque sit corpore, habitudo, valetudine, statura, forma, viribus, qualem in prima illa fictione accepit. Sic etiam vitæ sequentis conditio plurimum ex actionibus huius sumitur, vt talis sit illic deinceps animus, qualem se formauit, & instruxit in vita corporis, nempe humilis, abiectus, miser, si ceno & fordibus se dedit corporis, aut prauis cupiditatibus, ac libidinibus: sublimis autem, erectus, cęlestis, fēlix, si menti præclaris cognitionibus virtutibusque excolendæ. Conspicit infans modo natus lucem, & in ea formas rerum nouas sibi, & inusitatas, eoque admirabiles. Conspicit item animus renascens, hoc est discedens e corpore ad lucem, in ea nouas omnino atque inusitatas rerum facies, quales nunquam esset antea hic suspicatus. Et in vtero quidam fētus adeo sunt viuidi vigentesque, vt subinde se commoueant, & quasi sensum quendam videantur præ se ferre: alij torpentes, penitus immobiles, nunquam aliter sentiuntur, quam timore: ita & in hac vita alij nullum ostendunt alterius vitæ sensum, caliginis huius immergi, & tanquam obruti alto gurgite: alij intelligentia & virtutibus innixi, iam hic quales futuri postea sint declarant, & gustū quendam nobis præbent qui venturi.

Huius

Huius quoque & insequentis vitæ magnam quotidie cernimus imaginē in ijs quæ per somnum, quæque per vigiliam aspiciamus & cognoscimus. In quiete regnum est phantasiæ, illa sursum, & deorsum versat, miscet, confundit omnia, atque perturbat, quales sunt vitæ huius cogitationes, desideria, cupiditates, in quibus omnibus sensibus ducimur, ac proinde phantasia & ratione valde tenui, atque ea turbulenta. ad quam confusio- nem & tenebras si hæc conferas, quæ vigilantes cognoscimus, atque in- telligimus, in promptu erit colligere, quam alia futura sit altera illa vita mentis, quam hæc nostra sensuum. Somnus est hæc vita nostra, nec aliter transit quam somnus, & similiter prætereuntia hæc aspiciamus, ut quæ animo per quietem obseruantur. Multa etiam videmus somniantes, quæ non minus certo efficaciterque iuremus nos intueri, & agere, quam quæ spectamus vigilantes ac gerimus: itaque qui somniauit, putat se vidisse: & qui vidit, somniasse. Videlicet non minus vigilantibus densa af- funditur animis caligo, quam dormientibus: & memoria nostra non pauca in se condita referuat, quæ nesciat cognoscere diiudicare dormientis illa aspe- xerit an vigilans. A deo sunt pleraque omnia in nostris animis pressa obscu- ritate, & confusa. In sequenti vero æuo lux erit maior, & mentis cognitio atque exercitatio expeditior atque liberior, eoque erunt omnia perpicua magis, distincta, cæra.

CAPVT VI.

Deum esse, ipsumque primum principium, & crea-
torem rerum omnium esse, aliquibus ratio-
nibus demonstratur.

Quid vero sit hic Deus, qui felicitatis nostræ vltimus finis est, mihi explicare paranti, quæstiones aliquot sese obijciunt, quas prius con- uenit submouere, quam ad alia gradum faciamus, ne aliquo in via nobis sint impedimento: Ac primum an Deus sit, ipseque sit omnium rerum causa & principium.

*Probat
Deum esse.*

Primus qui inter articulos fidei nostræ credendus nobis proponitur est, esse Deum, hoc est, in mundi huius vniuersitate vnum supremum esse Principem, motorem primum, primam causam, à qua omnes cæteræ dependent, vnum principium absque principio, quod omnibus rebus creatis suum tri- buit principium: vnam primam veritatem & bonitatem, à qua omnia alia veritas ac bonitas procedit ac deriuatur. Hoc fundamentum est nostræ fidei,
hoc

hoc primum quasi elementum quod credere iubemur: dicente Apostolo: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est: in hoc scilicet mundo.* Est autem hæc sententia tam manifesta, ut per euidentes demonstrationes comprehendatur. Hæ demonstrationes ex multis rerum quæ videntur effectis desumuntur, ut breuiter ferè vno verbo complexus est Lactantius lib. I. *Lactant. l. i. cap. 2. Nemo est enim (inquit) tam rudis, tam feris moribus quin oculos suos in celum tollens, tametsi nesciat cuius Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur, aliquem tamen intelligat, ex ipsa verum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio maiori aliquo sit instructum.*

Primum igitur fundamentum ex instinctu humano sumitur. Nam cum innumera sint in toto orbe nationes, nullam inueniri tam barbaram quæ non habeat aliquam Dei notitiam, diuinamque esse aliquam vim, eamque aliquo cultus genere non honoret, etsi forte nesciat quis verus Deus sit, & quis modus illi honorandi, certum est. Huius rei ratio est, quia idem Deus qui cordibus hominum impressit quandam reuerentiam naturalem, & amorem erga parentes, qui eos generarunt, & erga Principes & Dominos, qui eos regunt & gubernant: idem etiam infudit impressitque hominibus alium amorem & reuerentiam erga se eundem Deum, qui est Pater patrum, Dominus Dominorum, datorque omnium bonorum. Quem pertimescunt & horrent gentes, cum mala perpetrant; precibus placant cum iratum sentiunt, & cuius opem implorant, cum ærumnis affliguntur.

Ex hac igitur inclinatione, quam natura hominum mentibus impressit, nascitur ista cognitio, quam omnes gentes quantumuis barbaræ habent de diuinitate, quæ huic mundo præsidet. Fieri ergo nequit, ut hæc notitia falsa sit: neque enim quod naturalis ratio præscribit, falsum esse potest: cum veritas nihil aliud sit, quam notitia qua res talis esse cognoscitur, & iudicatur qualis est in se ipsa.

Secunda ratio est à rerum naturalium motu, omne enim quod mouetur, vel mouetur ab interna aliqua causa, ut corpus humanum ab anima: vel ab externa, ut naui in mari, quam cum contemplamur passis velis manifestis superatis periculis, certum tenere cursum; statim iudicamus, eam ab aliquo Rectore moderari. Sic etiam Solem, Lunam & reliquos cælos continuo ac perpetuo cursu circumuolui cum videamus, intelligere debemus, eum motum esse ab aliqua causa. quam Philosophi primum motorem appellant. De hoc motore quaeritur, an in essentia, & virtute sua qua pollet, ad tantum motum producendum, ab aliquo dependeat, aut non dependeat? si non dependeat, eundem esse Deum cogemur dicere, solus enim Deus causis omnibus superior à nullo dependet. Si ab alio dependet, non est primus motor, idemque quaerendum

est de eo à quo dependet & ille: & sic vel in infinitum progrediendum est, vel in aliqua prima omnium causa sistendum est, quæ omnia gubernet & regat: quæ rudi quodam exemplo confirmat D. Thom. opus. 6. *Si aliquis intraret domum aliquam, & in ipsius domus introitu sentiret calorem, & sic deinceps, crederet ignem esse intus, etiamsi ignem non videret, qui causaret dictos calores: sic quoque contingit consideranti res huius mundi, nam ipse inuenit res omnes secundum diuersos gradus pulchritudinis & nobilitatis esse distinctas, & quanto magis appropinquant Deo, tanto pulchriora & meliora inuenit: unde corpora caelestia pulchriora & nobiliora sunt, quam corpora inferiora, & inuisibilia visibilibus: Et ideo credendum est, quod hæc omnia sunt ab vno Deo, qui dat suum esse singulis rebus & nobilitatem.* Hæc D. Thomas. Nec dissimile exemplum affert Cicero lib. de natur. Deorum: *Fortè fortuna (ait) iter agens quispiam in montibus, & nemoribus densis offensus in solitudine domum egregiam, aut arcem munitissimam. Ingressus mira industria constructam cernit, columnas marmoreas, arcus solidissimos, testudines excelsas, varijs refertas figuris, laquearia, &igna auro fulgentia. Neminem ibi conspicit, illusionemque ibi suspicatur; atramen audit strepitum deambulantium sursum, & colloquentium. Si superiora domus petens quæret; Obsecro quis has amplissimas, magnificasque ædes in hoc deserto extruxit: respondereturque ei; Nullius opera extructa est hæc vastissima moles, sed ex ingentis silicis ad ima deuoluti parte media admiranda hæc quam cernis fabrica exsurrexit, nonnerisum, & somnium iudicaret ista? At si diceretur; huius amplissimi palatii auctor rex potentissimus est, modo in superiori suo conclauis agens, atque aliorum declinans conspectum, donec tempus adueniat oportunum. Hæc certe verissimiliora, & rationi magis conformia diceret. Itaque ingreditur homo mundi huius desertum, videt vniuersi fabricam scite & firmiter extructam, quatuor columnis, quæ sunt quatuor elementa quibus sustentatur innixam, cæli admiratur fornices, & testudines, aureis fulgentes limbis, qui sunt sidera micantia. Audit in supernis tumultum, fulgura, tonitrua, aliosque strepitus. Haud dubie apud se ita rationabitur: Ista non sunt casu, vt volebat Anaxagoras, sed horum auctor in superioribus degit, sapientia sua vniuersi machinam rotans & gubernans.*

Tertia ratio desumitur, ex eo quod res omnes videamus tam recto rigore & linea per certa media ad suos fines dirigi: quæ cum partim sensu, partim ratione careant, certum est, ipsas ex se non intelligere suos fines: quis enim dixerit plantas & arbores consulto per se ipsas alimentum ex terra imbibere; & primo folia, mox flores, deinde fructus statutis temporibus emittere? unde vermiculi tanto ordine sericum. araneæ suas telas, aues nidos tanta industria conficiunt, idque vt constitutos sibi à natura fines consequantur, si non ab aliquo rerum omnium moderatore instructi, qui omnia suo nutu dispensat. Ipsa namque natura duce cognoscimus, quoties res aliqua est bene ordinata, & sapienter disposita, fuisse aliquem peritum & sa-

& sapientem dispositorem, vt in domo aliena cū conspicimus singula culte ac distincte digesta & collocata, intelligimus esse aliquem qui hæc omnia eo ordine disposuit. Ergo cum in hoc mundo videmus tam admirabile rerum concordiam, certos ac constantes solis ac lunæ, reliquorumque syderum cursus atque circuitus: terram, aquam, aërem, & cætera omnia suis in locis, ac proprijs sedibus commorantia: necessario colligimus esse aliquem, qui hæc omnia recto hoc ordine constituit.

Hæc consideratio tam efficaciter probat supradictam veritatem, vt etiam Philosophi Ethnici, absque lumine fidei hanc agnouerint, & confessi fuerint. Sic Tullius fatetur in hoc mundo esse Deum, qui regit & gubernat stellarum cursum, temporum mutationem, rerum successionem, quique ordinem eorum conseruat, moderandoque mare & terram procurat omne bonum humanæque vitæ salutem. Astipulatur illi Seneca: *Superfluum est, inquit, velle demonstrare opus hoc tam immensum, quale est mundus hic, gubernatore destitutum esse: cursus enim & recursus stellarum à casu esse non potest: imo fatendum omnino est velocitatem istam ab æterna legis imperio procedere. Hæc etiam tanta abundantia rerum quæ in terra & mari nascuntur, tantus clarissimarum stellarum splendor, quæ ordinarie lucent, & ordo iste tam certus non sunt casu, sed maximo consilio. Videmus etiam grauissimum terra pondus in infimo loco stare immobile, videmus quomodo cæli tanta cum velocitate circum illam voluuntur, mare quomodo in eius vallibus se colligit, terram facundans, & quod tot fluminibus quæ se in illud exonerant, auctum non redundat. Nec minus mirandum est videre ex tam paruo semine, tam magnam nasci arbo-rem: videre etiam fluxum & refluxum maris tam late se extendentis, & mox se recolligentis, idque cum minore aut maiore impetu secundum incrementum & ascensum Lunæ, cuius arbitrio Oceanus mouetur & regitur. Hactenus Seneca, qui ordinem diuinæ prouidentia qui in rebus creatis elucescit, confitetur & agnoscit. Quibus omnibus clare conficitur, necessario esse ponendum aliquod primum & summum rerum principium, & creatorem, à quo procreata sit pulchra & magna hæc rerum vniuersitas, quem mundum ab ornatu appellamus.*

CAPVT VII.

In hoc mundo vnicum tantum esse Deum, nec fieri posse vt sint plures.

1. Cor. 8.

Vnicum esse Deum probant.

Inter fidei nostræ articulos primum est Deum esse vnum. *Scimus*, inquit Apostolus, 1. Cor. 8. quod nullus est Deus nisi vnus, qui solus potens, Rex Regum & Dominus dominantium. Hæc veritas etiam ipsis Gentilibus nota est, sicut nonnullos Philosophorum cognouisse docent Iustinus de Monarchia, & Tertul. in Apolog. cap. 17. præterquam quod rationibus naturalibus conuinci potest.

Prima, Deus est omnipotens, solusque per se ipsum facere potest. quicquid sibi placuerit, non igitur habere potest socium: nam si fingere esse duos Deos, tunc alter potest alterum perdere & delere vel non: si non potest, non est omnipotens, ergo nec Deus: si potest, ergo alter non erit omnipotens, cum se ipsum rueri nequeat. Item si duo essent, & vnus velit aliquid fieri, quod alter nolit, cum sit omnipotens vterque, eodem temporis momento illud fieret, & non fieret: fieret, quia alter illorum qui est omnipotens vult vt fiat: non fieret etiam, quia alter æquè potens non vult vt fiat: aut necesse est dicere vnum illorum omnipotentem non esse, & proinde nec Deum.

Præterea si duo Dij essent inter se differentes, necessario deberet esse aliqua res specialis quæ in vno esset, per quam differret ab altero. Quæro nunc, an id quod habet vnus, caret autem alter, sit perfectio, an imperfectio? si sit imperfectio, is iam non erit Deus, nam in Deo nulla debet esse imperfectio: si autem sit perfectio, iam ille Deus non erit, cui deest ista perfectio: Deus namque res est summè perfecta, & talis qua non potest maior intelligi.

Secundo, probatur exemplo, videmus enim in omni regimine necessario esse debere vnum caput, per quod vniuersa in pace & concordia gubernantur. Sic videmus in exercitu bene constituto, vnum esse generalem Ducem qui omnibus omnia imperat: in Regno vnum Regem qui regit omnia: in Ciuitate vnam supremam potestatem quæ eam gubernat: in domo vnum Patrem familias: in corpore denique humano, vnum tantum caput, quod virtutem suam omnibus membris infundit. Quare quemadmodum turpe monstrum esset, si in vno corpore essent duo capita; ita & monstruosum esset vnam Rempublicam bene ordinatam duos habere eiusdem potestatis gubernatores: fieri enim non potest quin inde nascerentur sectæ, & seditiones, dum quidam hanc,

hanc, alij illam partem sequerentur. Sed ecquod hac in re argumentum, volumus euidentius quam exemplum apum, quibus Deus hanc inspirauit naturam vt vnum tantummodo colant Regem, eum comitentur, eum quocunque volat sequantur, & tam tenerè deligant, vt si fortè moriatur, eum lugubres circumfedeant, & nisi illum tollas, omnes tandem inedia morentur? Cum itaque manifestum sit, ab vno capite omne bonum regimen dependere, videamus quæ mundum hunc optimè sapiētissimeque gubernari: sequitur mundum ab vno solo supremo domino & gubernatore, non à multis regi & administrari. Atque vnus hic Deus est.

Tertio, Deus est summum & infinitum bonum, necesse ergo est, vt sit vltimus rerum omnium finis, in quem veluti in scopum propositum vniuersa quodam naturæ impetu diriguntur, quoniam cuncta quæ in rerum natura sunt, Deus ipse finxit & condidit, conditaque seruat, vt suæ maiestatis gloriam & splendorem omnibus manifestum & apertum reddat.

CAPVT VIII.

Deum habere omnium rerum prouidentiam.

Quod Deus totum hunc mundum condiderit, ex argumentis & rationibus supra in medium productis apertè colligitur: sed quod etiam mundum perpetuo conseruet & regat, & vniuersa quæ continentur, hac solum ratione prudenter & magno cum iudicio ab Aristotele fuit animaduersum: *Si quis* (inquit) *ex tenebris prodiret in hanc lucem cali & mundi, quem nunquam antea conspexisset, nec de illo audiuisset, consideraret autem cursus & actiones rerum, nullo penitus modo dubitaturum hunc, quin hac omnia cura consilioque tenerentur Principis sapientissimi & potentissimi.* Addam his Marci Tullij argumentum: Quæcunque consilio reguntur, melius & aptius reguntur, quam quæ sine illo; nihil vero pulchrius vel melius mundo regitur: consilio ergo, non fortuito regitur. A signis vero mihi aliquis quippiam in mundo vniuerso, quod non ordine & sapientia procedat, siue cælos, elementa, siue animantes, herbulas, plantas, & alia quæcunque: omnia suos habent cursus, suos fines destinatos accertos. Regere autem est rem in finem dirigere, & quasi cursum eius moderari, quo finem pertingat, hoc idem est gubernare, vt nauem aut equum. Quis ergo verius res conditas regit ac gubernat, quam qui condidit, qui metam assignauit, qui vires attribuit, quibus ad metam perueniant? An non regit equum qui illum in via dirigit? non nauem qui clauum torquet & moderatur. Vnde sunt initia progressus, fines, vires.

Aristoteles.

Deum omnia regere & moderari ostenditur.

facultates rerum, si non à se ipsis? ab aliquo ergo summæ virtutis atque artis quæ temeritatem omnem excludit. Is ergo summæ potentix, seu verius immensa, conditor est, rector, gubernator, moderator omnium. Neque enim temere reliquit ab se condita, sed attribuit cuique vires, quibus se tue- rentur, & actiones exercerent, sibi vtilis ut viuerent, vigerent, vale- rent.

Quod vero non solum Deus regat, sed & res omnes conseruet, ostēditur ex eo potissimum; quod quoties ad rem aliquam conseruandam variæ & diuersæ causæ conueniunt, sic ordine inter sese connexæ & congruētes, ut vna ab alia vim suam & motum accipiat, illa quæ omnium est prima, à qua reliquæ vim suam & efficaciam habent, totum quod efficitur, conseruat: ut verbi gratia ad rem aliquam vase aqua pleno contentam calefaciendam, & genitum ibi calorem conseruandum, concurrunt ignis qui vas ipsum calefacit, & vas quod aquam calefacit, & aqua quæ calefacit rem intus in vase contentam quoniam tamen aqua recipit calorem à vase, & vas ab igne, dicimus ignem esse qui gignit & conseruat totum illum calorem quem habet res vase conclusa: sic etiam ut sint & conseruentur omnia, quæ tota hac mundi vniuersitate clauduntur, concurrunt solis vis, & facultas Lunæ, & reliquorum Syderum potestas quæ per aerem interiectum vires suas in his inferis regionibus mundi exercent: celi etiam suis motibus conueniunt, concurrunt similiter Deus, cuius nutu & imperio celi circumferuntur, & à quo Sol, Luna, stellæ, & ipsi calorum orbes vim suam & efficientiam accipiunt. ita ut si Deus ab illis mouendis, & suam vim comunicando desistat, res ipsæ moueri nequeant, nihil possint efficere, nec conseruari & consistere queant. Quemadmodum enim Sol non solum suum lumen effundit, sed etiam effusum per aera seruat, sic ut suo recessu lumen penitus intereat, & nox offundatur rebus: sic Deus cum sit omnium causarum prima & perfectissima, necesse est magis ex ipso, quam ex alijs causis effecta pendeant. Si igitur lumen videmus & alia suarum causarum præsidio conseruari, magis oportet ut à primo rerum opifice Deo conseruentur. Insuper Deus est perfectissima rerum omnium causa, habet ergo perfectissimum operandi modum: at causa eo est perfectior, quo magis ab eo effecta pendent, & ea est perfectior à qua non solum effecta procreantur & fiunt, sed etiam conseruantur: Deus igitur non solum res procreat & format, sed etiam formatas conseruat.

Item quod causæ cōditæ & factæ habet, Deo denegari nō potest: atque in rebus multas causas videmus ex quibus effecta nō tantum oriuntur, sed exorta etiā conseruantur; atque adeo diligentius si cognoscendi facultatem habeant. quod cum sit naturale, profecto ad aliquam Dei similitudinem est rebus infitum. Neque enim aliunde sunt naturæ nostræ omnes, quam ab eo: omnia

omnia illuc se dirigunt & referunt, ut quantum efficere possint, Deum in se reddant ac repræsentent.

Accedit huc quod opifex omnis sapiens, opus quod fecit quamdiu approbat, conseruat, si potest: certè ad curam suam censet pertinere. Deus vero non solum sapiens est, sed etiam optimus, omniaque illius opera, quoniam illius, bona. At quo quis excellit probitate, eo pluribus vult prospicere, & plura in curam suam recipit, eaque dextere & scienter tractat gubernatque si bonitati adiuncta sit industria. Adde quod amor causa fuit condendi mundum. Amat Deus omnia, quia sua, & idcirco bona. Quid porro amatur, *Amat Deus omnia.* quod non etiam cureretur, & quidem sedulo? Quod si curat omnia, si nihil omittat penitus, si etiam procul (ut sic loquar) disita & tenue sui vestigiū referentia: quanto magis & peculiarius hominem, qui magna de causa cum reliqua sint opera, vnus propter communicationem mentis filius illius dici possit? Itaque in sacris litteris non solum dicitur conditus ad similitudinem Dei, quod est commune omnibus, sed ad imaginem quoque: quumque illi vni ex rebus omnibus quæ corpore essent vestitæ, curam indiderit colendi & amandi sui, manifestior est cognatio Dei ac hominis, à quo vult nosci se, coli, diligi, eumque idcirco peculiari esse etiam Deo curæ. Quod si quæ magis amantur, curantur diligentius: profecto apparet magnam curam gerere Deum de rebus hominum. Quid enim manifestius *Et præsertim homines.* ostendit se Deus diligere, quam nos quibus omnia hæc inferiora tanquam domesticam suppellectilem parauit? Nam si quis brutorum vitæ rationem, conditionem, mores contempletur, facile deprehendet illas non domi suæ habitare, sed nostræ, illasque propter nostros vsus esse conditas: & si quid habent suū, hæc tenent, quia nobis inserviunt, sicut in Psalmo scriptum est: *Qui dat iumentis fenum, & herbam seruituti hominum.* Deus igitur non solum mundum effinxit, sed etiam effectum conseruat. Si ergo Deus mundum suis motibus ciet & conseruat, & res vniuersas ad certos propositos fines dirigit distincte & ordinate, planè conficitur ut summâ prouidentia & cura mundum ipsum gubernet.

Pleraque, inquis, corporalia sunt homini noxia, ut ignis, æstus, frigus, feræ, & bestiola variæ, sunt igitur mala, ac proinde non erunt à Deo optimo. Huic vero obiectioni pulcherrimè satisfacit D. Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos ca. 16. *Cum ista, inquit, dicunt Manichæi, non intelligunt quemadmodum omnia sunt pulchra conditori & artifice suo, qui omnibus vitur ad gubernationem vniuersitatis, cui summa lege dominatur. Si enim alicuius opificis officinam intrauerit, videt ibi multa iumenta, quorum causas ignorat, & si multum est insipiens, superflua putat. Iam vero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto dum id male tractat se ipsum vulnerauerit, etiam perniciofa & noxia ibi existimat esse multa. Quorum* tamen

tamen usum quoniam nonis artifex, insipientiam irridet, & verba inepta non curas, officinam suam constantiter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quae ignorant, sed cum ea vident credunt esse necessaria, & propter usum aliquos instituta, in hoc autem mundo, cuius conditor & administrator predicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt. Ego vero fateor, me nescire mures & ranæ quare creata sint, aut musca aut vermiculi. Video tamen omnia in suo genere pulcherrima esse, quamuis ob peccata nostra multa nobis videantur aduersa. Digna sunt hæc ingenio Augustini.

CAPUT IX.

Deum esse ens quoddam perfectissimum.

S. Dionysius.

Infinite esse
Dei perfe-
ctionem de-
claratur.

TRia esse, in omnibus rebus quæ inter se conueniunt, & mutuo consequuntur, ait S. Dionysius, videlicet esse, posse, & operari: ita ut ex operari cognoscamus posse, & ex posse esse, vel ex operatione potentiam, ex potentia essentiam. Ex quo aperte colligitur infinitam esse Dei perfectionem. Quibus enim intellectus viribus potest comprehendere, quanta sit illa potentia, quæ tam efficax est, ut sola voluntate sua creauerit in instanti infinitum rerum quæ in hoc mundo sunt, numerum; idque tanta cum perfectione, ut in nulla earum inueniatur vel minimus defectus vel redundancia.

Est præterea Deus omnipotens, ut omnia quæcunque sit collibitum, possit perficere. Nam si non efficeret, in eo esset impedimentum aut in rebus. Ipse quidem sibi non repugnat, qui simplex est, & sui ubique similis: neque ex rebus conflatur vel aduersis, vel diuersis. Porro si est in entibus resistentia, aliquid forte ei par, quod nefas est cogitare, neque esset maximus & supremus omnium. Quid quod in rebus omnibus resistentia causa & ratio hinc oritur, quia contra naturam suam aliquid patiuntur. At qualemcumque Deus rem iubet esse & vult, ea est cuiusque rei natura, vis, pronitas, neque enim aliud est natura, quicquid ergo is in re quæpiam vult fieri, id fit secundum rei ipsius naturam, non quidem iuxta hanc consuetam ordinariam, sed secundum extraordinariam naturam, tamen non violente, nec adhibita vlla resistentia. Cæterum illius omnipotentia in eo sita est, non ut patiatur quod nolit, sed ut efficiat quod velit. Neque enim corpus esse potest, aut moueri, cadi, dolere, augere, minui, delassari, obliuisci, cogi, vim pati, vinci, interire. Non sunt hæc potentia, sed imbecillitatis: quippe nihil horum patemur nos, si possemus.

In quo sita
Dei omnipotentia.

Quod

Quod si omnipotens est, nec aliquid ei vel nocere potest, vel obsistere, nec voluntatem habere potest ut intereat, immortalis ceterum est, tum etiam æternus. Nam si quis hunc creasset Deum, ille vti que Deus fuisset, & mortuus, quod est nefas. Hic tamen Deus beatissimus est, & bonis omnibus cumulatus. Nam si quicquid vult efficit, quid causa vnquam fuerit, quo minus beatissimus sit? Misera est enim in ijs quæ aduersa nostra voluntate accidunt. nec re vlla extra se indiget, per se sufficiens & plenus: alioquin esset quod felicitatem eius posset impedire, nempe res illa exterior: nec esset beatissimus, cuius beatitudinis fons & origo non in eodem ipso esset, sed foris adueniret, quod in homine nemo concederet, ut beatum eum quæ exterius sunt reddant, quanto minus in Deo.

Accedit his summa sapientia. Nouit enim omnia, nec vlla cognitioni illius interponitur nubecula, quo minus omnia liquido prospiciat. Quod si sapientissimus non esset, neque omnipotens, aliquid videlicet posset velle quod perficere per ignorantiam non valeret, quemadmodum pueri, aut rudes, atque inexperti, aut etiam prudentes, quos tamen fallunt & latent permulta. Et quia beatissimus est, fit ut sit optimus quoque, hoc est beneficentissimus ac munificentissimus, absque omni prorsum inuidia: nec res vlla naturam illam potest peruertere, ut sit malus, hoc est, noxius ac maleficus: tales enim sumus vel irati, quia læsi, vel meruentes ne lædamur, vel ex malitia, vel errore mentis. Deum nihil potest ledere omnipotentem & beatissimum, & magnitudinis suæ probè conscius nihil timeret.

Quid, quod vel ipsa lædendi cogitatio acerba est animo, & quietem illius interrumpit. At quemadmodum infinita illa sapientia non fallitur, ita nec potest fallere. Fallunt enim qui aliquid concupiscunt, quod obtinere nisi à deceptis non queunt. Bonitatem verò habet, quam singulis momentis experimur, quam quod ab alio non acceperit, fit, ut natura sua habeat; neque enim à rebus conditis potest accipere, quæ posteriores sunt illo, quæque omnes ab illo acceperunt, nihil dederunt ei, pleno per se, & perfectionis numeris omnibus absoluto: nec ante illum præcessit Deus aliquis, cuius tanquam hereditatem adiret sapientia & bonitatis. Cui vero bonum est naturale, malum erit profecto contra naturam, nihil autem facit contra suam naturam: id enim faceret inuitus & coactus, & vim patiens quod contingere non potest. Et quoniam Dei voluntas causa est rerum, mouereque non potest voluntatem eius malitia, sed bonitas omnia facit, ut proficit, ut iuuat, ut beneficiat. Quanta ergo debet esse creatoris earum perfectio? Certè cum fide Catholica fatendum est, Deum esse rem tantam, qua maiorem nemo potest imaginari. Atque ideo eadem fides Catholica omnes perfectionum & honorum titulos illi tribuit, quos omnes

GGGG

intellectus

Intellectus tam hominum, quàm Angelorum possunt comprehendere, idque in summo perfectionum gradu.

Confitetur illum infinite bonum, sapientem, sanctum, pulchrum, iustum, misericordem, & specialiter tanta omnipotentia præpollentem, ut non solum hunc mundum, sed etiam mille alios æquè perfectos vno ictu oculi creare potuerit; resque omnes fecisse, absque vlla necessitate, gubernare absque lassitudine, & ad finem suum perducere, absque vllò impedimento: ita ut omnia ab eo pendeant, ipse autem à nullo, omnia sint mutabilia, ipse sit immutabilis: omnia sint composita, in illo nec compositio nec diuisio: omnia nouitati subiecta, in illo nec vetustas nec nouitas: omnia præterita, præsentia, & futura, in illo nec præteritum nec futurum, sed omnia illi præsentia in æternitatis illius instantia: omnia habeant esse, scire, & posse finitum & limitatum, prout ipse voluit vnique distribuere, in illo autem hæc tria sunt infinita, cum nemo sit, aut fuerit, qui hæc in eo determinauit; omnia habuerint principium & possint habere finem, ille autem nec principium habuerit nec finem habere possit; cum ipse rerum omnium finis sit & principium: denique omnia possint suum esse amittere, ille autem non possit, cum sit ipsum esse. Tanta est eius magnitudo, ut totus hic mundus ante ipsum non sit aliud, teste Sapiente, quam gutta roris antelucani. Tanta est eius bonitas, ut nulla res dici possit bona si cum eo conferatur. Tanta est eius pulchritudo, ut omnes pulchritudines creaturæ in conspectu eius deformes sint & obscurentur. Tanta est eius sapientia, ut omnis alia sapientia coram illo sit ignorantia.

Denique ipse est in omnibus perfectionibus suis infinitus, immensus, ineffabilis, inuisibilis incomprehensibilis: adeo ut omne id quod altissimi illi Seraphin de illo intellectu suo possunt consequi, nihil sit, si cum eo cõparetur quod intelligendum remanet, quod est infinitum. Significatum hoc olim est per duos illos Seraphin quos vidit Esaias in templo, de quibus dicit quod alis suis velabant faciem & pedes Dei: ut insinuarent nullam creaturam quantumuis excelsam & nobilem, Deum integrè cognoscere; quia est infinitus, nec potest comprehendi. Ex quibus fit, quod Deus sit perfectissimus; cum in se ipso contineat rerum omnium perfectiones, ut qui singulis vires & facultates quibus pollent contulerit: & quia inter res ipsas, alix alijs sunt perfectiores, eo ipso perfectiores sunt quo Deo viciniore & similiores; ipse enim est rerum omnium perfectarum mensura, & norma, & infinitum quoddam bonum, quod est fons & origo vnde profluxit quicquid in rebus singulis perfecti, honesti, iucundi, pulchri, & boni cernitur. Ex quibus etiam efficitur, ut sit iustissimus, æquissimus, misericordix, & benignitatis plenissimus: quare ipse summus est bonorum amicus, gratus eorum obsequijs, & seruitijs liberalis retributor eorum meritis:

ritis: & è contrario infensissimus inimicus malorum, à malitia eorum abhorrens, & iustissimus scelerum vindex.

Sequitur insuper Deum esse incorporeum, corpus enim ex se vitam nõ habet, sed ab anima; quare si Deus ex corpore & anima constaret, non esset omnium primum; ea enim ex quibus aliquid componitur, sunt natura sua priora composito; ut aurum vel argentum, &c. prius est statua aurea & argentea, &c. Item si Deus ex anima & corpore constaret, necesse esset ut aliquid prius ipso antecederet; quicquid enim constatur ex partibus, ab aliquo componitur; neque enim se ipsæ componunt & coniungunt: item aliquid haberet in se ipso Deus, quod non esset perfectissimum; nam spiritus, mens, & animus perfectior est corpore.

CAPVT X.

Idololatriam esse vanissimam sectam.

Quoniam vbique ferè omnes Gentes Idolorum cultum prætermisso vero prosequuntur, breuiter quid sit Idololatria, & quotuplex, quænam fuerit eius origo, quam enorme peccatum contineat, quamque vanâ Religionem, explicabimus.

Idololatriam vocamus crimen, quo honor & cultus vni summo rerum principio Deo Opt. Max. ut huius mundi conditori ac propter seipsum debitus, in creaturas alias vel ficta simulachra transfertur, ac ut vno verbo dicam, cum creaturæ alicui diuinus honor tribuitur sicut Deo.

In Idololatria tria possunt considerari, primum honor qui exhibetur; secundum, animus quo exhibetur: tertium, creatura cui exhibetur. Ex quibus tribus tria etiam Idololatriæ genera oriri possunt; nempe ex diuersitate cultus diuini, ex diuersa animi dispositione: tertio, ex diuersa conditione creaturæ. At quantum ad præsens propositum spectat, quatuor sunt Idololatriæ genera, ex diuersa ratione creaturæ cui exhibetur honor diuinus desumpta: Primum quod in hominum mortuorum; secundum quod in animalium; tertium, quod in dæmonum; quartum, quod in aliarum rerum effigies, animatarum, siue inanimatarum transfertur.

Nunc de Idololatriæ origine breuissime dicamus, & quidem ex parte ipsius hominis, Idololatriæ prima origo fuit ignorantio Dei, qua excæcati crassissimisque tenebris obruti homines, cum summum rerum omnium opificem non coluissent, nedum agnouissent, diuinos honores & cultus creaturis, in quibus aliquid excellens cernebant, vel commodum aliquod ex ijs percipiebant, tribuere cœperunt; hinc factum ut alij Solem, alij Lu-

nam, alij terram, alij ignem venerarentur; alij vero homines excellentes alijque præstantiores vel viribus armis, potentia, sapientia, aut etiam inuentore artium aliquarum, credentes in eis aliquid diuinitatis inesse; diuinis honoribus sint profecuti; accidit enim istis, sicut rustico eunti ad curiam Regiã, qui volens videre Regē, credidit quemcūque bene indutū, vel in excelsio officio constitutum, Regem esse. Quare prima Idololatria origo fuit imbecillitas intellectus, non valentis corporalia transcendere.

Alia etiam Idololatriæ causa fuit effrenata honoris & gloria cupiditas & superbia, qui cum vbiq; per se ipsos imperare nō possent, erigi sibi statuas & simulacra iusserunt, quibus varijs in locis cōstitutis honor ac si ipsi præsentēs essent, ab omnibus tribueretur. Alij vero plus æquo suos progenitores vel filios adamantes, vt dolorem ob ipsorum mortem vel absentiam aliqua ex parte lenirent; post eorum mortem statuas & simulachra extruxerunt in eorū memoriã, atque ditioni & potestati suã subiectos, vt serui & ancillæ, illis statuis venerationem & cultū impendere cogebant: vt optimè describitur Sap. c. 14. *Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij, fecit imaginem, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nū̄ tanquam Deum colere cepit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia.* Deinde interueniēte tempore, conualescente iniqua consuetudine hic error tanquã lex custoditus est. (Et infra) *Hæc fuit vitia humana deceptio, quoniam aut affectui aut Regibus deseruiētes homines incommutabile nomen lapidibus aut lignis imposuerunt.*

Sap. 14.

Dæmonum malitia.

Ac denique Idololatriæ origo præcipua fuit summa dæmonum malitia; qui mira calliditate ad homines decipiendos sese in illas statuas & simulacra hominum arte confecta abscondebant, & inde responsa rogati dabāt: huc atque illuc imagines loco mouebant, & ita respondendo, & sese in illis imaginibus mouendo, significabant hominibus in illis statuis diuinitate inesse, quæ ad interrogata responderet, miracula patraret, consilia præberet, incederet. hinc factum est vt delusi homines diuinos honores cōfectis à se imaginibus conferrent: indeque arrepta occasione, homines quæstus auidi, Sacerdotes se harum imaginum finxerunt, mille confectis fabulis Gentium populos sibi conciliantes: mox varios cultus, ritus, & sacrificia instituerunt: persuaserunt hominibus ea simulachra esse Deos, quibus vitimas offerre oporteret, vt placarentur, mala arcerent, salutem & facultates tuerentur. Denique vt in hac vita beneficia, in altera fælicitatem cōferrent, templa & aras dicarunt, vt in ijs munera offerrentur, quæ in suos vsus conuerterent, & immodicam lucri cupiditatem explerent, atque ipsis laudem & gloriam conciliarent. Ex his igitur causis veluti ex fontibus idolorum cultus & superstitiosa ac falsa religio promanauit, & veri Dei cultus extinctus & sepultus est.

Huic autem dæmonum fraudi singulari Dei prouidentia tribus potissimum

firmum modis & remedijs adhibitis obuiatum fuit, primo temporibus oportunitis homines literis, moribus ac vitæ integritate conspicuos, tanquam legatos misit; vt gentes docerent modum, quo sibi ab his dæmonū artibus & fraudibus cauerent. Secundò permisit vt in his festis vanis ac superstitiosis, tot actanta mendacia, absurda, & incommoda cum omni recta ratione pugnantly traderentur, vt facile homines si velint, agnoscerent possint, ea omnia esse aniles & inanes fabulas ab hominibus confectas, ac sapē historia de suis Dijs ita obscenæ & turpes referuntur, vt puras & mundas hominum aures offendant. Tertiò permisit dæmones ita monstrosos, & portentosos figuris apparere: vt absque villo negotio possint homines conijcere, imagines tam fædas, & tetras, aspectuque terribiles non posse repræsentare nisi res similes sibi. Permisit etiam dæmones suis proprijs figuris horriñcis in medijs ignium flammis ardentes depingi, vt in Iapone, & alijs Indiarum partibus cernitur, vt vel ipso aspectu admoneāt mortales, quibus supplicijs ipsi torquentur, & quæ tormenta maneat eos; qui ipsis cultum & venerationem impenderint.

Idololatria quomodo Deus obli- terst.

Denique quam enorme peccatum sit Idololatriæ crimen, argumentis quam plurimis demonstrari poterit, præsertim desumptis ex diuinis literis, ex Sapientia lib. præsertim toto cap. 13. & 14. & ex Isaia cap. 44. & 46. Ierem. 10. pulcherrimè autem, & ad vulgare sensum accommodatissime Baruch cap 6. Idolorum vanitas confutatur: Notum, inquit, sit vobis quia non sunt Dij; ne ergo veneremini eos, sicut enim vas hominis constructum inutile efficitur; tales sunt Dij eorum. Constitutis illis in domo, oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeuntium: lucernas autem accendunt illis, ex quibus nullam videre possunt: sunt autem sicut trabes in domo, nigre sunt facies eorum à fumo qui in domo fit, supra corpus & caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aues, similiter & catæ, unde scitatis quia non sunt Dij: si ceciderint in terram, à semet ipsis non resurgunt, sicut mortuis munera illorum apponuntur illis. Hostias eorum vendunt Sacerdotes, & abutuntur. Vnde ergo vocantur Dij? In domibus eorum sacerdotes sedent, neque si quid mali patiuntur ab aliquo, neque si quid boni, retribuere poterunt. Neque Regem constituere possunt, neque auferre: similiter neque dare diuitias possunt, neque retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit, neque hoc requirent: hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiore eripiunt. Lapidibus de monte similes sunt. Quomodo ergo estimandum est eos esse Deos? A fabricis, & aurificibus facta sunt; nihil aliud erunt nisi id quod volumus esse Sacerdotes. Nunquid ergo possunt ea quæ ab ipsis fabricata sunt esse Dij? quomodo ergo sentiri debet quod sunt Dij, qui nec de bello se eripiunt, neque de malis se liberant. Si inciderit ignis in domum Deorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur, ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. Quomodo ergo estimandum, aut recipiendum quod sint Dij? non à furibus se liberabunt, quibus iniqui fortiores sunt: & reliqua.

Criminis idololatriæ grauitas.

Baruch 6.

Vbi ex triplici capite Idololatriæ vanitas reijcitur. Primo ex natura & substantia Deorum lignea, lapidea, aut alterius metalli. Alterum ex impotentia & ignorantia, quia vel creaturæ sunt à Deo factæ, vt cali, & sydera & motibus varijs subiecta. Aut sunt mera simulachra, quæ se ipsa defendere nequeunt, ab igne vel latronibus, &c. Tertium est ab humanarum rerum providentia, vbi ipsa barbarorum experientia in medium producenda est, & interrogandi, an in bello, morbo, aut fame Deorum suorum vtilitatem aliquam senserint? vtrumne religiose illos colentes, an pro nihilo facientes melius habuerint? Et quoniam sæpè Dæmones, vt turbent Gentiles, erroresque humanis pectoribus infundant, miscent falsa cum iuris, sacrificijsque præsto ad sunt, eduntque sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines fidem ac cultum illis exhibeant; docendi sunt Barbari, cum res ita tulerit, diaboli omnia esse commenta, qui visus hominum præstigijs obcæcantibus fallat, vt non videant ea quæ sunt, & videre se putent illa quæ non sunt: aliquando etiam Deo sic permittente, insnuant se corporibus hominum, & occultè visceribus inclusi valetudinem vitiant, morbos causant, somnijs animos terrent, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia recurrere. Sæpe vero cum ex coniecturis aliquibus futuros eventus præsentunt, interponunt se manifestando futura; vt quæcunque à Deo facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum facere vel fecisse videantur, cum tamen reuera mendaces, & iniqui ac fraudulenti sint, ac iustis & Christianis Dei cultoribus subiecti, cuius nomine adiurati è corporibus exeunt; quorum verbis tanquam flagellis verberati non modo Dæmones se esse confitentur, sed vim ac nocendi potestatem amittunt: quia nec Deo per quem adiurantur, nec Christianis ministris quorum voce torquentur mereri possunt. Itaque maximis sæpe vlulatus editis, verberari se, & arde- re, & iam iam exituros se proclamant, tantum habet veri Dei cognitio ac iustitia potestatis; quare nocere non possunt, nisi ijs quos habent in sua potestate.

Docendi sunt etiam Gentiles, cum res ita tulerit, quis Diabolus sit, qui illius satellites, quid agant, quæ illorum in homines inimicitia, malitia, & fraudes, vt timorem in eorum potius odium conuertant: hoc enim commune apud omnes pene Barbaros est, vt Deum quidem omnium rerum supremum, ac summè bonum fateatur, Spirituum verò quorundam peruersorum nõ obscura notitia sit. Summum igitur illum Deum rerum omnium opificem, quem ipsi ignorantes colunt, esse quem nos annunciamus per omnia doceri debent. Ac deinde quantum ab illo distent nequissimi Dæmones oportet exponere, vt Idola sua omnia contemnant, execrètur, & maximo odio prosequantur.

Ac denique quantum Idololatria scelus sit, ex hac ratione manifestè conuincitur:

conuincitur. Nam cum Deo rerum omnium Domino pugnat apertè, & illi quasi bellum indicit, & qui huiusmodi crimen perpetrant, quantum est ex parte ipsorum, Deo summo rerum parenti & auctori gloriam, honorem & dominatum eripiunt, eiusque naturam euertunt & dissipant; quia Dei in hoc mundo notitiam extinguentes, diuinos honores Dæmoni impèdūt, qui est vilissimus, abiectissimus, impudicissimus, immūdissimus, ac flagitiosissimus omnium Spirituum qui sunt à Deo creati, qui hominū auimas perdere cupit auidissimè: Quare sicut nullum crimen in Regem potest grauius admitti, quàm eum ex suo Regno pellere, ac à dignitate Regia eijcere, & alium ad summum Regiæ maiestatis fastigium euehere; ita nulla in Deum est iniuria maior quàm cum diuinus honor, qui ipsi debetur soli, ipsi detrahitur & alijs tribuitur ipsius potestati & imperio subiectis. Atque eo Idololatria stupidior ac deterior est, quanto vilioribus ac deterioribus creaturis diuinus honor exhibetur; quia id magis contra rationis & naturæ ordinem est: & eo maior contumelia Deo infertur quo vilior est creatura, quæ præponitur, aut exæquatur ei. Cæterum idololatria illa omnibus alijs detestabilior est, qua cultus Deo debitus Dæmonibus tribuitur. Quod tribus potissimū rationibus, comprobatur. Prima quia Dæmones sunt inferiores brutis deiectione propriae malitiæ, ac miseria culpe ac pænæ. Altera quia sunt hostes & inimici Dei. Tertia, quia periculosior est talis Idololatria magis itaque Deo displicet, qui honorem Deo debitū tribuit inimicis Dei pessimis, & quia se ipsum in maius periculum iniicit. Sunt enim Dæmones ad decipiendum vigilantissimi, neque est vllum maiorum genus quo non delectentur, & Deorum induti personam in errorem atque stultitiam nos impulisse gaudent.

CAPVT XI.

Deum esse vltimum non solum hominis, sed & aliarum quoque creaturarum finem.

Vltimus finis est ille propter quem amantur cætera, ipse vero propter se ipsum. Cum autem vnum quodque suam appetat perfectionem, illud appetit vt vltimum finem, quod appetit vt bonum perfectum, & cōpletium sui ipsius, ita quod extra ipsum nihil appetendum relinquatur; & quia Deus est summum & infinitum bonum, vt prædictum est, necessario fit, vt sit vltimus rerum omnium finis, in quem veluti in scopum propositum vniuersa quodam naturæ impetu diriguntur.

Et confirmatur, quia cum Deus ipse cuncta quæ in rerum natura sunt, finxerit

finxerit, & condiderit, conditaque seruet, & cum necesse sit eundem esse finem efficientis & rei effectæ, vt Architecti & domus ædificatæ, Deus autem nullo extrinseco bono indigeat; nullam aliam ob causam ad agendum moueri potest, quàm propter se ipsum. Quare cum ipse sit finis sui ipsius, sequitur vt homini quoque sit finis vltimus ipse Deus; vnde est illud de ipso in Apocal. 1. & 22. cap. *Principium & finis, primus & nouissimus*: quare vt inuolucrum clypei causâ factum est, vt vagina gladij, vt domus inhabitandi gratia: sic homo propter vnum Deum, à quo conditus est, tanquam propter vltimum finem creatus est.

Atque hoc etiam ex naturali rerum omnium ordinatione clarius intelligere licet, quæ sic connexæ sunt, vt inferiores & imperfectiores nobiliorum ac meliorum gratia conditæ sint, eisque ad vsum subiectæ, vt plantæ, & cætera vegetabilia propter animalium, animalia vero propter hominum vsum; mansueta quidem ad vsum & cibum, agrestia vero partim ad eundem cibum, partim ad alia adiumenta, vt vestium, & aliarum rerum. Nec vero hominis dignitati aliquid detrahit, imo multum addit, vt ad Deum summum infinitumque bonum dirigatur: nam cum vt paulo ante diximus, Deus ipse nullum alium finem habeat, quam se ipsum; sic fit vt homo quoque ad eiusdem finis participationem prouehatur, quod summæ cuiusdam dignitatis est.

Ex quibus etiam fit, quod cum vltimus finis sit ad quem omnes actiones humana respiciunt, & in cuius adoptione appetitus conuiescit; quod hominis felicitas sit sui vltimi finis adeptio, hoc est possessio Dei, in quo omne bonum consequitur, & in quo omnis eius cupiditas expletur, satiatur, & conuiescit. Quare sicut Deus est in se ipso beatus, beatitudo enim nihil aliud est, quam perfectè tuta quedam omnium bonorum possessio; sic etiam homines beati fiunt, cum Deum ipsum præsentem clare cernunt & intuentur, & clare visum tuti & securi possident & amant. Nec potest homo vlla in re conuiescere, donec ad hunc vltimum finem, & summum bonum perueniat; quia quousque summum bonum obtineat, eius voluntas nullo potest bono saturari.

Apoc. 1.
c. 22.

Quid sit
beatitudo.

CAPVT

CAPVT XII.

Animam hominis esse immortalem, aliamque vitam futuram post hanc.

Animæ rationalis immortalitatem & fide Catholica credimus, & rationibus naturalibus demonstratur à Philosophis tam Christianis quàm Gentilibus, ex quibus ea argumenta clariora, & Gentilium captiui magis accommodata adducemus, ostendentes animæ immortalitatem: Primo ex variis animæ appetitibus à natura insitis. Secundo ex præmio & pœna bonis, malisque debitis. Tertio ex fine vltimo, & beatitudine nostra quæ in hac vita esse non potest. Quarto ex variis virtutibus, & earum actionibus quæ perirent, & vitijs quæ contra sequerentur, si anima non esset immortalis.

Ex varijs igitur appetitibus naturalibus à natura insitis, immortalitas animæ manifestè ostèditur. Homini inest appetitus naturalis ad plura bona, qui cum sit à natura insitus, non erit frustra. si autem anima immortalis non sit, frustraneus erit, cum non possint in hac vita compleri, vt patet, si ad aliquos particulares appetitus accedamus. Nam inprimis insatiabilis est, & à natura insitus ipse appetitus boni; at nullum est in hac vita tantum bonum, quod adepti tandem aliquando non fastidium est; quantumuis illud auide appetuerimus, iucundumque ac suaue visum fuerit. Vnde ad alia semper mens anhelat, si quod forte inueniat obiectum in quo quiescat: nihil enim est quod humanum desiderium satiare possit: quod expressit August. illis verbis: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te*; ex quo fit quod appetitus beatitudinis & felicitatis, & summi boni, sit nobis à natura insitus. Omnes enim volunt esse beati, & cum summum bonum excludat omne malum, tam culpæ quam pœnæ, hoc autem in hac vita esse non possit, vt experientia testatur, quæ plena est miserijs & periculis. Quare cum hic appetitus aliquando satiari debeat, cum sit naturalis; consequens fit, vt sit alia vita, in qua homo hanc beatitudinè possit possidere, quod absque immortalitate non contingit.

Et confirmari potest ex alijs homini à natura insitis appetitibus; nam inest in homine appetitus naturalis ad vitam sempiternam; nam quilibet intelligens naturaliter desiderat se esse perpetuum, non solum secundum speciem, sed etiam secundum indiuiduum. Est etiam naturalis homini appetitus gloriæ, honoris, & famæ, etiam post mortem, vt experientia constat ex assidua vehementique hominum contentione atque æmulatione

HHHH relin.

Anima im-
mortalitas
demonstratur.

Varij homi-
num appe-
titus.

relinquendi sui monumenta, tum conscribendis voluminibus, & statuis erigendis, ac magnificis operibus construendis, quibus gloriam & famam & aternitatem post mortem acquirant quibus etiam planè indicatur vitæ perpetuæ infinitus appetitus. Ac denique in homine à natura est insatiabile scientiæ desiderium, est enim in intellectu nostro non solum infinita capacitas, vt scientijs omnibus imbuatur, sed & scientiarum ipsarum inexplebilis appetitus. Cum igitur omnes isti appetitus à natura hominibus inditi, vani non sint nec superflui. & in hac vita satiari non possint restat vt sit alia vita, in qua complementum recipiant.

Ex fine etiam vltimo & beatitudine nostra, quam in hac vita adipisci non possumus, sed in altera demonstratur animæ nostræ immortalitas, quia cum omne ens naturale habeat finem, in cuius consecutione quiescat & delectetur, homo igitur qui omnium entium naturalium est res præcipua, non erit deterioris conditionis. Habebit ergo hūc finem quo fruatur, sed nullus in corpore talis apparet finis, imo tota hominis vita est sollicitudinibus & laboribus plena, & nullum animal ita sollicitudine, timore, ac dolore concutitur, sicut homo.

Adde etiam vitæ breuitatem, quæ omnia veram hominis durationem & finem verum non esse in hoc corpore, manifestè indicant.

Præterea beatitudo est ea in qua omne bonum & nullum malum inuenitur: est enim status omnium bonorum aggregatione perfectus. Deinde beatitudo debet esse certa; alioquin animus beati non esset quietus. Debet etiam esse firma & stabilis, ne sit hominis mens anxia, & sollicita: ac in beatitudine nulla debet esse tristitia nec dolor, pugna enim esse beatum, & dolere; ac denique beatitudo debet esse per se sufficiens, vt beatus nullo indigeat, neque pro se, neque pro suis. At nullum ex prædictis bonis aut carentia malorum potest contingere in hac vita, restat ergo vt sit alia vita in qua homo hanc beatitudinem consequatur.

Tertio, animæ immortalitas ostendi potest ex Dei prouidentia & gubernatione, quia cum sint multi homines, qui cum bene & sanctè viuunt, ac toto studio Deo famulantur & seruiant, in hac tamè vita grauius sunt afflicti, vi, tyrannide, & seruitute oppressi, calamitatibus, & malis quam plurimis vexati, omnia etiam aduersa patienter sustinentes: è contra verò cernimus multos improbos ac perditos homines, nefarios ac impios opibus affluere, in delictijs versari, prospere, & feliciter vitam transigere. At cum Deus sit iustissimus, si hominum animi immortales non sunt, & vita alia futura non est, vbi sint bonorum hominum præmia, & supplicia malorum; magna esset rerum confusio & perturbatio, nec esset in Deo summa iustitia & sapientia, si bonos sine præmio, & malos absque supplicio prætermitteret, quod sanè cum omni recta ratione pugnat.

Præterea

Præterea quia hæc tria inter se sunt valdè connexa & coniuncta Dei religio, Dei prouidentia, Animæ nostræ immortalitas. Quisquis vnum istorum tentarit labefactare, aliorum quoque fidem concutiet. Nam si animæ non sint immortales, benè, aut secus factorum nulla sunt præmia, nullæ pœnæ. Hæc enim omnia in decursu præsentis æui permista & confusa cernimus, vt nihil aliud sit hominum vita, quàm merum latrocinium. Nulla est ergo Deo cura de nobis. Quod si nos non curat, quorsum à nobis coletur? vana & stulta persuasio fuerit religio Dei ac pietas. At nos tamen homines omnes, & nationes quantumcunque barbaras, & ab humanitatis institutione alienas atque abhorrentes, animaduertimus adduci naturaliter ad religionem aliquam, laudare ac probare modestiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, mansuetudinem, patientiam, æquitatem. Fieri ergo non potest quin hæc sint bona, & contrarijs potiora, cuius rei nulla est ratio, si Deus non sit spectator ac iudex. Testantur ergo nos illi curæ esse, & pietatis præmium alibi expectandum. Quod si illic est virtutis pretium, & hominis finis, anima profectò illic viuet, & retro idè valet: si anima illic viuet, finis hominis illic est. Finis enim ad vltimum & perfectissimum pertinet, qui ea de causa finis nominatur. Quod si plurimorum & sapientissimorum hominum autoritatibus aliquid tribuimus præter tacitum illum humani generis consensum, habemus expressum alterum & manifestum, quandoquidem non solum doctis, & ab humanitate instructis nationibus, sed feris & barbaris, vt Getis, Scythis, Indis, & in hunc nouum orbem tam diu sepositis & latentibus, persuasissimum est, animas hominum hinc in alia emigrare loca, digna ijs rebus quæ in vita gesserint. Ex professoribus autem sapientiæ ignobilissimi, & qui in delicijs extremum bonorum suorum posuerant, animam fecerunt mortalem, scilicet iidem illi qui religionem omnem, qui cultum & amicitiam Diuorum, qui prouidentiam, qui Diuos ipsos funditus extirpauerunt.

Quarto, ex varijs virtutibus & earum actionibus quæ perirent, & vitijs quæ contra sequerentur: quia cum sit naturale homini secundum virtutem viuere, sublata de medio animæ immortalitate, nullus esset locus virtutibus temperantiæ, sobrietati, frugalitati, virginitati, humilitati ac alijs virtutum functionibus, quæ omnia homines priuant huius vitæ voluptatibus & alijs etiam bonis, puta honore, diuitijs, pompa, fastu, imperio, & potestate: nullus etiam esset qui vellet mortem pro Republica, Virtute, aut iustitia appetere, cum nullum inde bonum consequatur. At è contra latissimus campus vitijs omnibus aperiretur, superbiæ scilicet, ambitioni, vanæ gloriæ, luxuriæ, gulæ, ebrietatibus, commestationibus, ac tunc verè sequeretur illud Sardanapali epitaphium eius sepulchro inscriptum.

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Vnde rectè Augustin. 6. Confess. ca. ultimo. *si animus*, inquit, *mortalis est*, Epicurus in animo meo palmam habet. Sequeretur etiam beatitudinem & finem vltimum hominis esse in hac vita, nempe vel in eius conseruatione, vel in bonorum ac voluptatum huius vitæ fruitione, ac plus minusve eadem esset beatitudo hominum ac iumentorum. Ac denique fieret impiorum hominum vitam esse beatiorem optimorum vita: nam virtus in labore exposita etiam ardua & difficilis; at contra vitium facile & molle & delectabile sensui. Si ergo alia vita non esset expectanda; quid obsecro utilitatis esset tanto labore, sudore, ac difficultate acquisuisse, & conseruasse virtutem; si post mortem nihil aliud superest. Quare illud optimum & verissimum D. Pauli, Sancti & studiosi viri possent dicere, Miserabiliores essemus cunctis hominibus, si in hac vita tantum sperantes essemus.

Solet etiam animæ immortalitas demonstrari ex operatione & potentia spirituali, quia actus cognoscendi in nobis nonnulli sunt spirituales, hoc est, nec ex materia constantes, nec à materia subiectiuè dependentes; ergo & potentia illos immediate alliciens spiritualis erit, & consequenter substantia vnde talis potentia effluxit. Assumptum probatur ex obiecto intellectus, quod est spirituale; cognoscit enim vniuersalia iudicat que de rebus immaterialibus. & ipsorum habet scientiam. Hoc etiam confirmatur ex voluntatis actibus, nam voluntatis operationes quamplurimæ spirituales sunt: vt sunt velle & nolle viuere eligere vel non eligere: quæ sunt supra omnem sensum, & supra omnem materiam, sed in his argumentis Philosophicis non oportet amplius immorari.

Ex dictis igitur aperte conficitur, animum esse immortalem, futuramque esse aliam vitam, vbi sit & fælicitas bonorum, & impiorum calamitas: ac vt recipiat quisque debitam sibi mercedem, prout bene, vel male vixit in hoc sæculo. Et quoniam alterius sæculi vita perpetuo est duratura, ideo tam præmia bonorum, quam malorum supplicia futura sunt sempiterna.

CAPVT

CAPVT XIII.

Conclusio prædictorum, & rationes quibus homo tenetur Deum colere, & illi omnino inferuire.

EX his omnibus aperte constat vera & certa de primo & summo rerum principio doctrina. Primum quod sit vnus Deus rerum omnium author & conditor, qui cunctis rebus esse communicat. & conseruat illud quique in singulis operatur nutu & potestate sua: ita vt ipso non conseruante vniuersa in nihilum reuertantur. Secundo certum est Deum ipsum rerum omnium curam & prouidentiam habere, suaque cura mundum regi & gubernari, & res vniuersas, ad certos & propositos fines dirigi ab ipso & ordinari. Tertio constat Deum esse substantiam quandam spiritualem sua natura & operatione perfectissimam, longeque sublimiorem, quam ab homine vlllo intelligi aut cogitari queat, æternam, omnis principij expertem, & sine carentem, ipsamque esse principium perfectionum omnium creaturarum, quæ in se continet gradu quodam multo nobiliore & præstantiore; quoniam ipsa est omnis perfectionis summa & prima regula. Quare vitam habet & intelligentiam, & infinita sapientia & consilio pollet, vt clare cognoscitur ex pulchritudine, perfectione, ordine, & concentu, quem in rebus omnibus impressit: inde etiam sequitur, vt sit omni iustitia, æquitate, misericordia, benignitate, & bonitate plenissimus ac denique summum & infinitum bonum, fons & origo omnis perfectionis & bonitatis.

Quarto, claret ex dictis, quod cum Deus sit summum & infinitum bonum, sit etiam vt sit vltimus rerum omnium finis, maxime hominis, in cuius possessione & adoptione hominis fælicitas sita est, ne possit conquescere, donec ad hunc vltimum finem & summum bonum perueniat.

Quinto, cum in Dei adeptione qui est vltimus hominis finis, sit nostra beatitudo, & hæc summa hominis fælicitas, ad quam adipiscendam conditus est à Deo, in hac vita obtineri nequeat; fatendum est aliam post hanc futuram vitam, in qua perfectissimè Deo fruamur; animamque nostram esse immortalè, vt sic iustis præmia, impijs verò supplicia ab ipso Deo decernantur. Ex his manifestè stabiliendum est, hominem non esse suum, sed Dei, humanamque naturam ex ipsa sua conditione verum ac legitimum Dominum habere summum illud ac infinitum numen: quo etiam fit vt

Deus ab omnibus coli, adorari & amari super omnia debeat. Quod si homines in officio esse velint, ita se ipsos instituire debere, ut tota eorum vita Dei cultui sit consecrata, ex Deo pendeat, & quasi ex eius imperio & ductu suspenfa sit, idque plurimis causis: præcipue vero quinque attingemus: quæ sequuntur ex his quæ nuper diximus.

*Causa cur
Deum amant
dno.*

Prima igitur causa siue titulus, quæ nos cogit Deum adorare, omniaque nostra illi subijcere, ex ipsius diuinæ naturæ infinita perfectione & præstantia inducitur, præsertim si cum nostra natura comparetur, quæ est tam infirma, vilis, ac pusilla. Nam si Philosophi seruitutem hominum aduersus alios homines posse esse naturalem ac iustam respectu nobilioris ac sapientioris, ac homini in omnibus excellenti naturaliter imperium & dominium deberi censuerunt, credentes tantam posse inueniri inter res ipsas creatas distantiam, ut aliæ alijs naturali iure subdantur; quanto hoc verius erit inter Deum & hominem: nam quantumcunque homo homini præstet, non potest alia esse differentia, quam doctrinæ, sapientiæ, vel ingenij aut huiusmodi accidentium; quæ inæqualitas quæcunque sit illa, finita tamen est, & intra eiusdem naturæ terminos continetur: omnes enim & corpus ex eadem materia, & animam eiusdem formæ habemus: sed si conferamus hominem cum Deo, sapientiam cum sapientia, bonitatem cum bonitate, potentiam cum potentia, naturam cum natura, non solum infinita est distantia, sed etiam quicquid homo habet, à Deo habet, à se autem nihil: ideoque melius ac verius nihil habere, nihilque esse respectu Dei dicendus est. Quod si tota terra vniuerso cælo comparata, quod est ens finitum; non aliter quam vnius puncti instar obtinet; quid erunt singuli homines respectu illius infinitatis, & illius abyssi, in quem innumerabilia eademque immensa bona concurrunt.

*Homo non
suis ipfius est,
sed Dei.*

1. Cor. 19.

Secundus titulus, Cur homo potius sit Dei, quam sui ipsius, eumque amare & colere teneatur, in eo fundatur, quod ab illo conditus & creatus sit. Nam inter homines ipsos nullum ius habedatum rerum iustius & grauius est, quàm quod fundatur in rei productione, atque factione. Quis plantat vineam (ait Apost. 1. Cor. 9. & de fructu eius non edit? sic qui domum ædificat, qui arcam ligneam aut opus aliquod suis manibus conficit, eius operis idem author omni iure ac lege dominus est. Hoc autem multo magis locum habet in Deo, quoniam hominis artis efficientia nihil aliud possunt quam externam formam & quasi faciem rebus inducere, naturam autem ipsam siue ferri siue ligni, nec producere, nec attingere quidem possunt: Deus autem vsque ad vltimum extremumque essentia gradum sua vi & virtute pertingit: quare optime scriptura hoc præcipue titulo omnium dominatum Deo tribuit; sic enim Psal. 23. legimus, *Domini est terra, & plenitudo eius, ipfius est mare, (& quali huius ratio reddatur) & ipse fecit illud, & aridam fundauerunt*

Psal. 23.

MANUS

manus eius. Vnde optimè Bernard. de quadruplici debito: *Ecce, inquit, in ianuis est qui fecit calum, & terram: & creator tuus est, tu creatura: tu seruus, ille Dominus, tu figmentum. ille figulus: totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipue Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat syderum cursus, aëris temperiem faciditatē terræ, fructum ubertatē. Huic reuera totis medullis, totis viribus seruiendū, ne forte indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conterat in aeternū.*

Ex hac etiam causa siue titulo deducitur tertius quo astringimur Deo obsequium præstare, *Non solum, ut inquit Bernardus, quia fecit nos, sed quia & benefecit nobis, suaque prouidentia in vltimum finem nostrum direxit & ordinavit:* vt enim nos propter semetipsum, sic omnia propter nos condita sunt: quid enim est in terra, in aquis, in aëre, in igne, imò in sphaeris cælestibus, id omne in obsequium nostrum creatum est: Omnes enim creaturæ homini ministrant, cui constituto super opera manuum Dei, omnia sub pedibus subijciuntur: homini frondes & fructus producunt arbores, illi terra gignit aurum, argentum, & alia vsibus humanis commoda mineralia; illi fluit & refluit mare, pisces varios generat, vela nauæque portat; homini scaturiunt fontes, labuntur flumina, illi oues, boues, & pecora campi pascuntur, pellesque, lanas, lac, & butyrum proferunt. Ac denique (vt prætermittam cælestem orbem, in quo Luna, Sol, & stellæ, cui lucent, nisi homini? in cuius usum suas in hæc inferiora mittunt influentias; nihil in aqua, terra, & aëre est, mouetur, aut viuunt, quod non aut pascit aut recreat, aut medetur homini. Ita vt totus hic mundus inferior, non sit aliud quàm penuarium, viridarium, & pharmacopolium humanæ naturæ.

*Omnia præ-
pter nos
condita.*

Quarta causa huius seruitutis ex hominis fine promanat: nam quæcunque res propter alteram facta ad eamque ordinata, eam illi subiecta ac veluti mancipatam esse oportet: quod ex naturali rerum ordinatione intelligere licet, quæ sic nexæ sunt, vt inferiores & imperfectiores nobiliorum ac meliorum gratia conditæ sint, eisque ad vsus subiectæ. Vnde plantæ & cætera vegetabilia facta sunt propter animalia, illis enim liberè vescuntur, suorumque vsibus seruiunt; animalia verò propter hominis vtilitatem, alia ad sustentationem, alia ad delectationem. alia denique in varia commoda & fines humanos, quæ homini obediunt & subduntur. Nā & boues terram nobis nulla sua vtilitate arant; equi vero (vt alia nunc omitteram) modo oneribus ferendis, modo cursu, modo passu nobis deseruiunt. Cum igitur humana natura ad ipsum Deum sit ordinata, nec alium habeat, nec habere possit finem; oportet vt animalium exemplo ac obedientia discamus, quam nos Deo obedientes ac subditos esse oporteat.

*Homo ad
Deum ordi-
natus.*

Quintus titulus seruitutis isque maximus, ducitur ex præmio quod Dei cultoribus paratum est apud ipsum Deum, finem nostrum; id autem est post hanc vitam, æterna & immortalis gloria: & è contra, illum non reue-

*Hominis post
vitam præ-
mium.*

rentibus

rentibus æternum supplicium. Gloriam vero hanc æternā, non alia ratione adipisci possumus, vitareque prædictam pœnam, quam si nos totos Domino Deo verissimè dedamus, & merito quidem, quia infinitum illud præmium infinito etiam labore dignum fuerit.

Quare cum tot tantæque causæ concurrant; si res debitè expendatur, magnam quædam ac potius immensam obligationis summam confici, nemo est qui non videat: cui obligationi non aliter satisfieri poterit, quam nisi quicquid sumus, quicquid valemus, quicquid habemus, vni Deo offeramus, in ipsiusque potestate semper esse velimus, & ad diuini beneplaciti arbitrium nostra studia, actiones, & cogitationes assiduè conuertamus, ac ab eo dirigi gaudeamus. Quæ cum ita esse debeant; culpa eius erit plusquā infinito supplicio digna, qui sui iuris esse velit, atque ex voluntate sua, non ex voluntate Dei, vitam suam, actionesque gubernare; ac denique Dei oblitus sibi seruiat, ac per effrenatam libertatem pullo onagri similis, audenter vagus per syluam suorum desideriorum currat, actionesque suas ad se ipsum referat.

Huic igitur hominum omnium debito tam grandi, & alij similiter, obligationibus altioribus, quibus Deo astringuntur (quæ nunc à nobis ideo præmittuntur; quia non nisi à diuina luce illustratis cognoscuntur) quantum est ex parte sua, homines satisfaciunt, si se totos Dei cultui & obsequia offerant. Hoc ergo efficitur per Religionem Christianam, & per susceptionem Baptismi, in quo Christiani promissione per iuramentum confirmata à Deo obligantur, strictissimoque vinculo illi fœderantur. Cuius promissionis seu fœderis duæ sunt partes, altera qua mundū mundique præmia à nobis abdicari profiteamur; altera qua vni Deo nos dicamus: ac vt vno verbo dicam, Religio Christiana Deo donat vitam, donat opera omnia vite, donat studia, labores, exercitationes, & denique quod est omnium maximum, ipsam dominam voluntatē, qua tradita, totus homo traditur,

C A P V T X I V.

Breuis forma proponendi Gentibus Sanctum Euangelium.

EX omnibus igitur hæcenus commoratis, colligi potest breuis instructio & forma prædicandi Gentibus Euangelium. Primo præmissis exordio secundum temporis, loci aut personarum circumstantias, vel à fine nostri aduentus, referendo causas quæ impulerunt, vt à longinquis nationibus tantis periculis & laboribus vexati venerimus, solum propter Dei gloriam,

gloriam, & suæ æternæ salutis causa, non quærentes quæ nostra sunt, sed ipsorum tantummodo salutem, liberationem ac vitam, & vt Deum creatorem suum agnoscant, illique debitum famulatum & obsequiū præsentent. Præmissis hoc vel simili exordio tria tractanda sunt. Primum spectabit ad Dei cognitionem, illam scilicet quam lumine naturali homines possunt attingere: fumentis initium à creatione, prouidentia, gubernatione, perfectionibusque diuinis. docentes quæ animæ nostræ immortalem naturā, & finem eius vltimum spectant: obiterque errores contrarios reiiciendo. Ad secundum verò caput spectabit, titulos siue causas expendere, quibus Deum astringimur amare, & inferuire, ac cultum debitum exhibere. Ad tertium tandem, inuestigare qualis debeat esse hic cultus, quo Deus ipse summus colendus sit ab homine, ostendentes hunc tantum esse apud Christianam Religionem, hancque esse veram, certissimam & Deo gratam: quæ tria sequentibus veritatibus breuiter complectemur.

Prima veritas, Hominem à Deo fuisse conditum, vt in Deo conquiescat, qui finis est cui conditus est homo, & in eo sitam esse eius beatitudinem, demonstrabimus, & quod anima hominis immortalis sit, efficique beata non possit rebus istis sub lunaribus & caducis: neque etiam ea immortalia reddent ipsam beatam, quæ in se beatitudinem non habent. Condidit igitur Deus hominem non propter superiora, quæ illo non indigent: nec propter inferiora, quod esset indignum: nihil ergo inter hominem & authorem suum est interpositum. Creatus est igitur homo propter se ipsum, vt à solo conditore suo bonum omne ipsius & beatitudo dependet. Quocirca solus Deus, qui solus implet mentis nostræ limites, & excedit, ipse animam nostram potest beare, qui est beatissimus, qui immortalis, qui infinitus, qui quam beatitudinem habet ex se ipso habet, non nactus aliunde: & communicare potest, nec communicans deperdit. Et in omni peregrinatione, quasi exilio reditus in patriam dulcissimus est atque operabilis, eo magis si molesta sit peregrinatio & turbulenta, vel exilium turpe & difficile, patria autem & quæta & suauis. Animi nostri in hanc vitam seu in peregrinationem & exilium à Deo egressi, quam multa perferunt graua, iniqua, laboriosa, acerba, & dignitate sua indignissima: vt Philosophorum quidam non iniuria corpus hoc vincula & carcerem animi nuncuparint. In Deo autem quæta omnia, pulcherrima, beatissima plusquam possumus non eloqui modo, verum etiam optare. Illuc ergo cupit animus mirè reuerti, & suspirat, & clamat. Sed interdum non potest disertè quæ sentit proferre neque se ipsum intelligere, obrutus densissimis tenebris ignorantie.

Secunda veritas, In mundo vnum esse Deum, qui tantus & tam magnus est, vt nihil illo maius possit cogitari, & quod ille summus est condi-

Homo à Deo conditus, vt in Deo quiescat.

Corpus animi carcer.

Vnus in mundo Deus.

tor, mundique huius gubernator, cuius beneficijs & prouidentia sustentatur: vt satis in superioribus diximus.

*Deum amare
homo cogi-
tur.*

Tertia veritas, quæ ex præcedenti optime concluditur, infinitum continet debitum ac obligationem: qua homines supremum hunc Deum amare, colere, venerari, cuius magnitudo non potest comprehendi, & cuius beneficia sunt innumerabilia, astringuntur; ac cultu aliquo religionis qui gratus sit illius purissimis oculis, & celsitudini dignitatis, quo conformis honorari, vt breui etiam circumscriptione anteriori capite demōstrauimus.

Quarta Veritas, quæ consequenter præcedentibus adiungitur est, necessario debere in hoc mundo esse aliquem reuerentiæ & religionis modū, quo ipse debite ac legitime colatur, iuxta suæ maiestatis magnitudinem. Ex quibus etiam fit necessario debere esse religionem certam & veram qua Deus colatur ac honoretur. Restat igitur, vt diligenter inquiramus quæ sit hæc vera religio & vbi sit hic verus Dei cultus.

Quinta veritas, hic cultus Deo debitus & cætera omnia, quæ ad veram Religionem spectant, necessario debent esse à Deo hominibus reuelata. Nam cognitio Dei, ritus & cæremoniæ quibus Deus ipse ab homine colendus est, quo res est præstantior & excellentior cæteris humanæ vitæ actionibus, eo cognitionem disciplinamque requirit sublimiorem ac certiorē, cum sit radix & fundamentum totius humanæ vitæ: quare hæc cognitio & doctrina debet esse certissima, firmissima, & infallibilis veritatis. Quare etiam oportet vt huius religionis doctrina & aucta, & reuelata sit à Deo ipso, qui est summa veritas, & in quo nec vllus error nec falsitas vlla inueniri potest.

*Homo non
est frivola
conditus.*

Neque enim credendum est nobilissimam creaturam à Deo in terris formatam, qualis est homo, ad ipsum Deum tanquam in vltimum finem ordinatum, cuius vsibus omnia deseruiunt, frustra esse creatam, & absque vlllo medio certo ad vltimum suum finem perueniendi. Ad prouidentiam igitur Dei spectat, qui hominem ad se ordinauit, legem præscribere qua certo tendat in hunc finem, atque per se, vel per suorum ministrorum orationem doctrinam Religionis certam reuelare, hoc est quicquid credendum, agendum, & sperandum nobis est, modum quoque & rationem quibus illum honorare, colere eique inferuire debemus. Maximè cum intellectus humanus passionibus sit subiectus, ac originalis peccati tenebris obscuratus multique implicatus erroribus, necesse est his rebus impediri, quo minus in perspicuenda & diiudicanda veritate perfectus sit. Quare nulla est humana sapientia sufficiens ad perfectam veritatis noticiam assequendam, quoniam mens hominis cum fragili corpore colligata, & tenebroso domicilio inclusa veritatem peripicere clare non potest; cuius cognitio potius diuini-

næ naturæ est quam hominis. Quare eam assequi non possimus nisi addiscendo & audiendo ab eo qui solus scire potest & docere, vnde necesse fuit omnes Philosophorum aliorumque hominum sectas & opiniones de Deo alienas esse à veritate, nec vllum fundamentum, firmitatē, aut certitudinem posse habere, quæ nullis diuinarum vocū fulciuntur oraculis: cuius etiam argumentum est; Nam cum sit cognitio vltimi nostri finis & mensura & regula, secundum quam omnes actiones nostræ in Deum sunt dirigendæ, circa modum ad eum perueniendi infinitifere exortisunt errores: vt in initio huius tractatus attigimus: idemque fere inueniemus in cultu & sacrificio Deo exhibendo. Deus enim non desiderat victimam, neque muti animalis sacrificium, neque verbenis opus habet, neque fibris, neque cespitibus, & multo minus humano sanguine: quæ sunt vtique vanissima; sed ijs præcipuè quæ de intimo corde proferuntur, illi sacrificiū est integritas animi, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinencia: donū est hymnus & laus. hic est verissimus ritus, hæc illa lex Dei (vt inquit Cicero) præclara & diuina, semperque recta & honesta iubet, verat praua & turpia, cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi iuste ac legitime necesse est viuere.

Sexta veritas, Christianam Religionem esse illam in qua verus Dei cultus, vera Dei cognitio inuenitur, quod manifestè probatur; quia illa est vera Religio in qua reperiuntur omnes excellentiæ spectantes ad veram perfectamque Religionem, cuiusmodi est Christiana religio. Nam si breuiter illam describamus, illam merito appellamus religionē Christi, cuius author est ineffabilis veritatis, singularis sanctitatis, quæ multo ante fuit à sanctissimis viris prædicta, quæ nihil contra bonos mores, & rectam rationem continet, sed mirabiliter confert ad vitam rectè instituendam, cum sit summæ sanctitatis, integritatis, & efficaciz, quæ in sui propagatione diuinitus probata fuit & innumeris ac veris miraculis confirmata, quæ mirabiliter inter innumeras Gentilium, Iudæorum, & Hæreticorum persecutiones illæsa permansit, & incredibiliter creuit, pro cuius confessione ac defensione infinitus hominum numerus cuiuscunque generis, ætatis, & sexus, ac conditionis tam alacriter mortem subiit: cuius persecutores tam grauibus supplicijs multati sunt: cuius sanctitati & integritati ipsimet aduersarij vel inuiti perhibere testimonium coacti sunt. Quæ denique qui recipiebant super naturæ ordinem ad illam se varijs illustrationibus affici & allici sentiebant: quamque complexi sunt tot viri sanctitate, sapientia, doctrina, & omni virtutum genere clarissimi: sed doctrina nostræ fidei est huiusmodi, vt patet discurrenti per motiua quæ supra adduximus, & per notas Ecclesiæ Catholicæ, de quibus lib. 8. contra Hæreticos egimus. Videnda sunt etiam ea, quæ propè finem tractatus de

*In Christiana
religione
verus Dei
cultus est.*

credibilitate nostræ fidei attingimus. Omnia igitur motiua prædicta expendenda sunt, in huius veritatis confirmatione, nempe Religionem Christianam fidemque nostram esse à Deo, ipsamque solam esse veram, & perfectissimam Religionem.

Peraetis his, ac pro dignitate argumenti expensis, si infideles diuino illustrati lumine, huic veritati assentiantur, velintque fidei nostræ mysteria peroscere, atque ad eiusdem fidei veritatem conuerti: tunc edocendi erunt circa religionem Christianam, seruata forma Catechismi à nobis secundo tomo pro infidelibus præscribenda.

CAP V T X V.

Breuis conuincendi Paganos formula ex
Lactantio Firmiano desumpta.

Placuit hic breuiter pro Ethnicorum conversione Lactantij Firmiani disputationem breuissimam, & quasi suorum operum appendicem adducere, qua ipse lib. 7. cap. 4. 5. & 6. ea verborum elegantia qua solet proponit.

Quare homo creatus sit corpore fragili, & capax sit rationis.

Nihil est vt opinor quod sit propter se ipsum factum: sed quicquid omnino sit, ad vsum aliquem fieri necesse est. Quis est enim tam ineptus vel tam otiosus vt aggrediatur aliquid facere frustra: ex quo nullam utilitatem, nullum commodum speret? qui domum ædificauit, non ideo tantum ædificauit vt domus sit, sed vt in ea possit habitari: qui nauem fabricatur, non ideo infumit operam, vt tantum nauis appareat, sed vt in ea nauigetur. Item qui vas aliquod instituit, aut format, non ideo id facit, vt tantum fecisse videatur sed vt vas illud effectum capiat aliquod necessarium. Similiter cætera quæcunque fiunt, non vtique in superuacuum, sed ad vsum aliquos vtilis laborantur. Mundus igitur à Deo factus est; non vtique propter ipsum mundum; neque enim aut calore Solis, aut Lunæ lumine, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cui sensu careat, indiget.

Sed ne illud quidem dici potest, quod Deus propter se ipsum fecerit mundum, quoniam potest esse sine mundo, sicut fuit antea, & ijs omnibus quæ in eo sunt, quæque generantur, Deus ipse non vtitur. Apparet ergo, animantium causa mundum esse constructum, quoniam rebus ijs quibus constat animantes fruuntur: quæ vt viuere, vt constare possent, omnia his necessaria temporibus certis subministrantur. Rursum cæteras animantes

hominis

hominis causa esse factas, ex eo clarum est, quod homini seruiunt, & tutela eius atque vñibus data sunt: Quoniam siue terrenæ sint siue aquatiles, non sentiunt mundi rationem sicut homo. Magna igitur, & recta, & admirabilis est vis, & ratio, atque potestas hominis, propter quem mundum ipsum, & vniuersa quæcunque sunt Deus fecit: tantumque illi honoris habuit, vt eum præficeret vniuersis, quoniam solus poterat Dei opera mirari. Optime igitur Aesclepiades de prouidentia summi Dei differens; atque ideo, inquit, merito quis arbitretur proximum sibi locum diuinæ prouidentiam; dedisse ei, qui potuerit intelligere ordinationem suam. Nam Sol iste est, quis eum videt ita, vt intelligat quia Sol est. & quantum gratiæ afferat cæteris institutis? hoc cælum est, quis id suspicit? terra hæc, quis eam colit? hoc pelagus, quis nauigat? hic ignis est, quis eo vtitur? Instituit ergo summus Deus non propter se, quia nullo eget, sed propter hominem qui his congruenter vteretur.

Reddamus nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit. Sicut ergo mundum non propter se Deus fecit, quia commodis eius non indiget, sed propter hominem qui eo vtitur: ita ipsum hominem propter se. Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, vt eum propter se faceret? scilicet vt esset qui opera eius intelligeret, qui prouidentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, & sensu admirari, & ore proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est vt Deum colat.

Is eum colit, qui hæc intelligit: is artificem omnium rerum, is verum Patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem maiestatis eius de suorum operum inuentione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, & mundum hominis, & hominem sua causa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animalibus solus ita formatus est, vt oculi eius ad cælum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit; vt videatur hominem Deus, quasi porrecta manu eleuatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse. Quid ergo inquit, cultus hominis Deo confert beato, & nulla re indigenti? vel si tantum honoris homini habuit, vt ipsius causa mundum fabricaret, vt instrueret eum sapientia, vt Dominum viuientium faceret, eumque diligeret tanquam filium; cur mortalem fragilemque constituit? cur omnibus malis quem diligebat obiecit? cum oporteret & beatum esse hominem, tanquam coniunctum & proximum Deo & perpetuum, sicut est ipse, ad quæcolendum & contemplandum figuratus est.

Cum posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut Angelos genuit, quibus immortalitas sine villo malorum periculo ac metu constat: excogitauit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo

Quidquid factum est in vsum aliquem factum est.

Dei homi-
ne propter se
condit.

fragilibus & imbecilibus corporibus illigatas, constitueret inter bonum malumque medias, ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate assequerentur, ac molliter, sed ad æternæ vitæ ineffabile præmium summa cum difficultate ac magnis laboribus peruenirent. Ergo ut eas grauibus & nexilibus membris indueret, quoniam consistere in medio inani non poterant, ponderibus & grauitate corporis deorsum premente sedem illis ac domicilium primo colendum esse decreuit. Itaque ineffabili virtute, & potentia præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinem leuibus elementis, & grauibus in ima depressis: & cælestia formauit & terrena constituit; non est necesse nunc exequi singula. Lumina igitur posuit in cælo quorum moderationes, & claritates, & motus aptissimè ad vtilitates viuentium temperauit. Terræ autem, quam sedem voluit esse, fecunditatem varia gignendi ac proferendi dedit, ut ubertate frugum & herbarum viuentium pro natura & vsu cuique generi alimoniam administraret. Tum perfectis omnibus quæ ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipsa terra, quàm illi à principio in habitaculum præparauit: id est spiritum suum terreno corpore induit, & inuoluit, ut & compactus ex rebus diuersis, ac repugnantibus, bonum ac malum caperet, & sicut terra ipsa fecunda est ad fruges pariendas, ita corpus hominis, quod assumptum è terra generandi copiam facultatemque procreandæ sobolis accepit: ut quoniam fragili materia formatus, in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ spatio cederet, & illud quod fragile atque imbecillū gerebat, perpetua successione renouaret.

Cur igitur eum mortalem finxit, & fragilem, cum illius causa mundum ædificasset? Primum ut infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppelleret: deinde ut proponeret homini virtutem, id est tolerantiam laborum ac malorum, per quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat, corpore atque anima; quorum alterum terrenum est, alterum cæleste, duæ vitæ homini attributæ sunt: vna temporalis quæ corpori assignatur, altera sempiterna, quæ animæ subiacet: illam nascendo accipimus, hanc laborando assequimur: ne immortalitas homini (ut ante diximus) sine vlla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus, & ideo finitur. Hæc vero cælestis sicut anima, & ideo terminum non habet. Illam primam nescientes accepimus: hanc secundam scientes, virtuti enim non naturæ datur; quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare: Idcirco hanc præsentem dedit, ut illam veram & perpetuam, aut vitij amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum: quoniam sicut necessitate diuina nobis data est, ita rursus diuina necessitate soluitur. Ita quod finem

habet,

habet, summum bonum non habet. In illa vero spiritali, quam per nos ipsi acquirimus summum bonum continetur: quia nec malum potest habere, nec finem: cuius rei argumentum natura & ratio corporis præbet. Cætera namque animalia in humum vergunt, quia terrena sunt, nec capiunt immortalitatem quæ de cælo est. Homo autem rectus in cælum spectat quia propofita est illi immortalitas: nec tamen venit nisi tribuatur homini à Deo. Nam nihil interesset inter iustum & iniustum: siquidè omnis homo natus immortalis fieret. Ergo immortalitas non sequela natura, sed merces præmiumque virtutis est.

Denique homo non simul ac natus est, rectus ingreditur, sed quadrupes primo, quia ratio corporis, & huius præsentis vitæ, cõmunis est nobis cum brutis animantibus: post deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua eius in eloquium soluitur, & mutum animal esse desinit. Quæ ratio docet, mortalem nasci hominem, postea vero immortalè fieri, cum cœperit ex Deo viuere, id est iustitiam sequi quæ continetur in Dei cultu, cum excitauerit hominem Deus ad aspectum cæli, ac sui. Quod tum fit cū homo cælesti lauacro purificatus exponit infantiam, cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus & plenus. Ergo quia virtutem proposuit homini Deus, licet anima & corpus consociata sint, tamè cõtraria sunt, & impugnât inuicè. Animi bona mala sunt corporis, id est opū fuga, voluptatū interdictio, doloris mortisque cõtemptus. Item corporis bona mala sunt animi, hoc est cupiditas & libido, quibus opes appetuntur ac suauitates variarum voluptatū, quibus eneruatus animus extinguitur.

Ideo necesse est iustū & sapientē in omnibus malis esse; quoniam malorū victrix est fortitudo: iniustos autè in diuitijs, in honore, in potestate: hæc enim corporalia & terrena sunt. Illi autem terrenā vitā agunt, nec assequi immortalitatem queunt, quia se voluptatibus dederunt, quæ sunt summæ virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet esse subiecta, sicut corpus animæ.

Quisquis ergo animæ vitā maluerit, vitā corporis contēnat necesse est: nec aliter eniti ad summū bonū poterit, nisi quæ sunt ima despexerit. Qui autè corporis vitā fuerit amplexus, & cupiditates suas in terrā deiecerit, illā superiorē vitā consequi nō potest. Sed qui mauult bene viuere in æternū, male viuet ad tēpus, & afficietur omnibus molestijs, & laboribus, quā diu fuerit in terra, ut habeat diuinū solatiū: & qui maluerit bene viuere ad tēpus, malè viuet in æternū: dānabitur enim sentētia Dei ad pænā æternā, quia cælestibus bonis terrena propofuit. Propterea igitur colit se Deus expetit & honorari ab homine tanquā Pater, ut virtutem ac sapientiam teneat, quæ sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius donare præter ipsum

ipsum eam potest, quia solus possidet pietatem hominis qui Deum honorauerit, hoc afficietur premio, ut in eternum sit beatus, sitque apud Deum, & cum Deo semper. Nunc autem cum homo & sapientia sit instructus, ut sciat; & corpore, ut sentiat: vtrumque pariter in hac vita Deus esse voluit, ut ratio virtutis sapientiaque constaret. Posuit itaque hominem inter vtrumque medium, ut haberet licentiam vel boni, vel mali sequendi. Sed malo admiscuit apparentia quaedam bona, id est varias & delectabiles suauitates, ut illarum illecebris hominem duceret ad latens malum. Bono autem admiscuit apparentia quaedam mala, id est ærumnas, & miseras, & labores, quorum asperitate & molestia offensus animus refugeret à bono latenti.

Hic ergo sapientia officium desideratur, ut plus mente videamus, quam corpore: quod pauci admodum facere possunt: quia & virtus difficilis est ac rara, & voluptas communis ac publica: ita necesse est sapientem prostituto haberi, qui dum appetit bona, quæ non cernuntur dimittit è manibus quæ videntur, & dum vitat mala quæ non aspiciuntur, incurrit in mala quæ ante oculos sunt. Quod accidit nobis cum neque cruciatum neque mortem pro fiderecufamus, quando ad summum nefas compellimur ut prodita fide, atque abnegato Deo vero, Dijs mortuis mortiferisque libemus. Hæc ratio est cur hominem Deus & mortalem fecerit & malis lubiecerit, licet ipsius causa mundum edificasset; scilicet ut virtutem caperet. & ei virtus sua immortalitatem daret. Virtus autem, sicut ostendimus, veri Dei cultus est.

CAPVT XVI.

Breuior prædictorum summa ex eodem
Lactantio.

Hanc totam rationem breui circumscriptione signemus idcirco mundus factus est ut nascamur: ideo nascimur ut agnoscamus factorem mundi, ac nostri Deum; ideo agnoscimus ut colamus: ideo colimus ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo premio immortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo Patri ac Domino in perpetuum seruiamus, & simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi; à quo sunt alieni qui sectantes præsentem voluptatem terrestribus & fragilibus se bonis addixerunt, & animas ad cælestia genitas, suauitatibus mortiferis, tanquam luto canoue demerserunt, **Quæramus**

nunc

nunc vicissim An in cultu Deorum vlla ratio subsistat, qui si multi sunt, si ideo tantum ab hominibus coluntur, ut illis præstent opes, victorias, honores, & quæ alia nõ nisi ad præfens valent, si sine causa gignuntur, si in hominibus procreandis prouidentia nulla versatur, si casu nobismetipsis, ac voluptatis nostræ gratia nascimur, si nihil post mortem sumus: quid potest esse tam superuacuum, tam inane, tam vanum, quam humana res est, quam mundus ipse? qui cum sit incredibili magnitudine, tam mirabilis ratione constructus, tamen rebus ineptis vacet. Cur enim ventorum spiritus citent nubes, cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant? ut fruges terra producat. Cur varios fetus alat? cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid desit earum rerum quibus vita hominis sustinetur? si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis magis emolumentum Deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse ut non ob aliquam maximam rationem, fuerit constitutum, quod videas maxima ratione constare: quæ potest esse ratio in his erroribus prauarum religionum, & in hac persuasione Philosophorum, qua putant animas interire? profecto nulla. Hactenus Lactantius.

CAPVT XVII.

Formula alia ex Hieronymo Sauanarola pro
demonstranda aduersus Gentes fidei
Catholicæ veritate.

Hieronymus Sauanarola acutè satis & eruditè, præcipuè in tractatu de triumpho Crucis, & alibi sæpe, ut plurimum à naturalibus principijs initium sumens, gradatim ad mysteriorum fidei nostræ confirmationem conscendit: Ex quo nos breuitati consulentes, Epilogum siue argumentorum conclusionem quandam ab ipso ad finem operis sui adiectam, selegimus: quæ ut clarius intelligantur, pauca ex eodem auctore præmittenda duximus. Oportet, inquit ipse cap. 1. nos ad cognitionem inuisibilium per visibilia deuenire, omnis enim nostra cognitio incipit à sensu. Colligentes igitur Philosophi præ oculis vniuersum: cælum scilicet & ornatum eorum, atque influxum, nec non elementorum proprietates, actiones mixtionisque eorum multimodas, compositarum rerum varietates, motus & proprias passiones, mirabilem denique ordinem, & mundi huius visibilis magnitudinem, & pulchritudinem, ad inuisibilia suscipienda mentis aciem erexerunt. Quibus inuentis, eorum naturas & pro-

K K K K k

prietates,

prietates, qualitercunque potuerunt, inuestigare conati sunt. Sicuti ergo ipsi Philosophi, res naturales esse opera Dei cognouerunt, per quæ in eius virtutis & gloriæ cognitionem perueniri potest: ita quæ sunt in Ecclesia Christi, sensibus & ratione perceptibilia, ostendere volumus esse eiusdem opera Dei, per quæ ad notitiam maiestatis & gloriæ Iesu Christi, qui nobis inuisibilis est, peruenire possumus. Quemadmodum igitur omnia, quæ Deus fecit in vniuerso, Philosophi aggregauerunt; oportet quoque nos colligere quæcunque Christus in mundo operatus est. Et sicut ex miris naturæ operibus Philosophi coacti sunt confiteri Deum esse primam omnium causam, & opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis, hoc est est Dei: ita ex admirandis Christi operibus ostendere volumus eundem Christum crucifixum esse, primam omnium causam, & ipsius operationes esse Dei operationes, qui errare non potest; nec tamen ideo asserere volumus, nos ob has rationes credere. Neque enim harum argumentationum virtute, Christiana mens ad credendum impellitur. Alioquin de huiusmodi rebus fides, sed opinio haberetur: virtute autem hæc credimus luminis ex Deo nobis supernaturaliter infusi. Deinde his rationibus fidelium animos alacriores reddimus & confirmamus; incredulis aduersarijs demonstrantes, fidem à nobis non leuiter, & inaniter, sed grauior, sapientissimeque teneri. Ut autem melius vniuersa diuersorum temporum Ecclesiæ opera, tam præsentis quam præteritæ in vnum collecta, ante oculos statuamus, ad similitudinem, & comparisonem vniuersi, sub effigie currus triumphalis, singula inferius describemus.

De triumpho Christi, vnde fidei argumenta eliciuntur. §. I.

Deus enim cum sit infinitæ potentæ, sapientiæ & bonitatis, non potest per vnā tantum creaturam nisi imperfectè cognosci, Philosophi siquidem in tantæ maiestatis notitiam ex ordine vniuersi potissimum deuenerunt: qui ordo non ex vna dumtaxat, sed ex innumeris ferè constat; quas non multa cum difficultate præ oculis simul statuere potuerunt: cum sint omnes naturali quodam vinculo ita connexæ, vt alia ex alia pendeat.

Primum itaque ante ora constituamus currum quatuor vectum rotis, & super eo, more triumphantis Christum spinis coronatum, innumeris probris & contumelijs, atque atrocissimo & turpissimo supplicij ac mortis genere superatis, plagarum liuorem, totiusque cruentati corporis cicatrices, & vulnera ostendentem, quibus non alijs armis cuncta subegit.

&c.

& captiuam in altum duxit captiuitatem. Eiusque vertici, micantibus radijs lucidissimis, immineat globus trina facie trinitatem effingens, totum ipsum Christum, eiusque Ecclesiā inenarrabili circumfuso splendore, profusus illustret, Christus vero læua crucem teneat, cum cæteris passionis suæ aculeis, & instrumentis, vtriusque testamenti volumen dextra complectens. Iuxta pedes superposita hostia stet calix: & circa ipsum distincta vasa aquæ, vini, olei, & balsami, cum reliquis Sacramentorum Ecclesiæ signis. Mox infra gradum Christi sedeat pijsima eius mater Virgo Maria. Ad hæc infra ipsius Virginis gradum circumquaque disposita sint aurea, argentea, & cristallina vasa, calaturis & gemmis pretiosis ornata, non nisi ossibus & cineribus referta mortuorum. Ante currum statim Apostoli, & Prædicatores omnes quasi vehiculum trahentes assistant, præeuntibus Patriarchis, & prophetis veteris testamenti, cum innumera virorum & mulierum caterua. Currum circumstent amplissima vtriusque sexus, & cuiuslibet conditionis agmina Martyrum, circa quos sint vniuersi Doctores sacri libros apertos vtraque manu gestantes. Currum dehinc sequatur infinita multitudo vtriusque sexus, & omnis generis, & fortis hominum, Iudæorum scilicet, Græcorum, Latinorum & Barbarorum, tam diuitum quam pauperum, sapientum, eruditorum, idiotarum, & cuiuslibet ætatis plaudentium. In circuitu autem horum omnium tam præcedentium quam sequentium triumphalis currus pompam ponamus, innumeras hostium turmas, Ecclesiam totis viribus oppugnantes, Imperatores scilicet Reges, Principes, & potentes huius sæculi, sapientes quoque Philosophos, & hæreticos, ac ex omnium gentium & linguarum populis, seruis, & liberis, maribus, ac feminis, infinitam fortis cuiuscunque frequentiam. Iuxta hos profana Deorum simulachra, & idola cõstrata, diruta, & comminuta describantur, nec non libri hæreticorum combusti, confutataque cæterarum sectarum dogmata, cultus denique omnis aliarum religionum deiectus & euersus.

Huiusmodi ergo currus ante oculos nostros descriptus, & constitutus, erit quasi quoddam vniuersum, vnde nouam Philosophiam elicere valeamus. Pro prima siquidem causa, & pro inuisibilibus, ad quorum cognitionem per visibilia nituntur Philosophi peruenire, in vertice Christi radiantem globum lucidissimum statuimus, vice sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis. Quem summum Deum esse confitemur, atque ipsum Christum, qui nobis inuisibilis est, cæteris vndique supereminentem, cui innumeros Angelorum & animarum beatarum choros assistere credimus, ad quorū cognitionem & scientiam, ex his quæ supra, & circa currum visibilia collocauimus peruenire conabimur. Sicut autem Philosophi post inuisibilia cælum dicunt esse principalem omnium, quæ infra ipsum gene-

KKKKk 2 rantur,

rantur, causam: ita & nos crucem & passionem Christi post diuinitatem, ponimus principalem causam gratiarum Ecclesie, & nostre salutis. Et sicut post celum succedunt elementa, ita post passionem Christi sequuntur Ecclesiastica sacramenta. Et quemadmodum elementa virtutem omnem habent à celo; ita sacramenta virtutem à passione Domini consequuntur. Post elementa verò semina in mundo, & agentia particularia ponimus. Pro seminibus ergo in triumpho nostro doctrinam capimus Evangelicam, Sanctorumque opera & exempla, quorum ossa ac cineres nos memores reddunt. Eorum namque monumentis, monitis & exemplis Ecclesia quotidie claret, ac fructuosis operibus fecundatur.

In super pro particularibus agentibus descripsimus Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, ac Doctores, qui dum viuerent vniuersum terrarum orbem prædicationibus in Christo regenerarunt. Sancti enim dum Christo cooperantur, particularia agentia rectè vocari possunt. Eorum vero scripta, bona opera & exempla, quæ sepius in Ecclesia recoluntur, nobis semina bene viuendi procul dubio existunt. Postremo in hoc mundo corporeo, sequuntur effectus, pro quibus amplissimam hominum multitudinem cuiuslibet conditionis descripsimus, ad Christum exemplis & adhortationibus sanctorum conuersam, quæ cum pie, tum etiam sanctissime vixit. Sed quia in rebus naturalibus omnis motus est de contrario in contrarium, & generatio vnus est corruptio alterius, in omni generatione pugnantia inuicem contraria requiruntur; ubi semper maior præualeat veritas. Propterea hostes Christi & Ecclesie, eorumque errores vndique Christo duce, fugatos, & euulsos in hoc mundo descripsimus. Porro ex quatuor rotis quatuor mundi partes intelliguntur, per fidem & veritatem Christi mirifice illustratæ. Sicut ergo Philosophi præ oculis habentes ordinem vniuersi, & eius effectus considerantes, admiratione & ardore discendi ipsas naturalium effectuum causas perquirendo, paulatimque ab inferioribus ad superiora ascendendo, ad cognitionem diuinæ Maiestatis & inuisibilium peruenerunt. Ita & nos si triumpho & descriptionis huius imaginem, præteritosque & quotidianos effectus hinc elicitos diligentius perscrutati fuerimus, incipiemus admirari, & eorum causas inquirere, & per hoc, ad Diuinitatem Christi, & inuisibilia maiestatis eius cognoscenda gradatim transferemur.

Præmissis igitur mirabili Christi triumpho, iam ad prædicti Authoris epilogum accedamus, in quo breuissimè fidei nostre varia argumenta non solum aduersus Ethnicos, sed & infideles quoscunque congestit.

Breuis

Breuis argumentorum eodem Sauanarola auctore collectio ad Infideles conuincendos. §. 2.

Vt autem breui epilogo quæ superius dicta sunt, perstringentes collecte oculis rationes facilius offerantur: dicimus Christianos ad credenda, obseruandaque Christi & eius Ecclesie mysteria, ac præcepta, non leuiter, sed sapientissimè moueri. Primum siquidem sapientis est, orbis huius, magnitudine, ordine, pulchritudine perennitateque diligenter consideratis, Deum tanto operi præesse, hoc est primum motorem, seu primam causam, seu primum ens omnium nobilissimum confiteri. Nihil enim mouet se ipsum, etiam in mouentibus, seu producentibus non est processus infinitus. Cum vero spiritus corpore nobilior sit, & actus potentia, necesseque sit actum simpliciter esse potètia ipsa priorem, quatenus Deum non esse corpus, nec corporis formam, neque ex partibus compositum, nisi qui penitus despicat, negare potest. Quod si Deus actus purus, quis dubitet ipsum esse perfectum & summum bonum infinitæque potètiæ, qui in omnibus operatur, immutabilem quoque & æternum atque vnum, nisi omnis prorsus Philosophiæ sit expers? Et cum videamus in rebus nobilioribus, vt in ipsis animatis quod quanto magis à materia earum formæ eleuantur, tanto magis cognitionis participes sunt, nemini ambigendum est, cum Deus sit actus purus, quin etiam sit intelligens, imo ipse intellectus, ac sapientia infinita. Cum autem nullus sine voluntate sit intellectus, nullaque, non libera voluntas, manifestè patet Deo voluntatem inesse, & quod agit, non necessitate naturæ, sed propria agere libertate. Quapropter cum in omnibus per suum intellectum & voluntatem, tanquam prima causa operetur; etiam confiteri oportet ipsum habere omnium præsertim rerum humanarum prouidentiam; cum homo sit omnium creaturarum corporearum nobilissimus, & propter ipsum facta sint omnia naturalia, Dei itaque est hominè ad finem suum dirigere. Homo autem prout est rationalis, non potest ad alium finem, præterquam ad Diuinorum contemplationem ordinari, cum finis intellectus sit veritas, & voluntatis obiectum sit bonum vniuersale, quod in rebus creatis inueniri non potest. At quoniam præsens vita calamitatibus plena existit, nostraque cognitio dum hac mole carnis regimur, per exigua resultat, beatitudinem in ea ponere valde irrationabile est, imo aliam vitam concedere necessitas cogit, animamque nostram esse immortalem, atque ipsius corporis formam, alioquin non appareret quomodo & per quid homo esset homo. Proinde sequitur, ipsam aliquo modo subsistentem, & separabilem esse. Qui enim ita sentiunt viam

K K K K k 3

veritatis

veritatis tenentes omnes laqueos, nodosque; quibus ij qui ab hac sententia discrepant, facillime euadunt. Si igitur rerum naturalium ordinem subtiliter inuestigemus, quid doctrinae Christianae talia asserenti irrationabile impingi potest. Nonne haec omnia rationi consona, a sapientissimis viris insolubilibus argumentis approbata.

Proponamus etiam nobis descriptum superius triumphum, incomparabilia Christi opera considerantes; nilque in doctrina Christiana a ratione alienum inueniemus. Quis enim negare potest, aliquam in mundo veram esse Religionem? cum omnes homines ad colendum Deum, stimulante natura inclinentur, cultusque ipse diuinus medium perueniendi ad beatitudinem existat. Nihil siquidem ab ipso Deo ad aliquem finem sine exhibitione medij ad illum tendentis ordinatur, alioquin ad huiusmodi finem id frustra institueretur, quod Deo minime conuenit. Quid vero aliud quam bene viuere verus Dei cultus exposcit? Deum enim colere, est ipsum venerari, & vt Deum agnoscere; is autem melius venerari non potest, quam in sui effectus perfectionem, qui in bona hominis vita consistit. Cum autem nulla melior vita quam Christi inueniri aut excogitari queat; patet ipsius cultum esse optimum; cuius sine ac medio ad ipsum finem perueniendi, nullus rationabilior & perfectior finis, aut certius medium dari potest. Certum est ergo Religionem Christianam veram & a Deo esse, qua ad veram beatitudinem recto tramite homines perducuntur. Nisi enim haec ad beatitudinem perducatur, quamnam alia id praestare poterit? Non ergo leuiter, sed sapientissimè professio vitaeque Christiana suscipitur & obseruatur.

Quod si tibi prima fronte videatur absonum credere, crucifixum Deum Dei filium & hominem esse; cogita quaeo tantam vitae rectitudinem a tam immenso errore generari non posse. Experientia siquidem docet, vitam Christianam quae purgatissima est, a fide crucifixi provenire, nutrirī, augeri, ac perfici. Animaduerte item sacras veteris nouique testamenti scripturas, in quibus tota consistit fides, non nisi a Deo esse posse, ex quibus tot ante annos futura praenunciata sunt, totque sanctissimae vitae Christianae fructus emanarunt, ac innumeri sapientes ad veritatis huius lumen conuersi sunt.

Præterea, si fides Christi falsa esset, id profecto viris praesertim purgatissimis in oratione diuinorumque contemplatione a Deo super omnia veritatis lumen obsecrantibus, tandem aperiretur. Sed cum re ipsa compertum sit, huiusmodi viros magis, ac magis in hac confessione confirmari; nequaquam potest cum falsitate diuinissimus effectus conuenire, neque subinde Christi fides falsa esse. Quod etiam ab exteriori cultu probatur; cui quanto deuote magis & humiliter homines subiiciuntur; tanto sanctiores

etiores euadunt: contra vero qui eum contemnunt, vel irreuerenter colunt, deteriores efficiuntur.

Præterea si vana haec fides esset, quo pacto immobilis animi tranquillitas, & intrepida libertas, solidumque gaudium Christianis insumtum esset? vt innumeri vtriusque sexus summas tribulationes, pressurasque perferentes, in praecipuis delictis constituti videantur. Nempe si eiusmodi errore ducerentur, nec bonae vitae illis incrementum, nec supra humanas vires constans in aduersis latitia pro Christi nomine redundaret. Quinimo hanc animi sinceritatem iucunditatemque adeo refulgere in ipso corpore cernimus: vt apud omnes quadam frontis venustate, totiusque oris maiestate venerabiles fiant, ex eorumque conspectu plurimi tanquam radijs diuinitus afflati in melius vitam commutent. Quae cum quotidie in Ecclesia Dei conspiciantur, quis nisi omnino mente captus irridere, imo non approbare, atque admirari queat?

Si vero Christum de superis, inferisque triumphantem consideraerimus, nullus dubitationi supererit locus, quin ipse verus sit Deus; qui relictantem vniuersum orbem, Dijs scilicet omnium nationum, nec non Imperatoribus, Tyrannis, Philosophis, haeticis, efferisque gentibus contra eum pugnantibus, non vi nec armis, nec terrenarum rerum pollicitationibus, non facundo ac resonanti eloquio, sed sobrio, castoque paucorum pauperum, & humilium sermone, exemploque subegit, suisque legibus immutauit. Et quæcūque cogitauerat, quæ vel impossibilia omnino videbantur, effecit, mirabilique quoque sapientia sua facillimè incredibilique celeritate totum iacentem in tenebris terrarum orbem penitus illustrauit, ab erroribus purgauit. Immensa dehinc bonitate sua ita ad sui amorem hominum corda allexit, vt innumerabiles omnium gentium populi vtriusque sexus, & cuiuscūque conditionis professionisque homines etiam sapientissimi, mundana omnia pro eius amore, atque confessione floccipenderint. Ludibria in super, minas, verbera, tormenta, extremaque supplicia gratanter adierint: quis ergo hominum aut Deorum eiusmodi potentiae, sapientiae ac bonitatis vnquam apparuit? Si ergo hic Deus non est, quis inquam alius esse potest? Nunquid scelestissimus & superbissimus homo, qualem si Deus vere non esset, Christum dicere oportet, talia implere potuisset? Nonne si absque miraculis ea fecisset; hoc ipsum absque vlllo obtinuisse miraculo, miraculorum esset maximum?

Quid vero a ratione alienum Christus docuit? Si incomprehensibilis Trinitatis arcanum reuelauit; eius vestigiū & imaginem in creaturis cernimus. Nec ideo contra Philosophiam aliquid astruimus, si mundi creationem perhibuit; contra rationem non militat; cum omnia a prima efficiente causa facta esse congruum sit. Si animarum sanctificationem conside-

Christi in omnes possessiones ac trinitatis de vniuersis.

res ratio pariter dicitur, ut homo ad supernaturalem beatitudinem, ad quam ordinatur per supernaturale donum ipsum purificans & sanctificans transferatur. Quo autem ad beatitudinem, & gloriam animarum, consentaneum est, ut ad id, ad quod ordinatae sunt, perueniant. Si resurrectionem corporum attendas; non frustra expetitur, quia anima separata, ut forma propria materiam, suum appetit corpus, cum quo prout bene vel male egerit, aequum est, ut communem retributionem recipiat. Si totius mundi glorificatio expectatur, quid inde inconueniens dicimus? Quamquam enim beati post resurrectionis gloriam corporum ministerio, nec propter corpus, nec propter intellectum indigebunt: eo quod incorruptibile tunc corpus induerint, nec per sensus cognitionem accipient cum omnes Dei essentiam visuri sint: tamen quia corporeus oculus ad essentiam diuinam visionem non perueniet, conuenientissimum erit etiam corpora caelestia, & elementa glorificari, ut ipsi oculo glorificato congruum & delectabile obiectum praebeatur. Si Deum hominem factum asserimus, quid decentius magisue piuum ab optimo parente, & opifice omnium concedi potuit quam ut sedentes in tenebris & in umbra mortis per semet Deus ipse illuminaret, & de fine perfectaue vita eos certiores faciens, pro illorum peccatis pariter satisfaceret? quibus diluendis nemo alius sufficere poterat. Idcirco qui ad delendum peccata venerat, etiam sine peccati labe de Virgine nasci debuit, & in Cruce mori, ut exemplum nobis exhiberet, pro iustitia nullum genus mortis esse fugiendum. Ipsum denique resurgere, & in caelum ad Patris dexteram ascendere dignum fuit; ut omnibus resurrectionis aeternaeque vitae spes certior tribueretur. Et qui pro omnibus factus reus Iudicium ultro subiit, par est ut omnium Iudex supremus existat.

Christiana religio praecipua moralia & iudicialia rationabiliter adhibet.

Quid insuper circa moralia aut iudicialia à Christiana Religione irrationabile traditur? Cum nulla vita melior, nullumque perfectius regimen quam Christianae institutionis inueniatur. Quidquid enim boni super his à Philosophis doctissimisque viris tractatum, est illa suscipit, nihilque veri reiiciens perfectiora multa abundantius cumulauit. in ceremonialibus quoque, nil impossibile nil contra rationem admittitur, sed magnam indefanctitatem, diuinorumque delectationem homo acquirit.

Nulla ad dignitatem Christiana Religio pertinere possunt iusta.

Quid simile quæso aliae religiones afferunt? An Philosophi in eius comparationem venire possunt, qui nec de fine humanae vitae, nec de ipso medio quicquam certi diffiniens errores plurimos disseminarunt. Astrorum vero cultoribus, fabulis ac vanis superstitionibus occupatis nulli perniciosius stultiusque delirant. idololatram nihil veri aut honesti habent. Contra Iudaeos signa promissa, & oracula Prophetatum, sacerdotia, sacrificia, omniaque illius gentis monumenta, euentus denique ipsi, ac mille iam & quadringentorum quinquaginta plurimumque annorum captiuitates, extirpatioque

extirpatioque, ac dissipatio, vastatioque reclamant. Hæreticos Euangelium & inter eos dissensio, ac demum profligatio satis coarguit, & iam funditus extinxit. Contra Mahometanos omnis Philosophia, omnis recta institutio inuehitur, in quibus nil solidum, aut fide dignum reperitur. At doctrinam Christianam tot stabilitam vitae sanctissimae fundamentis, totque bonorum in mundo operum effectricem, quæ tanto tempore, contraque tot acerrimos impugnatores, sua sanctitate praeualuit, nulla obiectio naturali vel supernaturali lumine eruta infringere vel damnare potest.

Quis ergo recte sentiens fidem hanc Christi saluberrimam, non imitandam & amplectendam omnino proponat? Desistite igitur sciolii ac temerarij, qui non aliter quam contra fidem blasphemando, sapientes videri posse putatis. Desinite tandem contra eam garrere, & in perniciem vestram profanis sacra latratibus temerare. Sed cum tanta temporum, rerumque connexionem, sacris vaticinijs, manifestis signis, certo successu, saluberrima doctrina, incomparabili vitae sanctimoniam, præclarissimorum virorum approbationibus & exemplis, miraculorumque frequentia, ac celebritate, postremoque innumerabilium Martyrum sanguine, ab exordio in succedentia usque tempora fundata, extructa, roborataque sit; concedite hanc vnam verissimam esse, aliam hinc celeriter vitam sine ullo dubio expectantes. & tunc tremendi Iudicis sententia subeunda est; qui oves quidem, id est bonos, à dexteris, hædos autem scilicet malos, à sinistris statuet: hi que ibunt in supplicium æternum, illi vero in vitam æternam, ubi in Trinitate vnum Deum ineffabilem immensumque videbunt, eoque perpetuo perfrentur, per gratiam inuictissimi triumphantisque Redemptoris nostri Domini Iesu Christi. Cui est honor, virtus, potestas, imperium per infinita sæcula sæculorum. Hæc & alia præclare in prædicto libro à Hieronymo Sauanarola scripta.

Epilogus in laudem Christiana fidei.

S E C V N D A P A R S.

C A P V T I.

De iuuandis Gentibus, & ratione agendi cum eis.

Nationes omnes Paganorum siue Gentilium, quamuis innumerabiles sint, ad tres classes referri possunt, ut optime annotauit. Ioseph Acosta, in proœmio de Indorum salute procuranda. Prima est eorum qui à recta ratione non recedunt, & maxime pollicii sunt, cuiusmodi sunt Sineses.

Gentes in tres classes referuntur.

LLLLL

nenses.

nenses, Iaponenses. Secunda est minus politicorum, qui quamvis literis operam non dent, legibusque scriptis careant, habent tamen adumbratam quādam Reipublicæ formam. magistratibus honoris ac certis sedibus ornata, habentque militiæ Duces, ac Religionis suæ celebritatem & ritus, ac denique ratione quadam humana gubernantur. In hoc genere erunt Mexicani, & Peruenfes, de quorum Reipub. forma, legibus & ritibus, plura admiratione digna, & penitus incredibilia recēset idem Pater Acoſta in libro de procuranda Indorum salute. Tertium genus est illarum gētiū, quæ adeo barbaræ & siluestres sunt, vt à feris vix differāt, sine lege, sine Rege, sine Magistratu, sine fædere, & Republica, magis ferarum ac pecudum caulas, quam hominum conuictum referentes. Huc spectant gentes illæ, quæ à nobis ideo Carybes appellantur, quia nihil aliud quam sanguinolentiam exercent, qui humana carne vescentes nudi incedunt vbi terra fert, vix ipsa virilia tegentes: ac alij quorum in nōuo orbe, ac apud Aethiopiā interiorem & exteriorem Brasiliā, innumerasque Insulas infiniti sunt greges.

Hi omnes pro vniuscuiusque nationis talento iuuandi alliciendique sunt ad fidei veritatem, aliter tamen, atque aliter. Nam primi generis, vt olim ab Apostolis Græci, & Romani, ceterique Asiæ & Europæ populi, Deo intus agente, alliciendi sunt ad Sancti Euangelij iugum: quod si vi armis que pertentes, potius à Christiana lege reddentur alienissimi. Secundæ vero classis fere eodem modo adducēdi sunt: sed quia morum & rituum monstra tot tantaque apud ipsos sunt, & tanta in subditos fæuendi licentia, vt nisi potentia superiori & autoritate regantur; vix aut Euangelij lucem, aut homine ingenuo vitam dignam accepturi videantur, aut in accepta perseueraturi intelligantur: merito his præfici, qui inter tales ad vitam Christianam transferint, Christianos Principes & Magistratus; cum res ipsa deposcit, tum Ecclesiæ autoritas præcipit: sed ita tamen vt facultatibus fortunisque suis, & legibus non nature, aut Euangelio contrariis, vt liberè, permitti ipsis debeat.

Barbari humanos mores descendit.

Tertia vero classis, hoc est illud Barbarorum genus, qui potius belluas quam homines imitantur, (de quibus Aristot. 1. & 5. Politicorum ferarum more capi & per vim domari posse scripsit, & quorum in India Occidentali infiniti sunt greges) trahendi primum sunt, vt ante omnia homines esse discant, & humana doceantur, ac puerorum more instruuntur. Quod si blanditijs ad meliorem ducantur, bene: sin minus, deserendi non sunt; sed si aduersus salutem suam proteruiant, & in Magistratus, Medicosque suos insaniant; per potentiam, & honestam vim quandam ne Euangelium impediant, coercendi sunt, & in officio continendi: quos de syluis transferri ad vrbes & humanam vitam, & quodammodo inuitos ad regnum introi-

re, vt habetur Luc. 14. compellerè expediet. itaque in Barbaris primum curandum est, vt homines esse discant, deinde vt Christiani: quod tanti ponderis est, vt inde vel salus certa, vel certa perniciēs expectanda sit. frustra enim diuina & cælestia docebis, quem ne humana quidem capere aut curare perspicias. Prodest in ea replurimum nostrorum hominum consuetudo: prodest cultus omnis externus, atque obseruantia maiorum; profunt conuentus certis & diebus & locis, penæque & contumeliæ irrogatæ negligentia, honor & præmia rectè factis proposita, ex ipsis qui elegantiores sunt, ceterorum magistrōs censorsque constituēdo. Ordo vero quidā tum oppidorū tum domiciliorū statuendus, vt nō veluti funiculifortuitas sedes eligant: tum vero, vt in cōspectu, eorum omnis actio sit, neque latebras perere sinantur. Ad hæc permixta illa & sine delectu spurca habitatio, vbi simul & Maritus & Vxor, filius & filia, & frater & hospes, & carnis ipse, atque sus cubat, accurate auertēda est, quantum licebit, quæ causa est nullius pudoris, nullius paternæ reuerentiæ, generis quoque imo & sexus contēpti, equinæ cuiusdā libidinis in obuia quæque sine vilo pudore grassantis. Quæ tamē neque breui omnia exigēda sunt, neque desperanda vel fero. Videmus certè non parum esse perfectū, vbi nonnulla cupæ moderatoris effulit, quæ si confirmata vigilasque fuerit; non dubiū quin alium hominum statum efficiat. Vnus Pater Franciscus Xauerius, isque nulla ciuili potestate munitus, Insulam Mori fertur ex immaniissima feritate ad miram mansuetudinem traduxisse, idque exiguo fati tempore. Quæ vero antiquorum inueterata consuetudine occalluisse videntur; adeo vt in meliorem formam transferri nequeant, maioribus sua amanti-bus, peregrina penitus respicientibus, ea minorum, id est puerilis, iuuenilitque ætatis accurata institutione emendanda sunt. Harum classium homines, aut vix homines ad Euangelij lucem adducendi sunt: quod si rationibus agendum sit, aut forte vi compellendi sint, vt fidei nostræ assensum præbeant: non dubium est quin primi generis Pagani difficilius trahantur. Quam difficultatem scripturus aduersus gentes præsentit D. Tho. in 1. lib. contra Gentes, cuius eam reddit rationem. Officium quidem, ait, sapientis esse veritatem eloqui, & errorem qui est contra errorem oppugnare: at contra singulorum errores agere, id esse perdifficile: quod autem singulorum errores ignoti sint: aut quod non omnes vetus vel nouum Testamentum admittant, per quæ Iudæi & Hæretici possunt euinci: ac proinde esse confugiendum ad rationem naturalem, cui omnes assentiri coguntur, quæ tamen in rebus diuinis est manca.

Quare contra Paganos mysteria supernaturalia probaturo, nec ratione, nec autoritate diuina quam ipsi non admittunt, agendum sit; merito *Irenæus*. D. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 41. existimauit D. Paulum de se

dixisse plus omnibus laborasse: quia cum esset Gentium Apostolus quæ scripturas non admittebant; Christum esse Deum & hominem, difficiliter ad credendum induci poterant. Cæteræ vero Barbaræ nationes, quales sunt illæ secundæ classis, imo & multæ ex prima, facillimò negotio ad Euangelij cognitionem adducuntur. Neque enim ad veritatem illis persuadendam, opus erit exquisitis admodum Philosophicisque rationibus: neque Clementis Alexandrini stromata, aut Arnobij argumenta scrutari, sed breues facilesque rationes ob oculos adducere.

Harum igitur Gentium siue Græci, id est Politici) siue Scythæ (.i. barbari) ad fidem Catholicam conuersio est procuranda: æque enim debitorum sunt Apostolici viri Græcis, & Barbaris sapientibus & insipientibus; quemadmodum Apostoli se ipsos debitores agnoscebant. Intelligebant enim in Iesu Christo, nõ esse Iudæi & Græci, Barbari & Scythæ discrimen. Neque enim alio sanguine Romani & Græci, alio Barbari redempti sunt. In illo certè linteo quod Petro esurienti Act. 11. cælitus oblatum est, omne genus non solum volucrum & animantium, verum etiam serpentum & reptilium monstratum ac preparatum diuina docet historia: vt per hæc etiam sordidos & abiectos, Domino sanctificatos intelligamus, & nullum genus mortalium à communi omnium salute putemus exceptum.

In his igitur Barbaris conuertendis omnes charitatis vires exercendæ sunt; nec debent operarij barbarorum ingenio moribusque belluinis stomachati opus Domini deserere: cum scriptum sit, *homines & iumenta saluabis Domine*: id est, vt Ambrosius in psalm. 25. interpretatur, quem alij Patres sequuntur, homines iumentis similes. Nec est tam Barbara natio, quæ si velit animam applicare, sensu ad fidem necessario careat; quamuis enim barbari vt plurimum belluinos mores præ se ferant; non tamen est desperanda salus: si tamen chamo & freno regantur, & illorum maxillæ constringantur; quod si recalcitrauerint, non statim gladius adigendus est, sed pungendi moderatè, & paulatim cohibendi, donec assuescant se ipsos præbere obedientes. Quod si doctrinam statim non accipiant, ac docentibus se non accommodent, statim fastidendi aut exterminandi sunt: Christi enim pretium & sanguis sunt: ac vt experientia magna ex parte docuit, seruilem naturam habentes, nisi metus ac vis aliqua inferatur; more puerorum obedire contemnunt. Hoc enim est solum & iugum quod sapiens Ecclesiastici 35. commendat, hæc virga & onus, hoc modo vel inuiti ad salutem compellentur intrare. Hæc autem omnia ita intelligenda sunt, non vt vim & sæuitiam à Christi visceribus alienissimam in Barbarorum nationes, aut tanquam in seruos dominandum probemus, sed vt ostendamus etiam illiberati, & difficili ingenio non esse salutem desperandam, si & patienter feratur, & sapienter regatur.

omnia

omnia suffert, omnia sustinet, omnia sperat, patiens est, benigna est. Seueritas ergo si quæ exercenda est, à charitate aliena esse nõ debet. Charitatis porro nihil est ita proprium, quam vt non querat quæ sua sunt: hanc si & animo intimè seruet, & re ipsa declaret, qui infirmorum, & insipientium morbis curandis austeriorem sese interdum exhibet medicum, non est timendum, ne subditorum animos ita offendant, vt vel à se, vel ab Euangelica simplicitate alienet: facile enim recuperat charitas quos disciplina commouerit. Imo vero per vtilem timoris vim ad libertatem filiorum paulatim homines diuinitus inducuntur. Ac denique addam, ad istam animi ineptitudinem, morumque feritatem exuendam plurimum conducere optimam educationem, eaque vinci & superari. In humano enim ingenio plus efficit educatio quam natiuitas. Quare nulla est tam Barbara natio, nulla tam stupida, quæ si ab ineunte ætate accuratè & generose educetur, non deponat barbariem, induat humanitatem, & morum elegantiam. Videmus vel in ipsa nostra Hispania homines in pagis quibusdam natos, si apud suos perseuerent, ineptos haberi ac ridiculos: eosdem traductos in scholas, aut curiam, aut celebres vrbes, miræ solertia ingenio præstare, nemini cedere. Ipsos Aethiopum liberos quibus nihil apparet absurdius, in palatio enutritos adeo promptos ingenio, & ad quoduis paratos inuenias, & videas, vt si colorem detrahas, nostros putes. Plurimum potest consuetudo in omni genere morum, in vtramque partem & boni & mali. Quare non est desperandum de Barbarorum salute, & animali vita: quin temporum diuturnitate, assidua Ministrorum cultura & diligentia, ad Euangelium trahantur: vel tracti perficiantur.

Præterea nihil æquè elaborandum est, nihil tanti faciendum, quam vt ex Barbaris, futuris vel iam factis Christianis, omnis Idololatriæ amor, & sensus penitus euellatur. Hæc enim omnium est pestis perniciosissima, & quod est in humana conditione miserabile, nullum virus ita intimis visceribus hæret, cum semel est bibitum, nullius turpiter amatis in scortum suum tam insanus amor quam est Idololatriæ in Idolum defixus animus: quod experientia comprobante postquam didicit Ioseph. Acofta, his verbis Idololatriarum amoris insaniam expressit: Nescio, inquit li. 5. ca. 9. quibus verbis significem non tam imbutos quam in Idololatriam penitus transformatos istorum animos; vt neque in otio, neque in negotio, neque in publicare neque in priuata quicquam peragant; nisi Idolorum suorum prius superstitione adhibita: non lætari in nuptijs, non lugere funus, non epulum præbere, aut accipere, non deniq; aut pedè efferre domo, aut operi manū adhibere sine sacrilegio Gentili: vtiq; adeo Diabolus oppressos eorū sensus tenet seruitute miserima. Quanto vero artificio ista omnia celent

Idololatriæ
à Barbaris
penitus re-
scindenda.

Barbarorum
Idololatriam
insania ergo
Deos.

atque dissimulent, cum publicè agere haud liberum sibi esse perspiciunt, quanta rursus impudentia, cum licere sibi putant, insaniant; mirari potius possum, quam satis dicere. Quare quamuis non liceat per vim ad Baptismum Christianamque professionem compellere Barbaros subditos, licere tamen imo expèdite, ab idolis colendis etiam inuitos reuocare, hoc est, illorum simulacra, & fana demoliri, superstitiones diabolicas extrudere: quæ non solum Euangelij gratiam impediunt, verum etiam naturæ legem infestant; quam ut seruent, compelli infideles subditi sine vlla dubitatione possunt: id quod apertè declarant leges Constantini, Valentini, Theodosij, cæterorumque Principum Christianorum: quarum non laudatores modo, sed impulsores authoresque Sancti Patres se præstiterunt. Et quoniam consuetudo magnas vires habet, sed in Barbaris longe maximas: sicut enim bruta animantia dedocere difficile est, ita hominem parum mente vigentem, à consuetis retrahere grauisimum, maxime vbi consuetudo profundiores radices iecit. Proinde in hac re tanti ponderis omnes suos sudores, operas, conatus, exercebit Christi operarius. Proderit autem quamplurimum ritus & signa, & omnem externum cultum diligenter curare: his quippe & delectantur & detinentur homines animales, donec paulatim aboleatur gustus & memoria præteritorum. Quæ causa fuit Moyssi vt populum Ægyptijs ritibus assuetum multitudine sacrificiorum, & caremoniarum detineret. Neque enim prius quod spirituale est, sed quod animale; postea superstitionis antiquæ monumenta cautè & gradatim extinguenda curabit. vt Idola sua, adorationesque omnes penitus dediscant, ac pro ijs Christianas frequentent. Deinde teneriores puerorum animi Christiana disciplina ac moribus præoccupandi sunt; priusquam paternas superstitiones & nugas imbibant: quas ridere, ac contemnere docendi sunt: præmijs & laudibus minores inuitandi atque animandi, maiores puerorum pudefaciendi exemplo, & terrendi.

Postremo quod omnium est & præcipuè considerandum & diligentissime obseruandum, non facile credet verbis & quibusuis significationibus Barbarorum, etiam si fidem tenere. & Baptismum appetere se proclamant. Cum enim sint leues corde, facile credunt, non fidem concipientes ex Deo, facile quoque id retractant inconstantes & leues. Diu, & multum tenendi vt quid profiteantur intelligant: vt veterem consuetudinem Idolorum deponant, & mores alios induant. Deniq; consuetudinis peruersæ venenū alterius consuetudinis antidoto curandum est: vt vere Christum induat, & non partim in Christo, partim in Baal claudicantes sibi grauiorem acquirant damnationem; & sancto nomini grauem faciant iniuriã: nō multitudine sed veritate animarum, lucra computanda sunt. Ita & Religio Christiana plaris fiet, & qui illi dant nomina gloriæ atque honori erunt.

Ac

Actandem aduersus Magos acrius pugnandū erit, eorum fucos ac fraudes detegendo, ridendo deliramenta, versutias confutando: quod si resistere nullo modo velint (si facultas adsit) à cæteris separandi & grauius quandoque mulctandi, modo plebem reliquam maior turbatio non sequatur.

Quoniam vero supra de iuuandis Infidelibus latissimè diximus; vniuersa tibi tradita, accommodari optimè possunt pro alijs gentibus iuuandis politia & vrbantate præditis: quare pro illis conuertendis nihil hic addendum arbitror.

CAPVT II.

De his quæ licita sunt agentibus inter Gentiles.

Ex his quæ secundo libro in genere tradidimus, cōstabit aperte quibus in rebus sit permissa communicatio cum Gentilibus: nunc tamè breuiter aliqua superaddemus. Primum nefas Idolorum fana adire, temporibus quibus ibi superstitiosa illa sacra celebratur; non tamè si alijs temporibus inuisantur, ad eum finem quo eorum structura, ornatus, & pulchritudo spectetur: & multo magis vbi occasio fert, vt rideatur, & contemnatur eorum superstitiosa & vana Religio, & vt eorum impia secta commodius confutetur.

Secundo, Quando Christianis liceat Paganis suas operas locare, auxilium vel operam præstare vel ad extruenda fana, vel consuendas vestes ad Idolorum cultum, aut vendere ea, quibus eos vsuros nouit ad superstitiones Idolorum cultus, diximus supra. Tertio, Circa communicationes & commercia rerum, illud tantum se offert animaduertendum, vt pretia rerum iudicio boni viri atque prudentis constituentur, qua in re non deest difficultas; Vtrum quanti Barbari merces nostras æstiment, vendi possint; Nam calculus, gladiolus, & vitrea. & id genus alia tato in pretio apud illos haberi compertum est; vt auri & argenti non paruam quantitatem pro ijs rebus persoluant: verum ista enucleate disputare non est huius loci. Illud explorarum teneamus, omne genus mercimonij cū istis exercere licere, pretium vero neque lege neque certa ratione constare; sed iudicio sapientis: qui perspiciat quantum abundant ijs quæ ipsi reddunt, & quantifaciant vel ad vitæ præsidia, vel ornatum quemdam ipsis charū ea quæ accipiunt à nostris, & quanta horum copia inopiae sit, vt omnibus probe perspectis, atque libratis, quæ rerum æstimatio iusta censenda sit, statuere possit: quanuis in hac re maiori ex parte crediderim standum esse

Quibus in rebus nefas sit communicare cum Gentilibus.

Barbari animo leues & inconstantes.

esse consuetudini à viris doctis & pijs approbatę.

Ac denique in diuinis non licet cum Gentilibus communicare: Nam mos est Ecclesię antiquissimus, vt à templo Pagani & infideles excludantur cum S. sacrificiũ in missa offerri incipit. Vnde in Canone Carthaginensis concilij (habetur de consecr. d. i. ca. episcopus) dicitur quod nec Gentilis, nec Hęreticus, nec Iudeus prohibeantur ingredi Ecclesiam Dei, & audire solum Dei verbum vsque in finem Missę Catechumenorum, quę finiebatur dicto Euangelio. Vnde antiquitus perlecto Euangelio, Catechumeni ab Ecclesia egrediebantur; quia cum non essent in fide instructi, sacris altaris mysterijs inter esse non oportebat.

C A P V T I I I.

Quid singuli Christiani rudes, vt sunt Indi & Æthiopes, docendi sint ex Concil. Limensi actione 2. cap. 4. à Sixto V. confirmato.

Cum diuino præcepto omnes Christiani adulti teneantur pro suo capitu scire, quę ad Religionis Christianę quam profitentur, substantiam pertinent: qualia sunt mysteria fidei præcipua, quę continentur in symbolo, mandata Decalogi omnibus seruanda, Sacramenta quoque ea quę necessario cuique suscipienda sunt. Tum demum quę à Deo petere, & expectare debemus iuxta Dominicę orationis institutionem, sedulo in ijs erudiendi sunt à Pastoribus & Ministris omnes, maximè rudiores Indi, Æthiopes, pueri pro cuiusque ingenio, & oportunitate, ne grauissimo morbo ignorantię (vt fit passim) periclitentur, omnino autem curandum est, vt quicumque neque ætate, neque valetudine impediuntur, memoriter discant elementa Christiana, maximè symbolum fidei, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, Sacramenta Ecclesię. Id vt fiat antiquorum canonum statuta sequens præcipit strictę sanctę Synodus, vt nullus adultus ad Sacramentum Baptismi admittatur, qui non prius saltem symbolum, & orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemque in Sacramentis Pœnitentię & Confirmationis conferendis omnino seruetur, excepto vel necessitatis articulo, vel nimis senectutis, aut ægritudinis, siue etiam profundę alicuius hebetudinis impedimento, quod Parochorum seu Confessariorum iudicio & conscientię relinquatur. Qui vero ijs tãtis impedimentis grauati fuerint, vt copiosiorẽ Catechesim non admittant, doceantur

doceantur demum pro suo modo præcipua fidei capita, scilicet vnum esse Deum rerum omnium auctorem, qui accedentes ad se, vita æterna remuneret, improbos & rebelles æternis supplicijs in alio sæculo puniat. Deinde hunc ipsum Deum, esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, tres quidem personas, sed vnum Deum verum, præter quem nullus alius sit verus Deus. Nam quę adorant alię gentes præter Christianam, non esse Deos, sed Dæmones potius, aut figmenta hominum. Præterea Filium Dei propter reparandam salutem hominum, factum hominem ex Virgine Maria, pro nobis passum, & mortuum, ac tandem resurrexisse, & regnare in æternum. Hunc esse Iesum Christum Dominum, ac Salvatorem nostrum. Postremo neminem posse esse saluum, nisi credat in Iesum Christum, & penitens de peccatis commissis sacramenta ipsius suscipiat, Baptismatis. si quidem Infidelis est, Confessionis autem, si lapsus post Baptismum: ac denique statuat ea seruare, quę Deus & Ecclesia Sancta præcipiunt. Quorum summa est, vt Deum diligat super omnia, & proximum sicut seipsum. Intelligant igitur Dei Sacerdotes, nisi in fide, vt oportet instructos baptizent, vel à peccatis absoluant, se & grandi sacrilegio commaculare, & animarum reos, apud districtum Dei iudicium reddere.

Vt Indi Indicẽ doceantur ex eodem Concilio.

Christianę instructionis, aut Catechismi scopus præcipuus est, fidei percepto, corde enim credimus ad iustitiam, quod ore confitemur ad salutem. Quamobrem ita quisque instruendus est, vt intelligat, Hispanus Hispanicẽ, Indus, Indicẽ; alioqui quãtũuis bene dicat, tamẽ verbũ illius, iuxta Apostoli sententiã, sine fructu est. Quocirca nullus Indorum de cætero compellatur, orationes, siue Catechesim Latinẽ discere, cum sufficiat, multoque melius sit, suo idiomate pronũciare, aut si qui ipsorum velint possunt etiam Hispanicum, quo multi iam vtuntur, adiungere. Præter hæc aliam aliquam linguam ab Indis exigere superfluum est. Hactenus Concilium.

C A P V T I V.

Breuis instructio, siue Catechismus pro rudioribus gentilibus ad Christi fidem conuersis ex Indico idiomate traductus, & a Synodo prouinciali Nouę Granatę approbatus.

Interrogatio. Quæro num sit aliquis Deus?
Respondeo. Deum esse.

- I. Sunt ne plures Dij?
 R. Vnum solum Deum esse, & præter hunc solum nullum omnino.
- I. Vbi est igitur iste Deus?
 R. In cælo, in terra ac vbiq; in omnibus locis esse.
- I. Quis nam est iste Deus?
 R. Pater, Filius & Spiritus Sanctus.
- I. Est ne Pater Deus?
 R. Deum esse affirmo.
- I. Est ne Filius quoque Deus?
 R. Similiter Deum esse aio.
- I. Est ne etiam Spiritus Sanctus Deus dicendus?
 R. Etiam Deum esse dicendum.
- I. Ergo Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus tres Dij dicendi sunt?
 R. Nequaquam: nam licet sint tres Personæ distinctæ, tamen vnus solus est Deus.
- I. Quomodo cum sit vnus solus Deus, affirmas esse tres Personas?
 R. Cum inter has tres personas Pater non sit Filius, nec Spiritus Sanctus; nec Filius sit Pater, vel Spiritus Sanctus; nec Spiritus Sanctus, sit Pater, aut Filius, necessario tres Personæ distinctæ sunt dicendæ.
- I. Quomodo cum tres Personæ sint, dicis eas esse vnum solum Deum?
 R. Quia dum omnes tres eandem habent essentiam, maiestatem, plures Dij esse propterea nequaquam possunt.
- I. Quid de sole, luna, stellis, lucifero, radiis & alijs his similibus rebus dicendum? sunt ne Dij appellandi?
 R. Minime: sed vnus Dei Creaturæ sunt, qui cælum & terram ac omnia quæ in eis sunt propter hominis bonum creauit.
- I. Quod nam est hoc bonum hominis?
 R. Vt cognoscât in hac vita Deum Creatorem suum, suamque gratiam adipiscatur ac amicitiam, & in futura tandem ac æterna vita, eo fruatur in perpetuum.
- I. Alia ne superest post hanc vallem miseriz, vita?
 R. Superest: animæ quippe hominum minimè cum corporibus instar animarum brutorum intereunt, sed immortales sunt, ac omnis interitus incapaces.
- I. Quomodo in hac vita homo diuinam assequitur gratiam, & tandem in futura felicitatem ac vitam perennem?
 R. Per fidem in Iesum Christum, & suorum mandatorum obseruantiam.
- I. Quis nam est Iesus Christus?
 R. Deus est verus, & homo perfectus, cum enim solus Dei filius esset, in

- tempore à Deo præfinito, hominem se fecit in purissimæ Virginis & immaculatæ Mariæ utero, quæ etiam post partum Virgo permanfit: mortuus est tandem in Cruce, vt homines à peccato & pœna æterna redimeret.
- I. Quomodo cum Deus fuerit, mori potuit?
 R. Mortuus est vt homo, ac tertia die statim à mortuis resurrexit, ascenditque ad cælos, vbi viuit ac regnat per sæculorum sæcula.
- I. Cum Iesus Christus pro omnibus mortuus sit, num omnes homines salui fiunt?
 R. Non credentes in Deum Iesum Christum, vel licet credant, non tamen facientes bona opera, nec mandata eius implètes minime saluari, sed ad pœnas inferni perpetuas condemnandos esse.
- I. Qui credunt in Iesum Christum ac eius mandata obseruant, saluabuntur?
 R. Saluabuntur: atque in corpore ac anima fruuntur bonis æternis, eoquæ nomine in fine huius mundi Iesus Christus Saluator mundi rediturus est, ac petiturus rationem de omnibus operibus, ac omnes mortuos resuscitaturus.
- I. Qui in peccatis vixerunt, habent ne aliquod se ab hac condemnatione liberandi remedium?
 R. Non baptizatis, vnicum saluandi remediũ esse affirmo, vt se Christianos faciant, filiosque Dei adoptiuos per bapt. smi regenerationem.
- I. Quid nam per Sanctam Ecclesiam intelligis?
 R. Congregationem omnium Christianorum, cuius quidem caput est Iesus Christus, eiusque in terra Vicarius Summus Pontifex Romanus.
- I. Quid si baptizati iterum peccent, quid remedij illis superest vt non condemnentur?
 R. Confessio omnium suorum peccatorum fideliter Sacerdoti facta, cum detestatione ac proposito amplius ea non committendi.
- I. An si hæc omnia fecerint, saluabuntur?
 R. Saluabuntur, si tamen vsque in finem in obseruatione mandatorum Dei ac sanctæ Ecclesiæ perseuerauerint, quæ in hoc instaurantur, vt Deum super omnia diligamus & proximum nostrum sicut nos ipsos. Amen.

LIBER DVODECIMVS
DE CONVERSIONE
OMNIM GENTIVM
PROCVRANDA:

Præcipua continens priuilegia à Summis Pontificibus,
Religiosis pro Infidelium conuersione labo-
rantibus concessa.



Vm omnes sacri Religiosorum Ordines, maxime vero Mendicantes, in agro militantis Ecclesie superna dispositione plantati esse dignoscantur, illorumque professores ob fidei Catholice propagationem indefessè laborant, fructusque afferant Ecclesie Dei salutare; dignum equūque arbitrati sunt summi PP. eos quamplurimis priuilegijs, & immunitatibus communire, ac concedere; vt sic alacrius huic animarum saluberrimæ functioni accingerentur, ac vt commodus in terris à Romanis PP. remotis, animarum salutem possent consulere. Et quoniam fere immensum esset omnia & singula Mendicantibus in conuersione Infidelium laborantibus concessa priuilegia recensere: ea tantum selegimus quæ digniora, amoliora, magisque necessaria visa sunt. Illud ante omnia recalescentes, omnia priuilegia gratiæ & fauoris specialiter alicui ordini elargita, ob communicationem priuilegiorum, esse omnibus alijs ordinibus Mendicantibus ita propria, ac si specialiter illis solis essent concessa.

Nec mirandū est maxima à Summis Pontificibus fuisse Religiosis in terris infidelium pro fidei propagatione laborantibus collata priuilegia: id enim non solum expediens, sed & maxime necessarium pro functione animarum obeunda videbatur. Nam cum in terris à sede Apostolica remotissimis versentur, ac saepe in Regionibus, ex quibus vel ob magna itineris pericula, vel ob immensam distantiam, aut non potest, vel non sine magna difficultate ac expensis adiri Apostolica sedes, operæ pretium erat vt ministri omni illa iurisdictione gauderent, qua possent in casibus emergentibus, non solum animarum salutem procurare, sed & omnia alia peragere quæ ad augmentum gloria Dei, ac fidei Catholice propagationem spectare videbantur. Quam ob causam Christus Dominus Apostolos in vniuersum orbem misurus, prius Episcopali dignitate condecorauit: deinde omnibus eandem, quam Petro summo Ecclesie & totius orbis principi, iurisdictionem licet delegatam concessit: ac non sine diuino consilio premisit illa verba, Data est mihi omnis potestas in celo & in terra, euntes docete omnes gentes, &c. Quibus Apostolos certos esse voluit de potestate sibi à Patre collata: vt ipsi etiam de ea

quam

quam eis Christus delegauerat, non dubitarent, & sic alacrius tanto operi accingerentur.

Præuilegia concessa à Pio 2. & Sixto 4. Religiosis Ordinis Prædicatorum ad prædicandum Christi Euangelium euntibus in terras Infidelium.

Sixtus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Apostolicæ seruitutis officium, cui dante Domino præsidemus, nos admonet, vt sicut bonus Pastor ad oues Christicolæ pascendas aures non stræ contemplationis extendimus, & earum, nec non partium & Regionum, ac temporum qualitatibus pensatis, ad eorundem Christicolarum salutem vigilemus, & ijs quæ à nostris prædecessoribus circa ea circumspectè emanasse comperimus, illorum vestigia imitantes, consimilibus facultatibus, & gratijs (dum à nobis petitur) robor Apostolici muniminis adiciamus. Dudum siquidem felicitis recordationis Pij Papæ II prædecessoris nostri litteræ emanarunt, quas præsentibus annotari fecimus; & quarum tenor sequitur, qui talis est. Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriã. Dum leuamus in circuitu oculos nostros, & gregem Dominicū sollicitudinē nostræ (disponente Domino) commissum vndique mentis acie contemplamur, ex debito Pastoralis officij, vigilem curam impendimus, vt cultores vineæ Sabaoth, si cultui satis intendant, vt eius virtuosij palmites, extirpatis spinis & tribulis, latius extendantur. Sic ille cælestis Agricola, & pius paterfamilias, ad excolendam vineam suam diuersis horis & tempore seruos misit; ne fructus propter cultorum inopiam deperiret, sed potius bonorū operum & virtutum germinaret. Cum vero in terris Infidelium messis quidē sit multa, operarij vero pauci, ne ager Dominicus spinis & vepribus repletur. nonnulli prædecessores nostri de florido Prædicatorum Ordine ad irrigandum imbrem Sanctæ prædicationis corda Aquilonarium, & Orientaliū nationū, aliquos direxerunt filios & alumnos, qui flante spiritu, plenos manipulos in horrea Sanctæ Matris Ecclesie portauerunt: sed pro dolor temporibus nostris venit inimicus homo & superfeminauit zizania in medio tritici, cum per Turcarum potentiam Christianorum aliquas nationes suo impiissimo dominatui subiecerit. Inde fit vt nos eo efficacius operam impendamus, quo magis gregem Dominicum à diro serpente conspiciamus crudelius laniari. Vtque opportunis remedijs commodius provideatur: nos dilecto filio Christophoro de Viterbio Ordinis Prædicatorum, Sacre Theologiæ Professore, totius Societatis peregrinantium propter Christū inter gentes Vicario generali, & Hæreticæ prauitatis Inquisitori per nos deputato

tato & cōstituto, & aliis suis successoribus pro tēpore deputandis in partibus orientalibus, tam infidelium quam fidelium constitutis, & quā maximē in Ciuitatibus Caffæ, & Peræ, Chij, & in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, & Aethiopum, Yberorum, Alanorum, Gazatorum, Gothorum, Ziorum, Ruthenorum, Syrorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum Georgianorum, Armenorum, Indorum, Agolesticorum, Tartarorum, Carelorum, Vngarorum, maioris Vngariæ, & aliorum qui nondum fidei Sacramenta perceperunt, cōcedimus vt ipse Vicarius, & eius Successores, & deputati ab ipsis pro tempore dicti Ordinis fratres, possint singulorum Christi fidelium quorumcūq; Diocesis, & locorum ad ipsos pro tēpore cōsuetum confessionem audire, & pro cōcessis, (etiā si talia fuerint, propter quæ sedes Apostolica foret merito cōsulenda) penitentiam salutarem iniungere, nec non à quibusuis sententijs excōmunicationis, tã ab homine quam à Iurelatis, ac aliis censuris & penis, quomodocūq; vel qualitercūq; illas incurrerint, seu ligati fuerint absoluerent, nec non (dummodo tales bigamiæ labe respersi non sint) super irregularitate, si quā quouis modo & causā incurrerint, dispensare, ac huiusmodi cōfessione audita Eucharistiæ & Extremæ vntionis aliaq; Ecclesiastica Sacramenta ministrare. Insuper vt singuli Cōfessores idonei, quos vicarius & fratres partium prædictarum dicti Ordinis duxerint eligendos omnium peccatorum suorum, de quibus cōtriti & ore cōfessi fuerint, plenariam remissionem in mortis articulo impendere, vel si alia copiam Confessorum habere non valuerint, dummodo cōtriti existant, eandem indulgentiam cōsequantur. Quodq; Cōfessores ipsi singulorum cōfessiones audire, & pro cōmissis quoties ipsis videbitur etiā si talia sint, propter quæ sedes Apostolica merito sit cōsulenda, debitam absolutionem impendere, ac salutarem penitentiam iniungere, nec non ipsorum fratrum singulos à quibuscunq; sententijs, censuris, & penis in ipsos quauis auctoritate promulgatis absoluerent, & super irregularitate per ipsos quoquo modo cōtractis dispensare, omnemq; inhabilitatis, & infamiæ maculam, (dummodo à bigamia non processerint) abolere liberè & licite valeant. Insuper, vt ipsorum fratrum bonorum operum fructus amplius valeant propagari, vt Vicarius & fratres pro tēpore existentes, præfata singula loca alias pro habitatione & vsu fratrum dicti Ordinis idonea, & in illis domos, & monasteria, cum Ecclesijs, capaniis, capanis, Dormitorijs, Hortellarijs, & alijs necessarijs officinis erigere: quæ quidē loca, domus, & monasteria recepta, & erecta, & eorum personæ, & omnibus & singulis priuilegijs, indulgentijs, immunitatibus, & indultis, alijs locis, domibus, monasterijs & personis Ordinum Prædicatorum à sede Apostolica quomodocūq; cōcessis vtuntur, & gaudent, vt pariter debeant & gaudere. Insuper vt Vicarius & fratres prædicti omnibus & singulis, gratijs, libertatibus, exemptionibus, priuilegijs, indulgentijs & indultis, quibus Provincialis

& fratres

& fratres Prouinciæ terræ sanctæ vtuntur, & gaudēt, & quæ Romani Pontifices, fratribus Prædicatoribus dictæ societatis hactenus cōcesserunt, etiā vt & gaudere valeant. Quodq; fratres ipsi Schismaticos & excōmunicatos, seu interdictos quoscunq; etiā quantumcunq; notorios, nisi quos Vicarius, seu deputati per eum euitare madauerint, euitare minimè teneantur. Insuper omnibus & singulis Christi fidelibus, qui de bonis sibi à Deo collatis pro ceterario videlicet vni, pro liberatione fidelium captiuorum de manibus infidelium, seu pro erectione & fundatione, seu manutentione domorum & Monasteriorum, pro vsu, & habitatione dictorum fratrum erogauerint, liceat eligere Cōfessores idoneos, qui cōfessione eorum diligenter audita, ab omnibus peccatis, criminibus & excessibus, etiā in casibus Sedi Apostolicæ specialiter vel generaliter reseruatjs, semel duntaxat, deinde quoties fuerit opportunum, (dummodo talia sint, propter quæ sedes Apostolica specialiter cōsulenda non sit) absoluerent, & penitentiam salutarem iniungere, nec non omnium peccatorum in mortis articulo remissionem impendere licite valeant auctoritate Apostolica singulis prædictis, prout eos cōtingit, tenore presentium indulgemus. Insuper prædicto, & alijs qui pro tēpore fuerint dictarum partium Vicarijs, super natalium, & ætatis infra vigesimum tertium annum defectibus, cum personis & fratribus Ordine prædictum profiteri volentibus, & professis vt ad omnes Sacros ordines, vsq; ad Presbyteratus ordinem inclusiue & singulis Ordinis Prælaturas, & officia in dictis partibus promoueri, & in illis ministrare valeant dispensandi: nec non Notarios ad actus publicos in fauorem fidei Christianæ cōscribendos creandi & instituendi, dicta auctoritate tenore presentium cōcedimus facultatē. Insuper vt fidelium feruentius deuotio in fide crescat, vt omnes, & singule vtriusq; sexus personæ, quæ prædicationibus dictorum fratrum interfuerint, & illas cum proposito se emendandi audierint, singule singulis vicibus vnius anni & quadraginta dierum indulgentiam cōsequantur. Quodq; fratres & Sorores de penitentia Sancti Dominici, quos Vicarius, seu ab eo deputati fratres pro tēpore recipiēt, & alia vtriusq; sexus personæ, quæ in Societate Beatæ Virginis sub capitulis & ceremonijs per ipsos vicarium seu fratres ordinandis Altissimo deuotè famulabuntur, Cōfessores eligere qui cōfessionibus eorum diligenter auditis, ipsis cōfessis & contritis plenariam in mortis articulo omnium suorum peccaminum remissionem impendere valeant.

Postremo vt idē Vicarius & Inquisitor, alios Inquisitorum hereticæ prauitatis in quibus sibi videbitur supradictis substituerent & ordinare valeat. Et vt liberius idem vicarius, & fratres viuere valeant, & Deo cōfidentius deseruire, in omnem & singulos, cuiuscunq; status, gradus, & cōditionis existant, qui bona mobilia, siue immobilia, videlicet possessiones, domos, apothecas, libros, calices, paramenta, instrumeta, & omnia alia ad diuinum cultum pertinentia, ad vsu & commodum fratrum necessaria, cōtra ipsorum Vicarij, & fratrum volun-

voluntatem occupantes & detinentes, excommunicationis sententiã promulgamus, à qua uolumus à quoquam absolui posse, nisi prius restitutione vel cū eodem Vicario siue fratribus conuentione facta, de ipsis, siue de ipsorum libero beneplacito & uoluntate. Et ut ipse vicarius talentū sibi creditū sine impedimento & obstaculo valeat exercere, ex certa nostra scientia ipsam societatem, quæ per nonnulla Capitula generalia dicitur esse diuisa, reintegramus, & reponimus, ac in idem corpus ut prius erat reponi uolumus & mandamus, præsertim omnes Cōuentus Lithuanie, Rufsie, Podoliz, Valacchie maioris & minoris, nō obstantibus quibuscunq; literis & ordinationibus Capitulorū generalium in oppositū cōcessis, & cōcedendis, declarantes, & mādantes, tales Cōuentus & nationes amodo esse sub vicario dictæ Societatis peregrinantium. Quia uero cōditio temporū hoc requirit, uolumus & mādamus, ut fratres qui dicuntur vniti, vel Armeni, quod non obstantibus priuilegiis aliquorū summorū Pontificum, etiã de ipsis priuilegiis de uerbo ad uerbū deberet fieri mentio specialis, (ut secundū quod prius fuerant) ipsi Vicario in omnibus, & per omnia subdatur, & de eis disponere possit, sicut de cæteris sui ordinis fratribus, non obstantibus Apostolicis ac in Generalibus, vel specialibus Cōciliis editis cōstitutionibus & ordinationibus, quibus quantum præsentibus aduersantur derogari uolumus, etiã si talia sint, de quibus specialis, & expressa, ac de uerbo ad uerbū mentio præsentibus esset habenda, cæterisque contrariis quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominū liceat hanc paginā nostræ cōcessionis, excommunicationis, uoluntatis, mādatis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario cōtrahere. Si quis autē hoc attentare præsumperit, indignationē omnipotentis Dei, & beatorū Petri, & Pauli Apostolorū eius, se nouerit incursum. Datū Romæ apud Sanctū Petrū, Anno Incarnationis Dominicæ 1464. pridie Idus Iunii Pōtificatus nostri anno sexto. Quare pro parte dilecti filij Baptistæ Fatinati de Ianua, dicti Ordinis fratrum Prædicatorū professoris, Vicarij Generalis in terris peregrinantium supradictorū, per dilectū filiū Martialem Auribelli Sacræ Theologie professorem, & Priorem Generalē dicti Ordinis deputati & instituti nobis fuit humiliter supplicatū, ut præmissis & in dictis litteris cōtentis Apostolice muniminis robur adijcere, ac omnes & singulas facultates dicto Christophoro in præmissis litteris cōcessas, eidem Baptistæ pari modo cōcedere, & aliàs in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur cupientes fidem Catholicā vigere, augmentari, & etiam manuteneri, præfati Baptistæ in hac parte supplicationibus inclinati, litteras Apostolicas cum omnibus & singulis indulgentiis, cōcessionibus, indulgentiis, & clausulis, in eis cōtentis, nec nō societatem prædictā auctoritate Apostolica, tenore præsentium ratificamus, approbamus, & præsentis scripti patrocinio cōmunimus, illasque perpetuo uiribus subsistere decernimus, easque ad

Conuen-

Conuentum Ciuitatis Chij harum serie extendimus, nec nō uniuersos, & singulos eiusdem ordinis fratres, qui dicuntur vniti vel Armeni, aut alii ut præfertur, dicta auctoritate eidem Societati subijcimus, ipsamque Societatem præfata auctoritate approbantes, & confirmantes, omnibus, & singulis cuiuscunq; dignitatis, gradus, conditionis, vel ordinis existant, sub excommunicationis pœna quam eo ipso incurrant, Societate prædictā in præmissis, seu alias quomodolibet impedire, seu inquietare vel molestare, seu ipsam diuidere, extinguere, & separare, aut alias de illa se intromittere quoquo modo præsumant, districtius inhibemus. Præterea, ut dictus Baptista in præmissis utilius, & diligentius se gerere possit, & habere sibi omnes & singulas facultates, & auctoritatem per præfatum Pium prædecessorem dicto Christophoro olim concessas, pari modo, & absque ulla differentia perinde in omnibus & per omnia, ac si dictæ litteræ ad instantiam ipsius Baptistæ emanassent, concedimus per præsentis, ordinantes & decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super ijs, à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, & singulis, quæ idem prædecessor in dictis suis litteris uoluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, communitationis, extensionis, confirmationis, inhibitionis, cōcessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1473. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Circa præfata priuilegia illud solum se considerandum offert, quod etsi à Pio II. gratia, ac priuilegia omnia fratribus Inquisitoribus, ac alijs ab eisdem designatis concessa tantum uideantur, ac perinde ad alios ordines non extendenda. Sixtus tamen IV. expresse illa et priuilegia, cum singulis alijs gratijs & concessionibus cōgregationi siue Societati, in terris infidelium peregrinantium concessit, eaq; omnia ad monasterium Ciuitatis Chij uoluit extendi: quare de perpetuitate huius priuilegij, ac de communicatione cum alijs ordinibus non potest dubitari. Ad maiorem tamen conscientie securitatem oporteret summum Pontif. consulere.

Præterea Innocentius IV. & Nicolaus III. aliiq; Pontifices amplissima etiam & his similia priuilegia concesserunt, ut patet ex Bullis relatis in Bullario collecto à doctissimo viro fratre Emanuele Rodrigue, referam uero nunc eam tantum quæ Innoc. IV in fauorem præfati ordinis Prædicatorum concessit quæ habetur in Compendio siue collectione priuilegiorum ordinum Mendicantium per Ioannem Baptistam Cōfessionem pag. 6.

NNNNn

Priui-

*Priuilegia Fratribus Prædicatorum ad partes Orientales,
& terras infidelium ad prædicandum Iesu Christi
Euangelium proficiscentibus per Innocen-
tium IV. concessa.*

Innoentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs fratribus de Ordine Prædicatorum in terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum Iberorum, Alanorum, Cazarorum, Gothorum, Zicocorum, Ruthenorum, Iacobitarum Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mostelitarum Tartarorum, Hungarorum maioris Hungariæ Christianorum captiuatorum apud Tartaros aliarumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcunque aliarum partium proficiscentibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum hora vndecima sit diei, hominibus vt exeant ad opus, vsque ad mundi vesperam deputata, & illud Apocalypsis eulogium, cito credatur cum Matris Ecclesiæ consolatione complendum, videlicet, oportere viros spirituales, vitæ mundiciam, & intelligentiæ gratiam cum Ioanne sortitos, populis, & gentibus, linguis Regibusque multis denuo prophettare, quia non sequetur reliquiarum Israël per Isaiam Prophetam, saluatio, nisi (iuxta Paulum Apostolum) prius introeat gentium plenitudo. Nos licet immeriti super Apostolicæ Sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter dispensandis Dei ministerijs, & operibus coadiuuandis intendimus, si vrgente plenitudine temporis, post pia priorum studia, in vineam Domini Sabaoth nouos, & penè nouissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Vos igitur quos iuxta professæ Religionis officium zelus comedit animarum, & in quadriga quarta, cum varijs charismatum donis, & fidei fortitudine trahitis, vbiq; discurrere, ac vexillum Regis gloriæ procul leuare gessitis: ad Gentes quæ Iesum Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obediunt, destinamus, vobis in remissionem peccatorum omnium, iniungentes, quatenus seminaturi super aquas multas, in illo tantum qui mundum dixit se vicisse, confisi, ad illuminationem cætera multitudinis, & exterminium hæreticæ falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confortandos, in luce sermonis, & fortitudine operis, propositum vobis iter, sine quorumlibet offensione curratis. Vt autem ministerium vestrum honoretur plenius, & honora-

honorabilius impleatur, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris quæ adhuc Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, proponere verbum Dei, & constitutis ibidem (non obstante si aliqua sunt excommunicatione ligati) in verbis, officio, ac cibo, ac in alijs securè communicare, & ipsos, seu etiam alios, conuerti ad vnitatem Christianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesiæ filijs valeatis, & Presbyteri ex vobis, ipsos aggregatos possint insignire caractere clericali, & ipsos ad Acolythatus ordinem promouere. Liceat etiam vobis ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apostolicæ, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impertiri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros Ordines receperunt, & diuina celebrarunt officia, sic ligati; hoc ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermisiss inferioribus, conferre, seu recipere Ordines præsumperunt, (si tamen in hoc seruata talis forma extiterit, per quam ordines recepissent.) Vobis præterea dispensare liceat, vt illi ex nationibus vestræ prædicationi commissis, qui post susceptionem sacrorum ordinum, vel in gradibus, & casibus à diuina minimè lege prohibitis, matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem: & hi qui ad Ecclesiæ Catholicæ redierint vnitatem, vt inter suos habitent, eisque communicent; nec non quod Clerici nationum ipsarum, publicè ad obedientiam Sedis Apostolicæ redeuntes, gaudeant priuilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris prædictis confessiones audire, ac ipsis iniungere penitentias salutares, & excommunicatos à Canone, vel alio modo, iuxta formam Ecclesiæ absoluere, dummodo iniuriam & damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium illarum in casibus in quibus solent Legati Sedis Apostolicæ dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium, (dummodo non sint de adulterio, vel incestu aut de Regularibus procreati) sit vobis dispensandi facultas. Quam circa illos similiter habeatis, qui ab vnitatem Ecclesiæ Catholicæ, seu Religione, vel Clericali Ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & dignè satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salua disciplina Ordinis, resumantur, & illos etiam dictis qui excommunicationis vinculo sunt adstricti, iuxta præmissam formam, & prædictæ satisfactionis modum absoluere valeatis, & cū irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius dispensare. Ad hæc sit vobis absoluendi facultas, occisores Clericorum, & Religiosarum personarum, in prædictis partibus constitutos: fundandi ibidem nouas Ecclesias; & reconciliandi ipsas quæ sunt casu aliquo profanata, ac de nouo fundatis Rectores idoneos prouidendi, & illis qui de Gentibus, vel schif-

16. maticis nouiter sunt conuersi, dandi licentiam vt vxores suas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt valeant retinere. De causis matrimonialibus quas in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad inuicem quod ad pacem, & concordiam redeant, nec non quod inordinate viuentes, de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant, compellendi per censuram Ecclesiasticam, vobis libera sit facultas.

17. Insuper, in locis in quibus vos hospitari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facietis, Missam & cetera diuina celebrare officia, & in eisdem partibus cæmeteria benedicere, ac dare indulgentias, commutare vota, facultatem & licentiam habeatis. Cæterum vobis concedimus quod à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Ordines, & alia Ecclesiastica sacramenta suscipere, & altaria portatilia, more ipsorum à iam prædictis Episcopis benedicta habere, & eis vti possitis. Si contingat vos aliquo casu nostra altariola non habere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallas, corporalia per eos qui ex vobis sunt Presbyteri (cum necesse vobis fuerit) benedicere, vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, nec non alia facere quæ ad augmentum Domini nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem & irritationem illorum qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore videbitis expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & B. B. Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. A. S. iij. 10. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno XI.

Quamplurima alia etiam priuilegia concesserunt alij summi Pontifices fratribus Predicatoribus in terras Infidelium pro fidei propagatione missis, vt Greg. 11. in Bulla quæ incipit Super gregem dominicū. Urbanus VI. Sincerus deuotionis affectus. Et Innocentius VI. Cum hora, &c. vbi inter alia inquit, Cæterum vobis concedimus, quod à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis possitis Ordines, & alia Ecclesiastica sacramenta suscipere, & altaria portatilia more ipsorum à iam præfatis Episcopis benedicta habere, & eis vti, si contingat vobis aliquo casu, vestra altaria non habere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallas, & corporalia, per eos qui ex vobis sunt Presbyteri cum necesse fuerit benedicere, nec non altaria & calices, sacramenta Confirmationis conficere, & vti oleo ac chrismate, vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur: nec non alia facere quæ ad augmentum Domini nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, ac reprobationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore videbitis expedire.

Ac denique Gregorius XI. in Bulla Fidelium nouella plantatio, ait: Et cum nobis expositum sit quod de multis personis partium prædictarum, quæ vt Presbyteri celebrarunt diuina officia, & pro talibus reputantur, frequenter dubitari contingit, an iuxta formam Ecclesiæ baptizati fuerint vel non, & an Ordines rite receperint, in quibus vt præmittitur ministrarentur: quodque si in ordinandis ipsis de nouo interstitia temporum seruarentur, magnum scandalum inter populares, qui ab eisdem audierunt diuina, & sunt etiam eisdem confessi, posset verisimiliter generari: Nos itaque intendentes animarum prædictarum, & aliorum fidelium partium earundem saluti vtiliter prouidere: vobis & singulis vestrum, tam in sacerdotij, quam in Diaconatus ordinibus constitutis, vt omnes, & singulos partium prædictarum de quibus dubitatur, si fuerint baptizati, vel non baptizati, iuxta prouisionem Iuris in huiusmodi casibus adhibitam baptizare valeatis. his verbis præmissis, videlicet, Si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen; auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus.

Insuper eisdem infidelibus de partibus antedictis taliter ordinatis, qui diuina vt præmittitur celebrarunt: quod ab Episcopis gratiam & communionem dictæ sedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam minores, quam sacros ordines statutis temporibus, aliquo interuallo in huiusmodi sacris ordinibus recipiendis, & conferendis propter eorum reuerentiam, obseruato, si sine scandalo fieri possit. Alioquin, omnes vna eadē die simul præfatos ordines sacros & minores pro huiusmodi scandalo euitando recipere, quo etiam priuilegio quantum ad temporum interstitia, tam inter minores quam maiores ordines non seruanda per quinquennium, prædicti Religiosi in antedictis partibus commorantes gaudere valeant, iusta de causa, & ab eorum superiore in illis partibus degente examinanda: ipsi que Episcopis dictos minores & sacros ordines personis eisdem secundum præfatum distinctionē, cum interuallo, vel vna & eadē die simul dicendo, si dubitari contingat, an ordines rite receperint: videlicet, Si ordinatus es rite, non te reordinon, ad sacros antedictos seruata alia forma, & materia, ac solemnitate debita, in præmissis quibuscūque constitutionibus Apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus de gratia concedimus speciali.

Idem etiam Pontifex in Bulla Cum nos ad terras Saracenorum, &c. Vt vero submotis impedimentis quibuslibet eorundem negotiorum prosecutione, libere, & efficaciter, auctore Domino intendere valeatis: omnes & singulos cuiuscunque dignitatis, ordinis, & conditionis, vel status Ecclesiastici, vel mundani extiterunt, qui vobis, vel familiaribus, vel Nuncijs vestris quam diu fuerint in prosecutione prædicta, impedimenta

vel obstacula quæcunque per se, vel per alios præsumperint ministrare; quominus prædicta negotia libere & efficaciter profequi Deo fauente, possitis, citandi quod infra certum terminum competentem quem eis duxeritis præfigendum, Apostolico conspectui personaliter se præsentent, facturi super his, quod iuxta demerita expedire viderimus, vobis & cuiuslibet vestrum auctoritate præsentium concedimus facultatem: diem vero citationis & præfixionis huiusmodi, & quicquid super præmissis duxeritis faciendum, vobis per vestras literas harum serie continentes, studeatis fideliter intimare. Eosque insuper omnes vel singulos supradictos cuiuscunque dignitatis, ordinis, conditionis, vel status Ecclesiastici vel mundani extiterint, qui supradicto obstaculo, per se vel alios præsumperint supradictis ministrare, auctoritate Apostolica, eo ipso decernimus excommunicationis sententiæ subiacere, eorumque terras fore suppositas Ecclesiastico interdicto: cuius excommunicationis absolutionem, & interdicti relaxationem, absque auctoritate sedis Apostolicæ speciali, præterquam in articulo mortis, ab alio, quàm a vobis vel vestrum aliquo, & tunc etiam nisi congrua satisfactione præmissa nequeat obtinere, non obstantibus quibuscunque privilegijs & indultis sub quacunque forma vel expressione verborum eisdem impediētibus, vel eorum aliquibus ab Apostolica sede concessis, vel in posterum concedendis, quæ ad hæc eis in nullo volumus suffragari.

*De alijs etiam privilegijs Fratribus Minoribus
concessis in terris infidelium
laborantibus.*

Similibus fere in omnibus, ac æque amplis privilegijs à multis Pontificibus concessis, Minorum ordo fuit condecoratus. Præcipuè vero Ioannes 22. Pontificatus sui anno 6. eisdem fratribus omnia quæ Innoc. III. & Nicolaus III. ac fere eisdem verbis quæ concesserunt Religiosis ordini Prædicatorum, ipse etiam permisit & indulgit, ac in alijs amplianit. Illis namque facultatem præbuit, ut vbi Episcoporum Catholicorum copia non esset, Confirmationis Sacramentum conferre possent, ac uti oleo & chrismate antiquis. Ac demum Leo X. quibusdam fratribus deputatis ordinis Sancti Francisci in nouum Indiarum orbem proficiscentibus amplissimas gratias concessit, ut patet ex sequenti Bulla, quæ habetur in Bullario per fratrem Emmanuelem Rodrigueꝝ edito.

Dilectis

*Dilectis filijs Fratribus Ioanni Clapion, & Fratri
Francisco de Angelis? Leo Papa X.*

Dilecti filij, &c. Alias felicis recordationis Nicolaus Quartus, & Ioannes vigesimus secundus, & Vrbanus Quintus, & Eugenius quartus, & alij Romani Pontifices prædecessores nostri debita meditatione cōsiderantes, quod vestri ordinis munda Religio à Christo Domino exemplis, ac verbis Apostolicis suis tradita, ac Beato Francisco & eum sequentibus inspirata fuerit, ac quod nonnulli eiusdem ordinis professores pro fidei propagatione in Infidelium partes, eum iam Apostoli non existant in orbe, destinare opus esset, prout ipse Beatus Franciscus suo tempore actualiter fecit, ut in vinea Domini fructuosos palmites Infidelium tunc destinatis vestri ordinis tunc expressis fratribus ut in terris Infidelium constitutis existentibus, quod Dei verbum proponere, & ibidem constitutos, si eorum aliqui excommunicationis censura ligati essent, absoluerent, quoscunque ad Christianæ fidei vnitatem conuenire cupientes recipere, baptizare, Ecclesijs aggregare, & hi ex dictis fratribus qui in sacerdotio constituti essent, Penitentiæ, & Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis, aliaque Ecclesiastica Sacramenta personis præmissis ministrare & exercere, nec non in casu necessitatis (Episcopis in prouincia non existentibus) Confirmationis Sacramentum, & ordinationis, vsque ad minores ordines fidelibus ministrare, cappellas & altaria, nec non calices, & paramenta Ecclesiastica benedicere, ac Ecclesias recōciliandas vel Cæmeteria reconciliare, eisdem de idoneis ministris providere, eisque Indulgentias quas Episcopi in suis Diocæsis concedere solent impartiri, & alia quæcunque facere, quæ ad augmentum diuini nominis, ad conuersionem ipsorum infidelium populorum, & ampliacionem fidei orthodoxæ, & reprobationem & irritationem illorum, quæ sacris constitutionibus contradicunt, sicut pro loco, & tempore viderint expedire, valeant, & possint. Nec non uti oleo sancto, & Chrismate antiquis vsque ad tres annos, cum in eisdem partibus nouum oleum, & balsamum sine difficultate magna haberi non possint, libere & licite valeant. Nec non aggregatos eosdem (vbi Episcopi non habentur) clericali insignire caractere. & ipsos ad minores ordines promouere licere: etiam sedis Apostolicæ sententiæ excommunicationis irretitis absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impartiri, & qui de gentibus Schismaticis, vel alias nouiter essent conuersi dandi licentiam, ut uxores suas cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis cōtraxerunt, retinere valerent, & de causis Matrimonialibus quas in partibus illis ad audientiam nostram

nostram deferre deberent, legitimè cognoscendi, & discordantes inter se concordare. Ac etiam eisdem fratribus licitum esse omnium fidelium in terris prædictis confessiones audire, & ipsis iniungere pœnitentias salutares, & vota commutare, & excommunicatos à Canone vel alio modo iuxta possibilitatem satisfecerint. Intuper in locis in quibus fratres ipsi residentiam facere vel eos hospitari contingeret, missam & diuina officia cum solita solemnitate celebrare, & si in eisdem locis vitæ necessaria ieiuniorum tempore commode haberi non possent, ad prædicta ieiunia eosdem fratres minime teneri declararunt, cum eisque misericorditer dispensarunt. Et vt de suis laboribus fructum reportarent, fratribus prædictis verè pœnitentibus, & confessis eam indulgentiam concesserunt, quam proficiscentibus in terræ sanctæ subsidium sedes Apostolica concedere cōsuevit. Ac etiam omnibus vtriusque sexus, confessisque qui loca & Ecclesias fratrum dicti vestri ordinis in partibus præmissis constructa, & in posterum construenda singulis diebus quibus visitauerint, causa deuotionis siue elemosynæ faciendæ, ipsis de iniunctis eis pœnitentijs centum dies misericorditer relaxarūt. Quique eisdem fratribus auctoritate Apostolica concesserunt, vt in Ciuitatibus, castris, villis, seu locis quibuscūque ad habitandum domos & loca quæcunque seu hætenus recepta mutare, aut eam venditionis, permutationis, aut cuiusuis donationis titulo, in alios transferre valerent. Ac insuper, vt omnes, & singuli vestri ordinis professores, qui eodem succensi zelo ad ea loca cum fratribus prædictis transire voluissent, omnibus & singulis præmissis gratijs & indultis gaudere liberè possent, prout eisdem fratribus, & eorum cuilibet coniunctim vel diuisim pro fratrum præfatorum vita, tunc pro tempore indultum esset, vel concessum. Nec fugientes à sæculo in ordine præfato recipere, ac omnia, & singula facere quæ ad ea, quæ dicti ordinis concernerent professionem, & religionem, quæ Ministri Generales & Prouinciales ex officio, & indultis Apostolicis facere possunt, prout in eorundem professorum desuper confectis litteris latius enarratur. Cum autem sicut accepimus, vos quorum zelus est, Deo animas lucrifacere, & per vestræ sperationis industriam & sollicitudinem diuina stipulante gratia adulterinas plantationes diuellere, ac in messe Domini virtutes serere, vitia radicibus extirpare, & humanum genus ad saluationis & cognitionis semitas reducere, ad Indianas Insulas, aliasque prouincias charissimi in Christo filij nostri Caroli Hispaniarum, & Romanorum Regis Catholici, in Imperatorem electi, ditioni subiectas, & illis propinquas terras, ybi homines veritatis fidei cognitione carent, conferre desideratis, & in illis verbum fidei seminando, huiusmodi sanctis actionibus vos exercere, de superiorum vestrorum licentia intendatis; nos tam sancto, & hominibus huiusmodi pro eorū ani-

marum

marum salute necessario opere desiderio fauorabiliter annuere volentes, motu proprio, & certa scientia ac potestatis plenitudine vobis & vestrum cuilibet facultatibus, concessioibus, & gratijs ac indultis supradictis iuxta superius narratorum continentiam vobis, & cuilibet vestrum, & ad vitam vestram à vobis quatuor deputandis vri, potiri, & gaudere, prout superius explicatur, liberè & licitè valeatis, concedimus, & indulgemus, volumus autem quod ea quæ ad Episcopalem ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præsentium nullus vestrum exercere possit, nisi in Prouincijs ybi Catholicus Antistes non fuerit, in alijs enim locis Pontificalia solū per Episcopos exerceri valebunt. Quocirca vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque in dignitate constitutis, nec non omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam laicis ordinum quoruncunque professoribus, sub pœna excommunicatiois lata sententiæ, & maledictionis æternæ, à qua non nisi per nos, seu de nostro, seu dicti Ministri vestri cōsensu possint absolui, firmiter inhiibemus, ne vos, aut vestrum aliquem ad vitam vestrā seu deputados fratres præfatos, à vobis, vel à ministro generali ordinis præfati, in præmissis, seu præmissorū aliquo directe, vel indirectè, per se, vel alium, quouis quæsito colore impedire præsumant. Quod si quicquā à quouis aliter attentatum fuerit, etiam prætextu quarumcunque litterarū Apostolicarū à Sede Apostolica concessarum, seu in futurum concedendarū, etiam si in eisdem litteris præsentis de verbo ad verbum insertæ fuerint, & specialiter à nobis reuocatæ, irritum sit penitus & inane declarantes ex nūc prout ex tunc, non esse intentionis nostræ, nec in futurum fore, in præmissis (dummodo illis sanctè pro tempore intendatis) vobis impedimentum vel detrimentum inferre. Non obstante prohibitione Fæ. rec. Bonif. Pape VIII. prædecessoris nostri, qua cauetur ne quis de Prædicatoribus, & Minoribus, & alijs Religiosis mendicantibus (quibuscunque super hoc priuilegijs muniti existant) prædicta præsumant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam & expressam facientis de huiusmodi prohibitionem mentionem. Nec non constitutionibus & ordinationibus, &c. Datū Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 25. Aprilis, anno 1521. Pontificatus nostri anno nono. *Hætenus Bulla Leonis X.*

Annotatio.

Quæuis priuilegia præfatis fratribus, vt pote per personis particularibus concessa, extincta videantur, tamen omnia sepe ordini Prædicatorum ac Minorum ab alijs Pontificibus diuersis temporibus fuere concessa. Nam in primis de Prædicatoribus constat ex Bulla Sixti quarti, & de Minoribus ex Bulla Ioannis 22. ac multa ex his priuilegijs post Concilium Tridentinum Ordini Carmelitarum à Clemente VIII. & Paulo V. Summis PP. fuerunt indulta, vt ex sequentibus priuilegijs patebit.

PRIVILEGIA FRATRIBVS CARME-
LITIS DISCALCEATIS CONCESSA.

Dilectis filijs Commissario & fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de
Monte Carmelo nuncupatis Congregationis Italicæ,
Clemens Papa VIII.

Dilecti filij salutem & Apostolicam benedictionem. Dominici gregis
cura nobis diuina dispositione commissa exigit, vt non solum Christi
fidelium animarum saluti, quantum cum Domino possumus prospiciamus,
sed Infidelium quoque conuersioni sollicitis studiis intendamus. Cumque
ad præmissa exequenda Religiosi viri pietate Christiana, & Catholicæ fidei
zelo, ac sacrarum literarum doctrina præstantes, ac vitæ inprimis & morum
Sanctitate conspicui requirantur, & in vestra Religione, ac Congregatione
nunc spiritu feruenti (benedicente Domino) Religiosi plures reperiantur,
eo quod diuina affluente gratia, sanctæ orationi ac contemplationi vacan-
tes, sacrarum literarum studio, prædicationi verbi Dei, atque animarum salu-
tati diligenter incumbitis, & humilitate, paupertate, nuditate, abstinentia,
ieiuniis, & vitæ austeritate prælucentes Patris vestri & Prophetæ Sanctissi-
mi Eliz vestri instituti Auctoris, alumnos & imitatores vos ostenditis; ex
vestra Religione & Congregatione primitiua obseruantia Discalceatorum,
nuncupatorum, ad Illustrem & potentissimum Abax Persarum Regem illius-
que Regna, Dominia & loca, & ad aliorum quorumcumq; Infidelium, Schis-
maticorum, & Hæreticorum partes, vt in illis Euangelium Christi prædicare,
Ecclesiastica Sacramenta ministrare, & tam fidelium in illis partibus forsân
degenantium salutem consulere, quam Infidelium & aliorum prædictorum con-
uersioni operam præstare curent, nunc & infuturum aliquos per vos ad hoc
deputandos, quamprimum deligendos & transmittendos esse duximus. Vt
autem ij quos ipsi ad hoc munus deputaueritis, ministerium hoc facilius, &
commodius ad Dei gloriam, & Catholicæ Ecclesiæ exaltationem adimplere
possint, eidem Religiosis, qui pro tempore, ad partes prædictas per te filii
Commissarie, ac per Præpositum Generalem pro tempore existentem mit-
tentur, vt in eisdem partibus tam cum Infidelibus, quam cum Hæreticis, &
Schismaticis, & excommunicatis quibusque tuta conscientia conuerti,
ac verbo, officio, & cibo communicare, eorum libros & alios quacunque ex
causa prohibitos, ad effectum illos confutandi, & corrigendi legere, illis-
que verbum Dei proponere & prædicare, & Euangelicam doctrinam ad
Christianam fidem venire cupientes edocere, eosque catechizare, ac recipere,
& baptizare in forma Ecclesiæ consueta. Ecclesias, oratoria, cæmeteria, Con-

Conuentus, & Monasteria, Cõfraternitates tam vestri quam aliorum quo-
rumcumque Ordinũ, & alias quascunque, nec non cætera loca pia extruere,
fundare, erigere, ac si quæ ad sint in illis partibus profanata, eas benedicere,
& si erunt consecrata aqua prius ab aliquo Episcopo, vel si Episcopus vl-
tra duas dietas distauerit, à vobis benedictas reconciliare. Quoscumq; illarum
partium habitum vestri ordinis recipere volentes, etiam non seruata for-
ma Fæ re. Sixti Papæ V. Prædecessoris nostri, & decretorum nostrorum ad
huiusmodi habitum, & deinde suo tempore ad professionem regularem ad-
mittere. Altaria portatilia cum debitis honore & reuerentia habere, & su-
per illis in quibuslibet locis decentibus tamen & honestis, & ab omnibus
actibus humanis seiunctis & remotis Sacrosanctum Missæ sacrificiũ etiam
ante lucem regulariter per mediam horam antè, dummodo illucescat dies,
vel si necessitas id postulauerit, etiam per horam antè, & per mediam horam
post meridiem. Indumenta, parameta, corporalia, & vasa Ecclesiastica, non
tamen ea in quibus sacra vnctio adhibetur, pro eorum, & aliorum Sacerdo-
tum in illis partibus existentium in vsu quæcumque benedicere. Oleis infir-
morum & Catechumenorum sanctis antiquis in supradictis, & infrascriptis
muneribus vti, si facta diligentia aliud eiusdem anni habere non potuerint.
Quoscumque præterea in illis partibus degentes hæreticos, Schismaticos, &
à fide Christiana apostatas, etiam Hæresarchas, nõ tamen relapsos, si ad pe-
nitentiam redierint, facta per eos publice, vel priuatim prout personarum &
locorum ratio postulauerit, suorum errorum detestatione & abiuratione, &
iniunctis eis penitentis salutaribus, & aliis iniungendis ab hæresis, schisma-
tis, & Apostasiæ à fide reatibus, nec non excommunicationis aliisque Eccle-
siasticis sententiis, cæsuris & penis per eos iniunctis in vtroq; foro absolueri,
illosque reconciliare, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ gremio, & Vnitati fidelium
restituere. Eorum etiam & cæterorum quorumcumque Christi fidelium vtriusque
sexus in illis partibus degentium Confessiones audire ac iniuncta illis pro
modo culpæ eorum arbitrio penitentia saluari, eosdem à quibuscumq; pec-
catis, criminibus, excessibus, & delictis quæcumque grauib; & enor-
mibus etiam in casibus nobis & eidem Apostolicæ sedi, & locorum ordi-
nariis reseruatis, etiam contentis in litteris die Cęnę Domini legi solitis,
etiã de quibus dicta Apostolica Sedes merito consulenda esset, quoad huius-
modi casus contentos in litteris Cęnę Domini, videlicet semel in vita & in
articulo mortis, nisi aliquis casus vrgens pluries occurrat, cui propter peri-
culum animarum statim sit prouidendum, quoad reliquos vero toties quo-
ties eis videbitur. & fuerit opportunum. Nec non quorumcumque vtorum
etiam iuratorum & Ecclesiæ præceptorum transgressionibus, ieiuniorum, &
penitentiarum iniunctionum omissionibus cæterisque delictis in foro con-
scientiæ absolueri, ac in illis partibus vbi Parochi non fuerint, Baptismatis, Peni-

15. Penitentia, Eucharistia, Matrimonij, & Extremæ vnctionis Sacramenta, quæ alioquin parochi suis Parochianis ministrare solent & possunt vice
 16.] Parochorum ministrare. Præterea vota quæcunque etiam solemniter iurata (castritatis & Religionis dumtaxat exceptis) ex aliqua rationabili causa in alia pietatis opera commutare. Apostatas quoque à regularibus ordinibus quibuscunque in dictis partibus degentes, si verè penituerint, & veniã petierint, imposta illis salutaris penitentia, ab apostasie nota, & excommunicationis, aliisque censuris & penis Ecclesiasticis per eos incurfis absolueri, illisque vt reassumpto habitu sui Ordinis extra Monasterium per certum decentem terminum, donec ad sua monasteria redire potuerint, remanere possint, cõcedere, & cum eis si Sacerdotes fuerint super irregularitate præmissorum occasione, & etiam quia censuris Ecclesiasticis sic ligati Missas, & alia diuina officia etiam forsitan in contemptum clauium celebrarunt, contracta dispensare, ita vt Missas, & alia diuina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant, dummodo scandalum non adsit, & vilitas, aut necessitas conuersionis & salutis animarum illarum partium suaserit id illis esse concedendum. Super votis quoque simplicibus Religionis, & castritatis simili ex aliqua causa rationabili dispensare. Vt que pro expensarum oneribus leuius supportandis elemosinas & oblationes eis largiendas recipere, Illisque pro Religiosis eorum necessitatibus vti, nec non quæcunque malè oblata incerta illarum partium si ij quibus solutio earum, & restitutio fieri deberet ignorentur, vel inueniri non possint, in pios vsus, & pauperum sustentationem earundem partium, eorum arbitrio erogare. Insuper vt ij ex dictis Religiosis ad partes prædictas profecturis, quiue in dictis partibus ad habitum & professionem eiusdem ordinis recipientur sacris ordinibus non initiati, à quibuscunque Catholicis Patriarchis, Archiepis, & Episcopis gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentibus ad omnes etiam sacros & Presbyteratus ordines, etiam extra tempora à Iure statuta, & non seruatim interstitiis, & absque litteris dimissoriis, quatenus ibi locorum Ordinarij, seu Episcopi non sint, cum testimonio tamen de vita, moribus, & idoneitate illius qui in illis partibus eorū superior pro tempore fuerit, promoueri, & promoti in illis, etiam in altaris ministerio ministrare libere & licitè valeant. Ad hæc omnes prædictos Religiosos eiusdem Congregationis vestra ac domos, Conuētus, monasteria & loca quæcunque quæ in illis partibus pro tempore habueritis, ab omnium & singulorum quorumcunque Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum Iurisdictione, potestate, superioritate, & auctoritate, sicut in cæteris locis istis prorsus eximimus & liberamus. Decernentes illos omnes & singulos tibi fili Commissarie generalis & Definitorio Congregationis Italiz tantummodo, tam in spiritualibus quam temporalibus subiacere, illosque super præmissis

præmissis à quoquam quauis auctore fungente molestari, perturbari, inquietari, vel impediri nullatenus posse, nec etiã cuiquam dicta Congregationis Italica Religioso licere ad præfata loca sine tua fili Commissarie, aut Præpositi generalis pro tempore futuri speciali licentiã accedere, & secus facientes apostasiam notam eo ipso incurrere, præterea quoque litteras sub quibusuis similibus vel dissimilibus gratiarum reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per litteras die Cene Domini legi solitas faciendas minime comprehendere, nisi de illis specialis, specifica, & ad verbum expressa mentio fiat. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari & diffiniri debere. Irritum quoque & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, & in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris late sententiæ pena eo ipso per contra facientes incurrenda, à qua non nisi à nobis & Romanis Pontificibus successoribus nostris, præterquã in articulo mortis constitutus quisquam absolui possit, districte præcipiendo mandamus, vt præmissa omnia dicti Religiosi gratis & absque vlla prorsus impensa, omnino impediant & impartiantur, neque ab illis aliquid hac de causa petere vel exigere, vel sponte ablatum accipere præsumant, sub eisdem præcepto, & excommunicationis pena ipso facto incurrenda nobisque pariter reseruata, ne quis non superior illorum prædictos Religiosos retardare, molestare, inquietare, aut quoquo modo directe vel indirectè quominus præfata ministeria exequantur impedire audeant, districte inhibemus. Et quia difficile foret præsentibus nostras litteras ad singula loca vbi opus fuerit deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, vt earum trãsumptis etiã impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo vestre Congregationis, aut alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in Iudicio, & extra habeatur, quæ eisdem præsentibus originalibus litteris haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die xiiij. Iulij M. DC. IV. Pontificatus nostri Anno decimo tertio. M. Vestrius Barbianus.

Sequitur collectio breuis priuilegiorum, à sede Apostolica concessa Religiosis in propaganda fide laborantibus, ordine Alphabetico digesta.

Preambule quaedam notationes pro vsu, & praxi praedictorum priuilegiorum.

Prius quaedam dubia praecipua absoluam, ac quaedam obseruanda in praxi praemittam, postea breuem priuilegiorum seriem alphabetico ordine digestam, aliquibus explicatam appendicibus irradam. Sed ne alicui de veritate Bullarum, à quibus priuilegia omnia deprompsimus, contingat dubitare, Pontificum diplomata suis numeris distincta hic scripta inueniuntur.

Primo igitur dubium occurrit, An praefata priuilegia sint à Tridentina Synodo derogata: nam in ea omnia priuilegia, quae decretis eiusdem Concilij contrariantur, expresse abrogata sunt, vt patet ex c. ult. sess. 25. de reformat. & Pius iiii. omnia priuilegia Conc. Trid. aduersantia penitus annullauit, & licet Pius v. omnia Regularium priuilegia confirmauerit, ac innouauerit; postea vero Greg. xiiij. praefatam Pij. v. Bullam reuocauit ac solum eas gratias, & priuilegia Regularibus concessit, quae sunt in vsu, & Sacri Conc. Trid. decretis non contradicunt.

Pro huius dubij resolutione, primo possemus dicere, non esse Concilij mentem, priuilegia specialia regularibus, in conuersione infidelium laborantibus concessa abrogare: nam decretum generaliter loquens, non recte extenditur ad casus speciales, quos Legi statim praesumitur non comprehendisse: praecipue, quia abrogatio, aut priuilegiorum limitatio, à sacro Conc. facta fuit, vel in Episcoporum, vel in Parochorum fauorem, ne eorum iurisdictione in aliquo laederetur: at in terris infidelium vbi nec Episcopi sunt, nec Parochi, nulli irrogatur iniuria: quare in hoc casu magna cum probabilitate sustineri posset, priuilegia Regularibus concessa in suo robore permanisse. At quicquid sit de hac sententia, illud constans est apud Auctores, omnia priuilegia ante Conc. Trid. Regularibus concessa in foro conscientiae valere. Ita docent Fr. Emmanuel Rodriquez, tom. i. quaest. regul. art. 9. q. 8. P. Enriquez 1. tom. li. 7. c. 24. P. Sorbus in compend. priuileg. verb. Absolutio,

solutio. P. Sa, verbo Gratia, & communiter alij Iuniores. In foro autem conscientiae valere, idem est, ac posse vti nunc illis priuilegiis concessis, in salutem animarum, ita vt valeant coram Deo, & non coram Ecclesia, vt qui absolueret extra Confessionem virtute priuilegiorum hereticum, aut excommunicatum, ille verè quoad Deum maneret absolutus, licet in foro exteriori posset ab Ecclesia puniri, ita explicat Couar. in cap. Alma Mater, parag. ii. n. 6. in 1. part.

Quod vero priuilegia omnia in foro interiori salua consistant, ex eo manifestè colligit praefati Auctores, quia Pius V. viuae vocis oraculo Fratibus Minoribus concessit vti & gaudere omnibus Indulgentiis, gratiis, & priuilegiis à Summis Pontificibus concessis; & quoad illa, quae sunt restricta, seu derogata per Conc. Trid. etiam vti illis posse, in foro conscientiae tantum. Neque ista concessio fuit reuocata per Bullam Greg. xlii. solum enim reuocauit ea, quae Regularibus Pius V. concesserat in foro exteriori, vt iurgia vitarentur, & contentiones, quae ex talibus concessionibus inter Ecclesiasticos erant ortae: & sic non reuocauit ea, quae viue vocis oraculo, & tantum in foro interiori fuerunt concessa.

Nec solum in foro interiori priuilegia Regularibus concessa in suo robore permanere, sed & in exteriori docuit Pater Enriquez, tom. i. Summae moral. lib. 7. c. 24. in fine, quia, vt ipse ait, reuocatio facta à Gregorio xlii. non fuit promulgata, neque vsu recepta, pro qua sententia adducit Nauarum in editione anni 84. c. 27. in fine, quam ego videre non potui, imò videtur colligi contrarium ex Nauarro in suo Enchirid. vbi ait, quod tenorem constit. Greg. xiiij. ponit in fine, si publicetur: quare cum ipse ponat dictam Constitutionem, colligi aperte videtur fuisse iuridice promulgatam.

Illud tamen certum existimo, quod et si Trid. sess. 25. de reformat. Regular. c. 22. reuocet omnia Mendicantium priuilegia Canonibus, aut Decretis à se editis contraria, intelligendum esse de illis priuilegiis, quae repugnant decretis in illa sessione circa Regularium reformationem promulgatis: cetera vero priuilegia minimè, neque in interiori, neque in exteriori foro esse sublata: ita expresse docuit Nauar. c. 27. num. 190. Credimus, inquit, quod per praedictum c. finale de Regularibus, (nempe praedictum c. 22. Conc. Trid.) solum tolli eis priuilegia contraria iuribus communibus, quae capitibus praecedentibus eiusdem tit. (scilicet sessionis 25. de reformat. Regularium) iubentur seruari. Eandem Nauar. sententiam, ipso tamen non citato, late prosequitur Emanuel Rodriquez tom. i. quaest. regul. q. 8. art. 6. & 7. & Pater Sa in Summa, verbo Gratia, quare tantum illa priuilegia sunt abrogata, quae decretis illius sessionis contrariantur: & similiter quaecunque alia, quae in propriis locis à Sacra Tridentina synodo reuocantur.

Loca autem, ubi expresse priuilegia Ordinum à Conc. Trid. derogantur, adducit Emanuel Rodriquez dicto art. 7. quæ à nobis hic breuitatis gratia non reconferuntur, & quia in propriis locis notabimus, quæ Concilij decreta sint obseruanda, priuilegijs quibuscunque non obstantibus.

Illud etiam se offert notandum ex mente omnium ferme Doctorum scribentium de priuilegijs Ordinibus Mendicantibus communicatis, numquam per non usum amitti.

Deinde antequam collectionem, siue compendium omnium priuilegiorum ministris Missionum concessorum aggrediamur, illud prius restat considerandum, hæc priuilegia, prout ex eorum serie, & contextu patet, à Summis Pontificibus fuisse Fratribus concessa pro terris Infidelium, Hæreticorum, aut Schismaticorum, quæ Sedis Apostolicæ magisterio, & obedientia non subduntur, in quibus, vel non sunt Episcopi: vel si Episcopi, aut Patriarchæ reperiuntur, non tamen habent communicationem cum Ecclesia Catholica, in his igitur infidelium, hæreticorum, aut schismaticorum Prouincijs, omnibus præfatis priuilegijs uti licite Religiosi. In terris uero infidelium, aut schismaticorum, ubi sunt Episcopi Catholici, aliquibus ex præfatis priuilegijs tuta conscientia gaudere nequeunt.

Dices, quæ sunt priuilegia, quibus uti indifferenter liceat in terris infidelium, & quæ sint à quibus abstinere oporteat in terris, ubi præfunt Catholici Episcopi, ut in multis Indiarum Prouincijs?

Respondetur ex ipsarum Bullarum contextu colligi, quibus priuilegijs utendum sit, & à quibus abstinendum, ubi sunt Episc. Catholici: nam ea quæ propria sunt Episcopalis dignitatis, (licet aucteritate Summi Pontif. possint simplici Sacerdoti committi,) ut sunt oleum consecrare, Ecclesias profanatas reconciliare, hæc inquam regulariter à Summis Pontif. non conceduntur, ubi sunt Episcopi. Quare in præfatis Bullis cum Religiosis aliqua ex his committuntur, solet frequenter addi: ubi Episcoporum copia non fuerit. Licet aliquando soleant etiam pontifices aliqua ex prædictis absolute concedere Religiosis proficiscentibus in terras Indiarum, maxime si sint valde remotæ à locis, ubi Episcopi resident, ut sunt calices, & altariola cōsecrare. Et tunc non est dubium, quin possint hæc, & alia si concedantur, exequi in terris, quæ Episcopis subduntur. Alijs uero priuilegijs pro infidelium terris concessis, ut sunt, quæ pertinent ad absolutionem, & dispensationem, & aliquorum sacramentorum administrationem, cum à Summis Pontificibus sine ulla restrictione concedantur, frui, & uti semper licebit in terris infidelium, & hæreticorum, maxime in illis, quæ valde remotæ sunt à Sede Apostolica.

Ex

Ex quo infero priuilegia, quæ olim aliquibus Religiosis in Indiam profectis fuere concessa, quando in illis Regionibus à Sede Apostol. Episcopi non erant creati, si sint circa executionem earum rerum, quæ Episcoporum sunt propria, creati Episcopi fuisse omnino extincta: quia cessat ratio, ob quam fuere concessa, nempe Episcoporum penuria; ita docuit Fr. Emanuel Rodriquez tom. 2. q. 99. art. 5.

Præterea priuilegia quæ Summi Pont. concesserunt regularibus circa infideles nouiter conuersos, extendi etiam voluerunt ad captiuos Christianos in quibuscunque infidelium Prouincijs existentes, ut patet ex initio Bullæ Innocent. IV. & Sixti IV. pro Fratribus Prædicatoribus. Imò, & ad omnes fideles in illis partibus degentes, ut ex ipsis Pontificum uerbis manifestè constat, nisi in aliquo casu contrarium exprimitur.

Denique expendenda sunt illa uerba tam Innocent. IV. quam aliorum Pontificum, scilicet *Fratribus Prædicatoribus in terris infidelium proficiscentibus*, quasi Summi Pontifices uelint, eos non solum dum inter infideles uersantur, gratijs, & fauoribus à se concessis uti; sed statim, ac huius ministerij causa ad infidelium conuersionem fuerint profecti. quare itinerantes possent, si necessitas urgeret, præfatis priuilegijs uti, ubi Episcopi non essent, uel esset ad illos accessus ualde difficilis. Si enim in itinere uel frangeretur altariolum, uel corporalia iam benedicta perderentur, & die festo non esset qui celebraret, quis dubitat uirtute priuilegiorum posse, & aram, & corporalia benedicere, & sic de cæteris?

Denique cum in hac collectione, aliquando ex compendio Indico Societatis Iesu aliqua priuilegia inferantur, nonnullaque ex illis pro tempore limitato sint concessa, oporteret, (nisi alias alicui Religioni sine temporis determinatione concederentur) ab ipsis Patribus postulare, an prorogata fuerint; solent enim ipsi, antequam extinguantur, prorogationem à Sede Apost. obtinere. Deinde cum hæc priuilegia Societati regulariter à Pontifice concedantur, dependenter à Præposito Generali, ita ut sine eius licentia, nemo ex Societate utendi eis habeat facultatem, oporteret, ut aliorum Ordinum Religiosorum facultatem à suo Generali, uel saltem Prouinciali, omnibus prædictis priuilegijs utendi, impetrarent. Præterea etsi in ipsis priuilegijs concessis Religiosis Societatis, sæpe requiratur, ut à Præposito Generali sint missi: at postea Greg. XII. indulgit omnibus de Societate, qui pro tempore erunt in illis partibus, ut eisdem priuilegijs uterentur, etiam si à Præposito Generali missi non sint.

Absolutio.

IN terris infidelium, possunt Religiosi omnium fidelium ibi degentium confessiones audire, iniunctaque pœnitentia salutari eos absoluerunt ab omnibus peccatis, criminibus, excessibus, delictis quantumcunque enormibus

P P P P P

etiam

etiam in Cena Domini contentis, aut quomodolibet Sedi Apostol. reseruat, sine vlla exceptione, toties quoties. Six. iiii. n. 5. prædicat, Clem. viii. Car. Discalceatis, n. 12. ac etiam ab omnibus censuris & pœnis prædicta delicta consequentibus absolueret Six. 4. nu. 6. & compend. Societ. Indicum verbo absolutio.

Secundo quosunque in illis partibus Schismaticos, vel Hæreticos, etiam Hæresiarchas non tamen Relapsos, facta per eos prius detestatione & abiuratione, iniunctisque penitentibus salutariibus, in vtroque foro ab excommunicatione, aliisque Ecclesiasticis censuris, & sententiis absolueret, illosque reconciliare Clem. V I I. Carme. Discalceatis.

Annotatio.

NOta hanc concessione intelligendam esse in illis partibus, vbi non sunt Episcopi, neque Inquisitores hæretica prauitatis, id enim colligitur ex serie bullarum. Pro illis vero Regionibus remotissimis, vbi Iudices fidei sunt deputati Fratres Iesuitæ, gaudent simili priuilegio in foro conscientie. Aduertit tamen Collector, quod eo Religiosi non vtantur cum his quos probabiliter sciuerint ad Inquisitionis officium esse delatos, nisi fortè de hac re cum Inquisitoribus agatur, atque ipsis placeat, vt ipsi hac facultate vtantur. Cum iis etiam, qui delati non fuerint, adhibenda est magna cautio & circumscriptio, vt penitentibus declarent, nihil eam absolutionem ipsis prodesse in foro exteriori, eosque exhortentur, vt complices si quos habeant, reuelent, & hæreses abiurent, nec in locis in quibus Sanctæ Inquisitionis officium residet, hac facultate vtantur, nisi cum solis Neophytis, & ea moderatione, vt Inquisitores nulla ratione offendantur. Quin potius sedulam operam nauabunt, vt penitentes in ijs que in foro exteriori reuelare tenentur officio suo non desint. Denique notandum est hoc priuilegium absoluendi ab omnibus calibus reseruat, non tolli, cum Romæ publicatur Bulla Cœnæ Domini, vt docet P. Fr. Emanuel tom. 1. q. 20. art. 9.

Altare.

Celebrare in altari portatili, siue viatico concesserunt multi Pontifices Religiosis, non solum pro conuersione infidelium laborantibus, sed etiam alijs inter Catholicos conuersantibus. Et quamuis dubitari posset, an hæc gratia sublata esset per Concil. Trid. vt nullus dubitationi locus relinquatur, post Trident. Societati Iesu concessit Gregor. X I I. cum derogatione expressa Concil. Tridentin. vt refert Pater Enriquez 1. tom. libr. 9. cap. 27. in gloss. litt. S. Nouissime vero Fratribus Carmelitis in terras infidelium proficiscentibus concessit Clem. V I I. vt supra num. 7.

Anno

Annotatio.

EX priuilegio Adriani V I. teste P. Fr. Emanuele tom. 1. q. 28. art. 2. possunt Prouinciales Indiarum, & Fratres habentes ab ipsis specialem ad hoc facultatem, consecrare altaria, etiam pro vsu alieno, in casu necessitatis, Episcopi in Prouincia non existentibus.

Apostata.

IN terris infidelium, Apostatas à Regularibus Ordinibus commorantes, possunt Religiosi imposta illis salutaris penitentia, ab apostasia nota, & excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis absolueret: illisque vt reassumpto habitu sui Ordinis, extra monasterium per certum decem terminum, donec ad sua monasteria redeant, manere possint, concedere. Et cum eis, si Sacerdotes fuerint, super irregularitate, forte commissorum occasione contrafacta, dispensare, ita vt Missas, & alia diuina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare valeant: dummodo scandalum non adsit, & vtilitas animarum illarum partium id postulerit. ita Clem. V I I. Carmelitis num. 16. & Innocent. I V. Prædicatoribus num. 11.

Baptismus.

DE Sacramenti Baptismi administratione vide infra, verbo, Sacramenta. Religiosis Societat. in India degentibus Pius V. ad decennium, quod postea Gregor. X I I. extendit ad aliud decennium, concessit, vt possent baptizare extra Ecclesias, & sine consueta cæremoniis, quando ipsi iudicarint id ad maiorem Dei gloriam & obsequium expedire, propter paucitatem operatorum, & incommoditates, quæ se offerunt. Comp. Societ. Ind.

Benedicere.

Indumenta, paramenta, vestes Sacerdotales, ac corporalia, tam pro ipso forum, quam pro aliorum Sacerdotum in illis partibus existentium vsu (ex concessione Clem. V I I. num. 9. Carmelitis facta) possunt Religiosi benedicere. Similem concessione plures alij Pontifices alijs Ordinibus ex eorum priuilegijs fecisse constat. Vbi vero Episcopus Catholicus non adest, possunt etiam Calices, & altaria consecrare, Cæmeteria benedicere, & profanatas Ecclesias reconciliare, Innocent. I V. Fratribus Prædic. num. 21. Innocent. VI. etiam vt supra, Compendium Societ. Indicum verbo Benedictio: & nouissime Paulus V. viuæ vocis oraculo concessit Religiosis Carmelitis in Persiam profectis, dum ab Episcopo Catholico per duas dietas distarent.

Annotatio.

Primo nota, in consecratione vtendum esse oleo ab Episcopis consecrato, Deinde sciendum, quod non solum in terris infidelium, quæ
P P P P 2 Magisterio

Magisterio Ecclesie non subijciuntur, possunt Fratres ornamenta Ecclesiastica, & corporalia benedicere, calices & altaria consecrare, sed etiam in terris fidelium, in illis scilicet, quæ remotissimæ sunt à Sede Apostolica, vt in nouo Indiarum orbe, cum sequentibus limitationibus. Prima. Possunt benedicere corporalia, cæteraque paramenta diuino cultui deputata pro vsu facularium, si distent ab Episcopis, vel eorum Officialibus per duas dietas, ita P. Veracruz in compendio manu scripto, (quem citat, & sequitur Frater Emanuel 1. tomo quæst. Regular. quæst. 19. artic. 2.) Expressi priuilegio (inquit) Adriani v. possunt Prouinciales Indiarum Ordinum Mendicantium, & fratres eorum habentes auctoritatem omnimodam dicti priuilegij, benedicere omnia prædicta etiam pro vsu alieno, si distent ab Episcopis, vel eorum Officialibus per duas dietas, causa iusta interueniente, pro bono Indorum, puta quia deferenda sunt ornamenta apud Episcopum distantem 20. leucis. Prouinciales vero in casu necessitatis, possunt omnia prædicta benedicere, tam pro vsu proprio, quam pro alieno, siue sint intra, siue extra prædictas dietas, Episcopis tamen in Prouincia non existentibus. Ita vt si Episcopus in aliena esset Prouincia, quamuis non distaret vna dieta, possint id præstare: ita Pater Veracruz citatus.

Circa consecrationem vero Calicis, etiam requiritur, vt Episcopi non sint in sua Prouincia: hoc enim (ait prædictus Pater) Leo x. & postea Adrian. v. anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo concessit de nouo priuilegium Prouincialibus, & quod possint communicare suis Fratribus auctoritatem suam. Et aduerte quod potestas, quæ datur per priuilegium Leonis decimi, non habet rantas limitationes, sicut priuilegium Adriani sexti. Priuilegium enim Leonis x. solum petit, quod Episcopi non sint in prouincia, ad hoc vt prædicta possint benedicere. Et sic Sede vacante, dicitur, quod Episcopi non sunt in prouincia. Aduerte etiam cum dicto Patre, quod hæc supradicta omnia possunt facere Fratres, & benedicere, si eis Prouinciales communicent, scilicet dicendo: Auctoritate Apostolica commisso tibi auctoritatem breuis Adriani sexti omnimodam super has & has personas, sicut tibi conceditur. Nec non comunico tibi Breue Leonis decimi, & alia priuilegia Fratribus Indiarum concessa & concedenda. hætenus Frater Emanuel Rodriguez. Hoc priuilegium Adriani 6. habetur Hispani authenticum in Monasterio Beati Francisci, teste Patre Enriquez 1. tomo suæ summæ libr. 9. cap. 27. in gloss. lit. H. 37.

Quibus concordat cõpendiũ Indicũ Iesuitarũ, verbo Benedictio. Possunt, inquit, hi, qui mittuntur à Præposito Generali in loca remotissima, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vestes Sacerdotales, pal-

las, corporalia, calices, altaria, & cæmeteria, si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit, in eis partibus benedicere. Denique nota, Regulares in terris infidelium commorantes tam in Baptismate, quam in alijs ministerijs, in quibus opus est oleo sancto, vti posse oleo antiquo, si facta diligentia illud eiusdem anni haberi non potuerint. Clem. VII. Carmel. Discal. num. 10. quæ est amplissima concessio.

Confirmationis Sacramentum.

Innocentius VI. Prædicatoribus, Ioannes xxi. & Leo x. Minoribus, in terras remotissimas à Sede Apostolica ac Episcoporum magisterio carentes profectis, concesserunt administrare sacramentum Confirmationis nouiter conuersis. & Adrianus 6. concessit de nouo priuilegium Leonis x. Prouincialibus tam circa consecrationem Calicis, vt dixi supra, quæ circa Confirmationis Sacramentum, cum eisdem limitationibus, de quibus nuper mentionem fecimus, vt idem Author quæst. Regul. loco vt supra refert.

Annotatio.

DE hac concessione simplici Sacerdoti, circa administrationem Sacramenti Confirmationis, à summo Pontif. facta, licet olim ab alijs quibus Authoribus fuerit dubitatum; an simplici sacerdoti à Papa committi possit, tamen hodie non licet dubitare, cum à pluribus Pontificibus fuerit concessum, vt constat ex præfatis priuilegijs, & de alijs, de quibus Doctores scribentes de Sacramento Confirmationis. Hac tamen concessione vti non licet, quia cum priuilegium sit valde exorbitans à iure communi, non videtur extendendum vltra personas, quibus expressè fuit concessum. Præterea non legimus Patres Iesuitas, qui in Iaponis insulis plurimos ad fidem perduxerunt, vsos fuisse huiusmodi priuilegio; nec alios quoscumque Religiosos, etiam si Regiones fuerint remotissimæ, & Episcopo multis annis caruerint.

Communicare cum infidelibus aut excommunicatis.

Possunt religiosi in terris infidelium, Hæreticorum, & schismaticorum cum excommunicatis quibuscũq; cura cõsciẽtia conuersari, ac verbo, officio, & cibo communicare. Clem. VII. Carmelitis, num. 1. & alij etiam Pontifices Fratribus prædicatoribus, & Minoribus: possunt etiam Missas celebrare, etiam si illi præsentis adsint in Ecclesijs, quando necessitas urget, & periculum est maioris scandali. Compend. Societ. Ind. verbo, Communicare.

Annotatio.

DE hac materia in libro de conversione omnium gentium procuranda, latius diximus, Illud tamen hic obiter aduerte, P P P P 3 illud

illud verbum, in officio communicare à Clemente VII I. expressum, denotare etiam sine necessitate, posse nos infidelium Hæreticorum, aut scismaticorum ritibus, vel officiis diuinis interesse, sine vilo scrupulo, & ipsos similiter præsentibus esse, dum à nobis diuina celebrantur Officia, dum tamen pusillorum scandalum non sequatur.

Conseruatores.

Conceditur superioribus Societatis, seu eorum Conseruatoribus in eisdem partibus extra Europam, vt ad omne calumnię genus obstruendum, & pro temporum, causarum, occasionum necessitate occurrente quasunque censurarum, & pœnarum declarationes possint facere, pro conseruatione & causa priuilegiiorum & Iurium, rerum, & personarum ipsius Societatis tantum. Item vt cõtra tales effugientes appellatione postposita procedere seu mandare liberè & licitè valeant. Ex compendio Indico Societatis. Ex eodem compendio in omnibus causis, personis iura, seu priuilegia Societatis concernentibus, in Regionibus tãtum extra Europam occurrentibus, loco earum personarum, quæ iuxta commune cõpendium, in conseruatores assumi possunt, indulgetur Præposito Generali, vt assumere ad id minus valeat quosuis idoneos, & probos viros sæculares clericali charactere insignitos, non tamen coniugatos. Hac vti possunt Prouinciales, & ii, quibus ipsi eam commiserint.

Confessarij.

Omnes Religiosi in terras Infidelium, aut Hæreticorum à suis prælatis ac superioribus missi, possunt nouiter conuersis, ac Christianis ibi degentibus Sacramentum Confessionis administrare, ita Innoc. I I I. Prædic. Clemens VII I. Carmel. in terris vero, vbi sunt Episcopi Catholici, Confessarij semel approbati à Generali, vel ab aliquo Episcopo ad Confessiones audiendas, possunt in vtraque India omnibusque Regionibus, & insulis transmarinis, ad quas Hispani, & Lusitani penetrant, Confessionem audire: nec tenentur vltiorem licentiam, & approbationem ab aliis Episcopis petere, seu alias habere. Greg. XII I. ad decennium; quam cõfessionem idem postea, ad duo decennia extendit. Compend. Indic. Societ.

Dispensare.

In partibus, & Regionibus Infidelium, siue Hæreticorum, qui Ecclesię Catholicę non obtemperant, Religiosis dispensandi facultatem in omni irregularitate, in qua possunt Legati à latere dispensare, concesserunt Innoc. IV. nu. 10. & Ioannes 22. Fratibus Minoribus. Ac idem Innoc. cõcessit eandem facultatem dispensandi, cum Clericis defectum natalium patientibus, (dummodo de adulterio, de incestu, aut de Regularibus non fuerint procreati) 2. Six. I V. & Pius I I. vt supra n. 2. in omni censura, & irregularitate facultatem Fratibus Prædicatoribus præbuerunt dispensandi,

fandi, excepta ea, quæ à bigamia descendit.

3. Clem. VII I. num. 17. Fratibus Carmelitis in terris infidelium, aut Hæreticorum existentibus, concessit auctoritatem dispensandi in omni voto etiam castitatis, & Religionis, si necessitas, aut vtilitas conuersionis animarum in illis partibus existentium exegerit, & hæc est amplissima concessio, de qua infra.

4. Possunt præterea Religiosi in terris Saracenorum, Paganorum, aliorumque infidelium & in aliis prouinciis remotissimis, à quibus non potest adiri sedes Apostolica, dispensare cum iis, qui ab infidelitate conuertuntur tantum, & in locis remotissimis, si prius in gradibus non licitis, (lege tamè diuina non prohibitis) matrimonia contraxerant, vt in iisdem manere possint. Ita Innoc. I V. nu. 17. & Ioan. 22. Minoribus.

5. Possunt Presbyteri Societatis à Proposito Generali per se vel alios, ad id electi auctoritate Apostolica, (gratis tamen) dispensare cum Neophytis, in quibusuis Orientis, Brasilię, Peru, nouę Hispanię, & aliis Ultramarinis Regionibus, insulisque Oceani maris, ac Occidentalibus partibus degentibus, in quibuscunque iure diuino non prohibitis consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, aut alias coniunctis, aut ad se attinentibus, vt impedimentis eiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & solènzare; (secus si iam etiam scienter contraxerint) & denuo contrahere valeant: in partibus tamen vbi locorum Ordinarii de facili adiri possunt, in foro conscientię tantum, sed perpetuo. Ordinarii vero ipsi ibidem in vtroque foro, sed tantum ad viginti annos à data præsentium cõputandos, de consilio tamè, & assensu dictorum Societatis Presbyterorum, tanquam adiutorum & assessorum suorum, vbi eorum copia commode haberi possit: in reliquis autem Prouinciis Ordinariorum præsentia destitutis, vel ab eis non minus decentis millibus passum remotis, iidem Presbyteri per se in vtroque foro possunt in prædictis dispensare. Possunt etiam prædicti Sacerdotes in eisdem locis denunciations, & alias extrinsecas solemnitates, ac cęremonias, cum id expedire, aut necesse esse visum fuerit, ommittere, prolemque susceptam aut suscipiendam legitimam declarare, Compend. Societat. Indic.

6. Sanctiss. D. N. Paul. V. Fratibus Carmelitis Discalceatis in Persiam profectis viuz vocis oraculo concessit, vt cum his qui in illis Regnis conuerterentur, veletiam cum iam conuersis, in omnibus gradibus, præter primum consanguinitatis vel affinitatis, ac per lineam rectam inter ascendentes, & descendentes, possent dispensare.

Annotatio.

Circa irregularitatis dispensationem collige in omnibus irregularitatibus, ex quacunque causa prouenientibus, posse Religiosos in Prouinciis

ciis remotissimis infidelium, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, dispensare, excepta ea quæ à bigamia processit. Nec mirum in illis partibus concedi facultatem dispensandi in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, maxime quando id utilitas animarum fideique propagationis cõmune bonum exegerit: cum Paulus III. superioribus Ordinis præmonstratensis respectu suorum subditorum idem concesserit, vt videre est apud P. Frat. Emanuel. Rodriquez tom. 2. q. 105. art. 1.

Circa dispensationem vero in gradibus prohibitis matrimoni; notandum est, aliud esse dispensare, siue licentiam præbere, vt qui matrimonium in infidelitate in gradibus prohibitis contraxere, maneant ad fidem conuersi eodem coniuncti matrimonio, de quo dicemus infra verbo matrimonium; aliud veto dispensare cum Neophytis, hoc est nouiter conuersis, vt contrahant in gradibus prohibitis, & vtrumque concessum est Religiosis primum sine limitatione; secundum vero cum limitationibus prædictis.

Ecclesia.

In illis partibus possunt religiosi fundare monasteria, & Ecclesias profanatas reconciliare, & de nouo fundatis Rectores idoneos prouidere, Innoc. I. V. prædicat. num. 13. & Clemen. V. I. I. Carmelitis num. 4.

Horæ Canonice.

Patres Societatis, Concionatores, Lectores, Confessarij, & Superiores, qui sunt, aut erunt in Prouincijs Indiæ, & Brasiliæ, possunt toto anni tempore ante horam cœnæ ordinariam, etiam cum per aliquot integras horas ante solis occasum cœnari solet, dicere matutinum sequëtis diei. Habebitur in compendio societatis.

Circa ieiunium, & aliapro Indis.

Possunt Religiosi in foro conscientia dispensare in India cum nouis, & antiquis Christianis, in ieiunijs ab Ecclesia statutis, propter grauissimum æstum, & cibos debilioris nutrimenti, & quia homines illi navigationibus & bellis gerendis sunt diditi. Pius V. ad decennium, quam excedit Greg. ad aliud decennium, Compend. Societ. Ind. Concessit præterea Paulus III. vt refert pater Frater Emanuel Rodriquez, tom. 2. quæst. Regul. q. 99. art. 5. vt Indi solum tenerentur ad ieiunandum omnibus sextis ferijs quadragesimæ; & vigilijs Resurrectionis, & Natalis Christi, propter eorum nouam ad fidem conuersionem, & ipsius gentis infirmitatem; imo ieiunium repugnans sanitati, vel non bene quadrans officio, vel exercitio alicuius eorum, non est censendum illis ab Ecclesia præceptum. Hæc Paulus III.

Ex hac concessione habes vnde possis, quam plures Indos excusare ab obligatione ieiunandi, cum ipsi sibi quotidie baiulent ligna, & alia multa huiusmodi faciant, & ipsi Indi molant sibi panem, aquam humeris portet, &

& si addas eorum insufficientem pro vno prandio refectionem ciborum, eos excusabis.

Concessit etiam idem Paulus III. quod dicti Indi solum teneantur ab operibus seruilibus cessare omnibus diebus Dominicis, Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Christi, Pentecostes, nec non Natiuitatis Beatæ Mariæ, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, cæteri vero dies ex dictis causis indulgentur eis.

Has concessiones concesserunt prædicti Summi Pontifices noui orbis incolis, quæ omnes, vt affirmat Veracruz, habentur in authenticis Bullis, quibus omnibus gaudent Religiosi in nouo orbe, ob communicationem gratiarum omnium factam ab eodem Paulo 3. vt testatur Cardinalis Burgensis in expressa concessione.

Indulgentia.

Possunt Fratres in terris infidelium Indulgentias Fidelibus concedere, Ita Innoc. I. V. fratribus prædicatoribus num. 2. Et specialiter possunt Fratres confessarij partium illarum in mortis articulo, indulgentiam plenariam concedere. Sixt. I. V. prædic.

Omnes Religiosi, qui in qualibet vtriusque Indiæ Regione, vel Oceani Insula, aut navigatione eundo, vel redeundo moriuntur, plenariam Indulgentiam consequuntur ad decennium: eandem gratiam ad duo alia decennia prorogauit Greg. Pontifex: ex compend. Societ. Similiter qui moriuntur in Florida, noua Hispania Peru, & alijs Regionibus Indiarum transmarinis ad Regis Catholia, & Portugallia ditionem, in mortis articulo, indulgentia plenaria concessa est. Pius V. indulxit Religiosis, qui ad Indiarum conuersionem proficiscuntur, quod in die quo se mari commiserint, & die in quo peruenerint, vel in itinere decesserint, indulgentiam consequantur in forma subilei.

Annotatio.

Dvbitari merito potest, quæ Indulgentiæ sint illæ, quæ à Fratribus possunt concedi, an sint plenariæ, an vero quadraginta dierum, quales solent ab Episcopis concedi: dubitationem vero auget, quod Pius V. in Bulla quæ incipit, Etsi Dominici gregis; anno Domini 1566. edita, potestatem concedendi Indulgentias abrogauerit.

Respondeo tamen, Indulgentias possunt dare non solum Papa, sed etiã Episcopi, Abbates: ac alij Vicesgerentes per eius commissionem ac præscriptionem: & sic Urban. V. vt habetur in Compendio priuilegior. Ordin. Mend. verbo Indulgentia, concessit, vt Generales & Prouinciales Ordinis Minorum possent communicare Indulgentias, ac alia bona spiritalia, benefactoribus Ordinis: nec non Fratres Prædicatores indulgentias ex

commissione Pontificis suis auditoribus, & Confessarij pœnitentibus cōcedere solent. Quare non est mirum summum Pontificem commississe Religiosis in Regionibus longinquis, ac inter infideles conuersantibus indulgentias plenarias concedere. Nec obstat Pij V. constitutio, nam, vt optime docet Pater Sorbus in Compend. priuileg. verbo Indulgentiæ, quoad sæculares, in ea tantum reuocantur indulgentiæ continentis facultatem quaestuari, & pro quibus porrigendæ erant manus adiutrices.

Adhuc tamen non audeo affirmare, prædictam generalem concessionem dandi indulgentias extendendam esse vsque ad plenarias. & ita tutius ea non vti.

Indulgentia pro secularibus noui orbis.

PRæterea sunt aliquæ aliæ indulgentiæ concessæ sæcularibus in illis partibus degentibus, quæ omnes referuntur in compendio Indico Societ.

In primis, vt quoties ij, qui vere pœnitentes, & confessi, siue firmi constituti à iure temporibus confitendi propositum habentes, aliquem ex infidelitate seu idololatria, ad veri Dei cognitionem reducerint, toties plenariam indulgentiam, & plenarium iubileum consequantur: iniuncta aliqua per confessarios salutari pœnitentia, super quo illorum conscientie onerantur; quicumque confessi & contriti tertiam partem Rosarii, aut vnam Coronam proiis qui in vtriusque Indiæ nauigationibus, aut expeditionibus contra infideles, & aliis quibuscumque Fidelibus, qui in huiusmodi nauigationibus in charitate decedunt, recitauerint; quoties id egerint, toties per modum suffragii vnam ex dictis animabus à pœnis purgatorii liberabunt: dummodo per dictos defunctos non steterit, quo minus tempore periculi mortis peccata sua confiterentur.

Qui in quacunque vtriusque Indiæ Regione ob fidei defensionem & propagationem, aut alio bello arma assumunt: in singulis huiusmodi expeditionibus, tam naualibus, quam terrestribus, dummodo peccata sua cōfiteantur, & (nisi legitime impediti fuerint) Sacramentum Eucharistiæ sumant, plenariam indulgentiam consequuntur.

Omnes Christi fideles vtriusque Indiæ, & transmarinorum limitum, qui processionibus iuxta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum faciendis, ac supplicationibus Indorum, vel Aethiopum, seu quorumuis aliorum Neophytorum, vel aliorum Christianorum intererunt, & eas associabunt, Christianamque doctrinam cum eis recitabunt, vel priuatim docebunt, quoties id fecerint, decem annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum consequentur.

Matrimonium

Religiosi possunt licentiam præbere, vt infideles post conuersionem maneat:

maneat in eodem matrimonio coniuncti, quo erant ligati ante conuersionem, dummodo non sit in gradibus iure diuino prohibitis, vide supra verbo dispensare. Habent præterea auctoritatem in partibus infidelium de causis matrimonialibus legitime cognoscere, Innoc. I V. Præd. & Ioan. 22. Minoribus.

In Angolia, Æthiopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus possunt eorundem locorum Ordinarii Parochi, & Presbyteri Societatis, ad cōfessiones audiendas ab eiusdem Societatis superioribus approbati, & ad dictas Regiones pro tempore missi, vel in illis admissi (& ex consequenti alii Regulares, qui eorum priuilegia communicant,) dispensare cum quibuscunque vtriusque sexus fidelibus, incolis dictarum Regionum, & seruis ad fidem conuersis, qui ante susceptum Baptisma matrimonium contraxerant, vt eorum quilibet etiam superstitite coniuge infideli, & eius consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonia cum quouis, fidei alias tamen, rite contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eis postea carnali copula consummata, quoad vixerint remanere, licite valeant, dummodo constet etiam summaliter, & extraiudicialiter coniugem, vt præfertur, absentem moneri legitime non posse, admonitumue intra tempus in eadem monitione præfixum, suam voluntatem non indicasse. ex Compend. Indic. Societ.

Annotatio.

QVi sint gradus lege diuina prohibiti, quæstio est non parum difficilis apud Authores. P. Sanchez. lib. 7. Tomo de Matrimonio disput. 52. n. 10. censet probabiliter in nullo gradu lineæ transuersalis, etiam consanguinitatis inter fratres, & sorores esse prohibitum iure diuino Matrimonium, pro qua sententia quam plures adducit authores, & ex consequenti n. 12. (inquit) secundum hanc sententiam, quæ valde (inquit) probabilis est, Matrimonium inter fratres sola lege Ecclesiastica irritari, ac perinde postea ad fidem conuersos separandos non esse, imò & sanum esse consilium, si ad fidem conuersi agrè ferrent separationem, sequi hanc sententiam, & hanc iure ipso attento: quare in hac parte nullo opus est priuilegio ad dispensandum secundum hanc sententiam.

Ipse vero Auctor contrariam sententiam probabiliorem censet, illicque adhæret, scilicet, tale matrimonium iure naturæ, ac proinde iure diuino esse prohibitum, & infideles ad fidem conuersos separandos esse; repugnat enim naturaliter matrimonio primus gradus originis, vt cum sorore, noverca, ac multo magis cum matre, & filia, nepte, aut auia. Quamobrem in his gradibus contracta dissoluenda sunt. Ego vero existimo contrariam sententiam probabilem non esse maximè post decretum Concilij prouincialis Limensis, in quo ex sententia Pauli 4. Pontificis, omnia isthæc ma-

trmonia infidelium, cum Christiani fiunt, irrita fieri decretum est: at verò, quæ lege solum Ecclesiastica prohibita sunt, vt secundo, aut tertio gradu contracta, rata fieri, cum vterque baptizatur, cauetur, in cap. Gaudemus, de diuortijs: quare extra prædictos gradus, siue in recta, siue in transuersa linea matrimonium ratum haberi debet: vnde Religiosi in hoc non dicuntur in rigore dispensare, sed potius rata habere dicta matrimonia, quæ iure diuino irrita non sunt.

Præterea oportet aduertere, priuilegium illud Religiosis concessum, vt tanquam Iudices in causis matrimonialibus procedant: primo limitandū esse, pro terris, vbi Episcopi non sunt, ad quos pertinent huiusmodi causa. Secundo, procedendum est in his causis Matrimonialibus, quales sunt circa diuortia, adulteria, & similia, simpliciter, & de plano, sine tabellione, sine figura, & strepitu iudicij: modo tamen pro viribus, & posse innitatur de veritate certiores fieri: vt optimè aduertit Pater Sanchez lib. 10. disput. 19. nu. 1. & addit Religiosos illos, quibus Neophytorum ex Indis cura commissa est à suis Prælati, habentque assensum Episcopi, ad vtendum priuilegijs sibi concessis circa Indos, possunt in causis matrimonialibus, tanquam Iudices in vtroque foro procedere: & quamuis vt Iudices procedant, oportere sine strepitu iudicij ferre sententiam, aliaque facere simpliciter, & de plano.

Denique circa facultatem dispensandi Fratribus Iesuitis concessam cum illis, quia ad fidem veniunt, vt non expectato coniugis consensu, possint matrimonium cum alijs fidelibus contrahere; notandum est, quid de iure communi seruandum sit, vt sic priuilegiorum vis magis innotescat. Praxis de iure seruanda breuiter exprimitur in Conc. Limensi 3. (à Sixto V. confirmato) act. 2. cap. 10. sequentibus verbis: De ijs, qui iam matrimonio iuncti conuertuntur ad fidem, cōiuge adhuc infideli permanente, in superiori Conc. prouide consultum est, vt si infidelis quidem spem suam conuersionis matutam ostendat, Christianus nullo modo ad alias nuptias transeat: quemadmodum est sacris Canonibus definitum, sed coniugis lucrum in Christo expectet: si verò differat conuersionem suam, neque tamen iam baptizato coniugi perniciosus existat, eum à fide auertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo, (cæterum id cum sit, sacri Canones eos necessario separandos volunt, & Christiano noui coniugij ineundi potestatem tribuunt) tunc, & expectandum adhuc esse per semelre tempus, & assidue de sua interim conuersione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens conuersi cauendum est, ne si diu permanerit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult seruare homini; tum vero libertati illius consulendum est, ne celes viuere cogatur, qui forsitan vritur. Idcirco decernimus, vt transacto sex mensium spatio res ad Episcopum deferatur.

ratur, qui benè perspecta causa, fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineundi, propter fidei, aut charitatis scandalum, quod patitur. Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare infidelem: vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit, iuxta Pauli Apostoli consilium. Neque enim potest omnibus conuersis eadem lex præfigi, cum occurrant profecto variæ circumstantiæ, neque sit omnium infidelium eadem ratio. Quare Episcopi prudentia in re dubia, ne grauius erretur, consulenda erit, & iuxta cap. Quanto, de diuortijs, cum casus acciderit, decernendum. Hactenus Conc. Lim.

Missa.

Posunt Religiosi celebrare ante lucem per vnam horam, si necessitas postulauerit, & per dimidiam horam post meridiem, Clem. 8. Carmel. n. 8. & Urban. V I. Fratribus Prædicatoribus sine vlla limitatione. Insuper in locis, in quibus hospitari contingit, vel in locis, in quibus residentiam faciunt, possunt Missam, & cætera diuina officia celebrare. Innoc. IV. Prædic. & Ioannes X X I I. Minor. vide supra, verbo Communicare cum infidelibus.

Annotatio.

Circa horam celebrandi Missam, nota ampliora priuilegia esse concessa communiter Mendicantibus: nam in compend. Priuilegiorum, (vt refert etiam Azor. tomo primo, lib. 10. cap. 25.) Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium, Collectore Hieronymo à Sorbo Prædicatore Ordinis Capucinatorum in verbo Missa, post recitata priuilegia circa sacrificium Missæ faciendum loco, tempore, & modo non debito, ponitur annotatio, quæ sic habet: Omnia supradicta priuilegia dicendi Missam, quoad modum, locum, & tempus, sunt iam per Concil. Tridentin. sublata, & præcipuè illa Sixti quarti, Innocent. Octau. & Leonis decimi, quoad tempus, sed celebrari debet secundum Rubricas Missalis noui, iuxta Constitutionem 118. Pij quinti in Bullario. Ibidem tamen subiungit Collector hæc verba. Gregor. X I I I. anno secundo, concessit Congregationi Sanctæ Iustiniæ, vt dum in itinere fuerint constituti, possint Missam celebrare ante Auroram, & post mediam noctem, vt refertur in Compend. priuilegiorum S. Hieronym. folio 50. Postea subiicit idem Collector: Pius Quintus concessit Societati Iesu, vt refertur in Compend. priuilegiorum eiusdem Societatis, in verbo Missa, §. 3. eandem facultatem pleniorē, vt possint celebrare per horam ante Auroram, & infra horam post meridiem causa itineris, vel legitimi alicuius impedimenti. Sicille.

Novitius.

In illis partibus possunt recipi Novitij, etiam ad habitum, & profersionem, non seruata forma Constitutionis Sixti V. neque Clem. VIII. vt ipse concessit Carmelitis num. 6.

Ordines.

Possunt Diocesani promouere Religiosos Societatis in India Orientali extra tempora, & aliquando ante aetatem legitimam: dummodo defectus aetatis requisitae à Tridentino Concilio, annum non excedat, atque in ordinando videatur, quod caeterae qualitates suppleant defectum aetatis. Ad duo decennia, hac facultate vti possunt Prouinciales, ex Compendio Indico. Possunt etiam ordinari à Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis. Innocent. III. Prædicator. & Clement. VIII. Carmel. etiam quocumque tempore, & non seruatis interstitijs, iusta tamen de causa ab eorum Prælato examinanda, Clement. VIII. num. 18. Et dare licentiam, vt ordinentur illi omnes, de quibus dubitatur, an ritè receperint Ordines Sacros, in quibus ministrarunt, non seruatis interstitijs.

Possunt Religiosi promouere ad minores Ordines omnes, etiam infideles conuersos, Innoc. I v. Prædicatoribus, Ioannes XXII. Minoribus. Hæc tamen priuilegia conceduntur pro locis, in quibus non sunt Episcopi Catholici.

Prædicare.

De licentia prælatorum Ordinis possunt Religiosi in infidelium Regionibus quibuscumque etiam Schismaticorum prædicare, Clem. VIII. Carmelitis, num. 3. & alij etiam Summi Pontifices.

Presbyteri Societatis, ac perinde Regulares, qui in eorum priuilegijs communicant, qui semel ad prædicandum à Præposito Generali, siue ab aliquo Episcopo approbati fuerint, non tenentur vltiorem licentiam, & approbationem ab alijs Episcopis petere, sed possunt absque illis prædicare, in vtraque India, omnibusque Regionibus, & insulis transmariinis, ad quos Hispani, & Lusitani penetrant, ad tria decennia. Ex Compend. Indico.

Sacramenta ministrare.

Clemens VIII. Carmelitis Discalceatis, Innocentius III. & Sixtus IIII. Prædicatoribus, alijsque Pontifices, amplissimam facultatem Religiosis in infidelium, & Hæreticorum terris, vbi Episcopi non sunt, Sacramenta omnia ministrandi concesserunt. In partibus Indiarum possunt etiam Religiosi omnia Sacramenta infidelibus

fidelibus, nouiter conuersis, administrare. Ita concessit proprio Motu pius quartus Fratribus Minoribus Conuentus Mexicani, & Prouinciæ de Sancto Vincente de Chiapa, noui regni del Peru. Concessit etiam paulus III. Fratribus prædicatoribus Mexicanæ Prouinciæ: ac Pius quintus concessit Fratribus Mendicant. Indiarum, vt in omnibus Monasterijs sui Ordinis, vel extra illa, in locis istarum partium ipsis deputatis possint de licentia suorum Prælatorum, in Capitulo Prouinciali obtenta, administrare Indis omnia Sacramenta, prout hæcenus consueuerunt.

Annotatio.

Hæc priuilegia ministrandi omnia Sacramenta in illis partibus refert Pater Frater Emanuel, tomo primo, quæst. regul. quæstione 37. articulo tertio, & vt optime aduertit, causa, quæ mouit Paulum Tertium, ad concedendum dictum priuilegium, ea fuit, vt fides Christi, quæ speratur in his terris per prædicationem nostram, & Sacramentorum administrationem, cresceret magis, ipsis Fratribus prædicantibus, Sacramentaque ministrantibus infidelibus, & nouiter conuersis. Hæc autem causa, & ratio modo militat etiam in illis, qui per Fratres baptizati, & in illis, qui ex his descendunt. Nepotibus, vel Pronepotibus, dato, quod paruuli baptizati sint. Nam certè huius fidei dilatatio, rebus vt nunc, nequit fieri, nisi Fratres prædicti prædicent, Sacramentaque administrant nouiter conuersis, & ab eis descendentibus. Quia licet in particulari nouiter conuersi dicantur, qui iam adulti sunt baptizati, nihilominus in generali considerantibus illam huius noui Orbis Ecclesiam in Deo adunatam, omnes, & singuli illarum partium nouiter conuersi apparebunt. Cuius rei testimonium firmiter præstant, quotquot Patres graues ex illis partibus ad has Hispaniarum partes ascendunt. Et quod dictis Fratribus ea facultas concessa sit, probatur, quia idem paulus Tertius concessit Fratribus omnia priuilegia de nouo, iuxta fauorabiliorem illorum interpretationem: ergo debemus interpretari per Nouiter, vniuersos etiam paruulos baptizatos, cum nomen hoc ferat hanc interpretationem, alias strictè interpretatemur. Hæcenus ex prædicto Patre.

Aduertit præterea præfatus Doctor, Fratres solum posse baptizare in suis Ecclesijs etiam in Ciuitatibus, & Oppidis, vt fit Mexici, & in alijs locis, quæ habent de visita, vt ipsi vocant: quare non licet eis in alienis Ecclesijs, nisi in proprijs vel locis sibi deputatis Sacramenta ministrare. Ex his colligit dictus Pater Emanuel, articulo quarto, vt supra, priuilegia Leonis Decimi, Adriani Sexti, & Pauli Tertii, quæ fuerunt data in fauorem fidei, & Indorum, in principio conuersionis illarum

illarum gentium, fuisse postea confirmata, & corroborata peculiariter: quod sanè intelligendum est, quoad alia Sacramenta excepta Confirmatione. de hoc enim non licet dubitare, maximè in terris, vbi adest Episcoporum copia.

Votum.

Clemens Octauus num. 15. Carmelitis reformatis concessit, vt in Regionibus infidelium possint quæcunque vota. etiam solemniter iurata, (exceptis dumtaxat castitatis, & Religionis) ex aliqua rationabili causa, in alia pietatis opera commutare.

Idem Fratribus etiam Carmelitis, num. 17. amplissimam fecit concessionem pro illis partibus, nempe vt super votis quibuscunque etiam simplicibus Religionis, & castitatis, ex aliqua causa necessaria, vel rationabili cedeñte in vtilitatem conuersionis animarum possint dispensare.

Priuilegia alia amplissima in generali concessu Regularibus.

Innoctius IV. & Nicolaus IV. Prædicatoribus, & Ioannes Vigessimus secundus, Minoribus, in remotissimas Hæreticorum, vel infidelium Prouincias existentibus facultatem præbuere faciendi, quicquid ad augmentum Diuini nominis, & ampliacionem Catholicæ fidei pro loco, & tempore viderint expedire.

Adrianus Sextus, Fratribus Minoribus cõcessit omnimodam in vtroque foro Papæ authoritatem: tantam, quantam iudicauerint expedire pro conuersione Indorum, & manutentione, ac profectu illorum, atque aliorum Prælatorum in fide Catholica, & obedientia Ecclesiæ Romanæ ex P. Emanuele, tom. 1. quæst. regul. q. 31 art. 4.

Paulus Tertius, Anno Domini millesimo quingentesimo quadagesimo quarto concessit Religiosis Mendicantibus, qui de licentia suorum Prælatorum proficiscuntur ad quascunque terras infidelium, ad quamcunque mundi partem ad eos conuertendos, vt vadant tanquam Legati, & Commissarij eius, & eis concedit omnes gratias concessas à suis Prædecessoribus, illis qui ad terras infidelium vadunt, Ex prædicto Authore, 2. tom. quæst. 97. art. 2.

Annotationes.

Circaprimam Innocent. I. I. I. concessionem, imo circa omnes prædictas, quæ amplissimæ sunt (illis enim committitur Summorum Pontificum delegata potestas, & authoritas, qua possunt Ministri in Regionibus illis, quæ magisterio Ecclesiæ non subduntur, ea facere sine imitatione vlla, & restrictione, quæ sibi viderint ad fidei propagationem, animarumque salutem expedire) notandum est: hanc amplissimam facultatem à Summis Pontificibus permitti, & concedi Religiosis, vt initio eius collectionis monstrauimus, non solum conueniens, sed & omnino videtur necessarium

cessarium pro illis partibus, vbi nec Parochi, nec Episcopi sunt: neque ad Sedem Apostolicam facilis est aditus. Quare ad prouidentiam Romani Pontificis, qui pastor est vniuersalis animarum, spectat, fidelibus in illis partibus existentibus prouidere de omnibus medijs necessarijs, & conuenientibus ad salutem: & ob similem causam Episcopis vltamarinis, maximè in remotis Indiarum Regionibus residentibus, amplissimam facultatem solent Summi Pontifices concedere: & vbi Episcopi non sunt, ipsis Religiosis, ne animæ auxilijs sufficientibus ad æternam felicitatem iuuantibus destituantur. Oportere tamen viros Religiosos magno cum iudicio vti his concessionibus, & quantum fuerit possibile, non recedere à comuni praxi, & stylo Ecclesiæ. aliàs grauitè delinquent.

Præterea notandum est, prædictam concessionem esse vnã ex maioribus, quæ possent à Sede Apostolica concedi: quare sine dubio censeo nulla ratione extendendam ad illa loca, vbi sunt Episcopi, & alij Ecclesiæ Prælati, nisi in illis casibus, in quibus ex mente Pontificis expressè col-

ligitur: quicquid dicat Pater Emanuel Rodriguez, qui 1. tom.

q. 31. artic. 4. & 2. tom. quæst. 97. art. 2. affirmare videtur

hanc amplissimam facultatem, etiam esse extendendam ad Religiosos, nunc in Prouincijs

Indiarum degentes.

RRRRr

CATE



CATECHISMVS

GENERALIS

PRO OMNIVM SECTARVM
CATECHVMENIS

VTILISSIMVS

Ab Illustrissimo Cardinale a Sancta Severina compositus,
hactenus tamen nunquam editus, & a nobis in
compendium redactus.

CAPVT I

Quo modo sit recipiendus, & examinandus
qui nouiter fidem Christianam
vult amplecti.



Utm adultus aliquis diuina illustratus gratia, ex Gentilitate, seu Paganismo, vel Iudæica perfidia, aut Mahometica, seu quauis alia infidelium secta, ad Iesu Christi Domini nostri fidem venire proposuerit, à Sacerdote, vel fidelibus qui eius conuersione nouerunt, aut procurarunt suadeatur ei, illico ad Ecclesiam conuolare, & adducatur ad Episcopum, si adsit, vel ad Sacerdotem, cui hoc munus incumbit. Is vero eum benigne suscipiat, & de eius voluntate sciscitetur, conditioneque, & statu, seruusne sit, an liber: & exquirat causas eius conuersionis, quidue eum commouerit ut veniret ad fidem; atque ij, qui eum adduxerunt, testificentur, fideliter singula exponentes.

Exquirat item eius mores, & vitam, ac summa diligentia eius animum exploret, An scilicet indignatione aliqua vel iniuria prouocatus, an alicuius odio vel amore ductus id faciat, an ut penam aliquam temporalem euadat, aut lucrum aliquod vel beneficium temporale inopia pressus consequatur, an aliud quid humanum expetat, aut animo conceperit;

vt

vel si seruus est, an ut perueniat ad libertatem. Quod si bono eum spiritu duci cognouerit, gratias Christo Saluatori cum eo agat, ac ipsum admoneat, ut quamprimum ab Infidelium consortio, ne rursus eorum inuoluatur erroribus, secedat. Hoc autem si vel ægro animo ferre, vel aliqua ex parte durius accipere videatur, Sacerdos ei demonstrat, infidelium consuetudinem saluti credentium non expedire sed ab ijs prorsus recedendum esse, dicente Propherà: *Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldaeorum egredimini.* Idque etiam suadeat tum ad obedientiam fidei, tum ad suæ salutis securitatem, promptè faciendum esse, exemplo Abrahæ amici Dei, cui cum Dominus vocans eum de Vr Chaldæorum, dixisset: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi, &c.* is statim omnibus derelictis, verbo Domini obtemperauit, quemadmodum scriptura subiungit. *Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus.* Neque enim salus venientis ad fidem in tuto esse potest, dum versatur inter infideles, qui quanto coniunctiores ei fuerint, tanto grauius eius saluari proposito insidiabuntur, & obesse poterunt; iuxta verbû Domini, *inimici hominis domestici eius.* Et idcirco parentibus, vxore, & filijs, atque omnibus alijs posthabitis, Dei vocantis vocem sequendam esse, sicut idem Dominus in Evangelio docet: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et rursus: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.*

Ne autem ille consanguineorum aut aliorum suorum amissione aut separatione deterreatur, affirmet ei, pro carnalibus parètibz & consanguineis præter Patres Spirituales ac fratres in Domino quos prope innumeros in Christiana Religione comperiet, Patrem specialiter habiturû Deû, Sicut Apost. cum Prophetis clamat: *Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus; & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quamobrem illum hilari & constanti animo, magnaue in Deum fiducia esse debere.

Si vero eum non sincerè ad fidem venire perspexerit, moneat ne quem temporalem finem sibi, sed solam animæ salutem præponat, cum non ad temporalia sed ad salutem animarum Baptismi Sacramentum institutum sit; ac propterea ne fictè aut fraudulenter accedat, sed antea eum vitæ pœnitentæ, atque omnibus superstitionibus suæ sectæ abrenuntiet; siquidem ex Gentilitate venit, idolis & simulacris, illaque horrescat & derestetur; si vero ex Iudaismo, Iudaicæ perfidiæ & impietati, si autem ex Saracenicæ, seu Mahometicæ Infidelitatis secta fuerit, præcipue curandû est, ut nō

R R R R r 2

solum

2. S. Diony
Apost. de
Ecclesiasticar.
cap. 2.3. Conc. To-
let. iij. c. 9.
& habetur
2. 9. 1. cap.
Iudaeorû fi-
lios
Ierem. 50.Genes. 12.
& Ab. 7.

Matth. 10.

Luc. 14.

Matth. 10.

2. Cor. 6.
Num. 16.
Iai. 2.4. S. Clem.
1. x. constit.
apost. c. 38.1. S. Clem.
1. x. constit.
SS. Apostol.
cap. 38.

solum eidem sectæ expressè abrenuntiet, sed ipsi etiam Pseudopropheta Mahometo, eumque vt impium hominem & seductore detestatur. Et demum si ex quacunque hæresi ad Catholicam fidem veniat, ac nondum rectè baptizatus sit, dictæ hæresi abrenuntiet, illamque, & omnem aliam detestetur & anathematizet.

Cum vero existètes in peccato mortali, vel in peccandi proposito permanentes, nequaquam baptizari debeant, Augures, Diuinatores, Magi, Sortilégi, Malefici, & Incantatores in Catechumenos non recipiantur, nisi Diabolicis eiusmodi artibus prius abrenuntient, atque earum execrabiles libros & instrumenta corrumpant, destruunt, atque comburant, qui etiam tempore probandi sunt. Ita nec Mimi, Histriones, aut Parasiti qui ad libidinem & peccata prouocant, nisi vanas has artes desinant. Neque meretrices nisi meretricium; nec lenones, nisi lenocinium deferant. Nec adulteri, fornicatores, aut concubinarij, nisi adulteras, scorta, vel concubinas eiecerint aut dereliquerint. Neque fenerator, & Usurari, nisi à fenore & usuris penitus desistant; & illas, ac male acquisita quæcunque restituant, aut saltem restituere proponant, cum ceteræ personæ extant quibus restitutio facienda est. Neque alij scelesti, & nefarij homines admittantur, nisi sua scelera detestentur, atque sinceræ penitentia signa ostendant.

Si is, qui ad fidem venit seruus fuerit, quaratur ab eo cuius Domini sit; ac si viri fidelis seruus sit, & domini testimonio commendetur, recipiatur: sin minus, in eo recipiendum cautius agatur. Si vero seruus fuerit alicuius Infidelis, recipiatur quidem, sed deinde instruatür quemadmodum seruiat & placeat Domino suo, ne Christiana Religio inter Infideles blasphemetur.

Si fuerit miles qui accedit, doceatur nemini iniuriam facere, neminem concutere, non calumniari, contentum esse stipendijs suis; neque etiam contra Christianam, aut Catholicam fidem aut eius propugnat ores militare; si parere noluerit, rejiciatur.

Inuigilet autem potissimè Sacerdos, ne quis simulet se velle fieri Christianum, vt sub conuersionis prætextu, aliquem ex catechumenis subuertat, & à fide seducat.

CAPVT II.

Examinate & approbata vocatione, quid agendum sit de filijs, & vxore Catechumeni.

Post hæc si talem inuenierit esse eum, qualem oportet, qui fidem experit, & in proposito permanere, faciat vt is coram Notario, & testibus det nomen suum declarans voluntatem suam, atque profrens se sponte Christianum fieri, & Ecclesiæ mandatis parere velle; ac si liberos habeat aut alios suæ curæ commissos infantes, seu rationis vsum non habentes, se illos Ecclesiæ offerre, quando cunque illa voluerit baptizandos, etiam si ipsum à sancto proposito, quod absit, deficere contingeret.

Quod si habuerit vxorem, aut liberos, siue alios similiter suæ curæ commissos, in discretionis ætate constitutos, siue maiores infantibus, siue proximis pubertati, siue etiam puberes, minores tamen 25. annis, qui adhuc de suscipienda Christi fide non deliberauerint, ij ab infidelium cohabitatione, & consuetudine amoueantur, & apud fideles Christianos moribus & vita probatos, seiuncti ab inuicem in domo aliqua vel alio loco tuto sequestrantur, quo infideles quicunque accedere, aut ipsos quouis obtentu alloqui prohibeantur, sed ibidem à Presbyteris, & Religiosis personis sepe visitentur, eisque veritas fidei Christianæ, ex scripturis sanctis, ex Religionis ipsius Sanctitate & miraculorum gloria aperiatur, & prædicetur.

Super huiusmodi autem de suscipienda fide deliberatione, non est praferendum certorum, aut quadraginta dumtaxat dierum spatium: cum enim ad conuersionem prolixiore tempore plerumque opus sit, eorum iudicio ac prudentia qui in illorum conuersionem incumbunt, relinquendum est, vt pro eorum dispositione, longiori, aut breuiori eos tempore detineant, prout secundum deum viderint expedire. Quod si interim conuertantur, & declarauerint se Christianos fieri velle, tunc ab huius declarationis die numerandi sunt quadraginta penitentia seu instructionis ante baptismum dies, aut plures, prout ad eum suscipiendum idonei censentur, vt & infra dicitur.

Si antequam conuertantur aliqua signa seu indicia proximæ conuersionis dederint, quauis aliquamdiu sic detenti fuerint, non facile postulantibus, aut vrgentibus parentibus aut consanguineis, dimittantur, sed adhuc per aliquot dies retineantur, quoad de eorum salute bene sperari potest.

Dum autem sic ad conuersionem detinetur, præsertim qui Iudæi sunt, legitima sua, & ceremonias seruare non prohibeantur, dummodo non propter Pascha, nec propter alias superuenientes solemnitates legales, ad Infideles redire.

CAPVT III.

De habitu quo sunt induendi Catechumeni, & de loco vbi sunt instituendi, & de tempore Catechesi necessario.

lib 7. const. Apost. c. 39. quomodo oportet Catechumenos institui & S. Dionys. de Eccl. Hier. c. 2. facit etiam quod habeatur in ordine baptismati Severi Martiarthe initio. 24 S. Clem. lib. 3. const. Ap. c. 18. li 7. c. 40. 41. Rabanus de inflis. Cler. li. 1. ca 27. & habetur de consec. dist. 4. c. Primum & refert S. Antonin in 2. p. hist. 14. c. 5. par. 1. 25. Raban. cit. cap. 27. 26. Rab. ibid. & habetur de consec. dist. 4. c. Postquam. 27. Raban. ibid. & de consec. dist. 4. cap. Postea signatur. Et S. Antonia. vbi supra. 28. Raban. cit. c. 27. S. Antonin vbi supra. 29. S. Clem. l. 2. recogn. in S. Basil. ser. 1. de Baptis. p. 2. 30. Liber Sacramentorum tit. M. S. & ordo Rom. M. S. Achil. statij. 31. Raban. cit. c. 27. de Conf. dist. 4. c. Dehinc. Et S. Antonin. vbi supra. S. Siricius PP. in epist. ad Himerium Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. Celest. PP. l. ep. 1. ad Episc. Gall. c. 12. eod. tom. 1. Conc. S. Leo PP. in epist. 4. ad Episc. per Siciliam constitutos cap. 6. & epist. 80. alias 78. ad Episcopos per Campaniam, Cre. eod. tom. 2. Concil. 32. Cyril. Hierosol. in prefatione in Cateches.

Postquam igitur aliquis ex Infidelibus venerit ad Ecclesiam, Baptismi gratiam petens, ac nomen dederit, seu sua declarauerit voluntate, vt supra, 23. Sacerdos Deo, quod istu ad se vocauerit gratias agat, & oret, vt dirigat voluntate eius, & oculos cordis illuminet, ad intelligenda mirabilia sua & iudicia iustitie sue, vt odio habeat omne via iniustitie, & ingressus via veritatis idoneus fiat lauacro regenerationis in adoptione filioru Dei, & in libro viuentium connumeretur. Et mox faciat vt capitis tegumentu, sius aliud signu, quod ad distinctione Christianoru deferebat, abijciat, & habitu induat que fideles solent. Tum eum admoneat, vt 24. abrenuntiet Diabolo, & omnibus eius operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, &c. & 25. credat in Deu Patre omnipotentem, & in Iesum Christu filiu eius vnicum, Dominu nostru, & in Spiritu sanctu, vnum Deu in trinitate personaru. 26. postea exufflet ab eo sua maligni spiritus potestatem, dicens (Exi ab eo spiritus immunde, &c.) & 27. Cruce signet eum in fronte, & in pectore dicens: (Accipe signum Crucis tam in fronte + quam in corde +, &c.) & imponat manum super eum, & 28. dicat aliquam orationem. Ac deinde is 29. introducatur in domum Catechumenoru, & inter Catechumenos Ecclesie adnumeretur, & in libro describatur.

In ea autem domo 30. Sacerdos catechizat eum diuinis sermonibus, & dei ei monita salutis, quemadmodu post agnitam veritatem viuere debeat, & 31. sepius exorcizet aliquibus exorcismis.

Domus autem Catechumenoru in precipuis vrbibus, & insignibus oppidis, vbi Iudæi, alijque infideles habitant aut comorantur, institui debet, cui viri Religiosi, & explorata fidei in rectores, & ministros, præficiatur. In ea vero femine a maribus, pueri ab adultis, viri ab vxoribus, diuersa, & distinctas mansiones habeat, ac his Præbyter probata vitæ, & doctrinæ constituat Catechista, qui eos assidue in fide erudiat, ad Ecclesiam

vt tibi

vt tibi orent ducat, cum ipsis saepe colloquatur de rebus ad fidem & salutem pertinentibus, atque eis explicet ea quæ in Ecclesijs conspiciuntur circa externum cultum altaria, sacras imagines, & ornamenta.

Ex ea autem domo dum in pœnitentia, & Catechismo degunt, raro, & non nisi rationabili causa Catechumeni egredi permittantur, nunquam vero soli, sed semper cum comite fideli, neque suos, vel alios infideles adire, neque per viam eos alloqui, neque 33. cum eis cibum sumere: aut negotia tractare sinantur.

Neque vero infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, sed cum eam prætereunt, procul inde recedere confestim iubeantur. Interim in ipsa domo Catechumeni otiose ne viuant, sed horis quibus catechizantur, & discunt ea quæ oportet, exceptis, in exercitatione aliqua corporali, vel arte quam callent, vel in domus obsequijs occupentur.

Vbi autem Catechumenorum domus nulla est, maiores & adulti maritimi, vel domo probatoru Monachoru, aut aliorum Regularium: femina vero apud nobiles, & honestas matronas. Minores autem, & impuberes similiter apud pios viros, vel apud probas & Religiosas mulieres sequestrentur, fide, & moribus instituendi. His quoque eruditus aliquis & pius Sacerdos in Catechismo præficiatur, qui eos frequenter inuisit, & catechizat.

Tempus autem Catechismi licet 34. quadraginta dierum spatio soleat definiti, experientia tamen docet, quæ & 35. sacris canonibus consona est, diuturniorem Catechismum valde vtilem esse ad Baptismum digne recipiendum, & postmodum eo recepto in Christiana disciplina perseverandum. Qua in re habenda est ratio personarum venientium ad fidem. Nam illis 36. qui antea bene conuersati fuerunt, & ab his qui foris sunt, bonum testimonium habent, quique docilitatem & pietatem præ se ferunt quadraginta dierum catechismus sufficit, ac interdum breuior, si ipsi ante quadraginta dies satis idonei sint, & iusta de causa ita fieri expediat, de licentia tamen ordinarij, aut alterius superioris. Qui vero rudiores & non adeo dociles, sed tardioris ingenij fuerint ad rudimenta fidei addiscenda, atque ad ea quæ ipsos scire oportet percipienda, similiter & qui multis moribus præditi fuerint, quamuis hebetere ingenio non sint, & bene omnia quæ ad doctrinam Christianam spectant, didicerint, vt si superbi, elati, contentiosi, contumeliosi, vaniloqui, seditiosi, inobedientes, in deuoti, simulators, aut rerum temporalium nimium cupidi fuerint, qui denique pristinos mores, & vitia adhuc retinent, hi non sunt tam facile baptizandi, sed expectandum, donec priore vitæ consuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores & doctrinam euidentius dignoscatur.

33. S. Clem. l. 2. recogn. in fin. facit Catech. Agathen. c. 40. & habetur 28. q. 1. cap. Omnes desineps. 34. S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Episc. Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. S. Greg. PP. lib. 7. Regest. epist. 24. ad Fantinum defens. & habetur de consec. dist. 4. c. Ne quod abijt S. Hier. in epist. ad Pammachiu aduersus euelean. Hierosol. tom. 2. p. 11. Et S. Cyril. Hierosol. in pref. Catech. 35. S. Clem. l. 2. recognit. c. l. c. 28. Apost. c. 28. Tertul. lib. de Baptis. adu. Quinilliam cap. 18. apud lac. Pameliu to. 3. S. Conc. Nicen. 1. can. 18. eod. tom. 1. Conc. Cõstantinop. VI. Syn. can. 95. to. 1. Cõc. Eliber. c. 4. II. & 42.

Agathen. c. 34. tom. 1. Concil. & habetur de consec. dist. 4. c. Iudei 36. Conc. Eliber. c. 4.

Infidelium quoque ³⁷ Sacerdotes & Magistri, & hi, qui superstitionibus suæ sectæ adhuc videntur addicti, tamdiu probentur quoad illas deseruerint, & à se penitus abdicarint.

Rabbini ³⁸ vero Iudzorum qui antea diuinas scripturas scrutati, per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechismo; nisi forte & ipsi caeremonijs & ritibus Iudaicis nimium dediti sint: quia tunc diutius in Catechismo, donec ab eis diffuetat, retinendi sunt.

Qui à partibus infidelium ad Regiones Christianorum vt Baptismum suscipiant venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac si vernaculam linguam Christianorum eius Prouinciz, ad quam peruenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos, & interpretes Christianos, qui eorum linguam probe norint in fide & moribus instruantur: si autem interpretes desint, eosque in Catechismo detineantur, dum linguam eiusdem Prouinciz intelligant, & interim eorum Baptismus, nisi necessitatis casus occurrat, differatur. Verum vbi Presbyteri & Clerici desunt, nihil impedit quo minus ³⁹ fidelis laicus peritus tamen sermonis, & moribus grauis, adhibeatur, qui illos priuatim doceat, & catechizet.

Hortandus est autem qui Catechumenis erudiendis vacat, vt hoc catechizandi munus adeo illorum saluti necessarium libenti promptoque animo administret, ac alijs etiam ⁴⁰ bonis operibus anteponat.

Qui metu vltimi supplicij, aut alterius pœnz temporalis vitandæ causa Christianam fidem amplexi sunt, aut amplecti volunt, longiori tempore quoad licebit sunt probandi; & nisi ex indulgentia Principis aut Magistratus pœna fuerint liberati, aperte eos moneri oportebit, Baptismi Sacramentum pœnam non remittere temporalem, nec sibi ad Ecclesiam confugiendum esse spe immunitatis, sed vt sempiternam pœnam euadant, accepta per Baptismi lauacrum remissione peccatorum, & ab omni reatu mûdati vitam consequantur æternam. Atque hi quidem in carcere & tuto loco catechizentur, humaniter que tractentur; ac si veræ pœnitentiæ, & recti in fide propositi signa ostenderit; Sacerdotes vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes & Magistratus intercedant, vt in susceptæ fidei, & suscipiendi Baptismi reuerentiam, vitimum eis supplicium, vel pœna temporalis remittatur, aut saltem in mitiorem commutetur.

Serui similiter diu probentur, & edoceantur, per Baptismum ipsos à temporali seruitute Dominorum non liberari, sed à seruitute diaboli, & peccati, vt Christi serui efficiantur, cui seruire regnare est. Verum tamen eorum Domini moneantur, vt eos tanquam æterni Domini seruos ⁴¹ benignius tractent, & stans diebus in domum Catechumenorum, vel ad Ecclesiam

Ecclesiam mittant, vt catechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel auertant, neve villo modo impediant; alioqui quod de fide male sentiant, redderent sese suspectos.

Si ⁴² Catechumenus vxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur vterque suo connubio contentus esse. Si sint soluti, discant non fornicari, sed post acceptum Baptisma, nisi calibatum amplecti, & se continere maluerint, iustis nuptijs in Domino copulari.

Si quis autem ex Mahometica vel alia secta, qua plures vxores ducere & habere licet. Christo nomen dederit, aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque diuino, aut humano iure fas esse; ac proinde prima tantum vxore, si legitime ducta fuerit, retenta, reliquas dimitti oportere: quod si fecerit, & illa fidem susceperit, matrimonium inter eos ratum erit: ac si alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

C A P V T I V.

De præparatione generali ad Baptismum, Catechumenis persuadenda.

QVo tempore Catechumeni in Catechismo, & probatione sunt, doceantur non temere, non inconsulte, non imparati ad Sacramentum Baptismi accedere, sed iuxta illud Actuum Apostol. cap. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur vnusquisque vestrum, debere retroactæ vitæ pœnitere, nouam incipituros, quam obrem & in primo scrutinio, cinere in pœnitentiæ signum cõsparguntur.* Hanc autem præseferre etiam debent & operibus, & exterioribus signis, nempe humili ac modesto habitu, abiectisq; pretiosis vestibus, & curiosis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, spectacula, & huiusmodi loca non accedant, ac ab omni specie mali abstinêtes, sobriè, piè, & castè viuât, & à proprijs etiam vxoribus se contineant.

Præterea ⁴³ crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, ieiunijs, & similibus pœnitentiæ operibus, quæ in Baptismo adultorum ex antiquo Ecclesiæ more præmitti consueuerunt, assidue vacent, pauperum misereantur, eleemosynas secundum facultates sibi à Deo datas largiatur, & in alijs pijs charitatis officijs se exercent, atque semetipsos in omnibus probent. In Catechesim animum intendant, & quotidie congruo tempore, mane scilicet, & vespere instruantur, Ecclesiam frequenter adeant, in qua tamen seorsum ab alijs fidelibus orent, & missæ tantum Catechumenorum intersint.

37. Idem
Conc. Eliber.
c. 4.

38. S. Clem.
l. 8. cons.
Apost. c. 38.

39. S. Clem.
c. 6. 38.

40. S. Clem.
ad. cap. 38.

41. S. Clem.
ibidem.

42. Idem
S. Clem. eod.
cap. 38.

43. S. Clem.
l. 3. Recogn.
c. 17. cons.
Apost. c. 28.
Tertull. l. de
Bapt. aduers.
Quintillam
c. 20. tom. 3.
apud Iacobum
Pamelium.
S. Greg. Naz.
orat. in S.
Baptisma.
S. Siricius
pp. epist. ad
Himerium,
Tarracem.
c. 2. tom. 1.
Conc. S. Leo
pp. ep. 4. ad
episc. Siciliæ
c. 6. & episc.
80. alias 78.
ad Episc.
Campania.

CAPVT III.

De habitu quo sunt induendi Catechumeni, & de loco vbi sunt instituendi, & de tempore Catechesi necessario.

Postquam igitur aliquis ex Infidelibus, venerit ad Ecclesiam, Baptismi gratiam petens, ac nomen dederit, seu sua declarauerit voluntate, vt supra, 23. Sacerdos Deo, quod istu ad se vocauerit gratias agat, & oret, vt dirigat voluntate eius, & oculis cordis illuminet, ad intelligenda mirabilia sua & iudicia iustitie sue, vt odio habeat omne via in iustitia, & ingressus via veritatis idoneus fiat lauacro regenerationis in adoptione filioru Dei, & in libro viuentium connumeretur. Et mox faciat vt capitis tegumentu, siug aliud signu, quod ad distinctione Christianoru deferebat, abijciat, & habitu induat que fideles solent. Tum eum admoneat, vt 24. abrenuntiet Diabolo, & omnibus eius operibus, fraudibus, & machinationibus, ac omni impietati, &c. & 25. credat in Deu Patre omnipotentem, & in Iesum Christu filiu eius vnicu, Dominu nostru, & in Spiritu sanctu, vnum Deu in trinitate personaru. 26. postea exufflet ab eo saua maligni spiritus potestatem, dicens (Exi ab eo spiritus immunde, &c.) & 27. Cruce signet eum in fronte, & in pectore dicens: (Accipe signum Crucis tam in fronte + quam in corde +, &c.) & imponat manum super eum, & 28. dicat aliquam orationem. Ac deinde is 29. introducatur in domum Catechumenoru, & inter Catechumenos Ecclesie adnumeretur, & in libro describatur.

In ea autem domo 30. Sacerdos catechizet eu diuinis sermonibus, & det ei monita salutis, quemadmodu post agnitam veritatem viuere debeat, & 31. sepius exorcizet aliquibus exorcismis.

Domus autem Catechumenoru in precipuis vrbibus, & insignibus oppidis, vbi Iudæi, alijque infideles habitant aut comorantur, institui debet, cui viri Religiosi, & explorata fidei in retores, & ministros, præficiatur. In ea vero femine a maribus, pueri ab adultis, viri ab vxoribus, diuersas atque distinctas mansiones habeat, ac his Præbyter probata vitæ, & doctrinæ constituat Catechista, qui eos assidue in fide erudiat, ad Ecclesias

lib 7. const. Apoll. c. 39. quomodo oporteat Catechumenos institui & S. Dionys. de Eccl. Hier. c. 2. facit etiam quod habetur in ordine baptisimau Seueri Patriarchæ initio. 24. S. Clem. lib. 3. const. Ap. c. 18. & li 7. c. 40. & 4. Rabanus de instit. Cler. li. 1. ca 27. & habetur de consec. dist. 4. c. Primum & refert S. Antonin in 2. p. hist. 1. 14. c. 5. paræ. 1. 25. Raban. cit. cap. 27. 26. Rab. ibid. & habetur de consec. dist. 4. c. Postquam. 27. Raban. ibid. & de consec. dist. 4. cap. Postea signatur. Et S. Antonin. vbi supra. 28. Raban. cit. c. 27. & S. Antonin vbi supra. 29. S. Clem. l. 2. recogn. in fist S. Basil. ser. 1. de Baptis. p. 2. 30. Liber Sacramentorum Vatic. M. S. & ordo Rom. M. S. Achil. statij. 31. Raban. cit. c. 27. de Cons. dist. 4. c. Dehinc. Et S. Antonin. vbi sup. S. Siricius PP. in epist. ad Himerium Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. Calest. PP. l. ep. 1. ad Episc. Gall. c. 12. eod. tom. 1. Conc. S. Leo PP. in epist. 4. ad Episc. per Siciliam constitutos cap. 6. & epist. 80. alias 7. ad Episcopos per Campaniam, &c. eod. tomo 2. Concil. 32. Cyril. Hieros. in prefatione in Cateches.

vt tibi orent ducat, cum ipsis sæpe colloquatur de rebus ad fidem & salutem pertinentibus, atque eis explicet ea quæ in Ecclesijs conspiciuntur circa externum cultum, altaria, sacras imagines, & ornamenta.

Ex ea autem domo dum in pænitentia, & Catechismo degunt, raro, & non nisi rationabili causa Catechumeni egredi permittantur, nunquam vero soli, sed semper cum comite fidei, neque suos, vel alios infideles adire, neque per viam eos alloqui, neque 33. cum eis cibum sumere: aut negotia tractare sinantur.

Neque vero infideles permittantur ad domum Catechumenorum accedere, sed cum eam prætereunt, procul inde recedere confestim iubeatur.

Interim in ipsa domo Catechumeni otiose ne viuant, sed horis quibus catechizantur, & discunt ea quæ oportet, exceptis, in exercitatione aliqua corporali, vel arte quam callent, vel in domus obsequijs occupentur.

Vbi autem Catechumenorum domus nulla est, maiores & adulti maribus, detineantur apud fideles, & timoratos viros, vel in aliquo Monasterio, vel domo probatoru Monachoru, aut aliorum Regularium: femina vero apud nobiles, & honestas matronas. Minores autem, & impuberes similiter apud pios viros, vel apud probas & Religiosas mulieres sequestrentur, fide, & moribus instituendi. His quoque eruditus aliquis & pius Sacerdos in Catechistam præficiatur, qui eos frequenter inuisit, & catechizet.

Tempus autem Catechismi licet 34. quadraginta dierum spatio soleat definiri, experientia tamen docet, quæ & 35. sacris canonibus consona est, diuturniorem Catechismum valde vtilem esse ad Baptismum digne recipiendu, & postmodum eo recepto in Christiana disciplina perseverandum. Qua in re habenda est ratio personarum venientium ad fidem. Nam illis 36. qui antea bene conuersati fuerunt, & ab his qui foris sunt, bonum testimonium habent, quique docilitatem & pietatem præ se ferunt quadraginta dierum catechismus sufficiet, ac interdum breuior, si ipsi ante quadraginta dies satis idonei sint, & iusta de causa ita fieri expediat, de licentia tamen ordinarij, aut alterius superioris. Qui vero rudiores & non adeo dociles, sed tardioris ingenij fuerint ad rudimenta fidei addiscenda, atque ad ea quæ ipsos scire oportet percipienda similiter & qui multis moribus præditi fuerint, quamuis hebet ingenio non sint, & bene omnia quæ ad doctrinam Christianam spectant, didicerint, vt si superbi, elati, contentiosi, contumeliosi, vaniloqui, seditiosi, inobedientes, indeuoti, simulatores, aut rerum temporalium nimium cupidi fuerint, qui denique pristinos mores, & vitia adhuc retinent, hi non sunt tam facile baptizandi, sed expectandum, donec priore vitæ consuetudine derelicta, profectus in eis circa bonos mores & doctrinam euidentius dignoscatur.

33. S. Clem. l. 2. recogn. in fin. facti Coci. Agathen. c. 40. & habetur 2. q. 1. cap. Omnes desincept. 34. S. Siricius Papa in ep. ad Himerium Episc. Tarrac. c. 2. tom. 1. Conc. S. Greg. PP. lib. 7. Regest. epist. 24. ad Fantinum dufens. & habetur de consec. dist. 4. c. Ne quod abijt S. Hier. in epist. ad Pammachium aduersus erro. Iean. Hieros. tom. 2. epist. Et S. Cyril. Hierosol. in pref. Catech. 35. S. Clem. l. 2. recognit. & l. 8. c. 11. Apost. c. 28. Tertul. lib. de Baptis. adu. Quinilliam cap. 18. apud loc. Pamela. tom. 3. S. Conc. Nicen. 1. can. seu c. 2. tom. 1. Conc. Constantinop. Vl. Syn. can. 9. to 1. Coci. Eliber. c. 4. 11. & 42.

vt tibi

Agathen. c. 34. tom. 1. Concil. & habetur de consec. dist. 4. c. Iudæi 36. Conc. Eliber. c. 4.

SSSSS Infidelium

^{37. Idem Conc. Eliber. 6.4.} Infidelium quoque ³⁷ Sacerdotes & Magistri, & hi, qui superstitionibus sua se & adhuc videntur addicti, tamdiu probentur quoad illas deseruerint, & à se penitus abdicarint.

^{28 S. Clem. l. 2. const. Apost. c. 38.} Rabbini ³⁸ vero Iudæorum qui antea diuinas scripturas scrutati, per eas illuminati fuerint, ac bonis moribus alioqui pollent, non tam longo indigent Catechismo; nisi forte & ipsi caeremonijs & ritibus Iudaicis nimium dediti sint: quia tunc diutius in Catechismo, donec ab eis disueterent, retinendi sunt.

Qui à partibus infidelium ad Regiones Christianorum vt Baptismum suscipiant venerint, diligenter examinentur, & diu probentur. Ac si vernaculam linguam Christianorum eius Prouinciæ, ad quam peruenerunt, non intelligant, per Clericos idoneos, & interpretes Christianos, qui eorum linguam probe norint in fide & moribus instruantur: si autem interpretes desint, eoque in Catechismo detineantur, dum linguam eiusdem Prouinciæ intelligant, & interim eorum Baptismus, nisi necessitatis casus occurrat, differatur. Verum vbi Presbyteri & Clerici desunt, nihil impedit quo minus ³⁹ fidelis laicus peritus tamen sermonis, & moribus grauis, adhibeatur, qui illos priuatim doceat, & catechizet.

^{39. S. Clem. cit. c. 38.} Hortandus est autem qui Catechumenis erudiendis vacat, vt hoc catechizandi munus adeo illorum saluti necessarium libenti promptoque animo administret, ac alijs etiam ⁴⁰ bonis operibus anteponat.

^{40. S. Clem. apud. cap. 38.} Qui metu vltimi supplicij, aut alterius pœnæ temporalis vitandæ causâ Christianam fidem amplexi sunt, aut amplecti volunt, longiori tempore quoad licebit sunt probandi; & nisi ex indulgentia Principis aut Magistratus pœna fuerint liberati, apertè eos mœneri oportebit, Baptismi Sacramentum pœnam non remittere temporalem, nec sibi ad Ecclesiam confugiendum esse spe immunitatis, sed vt sempiternam pœnam euadant, accepta per Baptismi lauacrum remissione peccatorum, & ab omni reatu mûdati vitam consequantur æternam. Atque hi quidem in carcere & tuto loco catechizentur, humaniterque tractentur, ac si veræ pœnitentiæ, & recti in fide propositi signa ostenderint; sacerdotes vel qui Catechumenorum curam gerunt, pro eis apud Principes & Magistratus intercedant, vt in susceptæ fidei, & suscipiendi Baptismi reuerentiam, vltimum eis supplicium, vel pœna temporalis remittatur, aut saltem in mitiorem commutetur.

^{41. S. Clem. ibidem.} Serui similiter diu probentur, & edoceantur, per Baptismum ipsos à temporali seruitute Dominorum non liberari, sed à seruitute diaboli, & peccati, vt Christi serui efficiantur, cui seruire regnare est. Verum tamen eorum Domini moneantur, vt eos tanquam æterni Domini conseruos ⁴¹ benignius tractent, & statis diebus in domum Catechumenorum, vel ad Ecclesiam

Ecclesiam mittant, vt catechizentur, ac eos à fide non deterreant, vel auertant, neve villo modo impediunt; alioqui quod de fide male sentiant, redderent sese suspectos.

Si ⁴² Catechumenus vxorem habet, aut Catechumena virum, doceatur vterque suo connubio contentus esse. Si sint soluti, discant non fornicari, sed post acceptum Baptisma, nisi calibatum amplecti, & se continere maluerint, iustis nuptijs in Domino copulari. ^{42. Idem S. Clem. eod. cap. 38.}

Si quis autem ex Mahometica vel alia secta, qua plures vxores ducere & habere licet, Christo nomen dederit, aut dare voluerit, admoneatur, illud neque naturali, neque diuino, aut humano iure fas esse; ac proinde prima tantum vxore, si legitime ducta fuerit, retenta, reliquas dimitti oportere: quod si fecerit, & illa fidem susceperit, matrimonium inter eos ratum erit: ac si alias dimittere noluerit, inter Catechumenos non recipiatur.

C A P V T I V.

De præparatione generali ad Baptismum, Catechumenis persuadenda.

^{43. S. Clem. l. 3. Recogn. c. 17. const. Apost. c. 23. Tertull. l. de Bapt. aduers. Quintillam c. 20. tom. 3. apud Iacobum Pameliuum. S. Greg. Nazorat. in S. Baptisma. S. Sircieua PP. episc. ad Himerium, Tarracon. c. 2. tom. 1. Conc. S. Leo PP. ep. 4. ad episc. Sicilia c. 6. & episc. 80. alias 73. ad Episc. Campaniam.} **Q**uo tempore Catechumeni in Catechismo, & probatione sunt, doceantur non temere, non inconsultè, non imparati ad Sacramentum Baptismi accedere, sed iuxta illud Actuum Apostol. cap. 2. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum, debere retroactæ vitæ pœnitere, nouam incipienturos, quam obrem & in primo scrutinio, cinere in pœnitentiæ signum consperguntur.* Hanc autem præseferre etiam debent & operibus, & exterius signis, nempe humili ac modesto habitu, abiectisq; pretiosis vestibus, & curiosis. Itaque ad balnea, theatra, ludos, spectacula, & huiusmodi loca non accedant, ac ab omni specie mali abstinentes, sobriè, piè, & castè viuât, & à proprijs etiam vxoribus se contineant.

Præterea ⁴³ crebris orationibus, geniculationibus, lacrymis, vigilijs, ieiunijs, & similibus pœnitentiæ operibus, quæ in Baptismo aduulorum ex antiquo Ecclesiæ more præmitti consueuerunt, assidue vacent, pauperum misereantur, eleemosynas secundum facultates sibi à Deo datas largiatur, & in alijs pijs charitatis officijs se exercent, atque semetipsos in omnibus probent. In Catechesim animum intendant, & quotidie congruo tempore, mane scilicet, & vespere instruantur. Ecclesiam frequenter adeant, in qua tamen seorsum ab alijs fidelibus orent, & missæ tantum Catechumenorum intersint.

44. Concil. *Neocaesariensis.* Si quod ⁴⁴ graue peccatū interim admiserint correctioni, & coercionī subijciantur sui Rectoris, seu Præfati qui iuxta delicti qualitatem in eos animaduertat, ea tamen moderatione, ne pænę acerbitate deterreantur, ac à fide proposito recedant.

Si tentatione aliqua, dum in Catechismo sunt, à fide defecerint, & ad infidelitatem redire voluerint, non statim propterea dimittendi sunt, sed aliquantisper detinendi. Iterum vero piorum virorum suasionibus hortationibus, & oratione detur opera, vt resipiscant, qui si nihilominus sanis sermionibus non acquiescentes in infidelitate perstiterint, abire sinantur.

Liberi vero eorum, & alij, quos Ecclesiæ Christiana fide imbuendos obtulerunt, retineantur, & baptizentur, si nondum fuerint baptizati; nisi sint adulti, qui & ipsi fidem suscipere renuant, ac recedere velint.

Propter ⁴⁵ tentationes autem quas Catechumeni frequenter patiuntur, eos sæpe exorcizari ⁴⁶ oportet, eisq; à presbytero sæpe manus imponi: curandumque est vt pro ipsis in Catechumenorum domo & Ecclesia, ac in alijs Ecclesijs, Monasterijs, & pijs locis assidue orationis fiant. Sed & ipsi moneantur, vt cum de incredulitate tentantur, vel modicæ se fidei esse agnoscunt, ad Christum conuersi sepius dicant: Adiuua Domine incredulitatem meam. Item, Adauge Domine fidem. Atque humiliter & iustanter orantes, stabilis fidei donum petant. Et si quando à malignis spiritibus eos corripere & vexari contingat, quod nonnunquam euenire solet, similiter super eis imponantur manus, & fiant exorcismi, & orationes.

Cum Catechumenis præterea mitius agendum, non asperè, nec durè tractandi sunt, neque ea, quæ prouectiorum in fide, ac perfectiorum sunt, eis facienda statim proponi debet, iuxta illud Apostoli ad Corinthios: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* Neque etiam Christiana perfectio ab eis exigenda est, iuxta sententiam saluatoris. *Nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus, tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt: sed vinum nouum in vtres novos mittunt, & ambo conseruantur.* Sed paulatim Christianā perfectionem edocendi sunt, & interim quædam ipsorum imperfectiones, quoad in Christiana pietate coalescant, Christi exemplo qui diu Discipulos suos sustinuit, tolerandæ sunt. Quam re imitandus est etiam Apostolus, qui ait, *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* Quapropter in principio Catechumeni ad ea, quibus nondum assuefacti sunt, aut quæ alioquin ipsis sunt difficilia, nimium vrgeri, aut cogi non debent, modo absit contemptus aut superstitio.

Qui itaque flexis genibus orare assueti non fuerint, non diu in genuflexione

flexione, donec sic orare assuescant, detineantur.

Ad carniū, aut aliarum escarum sibi olim Religione, aut lege veterum esum, qui ad eas nondum assueti in ijs sumendis nauseam patiuntur, eos compelli non oportet: sufficiat ⁴⁷ autem si illas interim degustent, aut olera cum ipsis cocta comedant, ne eas abominari, aut execrari, aut propter conscientiam eis vesci nolle videantur: vel si saltem alios cibos in Christianorum aut vasis decoctos, aut patinis appositos non repugnant aut discernant. Ita & in consimilibus casibus, qui Catechumenis præsumunt, omnium cum charitate, & discretione erga ipsos, ne linum fumigans extinguant, probe ac prudenter se gerant.

C A P V T V.

De doctrina fidei proponenda tam doctis, quam rudibus, etiam de ordine quo est declaranda.

Quoniam vero ante Baptismum ea, quæ credere & quæ seruare debet, ⁴⁸ edocendi sunt, iuxta præceptum Domini dicentis: *Matth. 28. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandauimus vobis.* Ideo in Catechismo Sacerdos primum Catechumenos instruat de mysterio sanctæ Trinitatis, illud eis planè ac simpliciter exponens: non arduas disputationes, non difficiles aut perplexas Theologicas quæstiones, quibus vel confundi, vel de fide dubij reddi possent, propones.

Deinde eos doceat ex Moyse & Prophetis, ex Apostolis & Euāgelistis, omnipotentem Deum omnia per Verbum sibi coæternum & consubstantiale hoc est vnigenitum filium suum, tam visibilia, quam inuisibilia initio creasse, atque ex nihilo condidisse.

Explicit autem eis casum Angelorum, & ⁴⁹ ordinem creationis, & diuinam in creaturas prouidentiam, cur mundus conditus: cur homo creatus, quomodo gratia, & arbitrij libertate donatus, & in paradiso colonus positus, quomodo inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & primi parentes ab eo seducti, Dei præceptum præuaricantes per inobedientiam ceciderunt, & quomodo originale peccatū ab Adam in posteros omnes perpetua damnatione transmissum est; nam sicut ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.*

47. Facit Conc. Ancynan. cap. 13. iuxta 1. vel 14. iuxta 2. & 3. editionem tom. 1. Conc. Mart. Bracc. in collect. an. Græc. Synodorum c. 58. tom. 2. Conc. & habetur apud Gratian. dist. 30. cap. vii. Conc. Bracc. 1. c. 14. eod. tom. 2. Conc. Concil. Gangren. cap. 2. tom. 1. Conc. 48. S. Clem. lib. 7. consilio. Apost. c. 23. & c. 40. S. Basil. ser. 1. de Bapt. p. 1. & 2. S. Hier. in Matth. 6. 28. tom. 6. Raban. l. 2. de inst. Cleric. c. 25. de Baptismo Sacram. & habetur de consecr. dist. 4. cap. ante Baptismum. 49. S. Clem. lib. 7. consilio. c. 30. Eccl. 1. 5. Sap. 2. in fine Rom. 5.

Postea vero doceat, quomodo Deus, qui diues est in misericordia statim post Adæ peccatum promiserit se missurum Christum, vt serpentis caput contereret, id est vt diaboli regnum, quod in humanum genus sibi iniquè vsurpauerat destrueret, & nos à potestate tenebrarum eriperet, & transferret in Regnum suum, & ipsum deinde omnibus sequentibus sæculis vsque ad eius aduentum repromiserit Patribus per Prophetas, quem proposuit propitiatorum per fidem in sanguine ipsius, vt merito dicat Apostolus, *Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Actum opportunè eorundem Prophetarum diuina oracula, & prædictiones de eiusdem 5º æterni Verbi vnigeniti Dei filij Domini nostri Iesu Christi incarnatione, natiuitate, prædicatione, virtutibus, miraculis alijsque operibus, passione, morte, sepultura, resurrectione, & in cælum ascensione, de Spiritus sancti missione, Apostolorum in toto orbe terrarum prædicatione, gentium vocatione & conuersione, deque futuro iudicio, & futura omnium resurrectione, de secundo Christi aduentu ad viuos & mortuos iudicandos, de promissione & spe vitæ æternæ, de retributione vnicuique rependenda iuxta opera sua, de futura gloria, de igne & alijs gehennæ pœnis, & æterna reprobatorum damnatione, Catechumenis fideliter exponat, atque ita paulatim eis explicet mysteria regni cœlorum.

Verum quemadmodum Ethnicis & Infidelibus diuina mysteria propalanda non sunt, dicente Domino in Euagelio: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos;* ita cum Catechumenis magna cū discretionem agendum est, vt iuxta Sanctorum Patrum documenta, & traditionem, non omnia, præsertim sacratiora quædam fidei mysteria eis aperiantur, quod ea vel non capere, vel impossibilia reputare, aut irridere facile queant, 51 sed ea tantum quæ in vulgus efferri fas est, & non credentibus tuto prædicari possunt. Quæ autè recòditiora, & magis mystica sunt, post Baptismum cum iam intra Ecclesiam fuerint, commodius poterunt edoceri, 52 quæ & ipsi apud se occulta, & clausa tanquam sigillo obsignata custodiant, nec infidelibus prodant.

Si qui vero Catechumenorum ea mysteria nosse seu 53 eorum rationem intelligere querant, fides & humilitas eis commendanda & inculcanda est testimonijs scripturarum, cuiusmodi est illud Rom. 1. *Iustus ex fide viuuit.* Et illud Esaiæ 6. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Item Ioan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Et illud Eccli. 3. *Altiora te ne quaesieris & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea, quæ sunt abscondita videre oculis tuis.* Itemque Prou. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Sunt præterea confirmandi antiquorum Patrum exemplis, qui non quærentes

rationem

rationem eorum, quæ à Deo iubebantur, humili, & constanti in eum fide imperata faciebant, atque ita illustria & admirabilia opera ediderunt, quorum etiam præclare fidei exempla Apostolus commemorat in Epistola ad Hebræos 54 Ac proinde hortandi monendique sunt, vt ea quæ de fide Trinitatis, & humani generis redemptione per Christum, ac de spe futuri seculi eis tradita sunt, fideliter credant ac retineant, scientes quod si prius crediderint, omnia postmodum suo tempore intelligent; & quando sublimitatem eorum, quæ eis non traduntur didicerint, tunc plane cognoscent idoneos non esse Catechumenos ad ea audienda.

Sed & si qua proprio sensui repugnare, aut eis impossibilia fortasse videbuntur, admoneantur vt captiuantes intellectum in obsequium fidei quæ eis credenda proponuntur firmiter credant, quia non est impossibile apud Deum omne verbum, & quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Cæterum dum catechizantur, instituenti 55 sunt non solum doctrina fidei, sed etiam disciplina morum & pietatis ac confirmandi exemplis, ex gestis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, Anachoretarum, & aliorum sanctorum petitis, quod ea plurimum conferant ad ædificationem fidei & veræ pietatis, atque ad imitationem prouocent: vt & ipsi per Baptismum deinde renouati, & sanctorum imitatores, quantum Dominus dederit, effecti, eius vitæ usum teneant, quæ ablutos decet, ac tales se in posterum præbeant, quales oportet esse fideles in Christo renatos.

Catechumenos, qui ingenio perspicaci & intelligentiores sunt, Presbyter catechizet in fide ex diuinis scripturis, iuxta modum seruatum à sanctis Patribus. Eruditiores quidem Catechista Theologus in fide plenius edoceat: at infirmos, & quorum animos nutare intelligit, erigat atque confirmet.

Catechumenos quoque de Iudaismi, aliarumque eorum olim sectarum erroribus admoneat, & tam ex sacris literis, quam ex varijs veterum & sanctorum Patrum libris ac tractatibus, præsertim vero aduersus Iudæos & Gentes conscriptis, quorum aliqui inferius commemorabuntur, earum falsitatem redarguat, ac refutet, & fidei veritatem astruat. Et ad tollendas de eorum mentibus falsas, si quas olim imbibierunt, de humana anima opinioniones, doceat eos, rationale animam non corpoream, sed spirituale esse substantiam, & immortalem, intellectus, memoriæ, & voluntatis potentij, quibus ad imaginem Dei creata est, præditam, & alia huiusmodi quæ ad errores refellendos nouerit accommodata.

In primis autem eos doceat, quomodo se signo Crucis signare debeant, ducta scilicet dextra manu à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum

Rom. 5.

50. S. Clem. d. cap. 39. Pontific. Armenic. Magis in ordine Catechismi.

Matth. 7. 51. S. Greg. Naz. orat. in Baptismo, & Nicetas ibid. in eum. 52. Ex eis de S. Greg. & Nicetas.

53. S. Gau. dent. Brixienf. in 1. & 2. tract. in lef. Exod. e. 12. in Biblioth. tom. 7. & c. S. Ambr. l. de inuandis e. 2. to 4. & c. Chrysof. hgm. ad baptizandos tom. 5.

54. S. Cyril. Hierosol. in præfat. catechof.

55. S. Amb. in lib. de inuandis e. 1. tom. 4.

dextrum simul dicendo dum tangunt frontem (In nomine Patris,) dum pectus, (Et Filij,) dum sinistrum & dextrum humerum, (& Spiritus Sancti.) Tum eis ostendat eiusdem signi vim, atque virtutem aduersus dæmones & contrarias potestates, quod videtes signum summi Regis expauescant, & territi, ac confusi procul aufugiant. Quare eos moneat, ne ⁵⁶ Crucis signum erubescant, sed sibi illud in fronte sapissime & confidenter imprimant, & in eo etiam maxime glorientur, iuxta illud Apostoli: *Mibi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, & id quod cantat Ecclesia: Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem saluati, & liberati sumus.* Doceatque eos, ideo in fronte quæ sedes est pudoris, hoc signum fieri, ne fideles Christi Crucem quæ antea opprobrio erat, erubescant. Hortetur igitur illos vt publicè & priuatim salutari signo crucis se muniant, cum cubitū eunt, cum surgunt, cum domo prodeunt, cum Ecclesiam intrant, cum orare incipiunt & desinunt, cum opus aliquod aggrediuntur, cum iter suscipiunt, cum equum aut nauim conscendunt, cum aliquod eis periculum impendet, aut pavor occurrit, aut cum cibum vel potum sumpturi sunt, & in omni denique negotio & actione.

Symbolum Apostolorum eis sæpius exponat, primum simpliciter, deinde pro ipsorum audientium captu luculentius, tum ex Symbolo Nicæno, & Constantinopolitano, quod cantatur in missa & ex Symbolo Sancti Athanasij Alexandrini, tum etiam ex Sanctis Patribus.

Explicet quoque eis orationem Dominicam, & singulas illius petitiones, & ubi videbitur ad ipsorum audientium ædificationem cōferre posse, ex Sanctis Patribus in eorum Commentarijs, vel proprijs opusculis ac sacris interpretibus Diuinorum eloquiorum, atque ex ipso item Catechismo Romano.

Eandem vero orationem, & symbolum ipsi Catechumeni memoriz mandare, & sæpius recitare studeant.

⁵⁷ S. Basil. Doceat præterea Catechumenos ⁵⁷ Præcepta Decalogi, Dilectionis Dei & proximi, ac legis naturalis erga proximum, virtutes Theologicas & morales, Beatitudines, Fructus Spiritus, Opera misericordiz corporalia & spiritalia, & Euangelica consilia.

⁵⁸ S. Basil. Doceat item eos de peccatis capitalibus, & mortiferis, vt ea vitare scient, ac ⁵⁸ ab his impostero abstineant, prout tenentur, quemadmodum & cæteri fideles: de corporis sensibus, vt eos à peccatis custodiant: de inimicis hominis: de quatuor nouissimis, atque alijs quæ ad Christianæ vitæ institutionem pertinent.

Insuper eos doceat, omnipotentem & misericordem Dominum non modo vt Deum & creatorem, verum etiam vt Patrem, & humani generis Redem-

Redemptorem, specialem curam atque prouidentiam, de electis suis & in se credentibus habere; quod ostendet exéplis & autoritatibus scripturarum vtriusque instrumenti, præsertim vero Psalmographi dicentis. *Ecce Psal. 32. oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius; vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Et rursus; *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Itē, *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Itemque, *Multe tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus.* Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnū ex his non conteretur. Ac rursus: *Psal. 33. Nouit Dominus dies immaculorum, & hereditas eorum in aeternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* Et infra: *Apud Dominū gressus hominis diriguntur, & viam eius vult. Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Idemque confirmabit verbis Christi in Euangelio cum ait; *Nonne duo passeris ase vaneunt? Et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt.* Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Et demum; *Capillus de capite vestro non peribit. Quod & in Martyrum & aliorum sanctorum gestis mirifice elucet.* Ac prouide eos, vt in Deo omnem spem, omnemque fiduciam collocent, admanebit.

Eos etiam doceat quæ dum inchoantur discere, ac per se ipsos, cum interrogati fuerint, respondere debeant. ⁵⁹ quid item in Baptismi Sacramento renunciandum quidue credendum sit, ⁶⁰ oportere primum eos discedentes à fidei contrarijs abrenunciare Diabolo, deinde Christo se adiungere, ipsius fidem profitentes, ac ita prius de corde omni impietate ac malitia expulsa, veram pietatem amplectentes, mysteria ingredi, & ad Baptismi gratiam accedere, sanctaque percipere debere. ⁶¹ Renuncietur autē Diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Opera vero Diaboli opera carnis esse intelliguntur, quæ sunt homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & alia his similia, quæ nimirum Diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quam opere perpetrentur. Pompæ vero eiusdem, sunt superbia, iactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia quamplurima quæ ex his oriuntur.

Det autem operam prudens Catechista, vt omnia quæ Christianæ fidei repugnant, aut ⁶² disciplinam impediunt, remoueantur, ac de eorum cordibus funditus euellantur, vt his, quæ sunt Religionis & pietatis recte imbuui possint.

Quocirca moneat eos vt auguria, auspicia, diuinationes, incantationes, fortilegia, omnes denique superstitiones tanquam Diaboli commenta, & machinationes vitent: sectentur vero sincerum Religionis cultum, veritatem, iustitiam, misericordiam, abstinentiam, verecundiam, pudicitiam, castitatem, mansuetudinem, benignitatē, & reliquas Christianas virtutes,

⁵⁶ S. Cyril.
in catechesi
4. de ascens.
Galat. 6.

⁵⁷ S. Basil.
serm. 1. p. 2.
de Baptif.

⁵⁸ S. Basil.
ibid.

⁵⁹ Concil.
Thron. 3. cap.
18. & Conc.
Mogunt. 2.
sub Ludouico
Rege & Ra-
bano c. 1. tom.
3. Conc.

⁶⁰ S. Clem.
1. 7. constit.
Apost. c. 40.
& 41.

⁶¹ Concil.
Thron. 3. c.

18. & Conc.
Mogunt. 2.
sub Rabano
cap. 3.

⁶² S. Basil.
serm. parte
2. de Baptif.

vt mentis humilitatem, oculorum modestiam, linguæ continentiam, sensuum mortificationem, corporis castigationem, superbiæ compressionem, cogitationum puritatem, iræ moderationem, patientiam in tribulationibus, Dei & sibi præpositorum iusionibus prompte & humiliter obedire, non reddere malum pro malo, non vlcisci sed potius benefacere malefacientibus inimicos diligere, orare pro persequentibus, iniurias æquanimiter ferre, non iurare, non mentiri, non fraudare, non contumelias inferre, nec turpia aut stulta, aut scurrilia loqui, aut facere, neminem calumniari, aut circumuenire, neque aliud quicquā illicitum perpetrare, ac omnes præterea prauos habitus & malas consuetudines abijcere: Moriendum enim sibi esse peccato, viuendum autem Deo. Nam & tunc digni erunt in nomine Trinitatis baptizari, ac superna regenerari virtute, si & vitia & pristinum viuendi modum, & locum, & præteritæ vitæ socios mutant, vt spiritu viuentes Christum indui mereantur, quemadmodum dixit Apostolus Gal. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Si quis interdum Catechumenorum per animi elationem dixerit aut significarit, nolle se vna cum reliquis Catechumenis, aut cum pauperibus, vel illis, aut illis, sed vel solum, vel cum certis quibusdam tantum baptizari, docendus erit *Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam*; ac proinde Sanctum baptismi lauacrum non factum aut arrogantiam admittere, sed pœnitentiam requirere, & animi humilitatem, neque alienum à dignitate tua debere putare eum qui diuitiis affluit simul cum paupere baptizari, cum obscuro nobilem, herum cum eo qui sibi seruus fuit. Nemo enim vnquam tã opere se demittet, quanto opere Christum, in quo baptizatur quicumque salutaribus aquis intingitur, sese deiecit, qui salutis nostræ causâ seruilem quoque formam assumpsit.

Si quis præterea ambitione ductus insinuauerit se nõ à deputato Presbytero, sed ab Episcopo tantum, aut magno aliquo Prælato, siue etiam eximix sanctitatis sacerdote Baptismi Sacramentum suscipere velle; doceatur eum qui curatione indiget de iudicijs sibi iudicium arrogare non debere, nec eorum à quibus purgatur dignitates, pretiaque anxie & morose disquirere; & quamuis⁶⁵ alius alium probitate vitæ, aut gradus dignitate præcellat, eandem tamen cuiusque Baptismi in Sanctæ Trinitatis nomine collati, vim esse. Baptismus⁶⁶ namque talis est, qualis ille est, in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur. Et⁶⁷ ideo si vnus à viro iusto & sancto baptizetur, alter ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentix, inferioris vitæ, vnum tamē, & par est, & æquale quod accipiunt,⁶⁸ quia per ministros dispares Dei munus æquale est, cum nõ illorum sit munus sed ipsius Christi,⁶⁹ qui principaliter baptizat.

CAPVT VI.

De susceptione Baptismi, & de alijs præuijs dispositionibus ad illum.

Docet quoque eos ad pœnitentiam superioris vitæ, quæ exigitur ante Baptismum, probe tenendam, vt⁷⁰ contritionem vel saltem attritionem habeant omnium peccatorum ac delictorum, quæ contra se habent, & proximum commiserunt, vt ea nimirum ipsis displiceant, & si qui spiritus feruore, seu deuotione sibi vel alteri Presbytero peccata quæ hactenus admiserunt, confiteri velint, audiantur, non⁷² quidem vt eorum absolutionem accipiant, sed vt⁷³ sic ea serio & ex animo se odisse, perspicuum faciant, atque ex huiusmodi humiliatione, & pudore se magis idoneos præstent ad Baptismi gratiam recipiendam, vel vt ad peccata vitæ ad remedia suscipiant, aut spiritualis vitæ præceptis informentur.

In huiusmodi autem Confessione non⁷⁴ oportebit omnia singillatim peccata, neque omnes illorum circumstantias confiteri, sicuti in Sacramentali Confessione fieri debet, sed grauiora tantum sât erit enarrare. Etenim⁷⁵ nec eis vlla per Presbyterum satisfactio, seu pœna imponi, neque absolutio impendenda debet,⁷⁷ verum si vel famæ, vel bonorum restitutionem certis personis facere tenentur, is eam pro loco & tempore faciendam imponat.

Cum Baptismi tempus institerit, Sacerdos instruat cõpetenter de Sacramento, & de eius ad salutem consequendam necessitate, vt⁷⁸ utilitate, & effectu: & quod sicut docet B. Cyrillus⁷⁹ Hierosolymitanus: Magnum est sane propositum hoc Baptisma; Captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, curus ad cœlum, delitiæ paradisi regni cœlestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum. Et S. Gregorius⁸⁰ Nazianzenus, Baptismus est splendor animarum, vitæ in melius mutatio; conscientix ad Deum integratio, Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum; Baptismus carnis est abiectio, Spiritus affectatio, verbi participatio, figmenti instauratio, peccati diluuium, lucis communicatio, tene-

nitentia S. Tho. cit. q. 68 art. 5. & 6. Dom. Soto in 4. cit. dist. 5. q. vn. art. 5. 76. Card. Caiet. in 1. Thom. cit. art. 6. & Dom. Soto cit. q. vn. art. 6. 77. S. Thom. cit. q. 68 artic. ad 1. & Domin. Soto in 4. cit. dist. 5. q. vn. artic. 5. in respons. ad 3. 78. Gregor. Naz. orat. in sanctum Baptisma. 79. S. Cyrill. in Procatechesi ante fin. hæc tribuit Baptismi Sacramento encomia. 80. idem Gregor. ibidem.

Iat. 4.
Pet. 5.

63. S. Greg.
Naz. in orat.
in S. Baptis.
parag. Nihil
progressione
tuam.

64. Idem
Naz. ibidem
paulo supra.

65. Ibidem
paulo infra.

66. S. Aug.
in Ioan. trac.
5. tom. 9. &

habetur de
consec. dist. 4.
& Baptism.

67. Idem in
Ioan. tract.
6. eod. tom. 9.

68. Idem l.
3. contra
Crise. Gram.

6. tom. 7.
& habetur
de consec. di.
4. c. Si inter
bonos.

69. S. Aug.
tract. 4. 5. &

6. in Ioan. c.
1. tom. 9.
Bedam hom.
de Epiph.

70. c. Tres
sunt in princ.
de pœnit. dist.
1. c. Quis
aliquando
parag. de cõ-
tra. ead. dist.
1. c. Om-

nis qui Cr.
duob. Jeqq.
de consec. dist.
4. S. Thom. in
3. p. q. 68. ar.
5. c. 5. c. c.
Dom. Soto in
4. dist. 5. q.
vn. art. 5.
concl. 1.

71. S. Tho.
ubi supra ar.
6. c. Dom.

72. Card.
Caiet. in S.
Tho. cit. art.
6. c. Dom.

73. S. Greg.
Naz. in orat.
in S. Baptis.

74. S. Tho.
art. 6. Dom.

Soto d. art. 6.
75. S. Amb.
in epist. ad
Rom. c. 11.

super verbo
sine pœni-
tentia sunt.

dona & vo-
catio Dei;
& habetur
de consec. dist.

4. c. sine pœ-

nitentia S. Tho. cit. q. 68 art. 5. & 6. Dom. Soto in 4. cit. dist. 5. q. vn. art. 5.

76. Card. Caiet. in 1. Thom. cit. art. 6. & Dom. Soto cit. q. vn. art. 6. 77. S. Thom. cit. q. 68 artic. ad 1. & Domin. Soto in 4. cit. dist. 5. q. vn. artic. 5. in respons. ad 3. 78. Gregor. Naz. orat. in sanctum Baptisma. 79. S. Cyrill. in Procatechesi ante fin. hæc tribuit Baptismi Sacramento encomia. 80. idem Gregor. ibidem.

brarum depulsio, Baptismus vehiculum ad Deum; Peregrinatio cū Christo; fidei adminiculum; mentis perfectio; cœlestis regni clavis; vitæ commutatio, seruitutis abrogatio; vinculorum solutio, compositionis & coagmentationis nostræ in meliorem statum conuersio. Quodque demum Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum, & præstantissimum est: vt enim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Cantica Canticorum; quod scilicet latius pateant, ac plura complectantur præcipuamque dignitatem habeant, eodem modo Baptismus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate præcedat. Hæc & alia similia ex sanctis Patribus illos edoceat.

Hortetur in super eos. vt ad sacrum Baptisma firma & constanti fide accedant, atque id simpliciter & puro corde, ac sincera mente, quemadmodum diuina gratia renouandos oportet, suscipere studeant, vt gratiam que cuius non ponenti obicem confertur, inde consequantur in remissionem omnium peccatorum, iuxta quod scriptum est: *sentite de Domino in bonitate, & simplicitate cordis, querite illum, quoniam inuenietur in his qui tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Et paulo post: *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictum.* Acidcirco caueant ne fictè, simulatè ad illud accedant, ne omnipotens Deus tanto scelere offensus, ab eis graues penas, magnamque exigat ultionem.

Ieiunium quoque ante Baptismum ex veteri more triduanum, aut bi-duanum, vel prout videbitur, & sine intermissione oratio eis indicatur, ac sedulo admoneantur, vt ad sacra mysteria suscipienda parati sint.

Et ad extremum (quoniam post Baptismum confirmandi sunt, & communicare debent) de Sacramentis Confirmationis, & sacræ Eucharistia, quantum eorum statui & capacitati conuenit, instruantur.

Interea vero parentur eis vestes albæ, vt his, suscepto Baptismo mox induantur, quas si qui ob paupertatem sibi comparare haud commode possunt, vel Præfetti domus Catechumenorum, vel loci Ordinarius sua pro pietate illas eis vndeunque poterunt comparandas curabunt. De aliis quæ obseruari debent ante ipsam & in ipsa Baptismi sumptione, dicemus cap. 21.

CAPVT

CAPVT VII.

De necessitate Catechismi pro Neophytis, & quid ante omnia scire, & credere oporteat.

Cum adultorum Baptisma non modo ¹ præcedere, verum etiam sequi debeat doctrina fidei, iuxta illud quod Dominus post verba; ² *Matt. 28. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, subiunxit; docentes eos seruare omnia quæcunque mandauit vobis:* & is ³ qui catechizatur, etiam post Baptisma magna probatione indigeat; Neophyti non simul ac baptizati fuerint, quocunque voluerint indigere, vel cum laicis libere conuersari, aut extra domum Catechumenorum seu Neophytorum habitare permittantur; sed saltem per quadraginta dies in eadem domo, vel vbi eiusmodi domus non existit, a pud eandem apud quas catechizati fuerint, vel apud alias pias probatasque personas retineantur, vt de his quæ post Baptismum seruare debent, & de reliquis quæ ad fidei doctrinam, atque ad spiritualem vitam sobriè, iuste & piè ducendam spectant, adhuc institui & edoceri possint, ac ita instituti, in primis vero Sacramentis & verbo Dei vegetati & nutriti, tanquam nouæ plantæ in Ecclesia coalescant, & in suscepta fide solidius confirmantur, & cum ad humanæ vitæ negotia dimissi fuerint; velut arbores altis defixæ radicibus à ventis & turbinibus tentationum non facile quatiantur aut conuellantur.

Per id vero temporis à Præfectis suis vel Patrinis, vel Matrinis ad stationes & ad præcipuas Ciuitatis Ecclesias quoad commode poterit, ductantur; orationi & cœlestium rerum meditationi vacent, sacris Missarum solemnibus ac alijs diuinis officijs reuerenter intersint; conciones audiant, & lacte spiritualium consolationum tanquam paruuli nutriantur; peccata sua Sacerdoti Confessario eis assignato sapius confitentur. Singulis item quibus Albas deferunt diebus, deinde vero Dominicis aliisque festis præmissa Sacramentali peccatorum confessione iudicio Confessarij, Sanctissimæ Eucharistia Sacramentum deuotè sumant, vt salutari sacri Dominici pabulo confirmati, solidius in fide roborentur.

Per idem quoque tempus iuxta Carthaginensis 4 Concilij monita, à lautioribus epulis, & spectaculis, & coniugibus, abstinere moneantur.

1. S. Basil. ser. 1. de bapt. p. 1. & 2.
2. S. Hier. in comment. in Matt. 6. 28. tomo 6. & legitur pro hom. in Breu. Rom. refor. ser. 6. in Alb. 3. Conc. Nic. 1. c. 2. tomo 1. Conc. & dist. 48. cap. 1. ita & non absumit inno. III. ad Lino. non. Episc. eos qui cum eo sunt fratres, c. Deus de poenit. & remiss. & Patres Conc. Basil. sess. 19 in Decr. de iudic. & Neoph. parag. Curen. in super. et ex eis Paul. 2. p. 111 in litteris in forma Breuis de iudic. & miss. veniensibus ad fidem parag. Curen. in super. per.

4. Concil. Carthag. 3. c. 36. tomo 1. Cœ. & apud Gratian. de consecr. di. 3.

5. S. Ambr. Interim vero eis historia quædam sacræ de 5 gestis Patriarcharū Pro-
 de in iusticiis. c. 1. tom
 4. & in l. de
 Sacram. eod.
 tom.
 6. S. Ambr. Deinde vt susceptorum mysteriotum rationem intelligant & diuinam
 de in iusticiis
 cap. 1.
 7. Ex Pontif.
 Armenico
 maiori in
 ordine Ca-
 techismi
 8. Pont. Ar-
 men. ubi
 proxime.
 9. Ex pluri-
 bus P. P. &
 præsertim S.
 Amb. in l. de
 in iusticiis c.
 1. & eod. Ambr.
 lib. de
 Sacram. in-
 titio eod. tom. 4.
 S. Cyril. Hie-
 rosol. in Cate-
 chis. magog.
 Chrysost. in
 hom. ad bap-
 tizandos 10.
 S. Gandet.
 Episc.
 10. S. Gaud.
 ubi supra.
 11. S. Amb.
 in l. de ini-
 tian. cit. c. 1.
 12. Beda in
 hom. de circ.
 Dom. tom. 7.
 S. Cyril.
 Hierosol.
 Catec. 10.

phetarū aut aliorū Sanctorum veteris Testamenti, ac de actibus Apосто-
 lorum, aut moralia quædam ex libris Ecclesiastæ, 6 Prouerbiorum, Sapi-
 entie, Ecclesiastici, & similibus, quæ ipsorum ædificationi conducunt, præ-
 legi vel explicari possunt.

Deinde vt susceptorum mysteriotum rationem intelligant & diuinam
 gratiam tibi collatam clarius agnoscant, vnde feruentiores effecti assiduas
 Deo gratias agant, Catechista eis 7 cæremoniæ & rituum quitam in
 exorcismo & Catechismo, quam in ipso Baptismo adhibentur. significa-
 tiones & mysticas rationes, & cur baptizandus oleo sancto yngatur, &
 ter mergatur in qua aut ea perfūdatur in 8 nomine personarū S. Trinita-
 tis: cur Chrismate inungatur in vertice: cur etiam ab Episcopo cōfirme-
 tur Chrismate in fronte, & Dominici corporis particeps fiat, pro loco &
 tempore, ac pro ipsorum docilitate & ingenio explicet atque interprete-
 tur ex sacro sanctis scripturis, epistolis præsertim beatorum Apostolorum
 Petri & Pauli

Hæc autem eis iam baptizatis ac fidelibus 9 non ante Baptismum ex-
 plicanda sunt. Nam 10 quæ ad Sacramentorum rationem pertinent Cate-
 chumenos audire non congruit, sed suscepto Baptismo Neophytos vt ali-
 os fideles. Tunc 11 enim cum facile intelligant suauiusque degustent, tem-
 pus admonet ipsis diuinæ gratiæ splendore magis illustratis, fidemque per-
 fectius assecutis, de mysterijs dicere & eorum edere rationem, quam non-
 dum initiatis antea insinuari nec vtile nec oportunum fuisset.

Tunc itaque Catechista de præceptis ac reliquis omnibus Ecclesiæ Sa-
 cramentis, eorum numero & virtute Neophytos edoceat ex Patribus &
 Theologis ex sacris Oecumenicis Concilijs, Florétino & Tridentino, at-
 que ex Catechismo Romano.

CAPVT VIII.

Non sufficere Baptismum nec fidem in Christo,
 nisi simul adsit obseruantia mandatorum,
 carnis & passionum mortificatio.

VT autem quæ post Baptismum eis seruanda sunt doceantur, sacerdos
 diligenter instruat eos de his, quæ agere & seruare, quæque cauere
 debent. Primum admonet vt singuli 12 meminerint se Christi fide per-
 cepta præstantissimum nomen vna cum antiquis Sanctis & Patribus for-
 titos

titos fuisse, & idcirco Christiano cognomine, quod à Regio Christi no-
 mine deductum in salutaris lauacri Sacramento acceperunt, glorientur,
 & hoc vsque in finem firmum intemeratumque seruare contendant, gau-
 dentes in se illud Isaiæ vaticiniū esse completum: *Et seruos suos vocabit nomi-
 ne alio, hoc est nomine Christiano, quo nunc omnes serui Christi se vocari
 lætantur. Neque enim nomen aliud sub celo datum est, in quo oporteat nos saluos fie-
 ri.* Vnde & Propheta subsequenter adiūgit: *In quo qui benedictus est super terrā
 benedicetur in Deo, Amen.*

Verum ne putent huius tanti Christiani nominis professionem sibi sat
 esse ad æternam vitam comparandam; nisi & huic nomini diuinæ præcepta
 obseruantes, vitæ pietate & bonorum operum exercitatione respondeant,
 sicut ipse Dominus contestatur: *Omnis arbor qua non facit fructum bonum, exci-
 detur, & in ignem mittetur.* igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Nō
 omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed
 qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cæ-
 lorum. Multi dicēt mihi in illa die, Domine Domine nōne in nomine tuo
 prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo
 virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia nunquam noui vos:
 discedite à me omnes qui operamini iniquitatē, & quæ sequuntur. Ac iterū:
*Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est: omnē palmitem in me nō ferentem fru-
 ctum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum vt fructum plus afferat.*
 Et B. Ioannes Apostolus: *Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum si mandata
 eius obseruamus. Qui dicit se nosse Deum & mandata eius non custodit, mendax est, &
 in hoc veritas non est.*

Neque 13 arbitrentur sibi Baptisma sufficere, si post illud malè viuant, &
 ad peccata redeant, ne se vocatos esse ad humanæ vitæ commoda & sola-
 tia, aut ad carnis & seculi voluptates: Non enim inquit 1. Thessal. 4. Apo-
 stolus, *vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem,* ac idcirco eis o-
 pus esse multa industria & pietate, multaque virtute. Iob 7. *Militia enim est
 vita hominis super terram;* & grandis adhuc eis restat via. Nam quemadmo-
 dum filij Israel postquam de manu Pharaonis seruitute Aegypti liberati
 sunt, & mare rubrum transferunt (in quo omnes Apostolo teste, baptizati
 fuerunt) non statim in terram promissionis à Deo perduci sunt, sed per
 XL. annos in deserto morātes, post multa prælia inita & calamitates per-
 pessus; varijs tentationibus antequam ad eam tandem peruenirent, probati
 sunt: ita & de seruitute Diaboli liberatos, & renatos fonte Baptismatis
 in hoc sæculo ad Dominum peregrinantes multipliciter probari oportet,
 donec ad terram viuentium, & cælestem Hierusalem fidelibus promissam
 peruenire mereantur (non enim ignauos, formidolosos, desides, & otiosos
 vult Dominus milites suos, sed sollicitos, magnanimos, strenuos, & laborio-
 sos)

Isaia 65.
 Act. 4.
 Isaia 65.
 Matth. 7.
 Ioan. 15.
 1. Ioan. 2.
 13 Chrysost.
 homil. 2. in
 Matth. c. 3.
 tom. 2. &
 Aug. de fide
 ad Petr. c. 3.
 tom. 3. sed &
 hoc ipsum
 docet S.
 Chrys. hom.
 9. in c. 1.
 Ioan. tom. 3.
 3. Reg. 19.
 1. Cor. 10.

14. Ex Cōc. Trid. sess. 6. c. 13. (10.ulos) Interim 14. tamen formidantes ne cadant, cum timore & tremore salutem suā operentur, in laboribus, in vigilijs in elemosynis, in rationibus, in oblationibus, in ieiunijs & castitate.

15. Concil. Trid. sess. 7. in decr. de pecc. origin. Rom. 8. 2. Tim. 2. Iacob 1. 16. Concil. Trid. sess. 6. in decr. iustif. c. 11. & can. 19. & 20. 17. Conc. Trid. ibid. c. 16. & can. 26. & 32. 18. S. Greg. PP. hom. 29. in Marc. ult. recumbentibus vndecim, &c. quod & simi- liter docet Chrys. hom. 9. in Ioan. c. 1. tom. 3. ibi. Nolumus i- gitor, noli- mus in- quam, &c. 19. Cons. Trid. sess. 6. in decr. iustif. c. 11. & ibid. can. 19. & 20. Philip. 2. Hebr. 5. 2. Petri 1. 20. Conc. Trid. sess. 6. in decr. iustif. c. 10. & can. 31. Zac. 2. Ephes. 2. Psal. 83. Ephes. 4.

Sed & eos moneri oportebit, quod quāuis à fomite seu carnis cōcupifcentia, quæ baptizatis relicta est ad agonem, se assidue oppugnari sentiant: 15. tamen illi per resu Christi gratiam fortiter resisterint aut non consenserint, ipsis nocere non valet, nec imputabitur ad culpam iuxta Apostolū dicentem: *Nihil ergo damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant; quinimo qui legitime certauerit coronabitur. Quod si carnis illecebris & tentamentis cedant, suum peccatum Deo omnium bonorum auctori, qui odit peccatum, & peccatorem, ne impie tribuant, sed sibi ipsis, suoque consensui & voluntati, sicut Beatus Iacobus dicit.*

Nemo cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentat malorum est. Ipse autem neminem tentat; Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua ab- tractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.

Tum quoque Catechista de obseruantia mandatorum edocebit eos, quod 16. teneantur ad eam omnes adulti baptizati, illaque habeat Christi gratia 17. promissionem æternæ vitæ, Domino dicente Matth. 19. *si vis ad vi- tam ingredi serua mandata.* Et iterum Luc. 10. *Hoc fac & viues.*

Quare nec 18. eorum quisquam apud semetipsum dicat, Ego iā credidi, saluus ero: nam nisi fidem operibus teneat fallitur euidenter: vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis docet, moribus non contradicit. Ac tunc veraciter fideles erunt, si quod verbis promiserunt, operibus impleant. Cum autem ipsi in die Baptismatis omnibus satanæ operibus atque omnibus pompis abrenunciare promiserint, vnusquisque in suam memoriam reuocet, vt post Baptismum fideliter seruet, quæ sponndit ante Baptismum.

Nemo 19. itaque quantumuis iustificatus liberum se esse ab obseruatione mandatorum putare deber. Nemo item sibi de sola fide blandiatur, rarus sola se fide hæreditatem esse consecutum, etiam si Christo non compatiatur vt glorificetur: Nam & Christus ipse (vt inquit Apostolus) *cum esset filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Item Princeps Apostolorum Petrus. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.*

Ac proinde 20. ipsi Neophyti moneantur, vt in Baptismate iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouentur vt Apostolus docet, *de die in diem, hoc est mortificando membra carnis sue, & exhibenda ea arma iustitiæ in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesie, in ipsa iustitia*

iustitia per Christi gratiam accepta cooperante fide bonis operibus crescant, atque ma- gis iustificentur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis vsque ad mortem iustificari.

Mandatorum autem 21. & præceptorum obseruantiam augmentum esse dilectionis nostræ, erga se Dominus sæpe definiuit, dicens: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Et iterum: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo.* Et rursus: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

CAPVT IX.

De dilectione Dei, & proximi, de patientiæ bono, & præmio bonorum operum.

PRæcipue autem eos doceat Catechista, vt dilectionem erga Deum & proximum habeant, iuxta præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum sicut teipsum, vt in initio ordinis Baptismi eis proponitur.* Et iuxta id quod de proximo diligendo Dominus nocte qua tradebatur mandauit, dicens: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et iterum, *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Item hæc 1. Ioan. 3. *Mādo vobis vt diligatis inuicem.* Sed & illud certissimum est, sine 22. charitate cætera Dei dona atque virtutes inutiles reddi, ipso Paulo Apostolo dicente: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens.* Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Quamobrem 23. & proximos diligant & iuuent, illisque bene faciant, non solum amicis & bonis, sed etiam inimicis & prauis hominibus charitatem & misericordiam impendant, iuxta præceptum Domini: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Charitatem namque Christianam non intra amicos & notos tantum contineri; verum etiam ad maleuolos & inimicos extendi, & cuiuslibet proximo debe-

2. Corint. 4.
Rom. 6.
Apo. ult. c.
Apo. 18. r.
21. S. Basil.
serm. 1. de
Baptif. p. 2.
& Conc.
Trid. in dec.
iustif. sess.
6. cap. 11.
Ioan. 14.
Ibid.
Ibid.

Luc. 10.
Matth. 22.
Marc. 12.
& Deut. 6.
& 11. & 13.
& 30.
Luc. 10.
Matth. 19.
& 22.
22. S. Bas.
cit. ser. 1. de
Baptif. p. 2.
1. Corin. 13.

23. S. Bas.
serm. 1. de
Baptif. p. 2.
Luc. 10.
& Luc. 6.

ri,ac impendendam esse, vt omnes propter Dominum diligamus etiamfi
 ab ijs graua damna, offensas, aut iniurias acceperimus, aut etiam sustinea-
 mus; quemadmodum ipsemet Dominus præcepit: *Audistis quia dictum*
est: Diliges proximum tuum, & otio habebis inimicum tuum. Ego au-
tem dico vobis, diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos, & orate
pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in calis
est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.
Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne
& Publicani hoc faciunt? & si salutaueritis fratres vestros tantum, quid am-
plius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti, sicut
& Pater vester celestis perfectus est. Et apud alium Euangelistam: Dili-
gite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vo-
bis, & orate pro persequentibus vos.

Hoc autē & Dominus suo confirmauit exemplo, qui pro suis crucifixo-
 ribus orauit: *Pater dimitte illis non enim sciunt quia faciunt.* Et Beatus Proto-
 martyr Stephanus Dominum imitatus, dum à Iudæis crudeliter lapidaretur, vt Apostolorum acta testantur, *positis genibus clamaui voce magna di-*
centis: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Idemque & Moyses & alij serui Dei
 humiliter obseruarunt.

Insuper præmoneat eos, atque hortetur ad patientiam & ad futuras
 tribulationes, & huius vitæ aduersitates, tentationes, & mala quibus di-
 uina bonitas suos exerceri, & tanquam aurum igne probari permittit,
 fortiter & æquo animo perferenda: *nam si crucem & mortem oportuit pati*
Christum, & ita intrare in gloriam suam: quanto magis fideles & seruos eius? Non
enim est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominum suum, Et sicut scri-
ptum est. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. & Apostolus
dicit: Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.

Quod & in Sanctis omnibus mirabiliter eluxit: certoque sciant & spe-
 rent sibi à Deo perpetuas coronas propositas esse in calis, si legitime cer-
 rauerint in terris. Quapropter permanentes²⁴ in vocatione sua, mole-
 stias, tribulationes, miseriamque omnes libenter ferant, existimantes crucē
 sibi iugiter ferendam esse cum Christo, quemadmodum & ipse sæpe in
 Euangelio monet, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me di-*
gnus. Et iterum. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem
suam quotidie, & sequatur me. Item. Qui non baiulat crucem suam, & venit post me,
non potest meus esse discipulus.

Neque²⁵ ipsis hæc dura graua aut impossibilia videantur, cum diuina
 cooperante gratia ea omnia possibilia facilia, & suauia esse experimento
 cognituri sint, iuxta verba Saluatoris: *Tollite iugum meum super vos, & disci-*
te à me quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris:
Iugum

1. Petri 1.
 Luca 24.
 Matth. 10.
 Luca 6.
 Ioan. 13.
 Act. 14.
 2. Tim. 3.
 Iacob. 1.
 24. Basil.
 serm. de
 Baptismo p.
 2. Greg.
 Naz. orat. in
 S. Baptisma.
 Matth. 10.
 Luc. 9.
 Marc. 8.
 Luc. 14.
 25. Conc.
 Trid. in dec.
 Injuste. sess.
 6. cap. 11.
 Matth. 11.

Iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. Et sicut Propheta di-
xit: Gustate & videte quoniam suauis est Dominus: Beatus vir, qui sperat in eo. Ac
Ioannes Apostolus affirmat: Mandata eius graua non sunt. Et sui exemplo
nos docet Paulus dicens: Scio & humiliari, scio & abundare (vbique & in om-
nibus institutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati)
Omnia possum in eo qui me confortat.

Quinimo eis ostendatur hæc ipsa mandata, ac omnia bona opera in Dei
 gratia facta, magnam æternamque repositam habere remunerationem,
 iuxta promissionem Domini: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel so-*
cores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agrum propter nomen meum,
centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et iterum. In patientia vestra
possidebitis animas vestras. Item. Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum
ego, illic minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit honorificabit eum Pater meus.
Et infra: Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Et vt tradit Apostolus. Qui
(scilicet Deus) reddet vnicique secundum opera sua. Quocirca & Domi-
nus in Iudicio dicet his qui à dexteris eius erunt: venite benedicti Patris
mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim
& dedistis mihi manducare; sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis
me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

Psal. 33.
 1 Ioan. 5.
 Philip. 4.
 Matth. 19.
 in fin.
 Luc. 21.
 Ioan. 12.
 Ioan. 13.
 Matth. 2

CAPVT X.

De confessione fidei, de perseuerantia, & dam-
 nis quæ peccatum mortale
 consequuntur.

Cum autem victoria quæ vincit mundum sit fides nostra, hortandi
 sunt inprimis, & confirmandi, vt in fide permaneant, constantes &
 fortes sint, semper parati eam confiteri, & pro eius confessione, & Domi-
 ni gloria occumbere. Nec vero ipsam mortem propter Christum formi-
 dent, aut oppetere timeant; cum ipse dicat: *Nolite timere eos qui occidunt*
corpus; animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum qui potest &
animam & corpus perdere in gehennam. Et paulo post: Omnis qui confitebitur me coram
hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in calis est. Qui autem nega-
uerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in calis est. Et
Paulus Apostolus: In nullo terre amini ab aduersariis, quæ illis est causa perditio
nis, vobis autem salutis, & hoc à Deo: quia vobis donatum est pro Christo, non solum
vt in eum credatis, sed vt etiam pro illò patiamini, idem certamen habentes, quale &
vidistis in me, & nunc audistis de me.

1. Ioan. 4.
 Act. 14.
 Matth. 10.

Sed & monendi sunt, vt in virtutibus, pietate, & bonis operibus Dei auxilio confisi, ²⁶ qui operatur in eis, & velle, & perficere, pro bona voluntate perseverare studeant, vt æternam salutem consequantur, Domino iterum atque iterum contestante: *Qui perseverauerit vsque in finem hic saluus erit.* Vt autem perseverantia donum huiusmodi obtineant, Deum humiliter deprecantur, vt speciale eis ²⁷ auxilium ad illud consequendum impartiri dignetur, pro quo & ad Beatam Virginem Dei Genitricem Mariam, & ad alios Sanctos cum Christo regnantes deuotè confugiant, vt id eorum patrocinio & intercessione assequi mereantur. Deus autem omnis gratiæ, vt D. Petrus ait, *qui vocauit nos in æternam suam gloriam, in Christo Iesu, modicum passus ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.*

Caueant autem ne ad corruptos prioris vitæ mores, ac vitia redeant, considerantes illud quod Saluator noster ei quem vocauerat, vt se sequeretur, & petenti vt permitteretur primum ire & sepelire patrem suum, dixit: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade & annuntia Regnum Dei.* Et id quod alteri dicenti: *Sequar te Domine, sed permittite mihi primum renuntiare his que domi sunt;* respondit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Sed quemadmodum Tobias senior docebat filiū suum ab infantia Deum timere, & abstinere ab omni peccato, & inter alia de quibus postmodum eum monebat illud erat: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prættermittas præcepta Domini Dei nostri.* Ita & Sacerdos doceat Neophytos, vt peccata oderint, illis non consentiant, sed diuina iuuante gratia ea omnino fugiant; iuxta illud quod scriptum est: *Quasi à facie colubri fuge peccata,* quod his offendatur Deus, & in eius iram incurratur, sicut scriptura dicit: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Item: *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est penitentibus.* Ac iterum: *Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas eius.* Quodque propter peccatum, gratia in Baptismi lauacro accepta amittatur, & qui mortiferè peccant, ex innocentibus, puris & immaculatis, nocentes & impuri, atque anima peccati reatu maculata, viles & deformes efficiantur, iuxta Prophetam dicentem: *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Et ex filiis Dei inimici eius & filij Diaboli, ex liberis, seruis peccati, imo & ipsius Diaboli fiant, quemadmodum Saluator noster dicit: *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati;* Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. *Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum auerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Contigit enim illis id veri prouerbij: *Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lapsa in volutabra luti.*

Doceat

Doceat item quod per peccatum priuantur æterna felicitate beatæ & immortalis vitæ, visione scilicet Dei, & futura gloria quæ reuelabitur in nobis, ac obligantur æternæ mortis & damnationis pœnis, quoniam, vt ait Apostolus: *Stipendia peccati mors, omniaque bona opera per ipsos antea in gratia facta mortificantur.* Vtenim Dominus dicit apud Ezechielem ²⁸ *Anima que peccauerit ipsa morietur.* Et paulo infra: *Si autem auerit se iustus à iniustitia sua, & fecerit iniquitates secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, in prauaricatione qua prauaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit in ipsis morietur.*

Præterea demonstretur eis, quam grauis, irreparabilis & intoleranda sit non modo pœna sensus, verum & pœna damni, quæ quidem etiam testimonio ²⁹ Sanctorum maior est, quam cruciatus flammarum gehennæ, quodque gloriæ amissio multo maior est, quam gehennæ supplicium. Quibus item, ³⁰ qualibus, & quantis bonis peccatores priuentur, in quæ vero, qualia, & quanta mala, ac supplicia incurrant ante & post mortem, & post ipsorum corporum resurrectionem. Etenim Dominus apud Matthæum laudans Ethnici Centurionis fidem, & Iudæorū damnans incredulitatem, dicit autem vobis, inquit, *quod multi ab oriente & occidente veniēt, & recumbent cum Abraham Isaac, & Iacob in regno calorū. Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Et rursus exponens parabolam zizaniorum dicit: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburantur; sic erit in consummatione sæculi: mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.* Et iterum in expositione parabolæ Sagenæ missæ in mare: *Sic erit in consummatione sæculi. Exhibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium.* Et de seruo qui talentum à Domino sibi creditum absconderat: *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores; illic erit fletus & stridor dentium; prout & de gehenna ignis, alijque huiusmodi æternis supplicijs alibi sæpè.* Sed & apud Ioannem: *Veni, inquit, hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Quod & in symbolo explicat Athanasius. *Ad cuius (scilicet Christi) aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddaturi sunt de factis proprijs rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternam.*

VVVVu 3

Seriò

31. S. Cyril. Hierosol. Cateche. 17. ad sim. & S. Basil ser. 1. de Baptis. p. 2. Cōc. Trid. sess. 6. in De. cret. Iustific. cap. 14. Serio igitur moneantur³¹ Ephes. 4. per peccatū nō cōtristare spiritum sanctum, in quo signati sunt, nec templum Dei, & eiusdem Spiritus Sancti, quod sunt ipsi, eorumque membra, per culpā temere violare; alioquin à Domino se fore disperdendos, & æternæ vitæ fructu priuandos, sicut commonet Apostolus: *Nescitis quia Dei templum estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit disperdet illam Deum. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos.*

1. Co. 3. & 6. 32. Conc. Trid. in de creto Iustific. sess. 6. e. 15. & can. 27. & 28. 1. Corinth. 6. Ephes. 6. Ac doceantur³² acceptam gratiam amitti non modo infidelitate; per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamuis non amittatur fides: & à regno Dei excludi non solum Infideles, verum etiam fideles, qui lethalia peccata committunt, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus à Christi gratia separantur. Quare idem dicebat Apostolus: *Anne scitis quia iniqui regnū Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt. Et hæc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Et alibi: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudō, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hereditatem in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat in anibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios dissidentia: nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, & filij lucis ambulatores. Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Prouerb. 5. Prouerb. 15. Sapient. 1. Sapient. 1. 33. Cyril. Hierosol. Cateche. 14. ad illuminandos. Daniel. 13. Psal. 7. Matth. 5. 2. Paral. 16. Admonendi item sunt Dominum respicere vias hominis & omnes gressus eius considerare; atque oculos Domini in omni loco contemplari bonos, & malos: Deum ubiq; præsentem esse, testem, & iudicem omnium quæ aguntur, omnia implere, omnia prospicere, omnia nosse etiā minutissima quæque & interius³³ scrutari corda & renes hominum, & cogitationes eorum. Ac propterea immundas & malas cogitationes fugandas & expellendas esse, & à peccatis, quæ animo & solâ voluntatis committuntur, sibi abstinendum, dicente Domino in Euangelio: *Audistis quia dictum est antiquis, Non machaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam machatus est eam in corde suo. Sed recto corde & firma fide in Deum se credere, ac piè sanèque viuere debere sciant. Quoniã sicut Scriptura dicit: Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.*

Admq:

Admoneantur præterea non satis esse ab vno, vel altero mortifero peccato abstinere, nisi ab vniuersis abstineant; neque hæc vel illa madata non transgredi, nisi & omnia pariter seruent. Quicumque enim, vt inquit Beatus Iacobus, *totam legem serauerit, offendet autem in vno; factus est omnium reus.*

Si qui tamen humana fragilitate (quod absit) post³⁴ Baptismum aliquo crimine se contaminauerint, & ab³⁵ accepta gratia per mortale peccatum exciderint, ac Penitentia Sacramentum³⁶ quod pro fidelibus³⁷ quoties post Baptismum in peccata labuntur, Deo reconciliandis ad peccatorum remissionem à Christo Domino nostro institutum est, tanquam ad³⁸ secundam post naufragium tabulam, statim & confidenter confugiant, vt per illud³⁹ excitante Deo & eiusdem Christi merito amissam gratiam recuperare procurent, atque ad Confessarium Sacerdotem, cui peccata remittendi, & retinendi auctoritas mandata est, iuxta verbū Domini: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, reserua sunt*, accedant; ipsique sincere & fideliter sua peccata confiteantur, & eorum obtineat absolutionem, ac iniunctas satisfactiones & penitentias humiliter impleat. Dei auxilio cauentes ne iterum in ea labantur, sicut scriptura dicit. *Fili peccasti, non auerias iterum. Sed & de pristinis deprecare vt remittantur tibi.* Et alibi: *Ne dixeris peccanti; & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.*

C A P V T X I.

De superbia præcipue vitanda, & de veteri homine exuendo, & renouatione nouæ vitæ.

Porro inter alia peccata superbiam in primis vitare debent; quod, vt Sapiens dicit: *Ostibilis coram Deo sit & hominibus superbia.* Et infra: *Initium superbiae hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius. quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis & subuertet eum in finem.* Et paulo post. *Sedes Ducum superbiorum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium barbararum arefecit Deus & plantauit humiles ex ipsis gentibus.*

Contra vero inter cæteras virtutes⁴⁰ humilitatem quæ earum mater & fundamentū est, eos maxime complecti & obseruare oportet; imitantes Dominū & Deum Saluatorem nostrū, qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se aequalē Deo; sed semetipsum exinanituit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu iuuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: quique discipulos

34. Conc. Trid. sess. 14. de Sacram. penitentia. c. 2. & Greg. hom. 29. Ascen. Dom. 35. Conc. Trid. sess. 6. in Decr. Iustific. ca. 14. 36. Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. 37. Conc. Trid. sess. 6. cap. 1. 38. Conc. Trid. ibid. 39. ibid. Ioan. 10. Eccli. 21. & 5.

Eccles. 10. 40. August. de verb. Domini ser. 10. super verbis Mat. thes. 11. quoniam mitis sum, &c. tom. 10. philip. 2.

Matth. 5.
41 S. Bas.
serm. 1. de
Bapt. par. 2.
Matth. 18.
Luc. 18.
5. Reg. 8.
2. Par. 6.
Eccl. 1.
Iacob. 3.
1. Ioan. 1.
Ibidem.

pulos suos humilitatem sequi & superbiam vitare docuit, aliquando dices: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum calorum. Aliquando 41. Amen dico vobis; nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum calorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno calorum.

-42. Concil.
Trid. sess. 6.
in decret.
Iustific. c. 11
& Cōs. Mil.
lenit. c. 6. 7.
& 8. que
transcribun
tur in Conc.
Afric. c. 81.
82. & 83.
totius mundi.

Quia vero non est homo qui non peccet, & in multis offendimus omnes, & vt Beatus Ioannes ait: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Et iterum: Si dixerimus, quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. Neophyti maxime ad mouēdi sunt, vt de accepta gratia se nō extollētes, magna cordis humilitate se peccatores agnoscat & cōfiteantur, cum hanc 42 vitam sine venialibus saltem peccatis transire non possint, ac vt quoties cadunt, toties diuina gratia resurgere studeant: Prouerb. 24. Septies enim in die cadet iustus & resurgit. Ac vt idem Ioannes dicit 1. cap. 1. Si consteamur peccata nostra, fidelis est & iustus Deus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et subdit in cap. 2. Filii mei hac scribo vobis vt non peccetis; sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro

to. 1. Concil.
& S. Aug.
epist. ad Ca
leucianum
de Bapt. &
penit. Petri
contra No
uas. 108. 70.
2 & habe
tur de penit.
dist. 1. c. Tres
sunt actiones
paragr. Est
etiam penit.
entia.

82. & 83. totius mundi. Frequenter autem Catechista eos doceat, vt in percepta gratia perseverantes, depositis vitæ erroribus. cæterisque vitiis, bonis operibus vacare, pietatem sectare, virtutes æmulari, ac omne genus peccatorum vitare studeant, iuxta id quod Apostolus ad Romanos scribit: Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloria filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

Rom. 6
43. S. Bas.
ser. 1. par. 2.

Ac 43 quemadmodum Christus Dominus noster resurgens ex mortuis iam nō moritur, viuit autem Deo in æternum: ita & ipsi in Baptismo, qui crucis, mortis, sepultura & resurrectionis Christi similitudinem habet, peccato semel mortui, & consepulti cum Christo, atque cum eo à mortuis excitati, licet in carne vivant, custodiant se ipsos ne denuo ad peccatum redeant, sed ambulent in nouitate vitæ, ac perseuerent viuētes Deo in Christo Iesu dicente: Qui mihi ministrat me sequatur, vt idem docet Apostolus: An ignorat: fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismū in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

Ioan. 12.
Rom. 6.

Idem.

1. Pet. 2.

Idemque eos doceat, quæ ad Neophytos maximè pertinent, & ad illos proprie dicta sunt ex verbis Beati Petri Apostoli dicentis: Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationale sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus: vos autem genus electum, regale sacerdotiū, gens Sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam; nunc autem misericordiam consecuti. Charissimi obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem vestram inter gētes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.

Coloff. 3.

Quare & adhortetur eos vt exuti veterem hominem, omnibus membris purificentur, omnes sensus purgent; hoc est omnia membra, ac singulos corporis sensus, cunctasque passiones mortificent, ac induentes nouū hominem renouentur spiritu mentis suæ, quemadmodum etiam docet Apostolus 44 Igitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, vbi Christus est in dextra Dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. 45 Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis; in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationē, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro, nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius, qui creauit illum, vbi non est masculus & femina, gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber, sed omnia in omnibus Christus. Induite vos ergo sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos Super omnia autem hac charitatē habete, quod est vinculum perfectionis. Er pax Christi exulet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote.

44. Breuiar.
Rom. legitur
in 1. noctur.
Dom. in Albis
Basil ser. 1.
de Bapt. p. 2.
& serm. 2. de
Bapt. cap. 1.
45. Idem
ibidem supr.

46. Beda in
hom. de circ.
tom. 7. inser
Hæreticos de
SS. & in
hom. in 8.
Epiph. Dom.
eod tom. 7.
2. Cor. 7.
47. Basil.
serm. 1. de
Bapt. part. 2.

Ostendatque eis Catechista, vt huiusmodi mentis renouationem oratione, ac quotidiana virtutum 46 exercitatione faciant. Et sicut alibi idem 47 monet Apostolus Mundent se ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficiē.

XXXXX

165

1. Cor. 15.
48. Pacian
in serm. de
Bapt. circa
fin.

tes sanctificationem in timore. Ac demum ⁴⁸ sicut portauerunt imaginem terreni hominis, portent & imaginem celestis: nam primus homo de terra terrenus, secundus homo de calo & celestis: qualis terrenus, tales & terreni; & qualis celestis, tales & caelestes.

C A P V T X I I .

De his quæ vitanda sunt à Neophytis, & de medijs vt in proposito persequerent.

49. S. Basil.
serm. 1. de
Bapt. par. 2.
Matt. 24.
Marc. 13
Lucæ 21.
Galat. 1.
2. Theff. 3.
2. Ioan.

Cum Dominus præcipiat vt à Pseudoprophetis caueamus, & Apostolus admoneat, dicens ⁴⁹ Licet nos, aut Angelus de calo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Et in alio loco: Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & nõ secundum traditionem quam acceperunt à nobis: Et Beatus Ioannes dicit: si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. Ideo Catechista specialiter moneat Neophytos, tam qui ex Iudæis, quam qui ex alijs infidelibus ad Christianam fidem venerunt, vt quorumuis ⁵⁰ hæreticorum, schismaticorum, & à fide Apostatarum societatem, conuersionem, & familiaritatem omnino vitent & fugiant.

50. Pacian.
in serm. de
Baptif. prope
fin. item de
huiusmodi
peccatis à
Christiano
vitandis.
Epiph. l. 3.
contra hæres.
tom. 2. ad fin.
Item Aug.
serm. 163 de
tempore à alias
septima
Dom. in octa
uis Pasche
superius cit.
to. 10. c. 10.
ante omnia
de con. de 4.

Et ne cum Galatis redargui mereantur ab Apostolo dicente in 4. cap. Nunc autem cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis? Dies obseruatis & mensis & tempora & annos. Timeo vos ne forte sine causa laborauerim in vobis. Superstitiones & cæremonias omnes Iudaicas, Mahometicas & Ethnificas, nefarias suffumigationes, thurificationes & obsequia quæ demonibus exhibentur, ac omnem magiam, fortilegia, veneficia, & incantationes horreant. Astrologiam iudiciariam, vanas dierum, syderum & similium obseruationes, ligaturas, amuleta, chartulas quas breuia vocat, incognitos characteres & signa continentes, numismata magica, phylacteria & alia superstitiosa, quæ aut collo appenda, ac quouis modo alligata deferuntur, pariter vitent & reiciant. nec non blasphemias, periuria, falsa testimonia, crudelitatem, rixas, pugnas, cædes, ac omnem iniquitatem, adulteria, fornicationes, & perulantiam, cæteraque vitia carnis & sanguinis.

Abstineant

Abstineant ⁵¹ à theatris, spectaculis, publicis ludis, torneamentis, tauricidijs & venationibus periculosis, à gesticulationibus & actibus mimorum & meretricularum, ab obscenis cantibus & comædijs ac representationibus, & saltationibus inhonestis & impudicis, atque virorum effeminatorum choreis, quæ sunt diaboli ⁵² pompæ quibus iam abrenuntiarunt.

Vitent item omnem maledicentiam, detractionem, pugnas & contentiones verborum, iniustitiam, auaritiam, yfuras, & omne genus fraudis, & illicitæ negotiationis, omnia denique crimina & peccata tam in se quam in alijs ⁵³ execrentur & caueant, omni quæ studio & conatu curent se custodire immaculatos ab hoc seculo.

Monendi item sunt, vt de rebus turpibus, obscenisve sermones non misceant, mala & suspecta colloquia fugiant, cum, vt inquit ille, *Corruptunt bonos mores, colloquia mala.* Sed nec fabulosa, inutilia, vana, aut otiosa loquantur verba: nam & de his ratio reddenda est: Vt enim saluator noster ait, *Ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij.

Sed ⁵⁴ & malorum Christianorum familiaritatem vitare eos oportet. Admoneanturque non quicquid à malis Christianis fieri viderint, id licite & impune fieri posse, seque bonos non malos imitari debere existiment, quin potius, Religiosorum & piorum hominum exempla sectentur, eorumque consuetudine frequenter vtantur.

Ac vt diuino auxilio à mundi illecebris & vitijs se contineant, atque in bonis operibus & gratia Dei, & in vita spiritali indies proficiant; præmoneat eos, quomodo diuina ope bene viuere, in gratia se conseruare & vitare peccata possint, & debeant, nimirum mortificatione membrorum, vitæ abstinentia, studio orationis, & bonorum operum, Sacramentalis confessionis, peccatorum, & sumptionis sacræ Eucharistiæ frequentatione, ac demum assidua memoria mortis, & nouissimorum, iuxta illud sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* In primis vero vt peccatorum causas & occasiones fugiant: tum Confessarij sibi deligant probatum, virum spiritualem, & pium, cui omnia peccata & culpas suas sincere confiteantur, ac omnes cordis sui concupiscentias, animi passiones, tentationesque libere aperiant, cuius consilio in via Domini dirigantur. Quamobrem de modo confitendi, & se in hoc sacramento exercendi post Baptismum instruendi sunt.

Sanctissimum vero Eucharistiæ sacramentum frequenter, aut saltem semel in mense, de eiusdem Confessarij consilio, sumant.

51. Epiph.
ubi supra, &
Cyril. hieros.
Catech. my-
siagog. 1.
52. idem
Cyril. ibid.

53. S. Basil.
serm. 1. de
Bapt. par. 2.

1. Cor. 13.

Matt. 12.

54. S. Aug.
supra cit.
ser. 164. de
tempore seu
octaua Dom.
in octauis
Pasche: ad
baptizatos,
vt bonos, non
malos, in Ec-
clesia imitetur
tom. 10.

Ecclesi. 7.
in fin.

CAPVT XIII.

De consilijs alijs circa Neophytorum institutionem, præcipue de eleemosyna.

Moneantur vt de tam singulari magnoque beneficio per Baptismum accepto ingrati non sint, sed Deo gratias perpetuo agant, quod ab errore⁵⁵ & vanitate ad agnitionem veritatis, è tenebris in lucem, ab impietate ad pietatem, ab iniustitia ad iustitiam, à seruitute peccati in gratiã Dei, à diaboli tyrannide in libertatem filiorum, & à morte perpetua in vitam æternam eos eruere & reuocare, atque è filijs irę filios adoptionis efficere dignatus sit. Ac sæpe recolant & expendant id quod scribit sanctus Ioannes Apostolus: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Cum autem ipsi Dei beneficio, & sancti Spiritus afflatu, Christi que fidelium opera fidei veritatem agnouerint, eandem in proximis suos, & suæ nationis homines vicem rependant, ac orantes pro illis nullam prætermittant occasionem, qua illos in Domino lucrari possint; *Tam quia vniciuique mandauit Deus de proximo suo;* tum quia ex eorum cõuersione quam procurant, & ipsi æternam salutem & gloriam eo maiore, & cumulationem consequantur, monente Paulo: *Attende tibi, & doctrinam inste in illis, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et Iacobo: *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet quoniam qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Inculcetur eis, vt semper benedicant Dominũ, sicut Tobias docebat filiũ, dicens: *Omni tempore benedic Dominũ Deũ, & pete ab eo vt vias tuas dirigat; & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Et sicut Dauid: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & alibi sæpe: atque omnia in nomine Domini faciant, iuxta ea quæ monet Apostolus Coloss. 3. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Et iterum I. Cor. 10. ⁵⁶ *Sine ergo manducatis siue bibitis vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Ac vt de temporalibus bonis & seculi huius commodis atque diuitijs anxij non sint, neque nimis solliciti, dicente Propheta: *Acta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Et rursus: *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Hinc & Dominus in Euangelio suos discipulos instituens dicit: *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nõne animæ*

55. S. Clem. Rom. l. 7. conß Apost. c. 39. quomodo oporteat Catechum. instrui. Ephes. 2. 2. Ioan. 3.

Ecclesi. 17.

1. Tim. 4.

Iacob. 5.

Tobia 4. Psal. 33.

56 S. Basil. in sepe citato serm. par. 2.

plus est quam esca, & corpus plusquam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam cubitum vnum. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si enim fenum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modica fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: Scit enim Pater vester quia omnibus his indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcentur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. Et infra post aliqua: Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quanto magis Pater vester qui in cælis est dabit bona petentibus se? Et Apostolus Paulus monet: Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione cū gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

Ideoque admoneantur ne quæstibus aut turpibus lucris inhiant, neque nimio diuitiarum desiderio, sed sua tenuitate, seu ijs bonis quæ Dei benigntate obtinent, contenti sint, ne in laqueos Diaboli incidant. Vt enim ait Apostolus. *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia auferre nec quid possumus. Habentes autem alimentum, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in temptationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quæ quidam appetentes errauerunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis.*

Qui vero diuites sunt aut facultatibus præstant, moneantur, vt iuxta psalmographũ, nolint sperare in iniquitate, neque rapinas concupiscere, & diuitia si affluant, nolint cor apponere: sed indigentibus, viduis, pupillis, orphanis, & alijs pauperibus subueniant, benefaciãt, & eleemosynas erogent hospitalibus, Xenodochijs, Noscomijs & alijs pijs locis opem ferant, & pecunias suppeditent, ac alijs misericordiæ operibus indefinenter insistant: quoniam sicut Beatus Iacobus ait: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Et sicut scriptum est in lege: *Non deerunt pauperes in terra habitationis tue. Idcirco ego præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi qui tecum versatur in terra.* Et Dominus noster in Euangelio confirmat: *Semper enim pauperes habebitis vobiscum, & cum volueritis potestis illis benefacere.*

Et alibi: *Omni petenti te tribue. Et rursus: Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Item date, & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam, & coarctatam & supereffluentẽ dabunt in sinum vestrum. Item: Beatius est magis dare quam accipere.*

Math. 6. Luc. 12.

Math. 7. Luc. 11. Philip. 4.

57. S. Cyril. Hierosol. in Procatech. 1. Tim. 6.

58. Aug. vel alio authore de fide ad Petr. c. 3. to. 3. ibi. cap. 3. nam & illi qui bene viuunt, &c.

Iac. 1. Dent. 15. Luca 6. Ibidem: Ibidem: Ibidem: Abor. 20.

Eccli. 4.

accipere Et Eccle. dicit: Filij eleemosynā pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne trāferas a paupere. Animā esuriētē ne despexeris, & nō exasperes pauperem in inopia sua, & quæ sequuntur. Et iterum: Exorare & facere eleemosynam ne despicias.

Eccli. 7.

Eleemosynā autem non ex inani gloria, nec ad captandā populārē aurā sed recta animi intentione, ad Dei gloriā & proximi subleuationē faciāt: quomodo Dominus in Euangelio docet. Cum facis eleemosynā, noli tuba canere ante te, sicut hypocrita faciūt in Synagogis, & in vicis, vt honorificētur ab hominibus: Amē dico vobis, receperūt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, ne sciat sinistra tua quid faciat dextra tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

Matth. 6.

59. Lucas de Pennan

Rub C de via lid mendicā.

l. 2. & ex eo Guil. de ko-

nil in compē-

dio descript.

Inst. atque Inius. l. 2.

e. 12. Tradūit eleemosynam

dicam bona conferre qua explicant.

Matth. 5. Feb. 4.

Feb. 12.

Eccli. 29.

Ibid.

Hebr. 13.

1. Cor. 13.

Ac doceantur⁵⁹ quantæ virtutis quantiq; pretij & meriti ipsa eleemosyna sit: inprimis vero quod iratū propter peccata Deū placatū reddat, & peccatorū pretiū & cōpensatio fiat, iuxta consiliū Danielis cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperū. Et Dominus dicit: Beati misericordes quoniā ipsi misericordiā consequentur: quin & peccata ipsa extinguat, & abluat. Eccli. 3. Nam ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna reficit peccatis, & Deus prospexor est eius qui reddit gratiam. Meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamētum, Et Dominus Luc. II. Quod superest, inquit, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Sed & Deum misericordē & benignum retinet eleemosyna, ac ab omni peccato, & æterna morte liberat, iuxta Tobij, dicentē: Ex substantia tua fac eleemosynā, & noli auertere faciē tuā ab illo paupere, ita enim fiet, vt nec a te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors, si multū tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiā exiguū libenter impartiri stude. Præmium enim bonorum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniā eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & nō patietur animā ire in tenebras. Fiducia magna erit corā Deo eleemosyna omnibus facientibus eā. Et ipsum Tobiam alloquens Archangelus Raphael confirmat: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere, quoniā eleemosyna a morte liberat, & ipsa est qua purgat peccata, & facit inuenire misericordiā & vitā æternā: Et Sapiens dicit: Conclude eleemosynā in sinu pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri, quasi sacculus cū ipso, & gratiā hominis quasi pupillā cōseruabit: & postea resurget, & retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum. Super scutū potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.

Sed & eleemosynis velut sacrificio quodam Deū ipsum promeremur, iuxta Apostolum dicentem: Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.

Et id quidē, si ab alijs qui sunt in statu gratiæ, vel in charitate fiāt: alioquin, vt dicit idē Apostolus: Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & si tradidero corpus meū ita vt ardeā, charitatē autem nō habuero, nihil mihi prodest,

prodest, scilicet ad æternā vitam promerendā, quamuis & ad se disponendū ad gratiam, & ad alia multa valde utilis sit; Angelo testante dū dicit, Corne- li exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.

CAPVT XIII.

De abstinentia à cibus prohibitis.

Monendi itē vt Christianā modestiā tenentes⁶⁰ amictu simplici, nō superfluis vestibus, admollitiē & vanitatē, sed modestis ad corporis necessitatem vtantur; memores eorū quæ scriptura Eccli. 11. dicit: In vestitu ne glorieris vquam, nec in die honoris tui extollaris.

Quia vero Iudej, & Mahometani à quibusdā cibus velut immundis abstinent vel eos etiā abominantur, vt carnes fuillas, & similes, vel quæ eorū more nō fuerint præparatæ: ideo qui ex eis venerint Neophyti, edocēdi sunt, omnes cibos omniaq; esculenta mūda esse & bona, & nihil eorū à fidelibus reiiciendū. Cūta Gen. I. enim quæ Deus fecit, sunt valde bona ipseq; Gen. 9. post diluuium omnia quæ mouentur & viuunt quasi olera virentia tradidit hominibus in cibū, & cibos, dicit Apostolus, Deus creauit ad percipiendū cū gratiā actione fidelibus & ijs qui cognouerūt veritatē. Quia omnis creatura bona est, & nihil reiiciendū: quod cōgratiarū actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et alibi: Omnia munda mundis, coinquinatis autē & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.

Verū Christi fideles ad carnis macerationē & sensuū mortificationem ab aliquibus cibus, vt carnibus, ouis, caseo, lacte & similibus quādoq; abstinere, vt Quadragesimæ, quatuor tēporū, vigiliarū, aliorumq; ieiuniorū ex præcepto Ecclesiæ, aut alijs diebus ex instituto regulari, aut peculiari voto vel deuotione, vel à carnibus tantū, vel ab ijs omnibus feria quarta, sexta, & Sabbato pro cōluerudine Ecclesiārū, ac nonnullos Dei seruos etiam perpetuo ab eiusmodi escis & vino ex voto vel instituto similiter abstinerē tāquā à fortiori cibo & potu pro sola corporis castigatione, nō q; eas dā nēt, aut tāquā immūdas respuat aut abominētur, sed q; præmiū expectēt, vt sensibilia despicientes spiritali deinceps & cælesti mensa fruantur.

Hæreticos autē fuisse & esse, & hos etiā maximē vitādos, qui vel cibibus tanquā vera creatura Dei nō essent, dānant, aut illis tēpore debito vesci prohibēt, vel ijs abstinentiæ & ieiuniorū posthabita disciplina quibus libet diebus sine dilectu & indifferētur vtūtur; immemores eorū quæ dicit Apostolus. Nō est regnū Dei esca & potus, sed iustitia & pax, gaudium in spiritu sancto. Qui enim in hoc seruit Christo & placet Deo, & probatus est hominibus.

Proinde abstinentiam & sobrietatem sectentur, audientes eundem Apostolum qui de se dicit: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar.

60. Cyril. Hieros. in Catech. 5. de 10. dogm. ad illumina. 61. S. Cyril. ubi supra. Catech. 4. August. sine alijs abbor de fide ad Pet. ca. 3. tom 3. & idem ead. lib. cap 42. 1. Tim. 4. Tit. 1. 62. S. August. cit. c. 42. de fide ad Pet. 63. S. Cyril. ubi supra. 64. Dicitur de Eucratidis Taliano, Sauerianis, Manichæis, & similibus. Dicitur de Luteranis & recentioribus hære. 1. Timot. 4. Rom. 14. 66. Beda in præc. hom. in ost. Epi. ph. 1. Cor. 9.

CAPVT XV.

De honore & reuerentia filiorum in parentes,
foeminarum in viros suos, & seruorum
in Dominos.

Qui parentes fideles habent Neophyti, doceantur eos honorare, iuuare & fouere, illisque obsequi, parere & obedire, vt naturali iure tenentur, quod sibi fuerint causa vitæ. Et Dominus præcipit in Decalogo dicens: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et iterum in innouatione legis: Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

Proinde filij caueant, ne violata naturæ & Dei lege, impias manus in Patrem vel matrem iniiciant; nam & in tales sceleratos filios. Deus etiam temporalis mortis supplicium comminatus est: ita enim in Exodo mandauit: Qui percusserit patrem suum aut matrem morte moriatur.

Sed nec maledicta quidem in parentem proferat: nam & eadem diuina lege dicitur. Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. Et rursus in Leuitico. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur: Patri matrique qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Et hoc ipsum Christus Dominus in Euangelio refert.

Contra vero commoneat eorum parentes, vt & ipsi suos filios in disciplina atque in timore Domini educare studeant, illosque benigne ac paterne tractent, non sæuientes in illos, ne nimium timidi aut pusillamines reddantur; neque nimium dure aut aspere agentes cum ipsis, ne ad iracundiã vel indignationem prouocentur, neue sic prouocati in aliquam desperationem inducantur: quemadmodum idem docet Apostolus tum ad Ephesios dicens. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros sed educate illos in disciplina & correptione Domini. Tunc ad Coloss. 3. Patres nolite ad indignationem prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant. Ita Abel, Seth, Isaac, Iacob, Ioseph, Beniamin, filij Iob, Tobias, fratres Machabæi & alij iusti in sancto Dei timore & amore à sanctis Patriarchis & viris pijs suis parentibus educati sunt. Sed etiam docebit quod ijs qui loco parentum sunt honor, obediẽtia, reuerentia debentur, præsertim vero Domini sacerdotibus, Episcopis scilicet & Presbyteris, qui spirituales Patres sunt, nec nõ Clericis & Religiosis viris ac seruis Dei, & de sacerdotibus quidem in Ecclesiastico

67. S. Tho. 2. 2 qu. 122. art. 5. Exod. 20. Deut. 5.

Exod. 21.

Ibidem. Leuit. 20.

Mat. 15.

siastico scriptum. In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica. in omni veritate tua dilige eum qui te fecit: & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua & honorifica Sacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem sicut mandatum est tibi primitiarum & purgationis, &c. Et apud Malachiam: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est: Et in Euangelio Dominus de correptione fraterna loquens dicit: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Et Apostolus: Qui bene præserunt Presbyteri duplici honore digni habeantur maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et iterum: Memento te præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei quorum intuentes exitum conuersationis, imitamiñ fidem. Et infra: Obedite præpositis vestris, & subiaceate eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. De omnibus vero tam sacerdotibus quam alijs Dei ministris & seruis ita idem Dominus dicit: Matt. 10. Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem accipiet, & qui doctus habet gratiam dicitur: Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et iterum: Quicumque susceperit puerum istum in nomine patris mei, me recipit, & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Ac rursus: Qui me audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Itẽ Amen amẽ dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Et Apostolus docet. Reddite ergo omnibus quod debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.

Mulieres admoneat, vt humiles, verecundæ, sobriæ, castæ, & modestæ sint; & iuxta verbum Dei dicentis primæ parenti nostræ: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Viris suis in omnibus subiectæ, in Ecclesijs velato capite orent, & taceant; domi autem discant à viris suis: sicut fucus, pigmenta, capillaturas, cincinnos, & omnem superfluum ornatum vitent, vt se vere pompis diaboli in Baptismo abrenuntiasse ostendant, & mulieres infideles ex earum pia & sancta conuersatione ad Christianam fidem amplectendam prouocentur.

Viros autem doceat, vt vxores suas vt corpora sua diligant, illis adhareant, cum eis cohabitent, & non sint amari ad illas; cum inter legitimos Coniuges fideles matrimonium magnum sit sacramentum in Christo & Ecclesia. ac diuina & naturali lege indiuidua & perpetua vitæ consuetudo atque vinculum indissolubile esse debeat: quemadmodum dixit Adam, cū Euam è sua costâ edificatam & à Domino ad se adductâ agnouit. Hoc nunc es ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago quoniam de viro sumpta est.

68. Plura ad hæc de honorandis Episcopis & sacerdotibus habet Gratianus dist. 96. c. Quis dubitet in c. c. Qui seq. in fin. c. Si autem, cum tribus c. seq. & in Decr. de maiorit. & obed. fere per totum. Luca 9. Ioan. 13. Rom. 13. 69. Beda in hom. de Circ. Dom. tom. 7. inter hyemales de SS.

Genes. 2. ad finem.

ta est Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una. Et Dominus noster in Euangelio confirmavit, Non legistis, inquit, quia qui fecit hominem ab initio masculinum & feminam fecit eos. Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhaerebit uxori suae. Et erunt duo in carne una. Ita que iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Sed & Apostolus fufius eadem docens ait: Viri diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.

Ac subinde ipsi viri sciant cum legitimis vxoribus suis se perpetuo permanere debere, nec eas dimittere aut deferere eas sibi fas esse: neque etiam apud Christianos repudium aut diuortium locum habere, nisi ex causa fornicationis siue adulterij quo ad tori separationem, vt Dominus & Saluator in monte docuit: *Dicitum est autem quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari: & qui dimissum duxerit, adulterat.*

Quamobrem admonendi sunt, vt vxoribus debitum reddant, nec inuicem se fraudent, nisi de consensu ad tempus, vt orationi seu sacrorum mysteriorum susceptioni vacent; prout idem Apostolus Corinthijs respondens docet: *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam uxorem habeat, & vnaqueque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in id ipsum; ne tenet vos Satanas propter incontinentiam vestram.*

Quocirca exhortandi sunt viri ad seruandam perpetuoque retinendam pacem & concordiam cum vxoribus suis, nec tamen indulgeant earum vanis desiderijs & voluptatibus, sed satagant vt sint pia & modesta in omnibus; vt quietam & tranquillam vitam in mutua charitate ducant, ac praecipue Domino placere possint, iuxta sapientem cum dicit, *In tribus placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. Et rursus, Amicus & sodalis in tempore conuenientes, & super virosque mulier cum viro.*

Seruos doceat in sua vocatione propter Dominum permanere debere dicente Apostolo. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: Seruus vocatus es: non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. pretio empti estis: nolite fieri serui hominum. Vnusquisque ergo in quo vocatus est frater, in hoc permaneat apud Deum; idcirco vt inquam seruitutis libenter ferant, Dominis carnalibus non ad oculos seruientes, quasi hominibus sed sicut Domino, & ob eius amorem qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanauit, formam serui accipiens,*

in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: illis in simplicitate cordis obediant, ac subditi sint, & ex animo eorum iusta faciant, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes.

Dominos vero cum serui post Baptismum eis redduntur, aut cum oportum fuerit moneat, vt seruos iam fideles non aegre, sed hilariter ac non vt seruos, sed pro seruis charissimos⁷⁰ in Christo fratres suscipiant & benigne pertractent, ac eis quod benignum, iustum, & aequum est, praestent; curentque vt Christiane viuant, & eos qui dyscoli fuerint, vt filios corrigant, & Christianam charitatem in omnibus erga eos exerceant. Etenim vt dicit Apostolus 1. Cor. 12. *In vno spiritu omnes nos in vnum baptizati sumus, siue Iudaei, siue Gentiles, siue serui siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Et alibi: Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu. Galat. 3. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christi induistis. Non est Iudaeus, neque Graecus, non seruus, neque liber, non est masculus neque femina.*

Dominicis & festis diebus non permittant illos seruilibus & mechanicis operibus vacare, sed potius iuxta diuinam legem & Ecclesiae praecipra eos faciat ab ijs quiescere & abstinere, ad Ecclesias accedere, sacris Missarum mysterijs interesse, verbu Dei audire, frequenter sua peccata sacerdoti Confessario probato confiteri: & de eius consilio sanctissimae Eucharistiae Sacramentu suscipere, atque alijs pietatis actibus opera dare. Specialiter tandem dominos doceat, quae & dominis madat idem Apostolus postquam comouit seruos. *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia illorum & vester Dominus est in caelis; & personarum exceptio non est apud Deum. Et iterum: Domini quod iustum est & aequum seruis praestare, scientes quod & vos Dominum habetis in caelo. Et quae sapiens monet: Non ladas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: Non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum. Et iterum. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta; quoniam in sanguine anima comparasti illum. Tum etiam ad Timotheum. Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur; ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnunt, quia fratres sunt sed magis seruiant quia fideles sunt & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hac doce & exhortare. Tum denique ad Titum. Seruos (scilicet) hortare Dominis suis Ita. 2. subditos esse in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes sed in omnibus fidem bonam ostendentes, vt doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. Et B. Petrus: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis sed etiam dyscolis. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.*

70. Apostol. ad Philemonem (ubi de Onesimo dicit) vt aeternum illum reciperes, iam non vt seruuum, sed pro seruo charissimum fratrem maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Domino. Exod. 20. Lemit. 19. & Deut. 5.

1. Tim. 6.

Ita. 2.

2. Pet. 24

CAPVT XVI.

De alijs seruandis circa Neophytos.

IN archiuo domus Catechumenorum & Neophytorum habeatur ⁶⁵ & afferuetur specialis liber, in quo describantur singulorum qui in ea recepti vel catechizati & instructi, siue maiores siue minores nati fuerint, baptizati sunt, nomina, cognomina, patria, & Baptismi & Confirmationis dies, quae eorum in Catechismo, Baptismo, & Confirmatione fuere susceptores.

Sed & ipsorum omnium numerus seu catalogus in eodem libro vel in alio retineatur.

Vbi vero domus Catechumenorum non extat, Parochus id faciet in communi libro baptizatorum, & confirmatorum, ac loci Ordinarius ad futuram Dei memoriam, in actis suae Curiae hęc ipsa adnotari mandet.

Et quoniam per gratiam Baptismi ciues sanctorum & domestici Dei efficiuntur, longeque dignius existit regenerari spiritu, quam carne nasci; ideo ⁶⁷ Apostolica autoritate statutum est, vt Neophyti ciuitatum & locorum, in quibus sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur, vere ciues sint, & priuilegiis, & libertatibus & immunitatibus, quae alij ratione natiuitatis, & originis dumtaxat consequuntur, gaudeant. Proinde ea de re Neophyti ipsi post aliquot Baptismi dies, certiores fiant, & eorum Praefecti seu Parochi, aut alij qui ipsis praesunt, curent, vt apud populi eius loci magistratus inter ciues, siue eorum catalogo describantur.

Catechista, aut alius Praefectus Neophytis sapius ad memoriam reducat; praesertim vero cum eos de domo Catechumenorum dimittit, ⁶⁸ spem solutionem illam, quam ante Baptismum fecerunt de abrenuntiando Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius.

Praescriptis porro diebus elapsis, adulti siue maiores Neophyti, qui proprias domos habent, quibusue ad vitam sustentationem suppetunt facultates, ad eas liberè redire permittantur, dum tamè cum Infidelibus non cohabitent, sed potius quoad fieri poterit, procul ab eis domos habeant.

Qui vero domibus & facultatibus carèt, donec artificio, vel alicui operi se addixerint, aut artem aliquam professi fuerint, aut certum vitam genus elegerint, aut se aliter sustentare valeant, in eadem Catechumenorum domo, vel apud supradictas personas retineantur. Minores ⁶⁹ autem apud viros vel mulieres boni nominis, & timètes Deum vel in aliquo Religio-

so loco, Collegio Monasteriue virorum, si mares; Virgines, Sactimonia-
lium aut puellarum; si faminæ fuerint, collocentur, vt sub eorum, vel earum
conuersatione, & disciplina, Christianæ Religionis cultum addiscant; &
tam in fide, quam in moribus instituti in melius proficere possint. Deligantur
praeterea aliqui viri probi & pij, qui ipsis interim Neophytis indigen-
tibus habitationes, artificia, supellectilem, ceteraque alimenta, ac ad vitam
necessaria iuxta eorum statum & conditionem, vel de rebus, praedictis
domus, vel de Christi fidelium oblationibus, siue eleemosynis studeant
procurare.

Verum si neque reditus neque oblationes aut eleemosyma satis sint, locorum
Ordinarij tam de fructibus & prouentibus Ecclesiarum suarum, quam aliunde
eisdem Neophytis ne victus inopiam patiantur, donec per se ipsos sustentari
valeant, prouidebunt, prout ⁷⁰ Innocentius I I h. alijque Patres & summi Romani Pontifices
suis literis mandauerunt,

Quod quidem Sanctus Gregorius ⁷¹ Magnus rei Ecclesiasticae largissimus
dispensator pro praclarissima sua charitate egregie praestitit, vt apparet
ex eius litteris scriptis ad Anthemium subdiaconum, Cyprianum diaconum
Rectorem patrimonij Siciliae, & ad Fantinum defenforem Siciliae, vbi &
⁷² auream illam sententiam pronunciauit, quod non esset grauius ferenda
diminutio reditus Ecclesiastici, propter conuersionem Iudaeorum ad fidem:
Nec hoc, inquiens, inutiliter facimus, si pro seruandis pensionum oneribus
eos ad Christi gratiam perducamus; quia etsi ipsi minus fideliter veniunt;
hi tamen qui de eis nati fuerint, iam fideliter baptizantur. Aut ipsos ergo
aut eorum filios lucratur, & ideo non est graue, quicquid pro Christo
dimittimus.

Sed & alij Romani ⁷³ Pontifices se praclarum bonorum operum exemplar
praebentes erga pauperes & alios Neophytos, liberaliter & misericorditer
hactenus effecerunt; atque nostris temporibus, tum ex Camerae Apostolicae
reditibus, locis montium, & pensionibus Ecclesiasticis eorum inopiam
subleuando, tum etiam officijs, militijs, & honoribus illos ornando,
praestare consueuerunt.

Curent etiam iidem viri pij, ne illi otio aut ignauia torpescant, sed alicui
operi vel licitæ arti, siue negotiationi se applicent; dum tamen omnino
inter Iudaeos aut alios infideles proxenatarum, aut quamlibet artem exercere
non praesumant.

Hos autem vel domus Catechumenorum & Neophytorum Praefectos,
aliosue probatos sacerdotes, & ipsi Neophyti, vt in sui necessitatibus &
casibus consulant, monendi sunt; iuxta id quod scriptum est: *Consilium
semper à sapiente perquirere.*

73. S. Greg. Leo X. Paul. 4. Pins 5. Greg. 13. atque alij vt possent Clemens 8. Tobia 4.

YYYYY 3

Et

74. S. Cyril.
Hieros. in
Catech.
myilag. 5.
1. Theff. 5.

Et demum in fine Catechista benedicat eis, & cum Apostolus dicat: 74
Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, &
corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.

C A P V T X V I I .

De alijs obseruationibus circa Neophytorum profectum.

NEc propterea cum ad propria domicilia dimittuntur saltem per annum, in omnimoda libertate relinquendi sunt: sed vt Christianè viuunt diligens cura habeatur; & ideo à religiosis personis sæpe visitentur, & in fide confirmentur, ac de eorum vita domestici, & vicini eorū percontandi sunt, An ad Ecclesias accedant: An diebus Dominicis & festiuis Missas audiant, & saltem singulis mensibus, si non frequentius; & præcipuis anni festiuitatibus confessionem peccatorum proprio Sacerdoti vel alteri ab Episcopo approbato eis assignato faciant, & sacram Dominicis Corporis communionem percipiant.

Aliquando etiam ad domum Catechumenorum accedant, vt ibi Præfecto domus, aut ipsorum superiori se præsentent, vt vel actionum suarū rationem reddant, vel ab eo documenta salutis accipiant.

Puellæ nobiles vt honestè nubant elemosynarum subsidio iuuentur, & quantum fieri potest, non nisi originarijs & antiquis Christianis matrimonio iungantur. Si quæ monasterium ingredi voluerint, aut aliter cælibem vitam ducere, eis non negetur, sed in sancto proposito confirmentur, atque si in ipso perseuerauerint, in aliquo religioso loco, aut monasterio collocentur.

Decet autem vt vbi copia Neophytorum est, Monasterium proprium puellarum Neophytarum, vt in vrbe, erigatur, quarum cura penes moniales originarias & antiquas Christianas sit: & ex ipsis puellis; cum ad aetatem nubilem venerint, quæ cælibes esse noluerint, nubant; aliarum vero ibidem maneat cum alijs puellis separatim viuentibus.

Similiter & ex Neophytis viris, qui voluerit vel ducere vxorem, vel aliquam ingredi Religionem, non desit ei piorum hominum consilium & auxilium, vt quod salutis tum animæ, tum corporis magis conducit, id faciat, & exequi valeat. Et omnino qui præsent carent, vt is, si commode fieri potest, originariam, & antiquam potius Christianam mulierem, quàm Neophytam accipiat in vxorem.

Quod

Quod quidem & in alijs omnibus Neophytis vtriusque sexus generaliter quoad fieri poterit curandum: Nam cum 75 experientia teste comperitum fuerit, mutua Neophytorum inter se conuersationem ipsos in fide Christiana fragiliores reddere, ac salutem eorum plurimum officere, auctoritate Apostolica decretum est, vt locorum ordinarij quantum pro incremento fidei viderint expedire, curent & studeant Neophytos ipsos cum originarijs Christianis matrimonio copulare.

Commendantur præterea Parochis in quorum Parochia degunt, vt eorum curam præcipuam habeant; & ab his postea visitatores Neophytorum ad hoc designati sæpe cognoscant mores eorum, An piè & Christianè viuant; An in Pascha in parochiali Ecclesia sacram Eucharistiam sumpserint; An Missas & diuina officia, ac prædicationes, & lectiones verbi Dei frequentent; & ad doctrinam Christianam audiendam veniant; An vocati ad comitandum Sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistia Sacramentum ad infirmos præsto sint, & ad alia pietatis opera diligentes: Num in domos eorum Iudæi conueniant, aut familiariter commorentur, aut ad eos ventitent: Num inimicitias & dissensiones habeant cum alijs Neophytis aut antiquis Christianis, quas pro sua prudentia componere studeant, aliaque inquirent, & prout opus fuerit provideant. Quod & ipsi Parochi pro officij sui munere faciant, vbi domus vel confraternitas Catechumenorum, & Neophytorum, illiusque Præfectus & visitatores non habentur.

Orationi vacent, Officium Beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, qui Latine legere sciunt, & defunctorum, septem Psalmos penitentiales, Litanias, & alias pias orationes & preces cum eis oportuna fuerit, recitent.

Coronam ac Rosarium eiusdem gloriosæ & Beatæ Mariæ semper Virginis tam hi qui legere sciunt, quam qui nesciunt, discant, & similiter recitent.

Cum cubitum eunt, & cum è lecto surgunt, semper signo crucis se signent, ac Pater noster, Ave Maria, & Credo in Deum saltem dicant. Antequam cibum sumant, mensam benedicant, & sumpto cibo gratias agant.

Cum prodeunt domo, signent se signo crucis, & cum iter aliquod aggrediuntur, eodem signo crucis, & oratione se muniant.

Cum aliquam Ecclesiam præsertim celebriorem prætereunt, intrent in eam, aqua benedicta se aspergant, & sanctissimum Eucharistia Sacramentum, quod in ea asseruatur, reuerenter adorent.

Orantes in Ecclesia Dei vtrumque genu flectant, nec in ea existentes colloquutionibus alijsque negotijs vacent, sed reuerenter & deuote se habeant, & tota cordis humilitate Dominum deprecantur.

Sæpe

75. Paul. 3.
in d. litteris
de Iudæis.
alijs infid. ad
fid. venient.
parag. 67
quonia expon
rientia teste.
Ex PP. Cone.
Basil. ses. 19.
in decret. de
Iudæis.
Neop. parag.
Et quoniam
experientia
teste.

Sepe autem plebem suam Parochus moneat, vt huiusmodi conuersos ad fidem amplectantur, & foueant, bene viuendi eis exemplum præbeant, ab Infidelium, & malorum Christianorum iniurijs, qui illis impie fidem aut pristinam infidelitatem exprobrant, defendant; quinimo eos de fide suscepta semper laudant, & vt Deo gratias semper agant hortentur. Secum eos ducant ad Ecclesias, ad conciones, & ad alia pia loca; Christianos mores, ritus, canonum præcepta, & consuetudines doceant, sanctis monitis, & cõsilio semper adiuuent, in necessitatibus eis subueniãt, egrotos visitent, discordes concilient, amicitiam cum eis colant, aliquos eorum incultos mores ac defectus sustineant, & tandem quemadmodum ceteros Christianos, ita eos, vt fratres habeant dilectos conciuēs, & coheredes Regni cælorum.

CAPVT XVIII.

De fugienda omnino Neophytis communicatione cum Infidelibus.

Cum sæpe ⁷⁶ malorum consortia etiam bonos corrumpant, & multo magis eos qui ad vitia proni sunt, & Christi fidelibus, præsertim vero Neophytis valde ⁷⁷ perniciofa sit infidelium consuetudo, illam ij maxime vitare, ac nullum cum Iudæis aut alijs Infidelibus aut impijs hominibus amicitiam, societatem, aut communionem habere debent: vt à Domino in diuinis scripturis sæpissimè admonemur, dicit enim per Moysen: Num. 16. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum, & per Isaiam 48: Egre dimini de Babylone, fugite à Chaldæis. Et infra c. 52. Recedite, Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Et per Ieremiã c. 51. Fugite de medio Babylonis, & saluet unusquisque animam suam. Et per Apostolum Paulum, 2. Cor. 6. Nolite iugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Beliam? aut quæ pars fidei cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, & quæ sequuntur. Et demum in Apocalypsi cap. 16. Exite de illa (scilicet Babylone) *populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius: & de plagis eius non accipiatis.**

Et hæc quidem de impiorum & infidelium consortio atque consuetudine fugienda non immerito, sed ex necessaria, & manifesta causa periculi seductionis & subuersionis fidei, & participationis malorum & pœnarum tradenda

tradenda sunt. Scriptum est enim: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.

Quare Neophyti cum Iudæis & alijs infidelibus, nec societates, nec negotiationes quantum fieri potest habeant: caueantque iuxta Apostolum, *ne eorum instructiuos operibus tenebrarum unquam communicent, magis autem redarguant, atque se ab illicitis negotiis, & mercaturis tam cum illis, quam cum quibuslibet alijs omnino, ac perpetuo abstineant.*

Catechista, & ⁷⁸ qui ipsorum curam habent & Dioçesani operam dent, ne cum Iudæis seu infidelibus saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoque contingit ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat. Et primo præsertim anno post Baptismum eos non nisi præsertim anno post Confessario Sacerdote, vel alio antiquo & probato Christiano ex rationabili vel necessaria causa & raro, & quam breuissimo sermone alloquantur. Illos tamen odio non habeant, nec, vt bonos se Christianos ostentent, aut aliorum Christianorum beneuolentiam capent, ac sibi concilient, eos maledictis incessant, aut contumelijs vel vlla iniuria afficiant, memores præcepto rum legis naturæ: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Et omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hac est enim lex & Prophetæ, vt ait Dominus. Quinimo sibi persuadeant ea Christianis viris maxime displicere, ac meminerint se quoque in illis tenebris infidelitatis aliquando fuisse; proptereaque eos magna commiseratione dignos putent, & pro eorum, præsertim vero parentum, liberorum, aliorumque consanguineorum, affinum & propinquorum, qui in infidelitate remanserunt conuersione, supplices, assiduas, feruentisque ad Deum preces toto corde effundant; vt & ipsi participes sint beneficij redemptionis humanæ, quam Christus Saluator noster pro sua immensa in nos dilectione operari dignatus est. Sed & erga eos benignitate & Christiana charitate vtentes, beneficiis, cum occasio vel oportunitas dabitur, illos prosequantur.*

Cæterum qui ex Iudæis Christiani facti sunt, cum Iudæis nec verbum quidem Hebraice loquantur, sed cum loquuntur eis, vt dictum est, aliquando erit, loquantur communilingua, vt ab omnibus possint intelligi, nisi sint viridocli, qui de veritate Christianæ fidei tractantes, vel cum Iudæis differentes ex sacris veteris instrumenti scripturis, vel alijs eorum libris, ad eiusdem fidei confirmationem auctoritates & loca hebraice proferant, aut recenseant.

Generaliter autem cauendum est, ne ⁷⁹ Iudæorum aliorumue infidelium filij iam baptizati, ⁸⁰ siue impuberes siue puberes sint, eorum parentibus, si habuerint

Z Z Z Z

tibus, si habuerint

76 Cde. Tol. 4. c. 61. apud Gratian. c. sepe malorum 28. q. 1.

77 Ad idẽ supra de recipien. & instruere Catech. parag. 1 ubi alia atq; hortas citatur, et parag. Quocirca moneat eos: etiam Basil. serm. 1. de Bapt. p. 2. ad fin. ubi loquitur & de Baptizando & de tam regenerato vt mutet locum & vitam pristina consuetudinem, & Chrysof. ad pop. Antioch. hom. 22. coll. 4.

ubi de pristinis vitijs, moribus, & vitia mutandis plenius, &c.

78. PP. Conc. Basil. Iess. 9. in decr. de m. deis parag. Curent iustitiam per ver. Et tam ipsi. Et ex eis Paulus Papa iii. in supradictis literis de Iudæis & alijs venientibus ad fidem similes parag. Curent insuper per ver. Et tam ipsi. Tob. 4. Matth. 7.

79. Com. Tol. 4. cit. c. 50. apud Gratian. 28. q. 1. c. l. u. de eorũ filios.

80. Ad idẽ sup. t. præced. para. Quod

tibus, confanguineis, vel affinis infidelibus post Baptismum villo modo restituantur, ne illorum inuoluantur erroribus, aut consuetudine corrumpantur, aut falsis persuasionibus à Christi fide deficiant, & ad Iudaicam perfidiam, vel pristinam infidelitatem reuertantur. Et si ad eos redierint, omnino ab eorum consortio separentur, & educandi instituentur iuxta sexum tradantur vt supra.

81. *Sup. eo. 2. proximo paragr. Neque filii infantes, & paragr. Lactentiu vero.* Sed & si infantes ⁸¹ fuerint, idem obseruetur: quinimo etsi lactentes sint, quos etiam inuitis parentibus aliquo casu baptizatos esse compertum fuerit, nec etiam lactandi aut ad tempus nutriendi, & educandi matribus seu parentibus restituantur.

82. *Ad ditio decreti sub Sixto V. 83. Calderin, Felin. & quidam alij.* Neque ⁸² quorundam ⁸³ Iuris Canonici interpretum opinio probanda est qui falsis rationibus persuasi infantes siue impuberes filios Iudæorum, vel aliorum infidelium baptizatos, etiam post Baptismum reddendos seu tradendos esse parentibus vel confanguineis vsque ad certam ætatē, pro varia ipsorum opinione censuerunt. Nam & in Sancta Romana & vniuersali inquisitione ⁸⁴ aduersus hæreticam & Apostaticam prauitatem, ad conseruandam fidei puritatem in pueris baptizatis, ac ad illos in ea recte instituendos, bonisque & Christianis moribus imbuendos, & ne in ipsa educatione, infidelium parentum, vel suorum quibuscumque viuerent superstitione vel perfidia corrumpantur, aut eam cum lacte imbibant, illorum opinioniones tanquam falsæ, erroneæ, & periculosa vna cum earum auctoritate declaratum, & decretum est, vt pueri, & infantes Iudæorum, vel aliorum infidelium quauis causa vel occasione baptizati non restituantur Iudæis, vel infidelibus etiam eorum parentibus, vel confanguineis, vel aliis quibuscumque propinquis, quantumuis sanguine, & quouis gradu coniunctissimis, etiam ad tempus, donec, adolecant, aut infantiam transigant, vel etiam donec ab lactentur; non obstantibus prædictis opinionibus quorumuis Glossatorum Canonistarum, aut aliorum Doctorum, cuiusuis sint auctoritatis, aut æstimationis.

85. *Canon. Apost. 69. alias 70. iuxta Theod. Balsamonē, & Conc. 1. ad die cap. 37. iuxta 2. editi.* Ac iuxta Sacros Canones neque à Iudæis ⁸⁵ vel hereticis xenia, munuscula, seu donaria festiua, & quæ olim feriatica vocabantur, neque etiã Iudæorum ⁸⁶ azyma accipiant aut comedant, aut alias communicent impietatibus eorum. Nam & graue peccatum est, & in committentes graues etiã penæ statuta sunt.

87. *Citatis can. Apost. 69. & Loed. conc. ca. 37. & S. Ignat. Epistola ad Rhodios.* Neque ⁸⁷ Pascha aut alios dies festos Iudæorum, qui iam velut vmbrem & figuram transferunt, cum eis agant aut obseruent, neque ad eorum, imo potius Satanæ Synagogas, scenopegia, circuncisiones, aliaue ipsorum solennitates etiam curiositatis studio accedant; neque quicquam cum eis tractent.

Cum

Cum ipsis non ⁸⁸ comedant, neque bibant, ⁸⁹ neque quidquid comedi aut potari potest, à Iudæis accipiant.

Neque ad eorum conuiuia accedant, neque eos ad sua excipiant, aut inuitent. Quod omnibus Christianis sacri ⁹⁰ Canones interdixerunt, quia cum apud Christianos cibus comunibus non vtantur, indignum est atque sacrilegium eorum cibos à Christianis sumi; cum ea quæ Apostolo permittente 1. Tim. 4. nos sumimus, ab illis iudicentur immunda; ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quam Iudæi si nos, quæ ab illis apponuntur vtamur: illi vero à nobis oblata cõtēnāt.

Cum eis non ⁹¹ cohabitent, nec vllam familiaritatem habeant, ad eorum domos vel hospitia non adeant aut diuertant, nec cum eis pernoctent.

Nec vicissim illos sināt familiariter ad se venire, aut suas domos intrare. Neque etiã cum ipsis in ⁹² balneis lauent, ludant, saltent, aut tripudiet.

Sed nec etiã ⁹³ in morbis aut infirmitatibus suis Iudæos medicos accersant, neque ab eis medicinas accipiant.

Quocirca in Vrbe iussu ⁹⁴ pij Papæ V. Iudæis sub pecuniariis & corporalibus, nempe publicæ fustigationis, & carceris penis, etiã iterato inhibitu fuit, ne audeat aut præsumat Neophytos & Catechumenos vtriusque sexus, etiam si pater, mater, frater, aut soror, aut etiã filius, vel cõfanguineus, etiã si infans cuiusuis ætatis, in eorum domibus & habitationibus recipere & acceptare, neque ibidem cum eis comedere, & dormire, aut societate, vel negotium aliquod seu conuersationem cum eis, aut mercaturam aliquam facere, habere aut tenere, neque cum eis ambulare aut laborare. (Quod & deinceps etiam amplius & grauioribus penis mandatum est ⁹⁵.)

Et vice versa etiam iussu Domini Papæ Cardinalis ⁹⁶ Protector & Iudex ordinarius Catechumenorum & Neophytorum publico edicto vetuit, & prohibuit vniuersis Neophytis & Catechumenis vtriusque sexus, ne quisquam eorum cuiuscumque status & conditionis, audeat aut præsumat post illius publicationem sub quouis prætextu, causa, vel colore comedere, bibere aut dormire in domibus vel apothecis Hebræorum aut aliorum Infidelium, vel alio in loco intra eorum septa; vel illa noctu ingredi, aut in eis pernoctare: ab eis munera aut dona cuiuscumque generis, ne cibos quidem vel potum, & præsertim azymos panes, & similia, quæ pro eorum superstitione statis temporibus parari solent, accipere. Neque ad eorum conuiuia &

^{90.} Conc. Agaten. c. 40. tom. 1. Conc. & habetur apud Gratian. 28 q. 1. Omnes deinceps Item Conc. Vener. Aurelian. 3. c. 12. to. 2. Conc. Item cit. Conc. Meten. c. 4. Item Conc. Masson. 1. c. 15. eod. to. 2. Conc. Item Conc. fuisse pro- 13. eod. tom. 2. Conc. ibi: Item, Christiana conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus si forte fuisse pro- bantur, & nulli excommunicationi pro huiusmodi contumacia subiaceant. 91. VI. Synodus Can. 2. apud Gratian. 8. Nullus 28. q. 1. 92. Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 2. cit. c. Nullus. 93. Ibid. can. 11. & apud Grat. 28. q. 1. d. c. Nullus. 94. In præcepto, seu inhibitione vicarij vrbis, postea edito, die 17. Jul. 1592. edito Reuerendissimi Dom. Card. Rusticucci, vicarij vrbis, postea edito die 17. Jul. 1592. 96. Jul. Anton. 7. S.

105. Cit. ca. Contra Christianos. Sed expref. fuis Greg. X. in præc. lit. Turbato cor. de parag. Iudaos autem.

procededū. Et ficut cōtra fautores, receptatores, & defensores hæreticorū; sic contra fautores, receptatores, & defensores eorum fimiliter procedetur. Quodque Iudæi, qui Christianos ad eorū execrabilem ritū seu perfidiam inducere comperti fuerint, iuxta¹⁰⁵ easdem constitutiones sunt pēna debita puniendi.

106. Greg. XI. in similibus litteris, Turbato corde parag. Iudaos autem.

Sed & Neophyti, qui ex Agarena, seu Saracenicā ac Turcica gente, & Mahometana secta venerunt, pariter edocendi sunt, idem statutum¹⁰⁶ esse de ijs qui ad Christianam fidem conuersi, ad pristinam redeunt impietatem, vel de Christianis, qui fidei veritatem abnegantes, se damnabiliter ad Mahometicam sectam transferunt, & contra ipsos tanquam contra hæreticos; & contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum procedatur. Et Saraceni seu infideles prædicti, qui Christianos vtriusque sexus ad huiusmodi eorum perfidiam inducunt, pēna legitima puniantur.

107. Patres Conc. Basili. in præc. lit. decr. parag. Contemptores & parag. De his omnibus & parag. Neophyti vero. Paul. 3. in prædictis litteris similit. parag. Cōtemptores & parag. Et insuper de his omnibus & parag. Neophyti vero.

Porro si Neophyti in prædictis deliquisse, aut se suspectos reddere deprehendantur, ipsis locorum¹⁰⁷ Ordinariis vel inquisitoribus aduersus hæreticam, & apostaticam prauitatem per Ciuitates, Diocēses & Prouincias institutis deserantur, qui pro sua prudentia & pietate rationem habētes, quod recens Christiani effecti, & nouellæ sint plantæ, eos ad rectam fidem, melioremque frugem reuocare studeant, & iuxta excessum factorum & personarum qualitatē, vel in eos procedant, & animaduertant, vel illos leuius, aut acrius, vt res postulat, ipsorumque saluti magis expedire cognouerint, castigent, corripiant, & emendent.

108. Scilicet in litteris Apostol. in forma Breuis facultatū absoluen di huiusmodi Apostatas præsertim in Hisp. Clementis 7. datū die 16. Jun. 1525. Pont. sui An. 2. & aliis eiusdem Clem. 7. datū die 2. dec. 1530. Pont. sui An. 8. & aliis S. Mem. Pauli iiii. datū die 23. Iunii 1556. Pont. sui an. 2. Et aliis Pii iiii. datū die 6. Nouē 1561. Pont. sui an. 2. Et aliis eiusdem Pii iiii. datū 25. Aug. 1565. Pont. sui an. 6. Et aliis B. Mem. Pii V. datū die 6. Sept. 1567. Pont. sui An. 2. Et aliis Greg. XIII. datū die 6. Aug. 1574. Pont. sui an. 3. (Ad huius) & aliis Clementis VII. datū die 31. Martii, 1594. Pontific. sui anno 2.

Atque ea ratione his non modo semel in pristina infidelitatis errores lapsis, sicut & cæteris parcitur, verum etiam sæpius lapsis seu reciduantibus in eosdem, vel alios errores, si tamen verè ipsos pēniteat, & ad veritatis lumen redeuntēs sincerè pēnitentiæ manifesta signa dederint, atque in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ recipi humiliter postulauerint, ex auctoritate & indulgentia Sanctæ Sedis Apostolicæ, ab Episcopis, vel Inquisitoribus pēna relapsis debita clementer remitti, & vel in perpetuam, vel in temporalem custodiam, aut in aliam leuiorem pēnam, vel in pēnitentias salutare factorum & personarum qualitate pensata, mutari consuevit, aut aliàs cautè prouidetur.

Quod maxime obseruandū est in iis qui ingenio rudes, & mente imbecilles sunt, aut ex gētibz natura variis, & incōstantibus progeniti sunt, quales putātur Mauri, Arabes, Indi, atq; alij similes, cū quibus eadē¹⁰⁸ Sa-

ta Sedes super eorum receptione ad pēnitentiam & pēnæ condonatione, sæpe dispensari mandauit.

Et si quando Neophyti ex Iudæis, qui 109 postea blasphemantes in Christum, Iudaicos ritus perpetrare, & abominandas circuncisiones exercere dicuntur, diligenti inquisitione præcedente per Episcopos & inquisitores locorum Ecclesiastica auctoritate correcti ad cultum Christianæ Religionis reuocentur, vt quos propria voluntas non emendat, animaduersio Sacerdotalis coerceat. Et si¹¹⁰ moniti se corrigere neglexerint, & ad vomitum Iudaizantes, rediisse comperiantur, contra¹¹¹ eos tanquam contra hæreticos procedatur, & si in apostasia & perfidia pertinaces fuerint, post¹¹² consuetas monitiones, & inducias, iuxta 113 Canonicas sanctiones sæculari potestati relinquendi erunt debita animaduersione puniendi.

Filiorum tamen¹¹⁴ eorundem Iudæorum baptizatorum, qui in Christū postea præuaricantes qualibet pēna damnati extiterint, si fideles fuerint, ea ratio haberi debet, circa ipsorum habilitatem vel successorem, quam Canonice & Apostolicæ Constitutiones mandant.

CAPVT XX.

Neophyti sicut alij Christiani veteris fidei habeantur, & ne priuentur publicis honoribus & dignitatibus.

Prochi vero illos sæpe visitent, doceant, moneant, arguant, & patrone corripiant: commendent etiam ipsos aliis Christianis, vt benigne, humaniter, & cum omni charitate cum eis agant & versentur, habeantque eos vt fratres in Christo, non autem eurent, vilipendant, aut contemnant, vel ab eis abhorreant, quod ex infidelibus nati sunt, imo maiori amore eos diligant, quod relicta infidelitate Christianam Religionem amplexi sunt: nec¹¹⁵ propter nouam fidei susceptionem inter huiusmodi

Item Petr. Apocrisarius 1. q. 7. & faciunt sepe cit. decretū Patrum Conc. Basili. parag. Neophyti Canonici monitionem ut sit Pauli iij. parag. Neophyti vero ibi post monitionē canonicā. 113. C. Ad abolendam & c. Excom. uisamus. de heret. & c. c. Contra Christianos cum contendantibus. 114. Conc. Tolet. 4. c. 60. Tom. 2. Conc. & apud Gratian. 1. q. 2. c. Iudæi Baptizati. Ac de hæreticorum filiis, cap. Vergentis de heret. c. Quicunque. & filij, & c. statutum 2. eod. tit. l. 6. 115. Ex lit. Apost. sub Bulla Nic. V. approbationis & confirmationis ordinationum & decretorum, Alphonf. Henrici, & Ioannis Cañella & Legionis Regum Anno 1449. Pont. sui anno 3. Incip. Hamani generis inimicus.

109. Coll. Tolet. 4. cap. 58. 10. Conc. apud Grat. de consec. dist. 4. cap. Plerumque qui ex Iudæis & apud Durandum l. 6. racion. diu. offic. c. 83. sub num. 23. 110. Patres Conc. Basili. in præc. lit. decr. de Iudæis par. Neophyti vero, & Paulus iij. in præc. lit. de uentibus ad fidem parag. Neophytus. 111. Præc. citatis cap. contra Christianos de heret. l. 6. & concordant lit. diuersorū Pont. supra memoratis, & dec. Patr. Conc. Basili. & lit. Pauli iij. proxime relatis. 112. Cap. Conuenientibus vers. 113. C. Ad abolendam & c. Excom. uisamus. de heret. & c. c. Contra Christianos cum contendantibus. 114. Conc. Tolet. 4. c. 60. Tom. 2. Conc. & apud Gratian. 1. q. 2. c. Iudæi Baptizati. Ac de hæreticorum filiis, cap. Vergentis de heret. c. Quicunque. & filij, & c. statutum 2. eod. tit. l. 6. 115. Ex lit. Apost. sub Bulla Nic. V. approbationis & confirmationis ordinationum & decretorum, Alphonf. Henrici, & Ioannis Cañella & Legionis Regum Anno 1449. Pont. sui anno 3. Incip. Hamani generis inimicus.

nouiter conuersos ad fidem, & alios Christianos antiquos discrimen faciāt, nec verbo aut facto contumeliis afficiant, nec affici permittant, sed pro viribus contradicant, & pro eis se opponant, ac prohibeant & eos omni charitate prosequantur, & demonstrent sine personarum exceptione omnes Christianos Catholicos vnum esse corpus cum Christo, in quo, sicut dicit Apostolus; neque circumcisio aliquid valet, neque praputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et iterum, Sicut enim corpus vnum est & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Ac rursus: Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

Cum autem Christus se ijs communicauerit, & nos ipsis nostra communicare debemus; & quos Dominus noster per lauacrum regenerationis suo sanguine mundare & sanctificare dignatus est, iniquum profecto est vt si in aliquo culpabiles non inueniantur, nec nisi ratione originis suspecti sint, antiqui Christiani eos veluti immundos & indignos, ab officiis, honoribus, dignitatibus, & priuilegijs quibus alij Christiani vtuntur & gaudent, arceant, ac matrimonia cum ipsis contrahere nolint, & huiusmodi alia in illis faciant, quæ alios infideles à conuersione plerumque auertunt, & ipsos Neophytos contristant: adeo vt imbecilles & debiles in fide quandoq; cum se despectos vident, intrinsecus peniteat, quod Christianam fidem susceperint, non sine magno animarum detrimento, & Christianæ Religionis contumelia.

Quare publicè & priuatim non modo Parochi, sed etiam Episcopi, & Prælati se uere arguant eos, qui novos Christianos sic despiciunt, & contemnunt. quie ipsos probris & conuitijs insectantur, aut alias eis contumelias aut iniurias inferunt aut pristinam conditionem contumeliose exprobrant & improbrant, puta vocando eos Iudæos, Marranos, vel Turcas, aut Renegatos, quos etiam pro grauitate, aut atrocitate facti coercerent, & puniant, ab alijs uelud iudicibus coerceri, & puniri faciunt.

Et cum indignū sit, & nequaquam ferendum, eos qui relicto cæcitatatis errore, ad lucem venerunt fidei Christianæ, ab ijs, qui in ipsa cæcitate remanent, persecutiones, contumelias, & iniurias pati, ideo multo magis & grauius in Iudæos & alios infideles quauis lingua vocatæ Neophytos apostatas aut Meſchumadim hoc est perditos homines aut eis contumelias, iniurias, & persecutiones inferetes animaduertere debet, aut animaduerti mandare.

Moneant præterea plebem suam parochi, vt de ipsis si quid viderint eos peccare, non illico scandalizetur; cum ideo Neophyti dicantur quod nouæ plantæ sint, quæ à vento tentationum sæpissime concutiuntur, & vt paruuli & imbecilles facile cadunt.

Sed potius diligenter caueant, ne qui ex antiquis Christianis malo suæ vitæ exemplo recens ad fidem conuersos, ad vitia & scelera prouocent aut adducant.

Verum cum eos delinquere viderint, fraternè corripiant, atque si sæpe moniti non se emendant, tunc ipsorum Episcopo vel Prælatis denunciēt, non odio, sed charitate, ac zelo salutis eorum, atque vt illos lucrifaciant, in eis tamen corrigendis aut puniendis benignius agatur, ne tanquam infirmi penarum animaduersione deterriti à fide deficiant, nisi grauitas seu qualitas delicti aliud postulet.

Sed & cum sedes Apostolica ex munere sibi diuinitus commisso pascendarū ouium & agnorum Christi specialiter protegere, & tueri debeat nouiter conuersos ad fidem; idcirco vt eius benignitate, & auctoritate foveantur, atque à grauaminibus, iniurijs, & indebitis molestijs subleuentur & protegantur, ei pro tempore præsidentes summi Romani Pontifices Prælatis & temporalibus Dominis, ac Officialibus locorū sæpissime rescripserunt & mandarunt vt eos benignè tractent, charitatiuè foveant, gratiis & fauoribus muniant; ac ne deterioris sint conditionis post Baptismum, quam ante: ipsis in personis, aut rebus eorum nullam molestiam inferant, neque per Iudæos & infideles aut alios indebitè inferri permittant: quin potius in ijs & alijs se fauorabiles exhibentes, eos ab iniurijs & molestijs protegant & defendant, atque in omnibus propitij eis assistant auxilijs opportunis.

Ac proinde in Lateranensi Concilio constitutum fuit, vt qui ad fidem se conuerterint Christianam, à possessionibus suis nullatenus excludantur; cum melioris conditionis esse oporteat ad fidem conuersos, quam ante quam fidem susciperent habebantur: ac Principibus & potestatibus locorum sub pœna excommunicationis iniungitur, vt eis portionem hereditatis & bonorum suorum ex integro facerent exhiberi.

Mandent præterea Principes & Domini terrarum, ne Neophyti & ad fidem conuersi tributis, oneribus, vectigalibus, & exactionibus plus solito aut æquo grauentur, sed piè & humaniter cum ijs agatur; ne alij in-

121. Innoc. 3. in epiſt. ad Christi fideles in Saxonia, & VVeſtphalia, in aſſa, (ſurſan in ſclauonia) & in alia ad (forteſſe Tranſalpinna) conſtit. lib. 1. regest. mo. preſſi tom. 1. fol. 281. & 122. Nicol. 3. Iuſt. 4. in Bulla inſer. 122. preſſe; Vinea Sorac, &c. Ioan. 22. ciuitas extrau. Dignum arbitramus, c. 2. de Iudeis in extrau. communibus hīs aſſe ſape ciuitas litteras L. atius Card. Oſſien Apoſt. Sedis legatū ad Inquiſit. Ferraria, & litteras eiuſdem Ioan. 22. in eius regello apud Biblioth. Vatic. ad Angel. Epiſc. Viſerb. Auention. 2. Id. Maij Pontific. ſui an. 123. Alex. 3. in Conc. Later. c. 26 tom. 1. Conc. & habetur c. Iudei 2. parag. 1. de Iudeis. 124. Et ac ponuntur argumento infractandorum lit. Ioan. 22.

Galat. 5. 1. Cor. 12. Ephes. 4. 116. Card. Caiet. 10. 2. opusc. 17. reſponſo, reſponſ. 6. 117. Ex Nic. V. in ſupradictis lit. Humani generis inimi. ems. paragr. Ac omnibus vt in eis, & paragr. & quia parum eſt. 118. Ex editio Lac. Regis Arag. confirmato ab Innoc. iiii. paragr. Statuimus. 119. Ex eiſd. lit. Nic. cit. paragr. Et quia parum eſt & diſt. editio Iacobi Regis eod. paragr. ſtatuumus. 120. Ex cit. Latini Cardin. Expoſit. nobis datus 1. mola 14. Martij Pontific. Domini Nic. iiii. anno 2. ſu. Praſlatiſ.

fideles qui ad eandem fidem libenter conuerterentur, ab huiusmodi conuersione propterea retrahantur.

Quin & Ecclesiarum Prælati etiam in exigendis decimis¹²⁵ ab his Neophytis seu conuersis sic benigne & urbanè saltem quoad in fide perfecti & plene roborati fuerint, segerant, vt iidem conuersi se grauatos non reputent; sed potius benignius tractati alios infideles ad Christianam fidem suscipiendam inducant, & ipsi in ea feruentius perseuerent.

Verum Neophytos seu qui nuper Baptismate sunt¹²⁶ illuminati ad sacros ordines & sacerdotium nisi post multam probationem promoueri non oportet, secundum Apostoli regulam, & sacrorum Canonum¹²⁷ censuram, ne in superbiam elati in iudicium & laqueum incidant diaboli.

At si eis postmodum honesta vita, probati mores, clara virtus, vel spectata pietas & Religio, sufficiens doctrina, aliaue merita suffragentur, & ad maiores ordines, & ad beneficia Ecclesiastica, ad¹²⁸ Canonicatus quoque, Præbendas & dignitates, etiam in Cathedralibus Ecclesiis (nisi¹²⁹ alicuius Ecclesie specialis constitutio Apostolica auctoritate confirmata repugnet) atque etiam ad parochiales, & curatas Ecclesias promoueri non prohibentur. Sed & quandoque quis eorum vir adeo insignis & omnibus qualitatibus abunde præditus esse potest, vt ei etiam Cathedralis Ecclesia merito regenda committatur, vt & alias factum est.

Si quis eorum infirmatur, statim per designatos visitatores visitetur, & subsidio spirituali, & corporali, si opus fuerit, adiuetur.

Similiter & aliorum pauperum, & indigentium Neophytorum cura habeatur, ne propter nimiam inopiam aliquando ad suos infideles confugere cogantur.

Horum vero indigentium Neophytorum numerus descriptus habeatur, vt quolibet mense, saltem aliquid ex pijs fidelium elemosynis vel domus Catechumenorum redditibus singulis tribuatur.

Concedatur autem aliquibus laicis etiam Neophytis viris probis, vt inter se, & cum alijs Christianis collectas faciant pro huiusmodi pauperibus adiuuandis.

Cum vero grauitè decumbunt, vel ad extremum vitæ finem peruenerint, tunc potissimum eos adiuuent, tunc infideles, & alios in fide suspectos ab eis arceant, & vt piè, religiosè ac Christianè Sacramentis Ecclesie muniri decedant procurent; ipsorumque animæ in exitu à Parocho ac alijs Presbyteris & Religiosis Domino commendentur; nec non cum vita

et, possit ad ordines & ad alia officia Ecclesiastica promoueri, arbitrio prudentis relinquendum esse, existimant Suarez tom. 5. dispus. 43. concl. 2.

functi fuerint cum¹³⁰ hymnis & Psalmis ad Ecclesiasticam sepulturam de more efferendos curent, ac pro eorum animabus vigiliæ, & officia mortuorum decantentur, atque diuinum missæ sacrificium offeratur, & tertio, septimo, vel trigésimo eorum depositionis die exequiæ celebrentur.

Admoneantur autem ne¹³¹ mortuos more sudæorum aut aliorum infidelium sepeliant, quod si vnquam hoc facere deprehendantur, ab Ordinarijs locorum, seu ab ijs ad quos spectat, ipsis ne de cætero faciant, sub grauibus pœnis prohibeatur.

CAPVT XXI.

De obseruandis in solenni Baptismo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sancti Seuerini.

Generalis solennisque Baptismus præsertim adultorum, qui bene ualent, & incolumes in pacis securitate degunt, non nisi in Sabbatho Sancti Paschæ, & Sabbatho Pentecostes celebrari debet: sollempniter enim baptizandis in Ecclesia electis hæc duo tantum tempora, constat esse legitima, & eadem ab omnibus ex Apostolica traditione obseruanda summi Romani Pontifices præceperunt.

Qua etiam ratione constitutum est, vt cum Baptismi Sacramentū summe necessarium sit tam paruulis, quam adultis, Baptismus ipse ac etiam Confirmatio non solum pueris, sed & adultis, propter moræ periculum exhiberi possint licite tempore interdicti.

Propterea vigilet Sacerdos, vt si qui ex Catechumenis dum instituuntur, fuerint mortis periculo præuenti, & in exitu vitæ constituti diuinam gratiam implorauerint, eorum Baptisma non differat, sed ijs illico ministret.

Quod quidem generaliter solliciteque curandum est, ne quorumuis etiam adultorum grauitè ægotantium, venientium ad fidem Baptismus nimium differatur, verum quam primum eis exhibeatur, iuxta præscriptū ordinem baptizandi infirmum.

Qui vero in ægritudine constituti Baptismum perceperunt, vbi conualuerint, fidei symbolum, atque alia sacra mysteria, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi edoceantur, & in reliqua Christianæ vitæ doctrina rectè instituuntur: vt agnoscant gratiam quam acceperunt, & sciât qualem eos vitam ducere oporteat in futurum.

Quamuis autem Sabbatho sancti Paschæ, & Pentecostes generalis ac solennis Baptismi Sacramentum celebretur, non tamen tunc illud omni-

130. S. Hieron. in vita S. Pauli Epistolæ. tom. 1.

131. Patres Conc. Basiliens. sess. 19. in decretis de Ind.

Neophytos paragr. Prohibeatur. Et his Neophytis. Et ex ijs Paulus III.

in lit. de Ind. & alijs infidelibus uenientibus ad fidem paragr. Et

quoniam ex periculis, &c.

bus ad fidem se venire asserentibus passim tradi conuenit, sed his dumtaxat Electis, qui saltem ante quadraginta, vel eo amplius dies nomē dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque ieiunijs fuerint expiati: quatenus Apostolica illa impleatur præceptio, vt expurgato fermēto veteri, noua incipiat esse conspersio.

Verum si circa, seu post tempora Pentecostes, cum aliud solemne Baptisma eo anno non est celebrandum, aliqui & maxime Iudæi conuersi fuerint, qui moleste ferāt, suum Baptisma vsque in sequens Pascha differri, & ad Baptisma festinare noscantur, ne longa dilatio eorū possit animos reuocare, cum ipsis dispensari potest, vt pænitentia & abstinentia quadraginta dierum eis prius indicta, aut die Dominico aut celebriore festiuitate, quæ fortassis occurreret, omnipotentis Dei misericordia protegente baptizentur.

Cum illud quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniiformiter agit (vt Sanctus Cælestinus papa ait) non otioso contempleremur intuitu, vt siue paruuli siue adulti ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & exuffationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur, vt tunc verè appareat quomodo Princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captiuam ducit captiuitatem, & dat dona hominibus: Idcirco Catechumeni seu Electi antequam baptizentur, secundum Apostolicam regulam, & exorcismis scrutandi, & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus sint prædicationibus imbuendi.

Quamobrem caueat sacerdos, ne sine vllis spiritualium eruditionum præparationibus, ita rudibus & imperitis Baptismi sacramentum tradere præsumant, vt circa ipsos renouandos nihil doctrina Ecclesiastica, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa ieiunia, quibus vetus homo destruitur, operentur.

Hæc autem quo vtilius & fructuosius circa adultos Catechumenos præstare valeat, interdum illos dum sunt in Catechesi, vel inter tempora scrutiniōrum, informare poterit de mysterijs fidei, ac de rebus pertinentibus ad ipsorum ædificationem & profectum, nec non de his quæ circa ipsos aguntur, veluti de exorcismis, scrutinijs, catechesi, & gradibus Catechumenorum.

Exorcismus quidem Græcè Latinè dicitur adiuratio, seu increpatio aduersus Diabolum, vt est illud *exi ab illo immunde Spiritus*, &c. & illud, *Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris*, &c. Vnde exorcizare est adiurare, vel increpare. Exorcizatur enim malignus Spiritus, vt exeat, & recedat ab illo plasmate, quod iam dudum per peccatum primi parentis possidebat; quia

quia iuxta Apostolum non est conuentio Christi ad Belial, nec societas lucis ad tenebras; egrediantur tenebræ, lux vera Christus ingrediat. quocirca doceat non creaturam Dei in infantibus, seu Catechumenis exorcizari, aut exuffari, sed illum sub quo sunt omnes, qui sub peccato nascuntur, Principem peccatorum, vt ei renuntient, atque eruti de potestate tenebrarum, in Regnum Dei veri Domini per sacramentum Baptismatis transferantur.

Scrutinia à scrutando dicta, quantum ad Baptisma pertinet, maiores nostri appellauerunt catechismos seu catechizationes, interrogationes, examina, exorcismos ad fidem venientium, & Catechumenorum: quod ita scrutarentur, hoc est inquirerent, an iidem Catechumeni, qui iuxta Apostolicam regulam prædictam, & exorcismis scrutandi & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus sunt prædicationibus imbuendi, Satanæ, & operibus, & pompæ eius verè abrenuntiaffent, & apti idoneique essent ad Baptismi Sacramentum suscipiendum. Scrutinium itaque est de fide, & Christiana Religione inquisitio, quæ fit à sacerdotibus & Clericis circa eos, quæ ad illam se venire profitentur, vt eius doctrina & Ecclesiastica disciplina informentur; quatenus diligenter de ijs perquisiti & optime edocti de die in diem proficientes, idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptismi, ad quem est quasi iter, siue præparatio quædam. Fiunt autem scrutinia vt in eis Catechumenorum corda Sacerdotes perscrutentur, & sapius explorent, vt rum in eadem fidei doctrina persistant quam pridem eos docuerunt; vel adhuc perseuerent abrenuntiationem maligno spiritui, operibus & pompis eius; & an post abrenuntiationem, sacra verba tradita fidei, ac symbolum, & orationem Dominicam memoriæ commendarint, & ne qua radix amaritudinis in eis insit, neue illis prius sancta dentur, quam Christiana fides, radices in eorum mentibus defixerit.

Catechesis siue Catechismus Græcè dicitur instructio: instruitur enim veniens ad fidem Ecclesiastico ministerio, per benedictionem imponentis manum, vt intelligat quis ipse sit, qui sue futurus sit, hoc est, vt ex dånabili sanctus, & iniustus iustus, & ad extremum ex Diaboli seruo filius Dei fiat.

Inde qui instruuntur, & à sacerdote audiunt doctrinam fidei, Catechumeni dicuntur: Catechumeni autem duobus modis intelliguntur, vno generatim omnes credentes, seu credere volentes in Christum nondum tamen baptizati; altero vero speciatim qui catechizantur, nondum tamen ad Baptismi gratiam festinant, ad differentiam Competentium & iam instructorum.

Ad fidem enim venientium primus gradus est Catechumenorum, secundus Competentium: tertius nuper baptizatorum, seu Neophytorum. Licet autem apud præfatos Sanctos Patres, alij essent audientes tantum,

& alij Catechumeni: hic tamen audientes inter eos qui ad Christi fidem veniunt iuxta aliquorum Patrum sententiam, non connumerantur; quod simpliciter tantum audirent: non autem ad ipsam Christi fidem venire, aut in eum credere velle, sicut ceteri Catechumeni faciunt, aperte profiterentur; atque ideo eisdem Catechumenis loco & gradu lōge inferiores essent.

Catechumeni sunt qui primū de Iudaismo, vel de gentilitate veniunt, animo & voluntate in Christum credendi. Et quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est*; inde is, cui per Sacerdotem quasi per Moysen Deus loquitur, Catechumenus, id est audiens, nominatur, scilicet vt vnum Deum agnoscens, relinquat errores nefarios Idolorum. Sed & de omni infidelitatis secta ad Christum venientes Catechumeni dicuntur: Catechumenus quippe Græce Latinè Audiēs, seu Auditor dicitur, eo quod adhuc doctrinam fidei audit, quæ non libro, aut scriptura, sed verbo ipsi traditur, & solo auditu suscipitur; necdum tamē Baptismum percepit, ad Christum autem veniens, ideo primum efficitur Catechumenus, vt ab eo per Christi gratiam ad fidei nouitatem vocato, Dominus cæcitatem cordis, & pristinam conuersationē expellat; ipse vero audiens à Sacerdote eiusdem fidei doctrinam credat, credens vero Baptismi gratiam consequi valeat.

Post Catechumenos secundus Competentium gradus est: Cōpetentes autem sunt qui iam post doctrinam fidei, post continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant, & illam petunt, vt & à petendo, Cōpetentes dicuntur, quasi simul petentes, quod postquam in fide instructi fuerint, simul Baptismum petant. Nam Catechumeni tantum audiunt, necdum petunt, sunt enim quasi hospites, & vicini fidelium, foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed nondum fideles appellantur. Competentes vero iam petunt, iam accipiunt, iam catechizantur, id est imbuuntur instructione fidei & Sacramentorum: istis enim salutare symbolum traditur; quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium, quo instructi cognoscant quales ad gratiam Christi exhibere se debeant.

Hi quoque Electi dicuntur, vel quasi diuina voluntate ad fidem, & Baptismi gratiam vocati, vel quod ad eam suscipiendam electi sint, qui in scrutinii habitis idonei comperiuntur, vt supra de scrutinii dictum est.

Illuminandi item vocantur apud Sanctos aliquos Patres, præsertim Græcos, quod per Baptismū quē mox suscepturi sunt, luce diuinæ gratiæ illustrati, ac fidei Christianæ mysterijs imbuti plenius illuminabuntur.

Tertius gradus venientium ad fidem est eorum, qui iam baptizati sunt, & Neophyti vocantur, quasi noui fideles, seu nuper renati, siue recens Christiani

Christiani esse cōti: Neophytus enim Græce Latine noua planta interpretatur.

Catechumeni et si in Ecclesiam semel, dum initiantur, sunt admissi, vt in ea verbum Dei audire, ac seorsum à fidelibus orare possunt; non tamen ibi publicis diuinis officijs, aut sacris Missæ mysterijs inter esse debent, nisi Missæ Catechumenorum, quæ idcirco sic appellata protēditur ab introitu, vsque ad offertorium inclusiue: tūc enim iuxta antiquum morem admoneri & foras mitti consueuerunt, ita clamante Diacono *Catechumeni foras exeunto*. Si quis est Catechumenus, exeat foras, vel, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras: qua ratione nec sacras ordinationes ipsis Catechumenis siue audientibus siue præsentibus fieri debere statutum est. Ceterū nec ad publicam fidelium benedictionem, aut orationem Catechumeni conueniāt, sed in alio loco segregati orare iubeantur. In scrutiniiis autem id, quod in illorum ordine præscribitur, obseruetur.

Curent autem Presbyteri & Clerici ad quos pertinet, vt Catechumeni impuberes, vel adulti memoria mandent symbolum quod in tertio scrutinio eis traditum est, vt illud memoriter reddere possint in Sabbatho sancto.

Quod vero in eodem scrutinio Presbyter interrogat, qua lingua Catechumeni confiteantur Dominum nostrum Iesum Christum, & symbolum Græce, & Latine illis traditur; id inde factum, tum quod antiquitus in Romana Ecclesia venientes, ad fidem, duabus potissimum linguis, nempe Græca, & Latina vterentur, velut quæ tunc in toto orbe Romano vigeant, & frequentius colebantur; tum propter earum linguarum dignitatem, quod reliquis præstantiores essent; tum denique propter mysticam illarum significationem, quod per Græcam sapientia, per Latinam vero Romanorum potentia, quæ Christo subiiciuntur, designantur. Proinde Catechumeni, & Infantes qua lingua Græcane; an Latina Christum Dominum confiterentur, interrogabantur, & vtraque eis tradebatur symbolum, ex præscripto Ordinis Romani, qui integre quoad id repositus est, non modo propter venerandæ antiquitatis memoriam, verum etiam vt si quando aliqui ad fidem veniant, qui Christum Græca lingua profiteantur, is quoque ordo vsui esse possit. Ac si præsto non sit Acolythus, qui Græcā linguam calleat, adsit eiusdem linguæ peritus interpres, qui pro Acolytho symbolum ea lingua pronuntiet.

Præterea si qui ex his qui ad fidem veniunt, nec Græcam, nec Latinam, nec vernaculam linguam intelligant, sed Arabica, Turcica, Persica, aliaue simili lingua vtantur, per peritos & fideles interpretes symbolum non solum vel Græce, vel Latine, sed etiam propria eorum lingua edoceantur, & illud eis fideliter explicetur.

Ad id etiam operę pretium est symbolũ Concilij Constantinopolitani, quo, & sancta Romana Ecclesia vtitur in Missa, descriptum, vel impressum habere, Illyrica, Armenica, Chaldaea, Aethiopica, Arabica, & alia eiusmodi lingua; quod Christianis illarum nationum gentibus & cunctis orientabilibus, hoc symbolum potissimum sit in vſu.

Ordo Baptismi continens breuem exorcizandi methodum ex Rituali vt supra.

CUm Ministri omisso solenni baptizandi ritu, voluerint aliquo breuiori vti, accipiant sequentem. Primum Sacerdos interrogat.

Qui vocaris? Resp. N.

Tum Sacerdos leuiter exufflet in faciem eius dicens.

Exi ab eo immunde spiritus, & da locum Spiritui Sancto paraclito.

Deinde pollice faciat signum crucis, in fronte & in pectore baptizandi, dicens.

Accipe signum Crucis tam in fronte ✠, quam in corde, ✠ sume scutum fidei celestium praeceptorum; talis esto moribus, vt templum Dei iam esse possis.

Oremus.

Omnipotens sempiternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cacitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos Satana, quibus fuerat colligatus; aperi ei Domine ianuam pietatis tuae, vt signo sapientiae tuae imbutus, omnium cupiditatum fatoribus careat, & ad suauem odorem praeceptorum tuorum, letus tibi in Ecclesia tua deseruiat, & proficiat de die in diem, vt idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eundem Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Postea Sacerdos accipiat de sale specialiter pro Catechumenis exorcizato, si habet, vel si non habet & tempus suppetit (nam alioquin omittere debet) ita salem benedicat.

Benedictio Salis.

Benedic Omnipotens Deus hanc creaturam salis tua benedictione caelesti ✠, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in vnitae Spiritus Sancti tui, ad effugandum inimicum, quam tu Domine sanctificando sanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠. Fiat q̄ omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Resp. Amen.

Et de eo iam benedicto modicum accipiens, ponat in ore baptizandi, dicens,

Accipe

- IV. Exempla ordinum Monachalium.
 V. Exemplis Eremiticam vitam degentium idem comprobatur.
 VI. Misiones sunt omnium expedientissimæ religioforum instituto illudque mirifice perficiunt.
 VII. Occasione contemplationis quantumuis sublimis, aut strictioris clausuræ Monachos non excusari à missionibus adeundis

LIBRI SECVNDI
 Pars Tertia.

Cura Infideles iuuandi præcipuè spectat ad Ordines Mendicantes.

- Cap. I. **O**rdines mendicantes ex vi suæ institutionis fuisse ab Ecclesia destinatos, vt proximorum tam fidelium, quam infidelium spirituali saluti contulerent.
 II. Exempla Ordinum mendicantium, qui in propagandâ fide Catholica, viros in Ecclesia Dei fecere progressus.
 III. Non sufficere Religiosis mendicantibus præparationem animi ad iuandos proximos.
 IV. Religiosi Ordinum mendicantium non solum fidelibus, sed & infidelibus tenentur opem ferre.
 V. Proponuntur, & refelluntur argumenta Guilielmi, & aliorum.

LIBER TERTIVS.

De eligendis, atque efformandis ministris, & de alijs medijs ad propagandam fidem, animarumque conuersionem procurandam spectantibus.

- Cap. I. **D**e erigenda congregatione pro fide propaganda.
 II. De eligendis efformandisque ministris pro fide Catholica propaganda.
 III. De instituendis seminarijs pro ministris efformandis, & accingendis ad fidei propagationem.
 IV. De apparatus faciendis, ad misiones aggrediendas.

LIBER QVARTVS.

*De ingressu & progressu ministrorum inter infideles,
ac de ratione agendi, & iuuandi omnes
gentes.*

LIBRI QVARTI

Pars Prima.

- Cap. I. **C**onueniensne sit in ingressu ad infidelium conuersionem humanis præsidijs pro conuersione infidelium uti.
- II. De forma & methodo proponendi Euangelium infidelibus, ac de munere principali ministrorum in hac parte.
- III. Fidei Christianæ mysteria esse euidenter credibilia demonstratur tam secundum se, quam comparata cum alijs sectis.
- IV. Breuis, compendiosa tamen & accurata testimoniõrum credibilitatis nostræ fidei collectio, ex D. Thom. 1. contra Gen. cap. 6.
- V. De confirmatione doctrinæ Euangelicæ & signis & miraculis: & quare nunc miracula non ita frequenter fiant.
- VI. Rationes aliquæ, quare multi fidei veritatibus etiam sufficienter propositis assensum non præbeant.
- VII. An oporteat cum infidelibus collationibus ac disputationibus publicis de rebus fidei agere.

LIBRI QVARTI

Pars Secunda.

*De ministrorum progressu ac conuersatione cum vitæ
integritate coniuncta inter infideles, & ratione
agendi cum eis, vt ad fidem
alliciantur.*

Cap. I. De oratione continua, & fiducia in Deum.

- II. De charitate feruenti erga infidelium conuersionem.
- III. De beneficentia erga infideles exercenda.
- IV. Oportere ministros ante omnia sibi ipsis attendere.
- V. De prudentia ministri sancti Euangelij in iuandis infidelibus, & conuersatione cum illis necessaria.
- VI. Quod minister castitate resplendere debeat, & de euitandis occasionibus.
- VII. De abdicatione rerum temporalium viro Euangelico necessaria.
- VIII. De patientia, labore, & longanimitate in conuersione animarum maxime prærequisitis.
- IX. De exemplo vitæ maxime in predicatore Euangelico necessario.
- X. De scientia in ministerio sancti Euangelij requisita.
- XI. De peritia linguarum ministris S. Euangelij necessaria.
- XII. Epilogus de vitæ puritate, exemplo, alijsque prærequisitis in Euangelico operario.

LIBER QVINTVS.

*Concinens dubia aliqua præcipua, quæ Euangelij ministris
in terris infidelium agentibus obuia esse
possunt.*

LIBRI QVINTI

Pars Prima.

- Dubium. I. **A**N infideles tam Principibus Christianis non subditi, quam eorum subditi, cogi queant ad fidem Christianam recipiendam.
- II. An infideles muneribus, donis, officijs, & obsequijs ad fidem allici possint.
- III. An infideles compelli possint ad audiendum Euangelium.
- IV. An infideles compelli possint ad falsum Deorum cultum abiiciendum, & legem naturalem obseruandam.
- V. An infideles vel Hæretici eijci è regno Catholicorum possint ea conditione, vt, si velint remanere, fiant Christiani.
- VI. An filij infidelium paruuli inuitis eorum parentibus possint baptizari.

LIBRI QVINTI
Pars Secunda.*Quando fideles teneantur fidem Christianam
exterius profiteri.*

- Dub. I. **A**N confessio fidei externa sit necessaria ad salutem ex præcepto, & quando obliget: An & quando liceat fugere tēpore persecutionis.
- II. Quando & quibus licitum sit fugere, & quando.
- III. An qui rogatur à tyranno sitnè Christianus vel Catholicus, eo ipso debeat confiteri se esse Christianum vel Catholicum.
- IV. An ab hæreticis rogatus quis, sitne sacerdos vel religiosus, an non: vel an audierit rem diuinam, si negauerit, peccet contra fidei confessionem.
- V. An in hospitij hæreticorū liceat Catholicis carnes edere tēporibus ab Ecclesia interdictis, ne se prodant & in vitæ discrimen veniant.
- VI. An Catholico per hæreticorum, vel paganorum prouincias trās-eunti liceat salutis causa sese occultare, eorum vestes induendo, aut lingua & sermone illorum vtendo.

LIBRI QVINTI
Pars Tertia.*De confessione fidei externa proprio sanguine
testificata, Vbi dubia aliqua de Martyrio
expediuntur.*

- Dub. I. **Q**uid sit martyrium, & quæ eius condiciones.
- II. Quando currat obligatio subeundi martyrium.
- III. An martyrium aliquando cadat sub consilio.

LIBRI

LIBRI QVINTI
Pars Quarta.*De communicatione in genere cum infidelibus.*

- Dub. vnū **A**N & quatenus liceat communicare cum infidelibus tam in conuersatione quam in alijs.

LIBER SEXTVS.

*De vnione Græcorum ac Schismaticorum omnium
cum Ecclesia Catholica procuranda.*LIBRI SEXTI
Pars Prima.*De vnione Græcorum ac Ræthenorum cum Ecclesia
Catholica.*

- Cap. I. **D**E erroribus qui Græcis attribuuntur, & eorum confutatione.
- II. De origine errorum, & Schismatis Græcorum.
- III. De processione Spiritus sancti Disputatio, in qua ostenditur spiritum sanctum à Patre & Filio procedere.
- IV. Eucharistiæ sacramentum confici tam in azymo quam in fermentato, contra Græcos probatur.
- V. Purgatorij locum esse aliquem, in quo iustorum purgantur peccata, contra Græcos demonstratur.
- VI. An sanctorum animæ Deum videant, & verè beatæ sint ante diem iudicij.
- VII. De vnione Græcorum facta in concilio Florentino.
- VIII. An propter supra dictos errores Græci sint censendi Hæretici, an tantum schismatici.

LIBRI SEXTI

Pars Secunda.

De iuuandis Græcis, & ratione agendi cum eis, vt ad fidem Catholicam alliciantur.

- Cap. I. **D**E causis præcipuis vnionem Græcorum cum Ecclesia Catholica impediens.
- II. De ratione agendi cum Græcis.
- III. De alijs medijs iuuandi Græcos & Ruthenos.
- IV. De alijs medijs quæ videntur non minus vtilia quam necessaria, ad Ecclesiam Græcorum, & omnium fere Orientaliũ ad sanctæ Romane Ecclesiæ sinum breui reducendam.
- V. Ecclesia Græca propter separationem à Latina quantis calamitatibus, & afflictionibus exerceatur.
- VI. De excommunicatione Latinorum cum Græcis ex bulla Innocentij V. Pont. Max.
- VII. De excommunicatione Latinorum cum Græcis ex bulla Clementis P. P. VII.
- VIII. In quibus præterea alijs casibus liceat Latinis communicare cum Græcis.
- IX. De pœnis Schismaticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione.
- X. Professio orthodoxæ fidei à Græcis facienda Gregorij XII Pont. Max. iussu edita.

LIBRI SEXTI

Pars Tertia.

De Ruthenorum Religione, & vnione cum sede Apostolica.

- Cap. I. **D**E Ruthenis tempore Clementis Papæ VIII. ad sedis Apostolicæ communionem admissis, & de forma qua fuere recepti.

LIBER SEPTIMVS.

De vnione totius Orientalis Ecclesiæ cum Ecclesiæ Catholica procuranda.

LIBRI SEPTIMI

Pars Prima.

- Cap. I. **D**E origine schismatum Orientalium.
- II. De Nestorianorum natione, & eorum erroribus.
- III. De Nestorianis qui in Ecclesiæ Catholicæ vnione persistunt.
- IV. De natione Chaldæa, Assyria.
- V. Errores & ritus Ecclesiæ Alexandrinæ, & nationis Coptæ, qui hac ætate grassantur.
- VI. Pro iuuandis Coptis, siue natione Alexandrina.
- VII. De natione, erroribus ritibusque Abyssinorum, ac methodo illos iuuandi.
- VIII. Errores qui Abyssinis attribuuntur.
- IX. De varijs Abyssinorum ritibus.
- X. Pro iuuandis Abyssinis.
- XI. De Aethiopica lingua, & alijs pro vnione Abyssinorum.
- XII. An Abyssinis ab Ecclesia Catholica permitti possit ritus Circumcisionis, non tam Religionis quam honoris gratia introductus.
- XIII. De erroribus Abyssinorum hac ætate grassantibus.
- XIV. De natione Iacobitarum, ac de eorum erroribus.
- XV. Hæreses & errores nationis Iacobitarum ex eorum Catechismo collecti.
- XVI. Constitutio concilij Florentini sub sanctissimo Patre, & D. N. Eugenio I V. super vnione Iacobitarum sine Iacobinorum.
- XVII. De natione Armena, eorumque erroribus.
- XVIII. De quibusdam Armenorum ritibus.
- XIX. Pro iuuandis Armenis.
- XX. De vnione Armenorum, decretum à sancta Synodo Florentina sub Eugenio I V. Pont. Max. editum.
- XXI. De Georgianis (alio nomine Iberis) & eorum erroribus.
- XXII. De Maronitarum natione.

INDEX CAPITVM.

- XXIII. Hærefes præcipuæ, quæ Iacobitis, Coptis, Abyssinis & Armenis attribuantur.
- XXIV. De concilio Chalcedonenſi admittendo, ac de abiurando diſcoro.
- XXV. Soluuntur obiectiones Schismaticorum contra Concilium Chalcedonenſe.
- XXVI. In Chriſto Domino poſt vnitionem duas eſſe naturas, humanã & diuinam, omnino diſtinctas.
- XXVII. Soluuntur argumenta Eutychetis & aliorum.
- XXVIII. De duabus Chriſti voluntatibus.
- XXIX. De duabus Chriſti Domini operationibus.
- XXX. In Chriſto Domino non duas, ſed vnicam tantum eſſe perſonam contra Neſtorianos.
- XXXI. Soluuntur argumenta Neſſorij.
- XXXII. Secundum fidem Catholicam beati in Deo non tam claritatem, quam ipſam diuinam intuentur eſſentiam.
- XXXIII. Pœnitentia quæ in Eccleſia Catholica agit, eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum.
- XXXIV. Vnctio extrema eſt vere ſacramentum Eccleſiæ.
- XXXV. De confirmationis Sacramento.
- XXXVI. Matrimonium non poſſe diſſolui propter adulterium.
- XXXVII. Legem veterem omnino eſſe iam abrogatam.
- XXXVIII. De animæ rationalis productione.

LIBRI SEPTIMI

Pars Secunda.

- Cap. I. DE iuuandis Orientalibus.
- II. Inſtructiones aliæ pro iuuandis Orientalibus.
- III. De quibus præcipue tam in fide, quam in moribus interrogandi & inſtruendi videantur Chriſtiani Orientales, qui volunt profiteri Sanctam fidem Catholicam, ſeu redire ad vnitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & deſertari ac abiurare errores & hærefes, plus minusve prudentia Theologi interrogantis.
- IV. Breuis orthodoxæ fidei profeſſio, quæ ex præſcripto Sanctæ ſedis Apoſtolicæ ab Orientalibus, ad ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vnitatem venientibus faciendâ, proponitur.
- V. Interrogationes aliquot factæ ſuæ Sanctitati à Reuerendiſſimo Patriarcha Maronitarum ſuper fide, & ritibus Catholicis, manifèſtandæ.

INDEX CAPITVM.

- in Synodo celebranda circa feſtum Paſchatis, anno 1578.
- VI. Propositiones aliquot excerptæ tum è quibuſdam libris Maronitarum, dum expurgarentur à legatis Apoſtolicis, tum ex communi conſenſu, & quadam traditione receptis quæ videlicet hærefes ſunt manifèſtæ, vel erroneæ vel ſuperſtitioſæ: quietiam errores ſolent eſſe communes alijs nationibus Orientalibus.
- VII. De ritibus qui tolerari poſſunt in his qui ex Schismaticis, vel paganismo, aut alia ſecta ad fidem Catholicam veniunt.

LIBER OCTAVVS.

De reductione hæreticorum ad Catholicam fidem procuranda.

Exhortatio ad conuerſionem hæreticorum.

PRIMA PARS

- Cap. I. DE notis & ſignis Eccleſiæ, in qua oſtenditur Romanam Eccleſiam veram eſſe & vnicam in terris Eccleſiam.
- II. Prima & vera nota Eccleſiæ ipſum nomen Catholicum.
- III. Nota ſecunda. Antiquitas.
- Nota tertia. Duratio diuturna numquam interrupta.
- Nota quarta. Amplitudo ſeu multitudo, & veritas credentium.
- Nota quinta. ſucceſſio episcoporum in Romana Eccleſia, ab Apoſtolis deducta vſque ad nos.
- Nota ſexta. Conſpiratio in Doctrina cum Eccleſia antiqua.
- Nota ſeptima. Vnio membrorum inter ſe; & cum capite Romano Põſtifice.
- Nota octaua. Sanctitas Doctrinæ.
- Nota nona. efficacia Doctrinæ, id eſt conuertentis animas, iuxta Pfalm. 18.
- Nota decima. Sanctitas vitæ authorum ſiue primorum PP. noſtræ Religionis.
- Nota vndecima. Gloria miraculorum.
- Nota duodecima. Lumen propheticum.
- Nota decima tertia. Confefſio Aduerſariorum.
- Nota decima quarta. Infelix oppugnantium Eccleſiam exitus.

DDDDd.

Nota

Nota decima quinta. Felicitas diuinitus collata propugnatoribus Ec-
clesiæ.
Epilogus præfatæ disputationis.

S E C V N D A P A R S.

*De ratione agendi cum hæreticis, & de modo iuuandi
ipfos, & primo de origine omnium hæresum*

Quibus medijs ministri suam promoueat superstitionem, vbi primū
de libris, concionibus, cantilenis §. 1.

Industriæ aliqua pro hæreticis adiuuandis. paragr. 2.

Epistola P. Petri Fabri Societ. Iesu de modo agendi cum hæreticis. §. 3.

De communicatione cum hæreticis fugienda, & de casibus in quibus
liceat cum eis communicare §. 4.

De pœnâ hæreticorum, & de eorum absolutione & reconciliatione
cum Ecclesia.

Forma breuis omnem hæresim abiurandi per eum qui in hæresim inci-
dit, & pœnitet, & alias non est relapsus.

Forma iuramenti professionis fidei secundum bullam Pij P P. I V.

Remedia pro Catholicis inter hæreticos versantibus ad orthodoxam fi-
dem conseruandam ex P. Francisco Costero.

L I B E R N O N V S:

*Qui est de Iudæorum ad fidem Christianam conuersio-
ne procuranda.*

L I B R I N O N I

Pars Prima.

*De erroribus præcipuis Iudæorum, & eorum
confutatione.*

Cap. I. **M**essiam iâ venisse celebri Gen. c. 49. testimonio cōprobatur.
II. Exponitur quemadmodum veritas huius prophetiæ cum
ipso euentu, eorumque successu consentiat.

III Idem.

III. Idem Danielis illustri testimonio comprobatur, & vaticiniū ex-
ponitur.

IV. Alio eiusdem Danielis loco eadem veritas demonstratur, & de Iu-
dæorum calamitatibus differitur.

V. secunda disputationis pars, in qua ostenditur Christum Iesum
Mariæ filium, verum fuisse Messiam.

VI. De notis ac signis Messiæ à prophetis prædictis, vbi etiam simul
ostenditur in Christo Domino fuisse reperta.

VII. Notæ aliæ de morte, passione, resurrectione ac ascensione ad cœ-
los Messiæ.

VIII. Notæ aliæ à Prophetis præuisæ, de alijs Messiæ proprietatibus &
excellentijs.

Tertia disputationis pars.

IX. Christum fuisse verum Messiam.

X. Soluuntur obiectiones Iudæorū, quibus probare conantur Chri-
stum non fuisse verum Messiam.

XI. Soluuntur obiectiones quæ à Iudæis fieri solent, contra Messiam
Christi diuinitatem.

XII. De alijs erroribus & fabulis in Thalmud Iudæorum contentis.

L I B R I N O N I

Pars I. I.

Cap. I. **D**e ratione agendi cum Iudæis, & iuuandi illos.

II. In quibus casibus sit interdicta Christianis communicatio
cum Iudæis, & contra.

III. Quænam Iudæis, Christianis Principibus subiectis, prohibita sint.

IV. Casus in quibus Iudæos aliosque infideles delinquentes Iudices Ec-
clesiastici punire possunt.

L I B E R D E C I M V S

De conuersione Saracenorum procuranda.

De præcipuis erroribus Mahometicæ doctrinæ.
Authores qui scripserunt contra Alcoranum.

DDDDDD 2

PRIMA

PRIMA PARS.

De confutatione Alcorani.

- Cap. I. **D**E Alcorani institutione, & quis fuerit huius legis author & inuentor.
- II. Mahometum non fuisse Apostolum siue nuntium à Deo missum.
- III. Legem Alcorani nulla ratione à Deo esse.
- IV. Legem mahometi esse irrationabilem, ex parte eorum quæ docet, præcipit, permittit, & continet.
- V. Alia mendacia mahometi deteguntur, ac quædam alia quæ in Alcorano vana, & ridicula continentur, referuntur.
- VI. de fictione cuiusdam falsissimæ visionis Mahometi.
- VII. De contrarietatibus quæ inueniuntur in Alcorano.
- VIII. Legem Alcorani esse rationi dissonam, quia turpis, & primo quia peccatum contra naturam Saracenis concedit.
- IX. Irrationabilem & turpem esse legem Mahometi, quia tanquam licita permittit adulteria, fornicationem, & polygamiam.
- X. Legem Mahometi esse irrationabilem, quia non præbet peccatoribus remedia ad salutem.
- XI. Legem Alcorani esse irrationabilem, dum docet vnumquemque in sua lege saluari.
- XII. Legem saracenorum esse irrationabilem, quia violenta, & iniqua.
- XIII. Legem Alcorani irrationabilem esse ex parte formæ, hoc est ordinis & stili.
- XIV. Legem Mahometi esse irrationabilem ex parte finis, quia vitam hominum felicitatem posuit in carnalibus delectationibus.

SECUNDA PARS

huius Tractatus.

De præstantia legis Christianæ, comparatæ sectæ Mahometanæ.

- Cap. I. **D**E admirabili Christi Domini sanctitate, ex testimonio ipsius Mahometi.
- II. De excellentia legis Christi nempe Euangelij, tam in se quam Alcorano comparata.
- III. Conclusio supra dictæ excellentiæ legis Christi, vbi breuiter duodecim prærogatiuæ Euangelij, supra Alcoranum recensentur.
- IV. Causæ aliquæ tantæ durationis legis Mahometi.
- V. Causæ cur tanta hominum multitudo sectam Mahometicam amplectatur.
- VI. Felicitate & victorijs Mahometanorum, non probari, eorum legem esse à Deo.

TERTIA PARS.

- Cap. I. **D**E ratione agendi, & iuuandi Saracenos.
- II. Sequitur praxis Saracenos iuuandi.
- III. In quibus rebus sit prohibita Christianis communicatio cum Saracenis.

LIBER VNDECIMVS.

De Ethnicorum conuersione procuranda.

PRIMA PARS.

De Gentilium errorum confutatione.

- Cap. I. **D**E erroribus gentium in communi.
- II. De Scriptoribus aduersus Ethnicos.
- III. De vltimo fine hominis.
- IV. Quis sit hominis finis, ex ipso homine perscrutatio.
- V. De vita veteri, de hac nostra, & altera.
- VI. Deum esse, ipsumque primum principium, & creatorem rerum omnium esse, aliquibus rationibus demonstratur.
- VII. In hoc mundo vnicum tantum esse Deum, nec fieri posse vt sine plures.

INDEX CAPITVM.

- VIII. Deum habere omnium rerum prouidentiam.
 IX. Deum esse ens quoddam perfectissimum.
 X. Idololatriam esse vanissimam sectam.
 XI. Deum esse vltimum non solum hominis, sed & aliarum quoque creaturarum finem.
 XII. Animam hominis esse immortalem, aliamque vitam futuram post hanc.
 XIII. Cōclusio prädicatorum, & rationes quibus homo tenetur Deum colere, & illi omnino inferuire.
 XIV. Breuis forma proponendi gentibus sanctum Euangelium.
 XV. Breuis conuincendi paganos formula ex Lactantio Firmiano desumpta.
 XVI. Breuior prädicatorum summa ex eodem Lactantio.
 XVII. Formula alia ex Hieronymo Sauanarola pro demonstranda aduersus gentes fidei Catholicæ veritate.

SECUNDA PARS.

- Cap. I. **D**E iuuandis gentibus & ratione agendi cum eis.
 II. De his quæ licita sunt agentibus inter gentiles.
 III. Quid singuli Christiani rudes, vt sunt Indi & Aethiopes, docendi sunt ex Concil. Limensi a cōtione 2. cap. 4. à Sixto V. confirmato.
 IV. Breuis instructio, siue Catechismus pro rudioribus gentilibus ad Christi fidem cōuersis, ex Indico idiomate traductus, & à synodo prouinciali nouæ Granatæ approbatus.

LIBER DVODECIMVS

*præcipua continens priuilegia à Summis Pontificibus,
 Religiosis pro infidelium conuersione Laborantibus concessa.*

Priuilegia concessa à Pio 2 & Sixto 4. Religiosis ordinis Prædicatorum, ad prædicandum Christi Euangelium euntibus in terras infidelium.

Priuilegia Fratibus Prædicatorum ad partes Orientales, & terras infidelium ad prædicandum Iesu Christi Euangelium proficiscentibus, per Innocentium IV. concessa.

De

INDEX CAPITVM.

De alijs etiam priuilegijs Fratibus Minoribus concessis in terris infidelium laborantibus,
 Priuilegia Fratibus Carmelitis discalceatis concessa. Collectio breuis priuilegiorum à sede Apostolica concessa Religiosis in propaganda fide laborantibus, ordine alphabetico digesta.

CATECHISMI GENERALIS


*pro omnium sectarum Catechumenis vtilissimi,
 Capitum Summaria.*

- Cap. I. **Q**uomodo sit recipiendus & examinandus qui nouiter fidem Christianam vult amplecti.
 II. Examinata, & approbata vocatione, quid agendū sit de filijs, & vxore Catechumeni.
 III. De habitu quo sunt induendi Catechumeni, & de loco vbi sunt instituendi, & de tempore Catechesi necessario.
 IV. De præparatione generali ad Baptismū Catechumenis persuadēda.
 V. De doctrina fidei proponenda tam doctis, quam rudibus, etiam de ordine quo est declaranda.
 VI. De susceptione baptismi, & de alijs præuijs dispositionibus ad illum.
 VII. De necessitate Catechismi pro Neophytis & quid ante omnia scire, & credere oporteat.
 VIII. Non sufficere Baptismum, nec fidē in Christo, nisi simul adsit obseruantia mandatorum, carnis & passionum mortificatio.
 IX. De dilectione Dei & proximi, & patientiæ bono, & præmio bonorum operum.
 X. De confessione fidei, de perseverantia, & damnis quæ peccatum mortale consequuntur.
 XI. De superbia præcipue vitanda, & de veteri homine exuendo, & renouatione nouæ vitæ.
 XII. De his quæ vitanda sunt à Neophytis, & de medijs vt in proposito perseverent.
 XIII. De consilijs alijs circa Neophytorum institutionem, præcipue de elemosyna.
 XIII¹. De abstinentia à cibis prohibitis.
 XV. De honore & reuerentia filiorū in parentes, & seminarum in viros suos, & seruorum in Dominos.

XVI De

- XVI. De alijs seruandis circa Neophytos.
 XVII. De alijs obseruationibus circa Neophytorum profectum.
 XVIII. De fugienda omnino Neophytis communicatione cum infidelibus.
 XIX. Quomodo puniendi Neophyti, si ad vomitum redeant.
 XX. Neophyti sicut alij Christiani veteris fidei habeantur, & ne priuentur publicis honoribus & dignitatibus.
 XXI. De obseruadis in solenni baptismo circa adultos ex Rituali Cardinalis Sancti Seuerini.

F I N I S



INDEX RERVM
 MEMORABILIVM
 quæ in hoc volumine continentur.

A

ABYSSINI.

Abysini quales sint, & quomodo iuuandi fol. 364. 371. eorum errores. 367. 378. 416. Eorum ritus. 370. An eis permitenda sit circumcisio. 376.

AFRICA.

Quando ad fidem Catholicam sit conuersa. fol. 52.

ALCORANVS.

Alcorani institutio & quis eius author. 647. Eum esse prædictum à S. Ioanne in apocalypsi. Ibid. Non esse à Deo. 663. Esse irrationabilem ex parte eorum quæ docet, præcipit & permittit, & continet 665. Eius mædacia, vana & ridicula quæ continet de reguntur. 670. Contrarietates quæ in eo reperituntur. 676. Eius legem esse rationi dissonam, quia turpis, & quia peccatum contra naturam Sarracenis concedit. 677. Item quia tanquam licita permittit adulterium, fornicationem & polygamiam. 680. Quia peccatoribus non præbet remedia ad salutem 682. Quia docet vnumquæque in sua lege saluari. 684. Quia violenta & iniqua. 687. Esse etiam irrationabilem ex parte ordinis & stili. 688. Ex parte finis quia vltimum hominis finem posuit in carnalibus delectationibus. 691. Causæ aliquot tantæ durationis eius. 716. Cur tanta hominum multitudo eum amplectatur. 719. Fælicitate & victorijs Mahometanorum, non probari Alcoranum à Deo esse. 723.

ALEXANDRINI.

Alexandrinorum siue Cophthorum errores & ritus. f. 359. Quomodo sint iuuandi. 362. Qualem calamitatem iam patiantur. 364.

ALOYSIUS BERTRANDVS.

Quæ miracula fecerit. f. 144.

AMERICA.

Quantum fidei defectum patiat. f. 3.

ANIMA.

Animæ rationalis dignitas & præstantia. f. 6. A Deo homini inspirata. ibid. Quasi ex pectore diuino intimisque præcordijs ablata. 7. Est verè spiritus ibid. Condita est ad imaginem Dei. ibid. Animarum conuersio quanta sit res. 117. Animarum lucra vnde retardentur vel impediuntur. 181. Quomodo ea impedimenta tollantur. 184. Animarum conuersio si non succedat, quid faciendum. f. 184.

Anima rationalis quomodo producatur. 465. Hæreticum est dicere eam traduci cum semine. ibid. Producitur creatione. 466. Est immortalis. 793.

ARMENI.

Armeni quales & eorum errores. 398. 416. Eorum ritus. 400. Quomodo iuuandi. 401. Super vniõne eorum decretum in Concil. Florentino. 403.

ASIA.

Quantus in ea sit fidei defectus. f. 3. A quibus olim ad fidem conuersa. 49.

B

BAPTISMVS.

Baptismi forma apud Græcos. fol. 505. Cophthi non habent ratum baptismum collatum in extrema necessitate nisi à sacerdote conferatur. 505. Paruuli etiam in necessitate apud eos non baptizantur ante quadragesimum diem. 506. Orientalium aliorum & Cophthorum mos est paruulos chrismare, oleoque sancto vngere in fronte, in pectore, in iuncturis, in renibus. 506. Baptismum conferebant Iacobitæ ferro candenti figuram crucis fronti imprimendo. 506. Quomodo eum conferant Abysini. 507. Quomodo se ad eum preparabunt Catechumeni. 883. Non sufficit solus baptismus cum fide, nisi adsit mandatorum obseruantia, carnis & passionum mortificatio. E E E E e tio.

INDEX RERVM.

io. 886. Quæ obseruanda in sollenni baptismo circa adultos. 923.

BEATI.

Beati Deum vident, & verè beati sunt ante diem iudicij 269. In Deo intuentur non tam claritatem quam diuinam essentiam. 451.

BENEFICENTIA.

Beneficentia exercenda erga infideles vt alliciantur ad conuersionem. f. 166.

S. BRIGITTA.

S. Brigittæ reuelatio de Græcis. f. 303.

C

CATECHISMVS.

Catechismus pro rudioribus gentilibus ad fidem conuersis. f. 825.

CATECHVMENVS.

Quomodo sit recipiendus & examinandus. fol. 866 Examinata, & approbata uocatione eius, quid agendum de filijs & vxore Catechumeni. 869. Quo habitu sit induendus, quo loco constituendus, & de tempore catechesi necessario. 872. Quæ ei doctrina proponenda tam docto quam rudi. 877. Quam eis sit necessarius catechismus, & quid ante omnia credere & scire debeant. 885.

CATHOLICI.

Catholici quomodo se debeant gerere versantes inter hæreticos vt in fide Catholica persistant. fol. 567 & seqq.

CHALDÆI.

Chaldæi Assyrii quales sint. f. 357.

CHARITAS.

Charitatis opera exhibitæ proximis quantum præcellant cæteris virtutum operibus. f. 27. Charitatis Dei & proximi opera. 839. In conuersione gentium opus est feruenti charitate. 163.

CHRISTVS.

Christus celebrauit Pascha, & instituit Eucharistiam luna decimaquarta mensis primi. f. 256. In Christo esse duas naturas post vnionem inter se distinctas. 425. In eo distingui triplex genus operationum. 440. Christus non assumptit personam. 429. Habet duas volutates & duas actiones. 438. 439 Christus fuit verus Messias. 589, 615.

Christo conueniunt omnes notæ veri Messia: 591. & seq. Prima nota aduentus Messia: 593. Secunda, Davidica & regia propagatio ex David. ibid. Tertia, Christus conceptus ex Virgine & natus. ibid. Quarta, in Bethlehem natus pauper & rex. 594. Quinta, Iesus vocatus octauo die. 595. Sexta, adoratus à magis. ibid. Septima, in Aegyptum fugiens, & inde reuocatus. 596. Octaua, propter ipsum paruuli occisi. ibid. Nona, à Ioanne Baptistâ vt præcurfore annuntiat. 596. Decima, discipulos paucos & idiotas vocans ad Apostolatum. 597. Vndecima, ipsum audiunt, & sequuntur turbæ innumeræ. 598. Duodecima, cū hominibus benignè suauiterq; cōuersans. ibid. Decimatertia, peccatores benignè excipiens. 599. Decimaquarta, in parabolis loquens. ibid. Decimaquinta, ipsum vera docet & vitia corripientem insecti persequuntur Scribæ & Pharisei 599. Decimasexta, Ierosolymam a seculo uetus ingrediens, & magnifice exceptus. 600. Decimasextima, Obediens vsque ad mortem. 601. Notæ alia de morte, passione, & resurrectione ac ascensione ad cælos, Messia: 600. Prima nota, Christus à Iuda uentus. 603. Secunda, comprehensus & ligatus. ibid. Tertia, à suis in passione desertus. 603. Quarta, alapa percussus à seruo. ibid. Quinta, à falsis testibus accusatus. ibid. Sexta, reus mortis iudicatus & blasphemus, quod filium Dei se fecerat 604. Septima, colaphis palmisque percussus, consputus & illusus. ibid. Octaua, multis modis accusatus apud Præsidentem à Iudæis. ibid. Nona, ad omnia sibi obiectatacens. ibid. Decima, flagellis cæsus 605. Vndecima, spinis coronatus, percussus & illusus. ibidem Duodecima, ad mortem crucis instatissime postulatus. ibid. Decimatertia, A Iudæis negatus rex eorum. ibid. Decimaquarta, baiulans sibi crucem. 606. Decimaquinta, cum latronibus ductus & crucifixus. ibid. Decimasexta, in cruce suspensus. 606. Decimasextima, in cruce illusus à sacerdotibus, militibus, & latronibus, & prætereunte populo. ibid. Decima octaua, vestes eius diuisit militibus 607. Decimanona, tenebræ eo patiente. ibid. Vigesima, sitiens aceto potatus. 607. Vigesima prima, cōsummans omnia. 608. Vigesima secunda, pro nobis mortem gustas. ibid. Vigesima tertia, mortuus glorificatus à gentilibus. ibid. Vigesi-

INDEX RERVM.

gesimaquarta, Integer relictus. ibid. Vigesimaquinta, honorificè sepultus. 609. ascendens in cœlum & mittens S. Spiritum. ibid. Notæ aliæ à prophetis præuifæ. Prima, Christus uerus propheta, & magister hominibus datus à Deo. 610. Secunda, Rex Israël, totiusque orbis Dominus. 611. Tertia, saluator populi sui. ibid. Quarta, per suum sanguinem redemptor omnium peccatorum. 612. Quinta, spes vnica gentium. 613. Sexta, radix totius gratiæ & iustitiæ, caput & corona sanctorum omnium. ibid. Septima, in nouissimo die multis prodigijs finem mundi antecedentibus cum maiestate uiuos & mortuos iudicaturus 614. Christum fuisse uerū Messiam iterum probatur. 615. Dissoluntur contraria argumenta Iudæorum 618. soluntur argumenta Iudæorum contra Christi diuinitatem. 620. Christi sanctitas ex ipsius Mahometi testimonio comprobatur. 699. eius triumphus, unde fidei argumenta eliciuntur. 810.

CHRISTIANI.

Christiani an peccent, coacti remigare apud Saracenos in bello contra Christianos f. 735.

CIBI.

A quibusdam certis cibis quare ex præcepto Ecclesiæ abstineant Catholici. fol. 903.

COELVM.

In cœlo nõ est futurus usus Venereorum aut ciborum. f. 691.

CONCILIVM.

Concilij Chalcedonenfis autoritas fol. 417. & seqq. obiectiones Græcorum contra eius validitatem sequuntur. 422.

CONFIRMATIO.

Confirmatio est uere sacramentum. 458. eius materia & forma. 507. Ritus Græcorum in ea conferenda. ibid.

CONGREGATIO.

Congregatio erigenda pro fidei propagatione. 103.

CONSTANTINOPOLIS.

Constantinopolis quando capta. 303.

CONVERSIO.

Conuersio infidelium ad fidem quam sit opus excellens. f. 5. & seqq. in ea omnes ferè virtutes influunt in summo & heroico gradu, fol. 21. Spectat etiam ad Principes

Christianos tam sæculares quam Ecclesiasticos. fol. 53.

D

DEVS.

Deum esse primū principium, & creatorem omnium multis rationibus probatur f. 776. & seqq. Tatum vnum esse, nec fieri posse vt plures sint. 780. Ipsum habere omnium rerum prouidentiam. 781. Esse ens quoddam perfectissimum. 784. Esse vltimum finem omnium creaturarum. 791. Eius proprietates. 797. Rationes quibus docetur Deum ab homine colendum & adorandum 798. Deus condidit hominem propter se. 705.

DIOSCORVS.

Eius audacia f. 349. iuste à cõcil. Chalcedonenfi damnatus. 418.

DOMINVS.

Dominorum officia erga seruos. f. 907.

E

ECCLESIA.

Ecclesiam Romanā esse veram, & vnicam in terris Christi Ecclesiam. f. 516. Est visibilis. 517. Huius Ecclesiæ veræ notæ. Prima, quod sit Catholica. 520. Secunda, antiquitas. 522. Tertia, duratio diuturna nunquam interrupta. 524. Quarta, amplitudo seu multitudo & veritas credentium. ibid. Quinta, successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab ipso Petro vsq; ad nos. 525. Sexta, conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. 526. Septima, vnio membrorum inter se, & cum capite Romano Pontifice. 527. Octaua, sanctitas doctrinæ. 529. Nona, efficacia doctrinæ. ibid. Decima, sanctitas vitæ primorum PP. nostræ religionis 530. Vndecima, gloria miraculorum. 531. Duodecima, lumen propheticum. 533. Decimatertia, confessio aduersariorum. ibid. Decimaquarta, infelix oppugnantium Ecclesiam exitus 534. Decimaquinta, felicitas diuinitus collata propugnatoribus Ecclesiæ. 535. Vbiq; sunt vera argumenta pro Ecclesia nostrâ. 536. In ea uerus est Dei cultus. 803.

EUCCHARISTIA.

Eucharistia uere conficitur tam in azy-mo quam in fermentato f. 235. Quando in E E E E E 2 azy-mo

azymo cœpit celebrari. 255. Apud Orientales datur paruulis statim post baptismam. 506. Orientalium ritus circa Eucharistiam. 508. Permitterebatur in primitiua Ecclesia Christianis eam domum ferre & proprijs manibus sumere. 509. Etiam in itinere secum eam ferre. 510. Mos eam deferendi absentibus. Ibid. Græcorum ritus in ea consecranda. 511.

EVANGELIUM.

Euangelij excellentia tam in se, quam Alcorano cōparata. f. 707. homines perducit ad æternam felicitatem ibid. excellit forma & stilo. 710. Eius prærogatiuæ supra Alcoranum. 711. Habet duodecim prærogatiuas. Habet originem summæ nobilitatis. 712. Magistrum summæ sanctitatis. Ibid. Confirmantia signa diuinæ potestatis. 712. Testes grandissimæ autoritatis. Ibid. Documenta irre fragabilis veritatis. 713. Mandata & præcepta totius honestatis. Ibid. Consilia perfectionalis sublimitatis. Ibid. Cōsilia perfectionis Euangelicæ. Ibid. Omnem enormitatem longe arceat. 713. Habet sacramenta mire virtutis & efficaciam. 714. Non armorum violentia introductum Euangelium, sed patientia, miraculis, pauperibus, &c. 715.

EVROPA.

Europa quando ad fidem conuersa. 45.

EVIYCHES.

Eius error. f. 348. Fundamenta eius erroris dissoluuntur. 436.

EXCOMMUNICATVS.

Excommunicatus nominatum quis sit. f. 554.

F.

FIDES.

Fidei nostræ mysteria intellectus noster non capit. f. 127. quæ requisita sint ad assentiendum rebus fidei. 129. Fidei nostræ mysteria esse euidenter credibilia, & secundum se, & comparata cum alijs sectis. 130. Huius credibilitatis varia sunt argumenta. 131. & seqq. Fidei sufficienter propositæ quare multi non præbent assensum. 149. & seqq. An confessio externa fidei sit necessaria ad salutem, & quando obliget. 212. Rogatus quis à tyranno sitne Catholicus vel Christianus, teneaturne confiteri se tale esse, 216. Rogatus quis sitne sacerdos

vel religiosus, an audiërit rem diuinam, sine gauerit, peccet contra fidei confessionem. 218. An peccet contra fidei confessionem qui in hospitij hæreticorum diebus prohibitis, comedunt carnes ne se prodant, & ne veniant in vitæ discrimen. Ibid. An transeundo per terras hæreticorum & paganorum liceat occultare fidem. 219.

FILII.

Filiorum officia erga parentes. f. 904. FRANCISCVS XAVERIVS. B. Franciscus Xauerius quam desudauerit in fide propaganda inter infideles. 109. Quales ad gentium conuersionem requiratur. 199.

G.

GENTILES.

Gentilium conuersio ad fidem prædicta fuit à prophetis. f. 756. Illis prædicandum Euangelium rationibus suadet. 757. Eorum errores in communi. 760. Qui contra eos scripserint. 762. Breuis forma eos conuincendi ex Lactatio Firmiano. 804. & 808. Alia formula ex Hieronymo Sauanorola. 809. 813. Quomodo iuandis, & quomodo cum eis agendum. 87. In quibus casibus licitum vel illicitum sit communicare cum eis. 823.

GEORGIANI.

Georgiani quomodo ad fidem sint adducti, ex Nicephoro. f. 191. Quales sint, & eorum errores. 408.

GRÆCI.

Græcorum vnio cum Ecclesia Catholica. f. 231. Eorum errores & refutatio. 234. Origo errorum ipsorum, & schismatis. 237. Eorum vnio facta cum Ecclesia in concilio Florentino. 276. An propter errores suos censendi sunt hæretici, an schismatici. 280. Quomodo cum eis agendum. 286. Media eos iuandis. 288. & seqq. Eorum superbia. 290. In quantas calamitates inciderint propter schisma, & separationem ab Ecclesia Catholica. 297. & seqq. Sancti apud eos quâdo deserint tesse. 290. Quare apud eos nulli docti. 297. Eorum simonia. 298. Apud eos repudium licitum. Ibid. Eorum captiuitas. 300. De communicatione cum eis quæ constituerit Innocentius III. 305. Quæ constituerit Clemens VIII. 309. In quibus casibus liceat Latinis cum eis communicare. 312. formula

mula qua fidem eos profiteri voluit Gregorius XIII. 318.

H.

HÆRESIS.

Hæresim abiurandi forma. f. 561. hæresum omnium est libertas origo. 539.

HÆRETICVS.

Ad hæreticos conuertendos exhortatio. f. 513. Eorum miseria. 514. Hæretici quibus fraudibus suam hæresim spargant. 541. Quomodo sint iuandis. 543. Quomodo cum eis sit agendum. 546. An, & quomodo licitum sit cum eis communicare. 551. An sint excommunicati iure diuino an humano. 552. An occulti hæretici sint excommunicati. 553. Quomodo sint vitandi vi constitutio nis Martini quinti. 554. An liceat ab Episcopis aut Pastoribus hæreticis, non denuntiatis tamen, recipere sacramenta. 556. An à denuntiato hæretico liceat in articulo mortis sacramentum poenitentiae recipere. 557. An hæreticorum filij possint admitti ad Catholicorum scholas. 557. An Catholico liceat suscipere puerum hereticum de fonte baptismi, & contra an liceat Hæreticum admittente ut suscipiat filium Catholicum. 557. Hæreticorum poenæ, absolutio, & reconciliatio cum Ecclesia. f. 558. & seqq.

HOMO.

Hominis dignitas. f. 9. Habet duplicem sensum interiore, & exteriori. 773. Homo non sui ipsius est, sed Dei. 798. Ad Deum ordinatus est. 799. 801. Non est frustra cōditus. 802. Hominis creatio. 806. Homo vetus exuendus, & induendus nouus. 897.

I.

IACOBITÆ.

Iacobitæ quales sint, & eorum errores. f. 385. & seqq. 389. 416. Constitutio Eugenij quarti super vnione eorum. 392.

IDOLOLATRIA.

Quid sit, & quotuplex, & eius origo. 787. Quomodo ei Deus obstitit, & eius grauitas. 789. à Barbaris penitus rescindenda. 821.

INDIA.

India Orientalis per quos ad fidem con-

uerfa. f. 51. India Occidentalis à quibus ad fidem conuersa. 52.

INFIDELIS.

Quibus modis primo agendum sit cum infidelibus ut eos conuertamus. f. 120. & seqq. Quomodo eis proponenda sint fidei mysteria. f. 126. & seqq. An cum eis publice sit de fide conferendum ac disputandum. f. 153. & seqq. Qua prudentia & conuersatione sit opus ut conuertantur. 170. & seqq. An possint cogi per Principes sæculares ad fidem. 204. An possint ad fidem, allici donis, officijs, obsequijs. 204. An possint compelli ad audiendum Euangelium. 206. An possint compelli ad falsum cultum Deorum abijciendum, & legem naturalem seruandam. 207. An possint eici à regno Catholicorum, ea conditione ut si velint remanere fiant Christiani. 209. Eorum paruuli an baptizandi inuitis parentibus. 210. In quibus & quomodo liceat cum eis communicare. 127.

IVDÆI.

Iudæorum conuersio difficilis. 570. Deo grata, quia olim in delicijs Deo Iudæi. ibid. Eorum conuersio præauntiata vaticinijs. 571. Eorum errores. 574. Eorum calamitates. 585. Eorum fabulæ, & errores & blasphemias in Thalmud deteguntur. 623. Quomodo cum eis sit agendum, & quomodo iuandis. 629. In quibus casibus Christianis liceat eis communicare. 636. Quanam Iudæis subiectis Christianis Principibus prohibita sint. 637. In quibus casibus à Iudicibus Ecclesiasticis possint puniri. 639.

L.

LEX.

Lex vetus iam abrogata. f. 462. legis diuinæ quinque proprietates. 663.

LINGVA.

Linguarum peritia necessaria volentibus se dare gentium conuersioni. f. 194.

M.

MAGVS.

Magi omnino expugnandi sunt. fol. 823.

MAHOMETVS.

Mahometi errores. f. 644. Qui contra eos scripserint. 645. Non fuisse Mahometum. EEEEE 3. Aposto-

INDEX RERVM.

Apostolum, *hæc* nuntium à Deo missum, 646. 655. Nullum operatum fuisse miraculum 554. Non fuisse postremum Dei nuntium. 658. Non fuisse Dei prophetam. 559. Eius impietas. 703.

MARONITÆ.

Maronitæ quales. f. 412. Eorum aliquæ interrogationis de suis ritibus, caremonijs, & sacramentis, & super eas responsiones. 483. & seqq. Quædam constitutiones salutare pro Maronitis. 493.

MARTINVS.

Martinus Valentinus ordinis S. Francisci quæ bona fecerit in animarum conuersione. f. 81. Miracula quæ fecerit. f. 145.

MARTYRIVM.

Martyrium quid sit, & quæ eius conditiones. f. 221. Quando currat eius obligatio. 224. Quando cadat sub consilio. ibid. Non licet directè procurare. 225. Licet tamen indirectè, & illud desiderare. 226.

MATRIMONIUM.

Matrimonium non dissoluitur propter adulterium. f. 460.

MENDICANTES.

Mendicantes ad id ab Ecclesia fuisse destinati vt animarum saluti vacent. f. 87. & seqq. Idem confirmatur exemplis, quibus docetur quales in hac functione fructus fecerint mendicantes. f. 91. Non sufficere eis præparationem animi ad iuuandos proximos. 94. Tenentur non solum fidelibus, sed etiam infidelibus opem ferre. 98.

MESSIAS.

Messiam venisse contra Iudæos varijs scripturis probatur. f. 585.

MISSIO.

Missiones pro conuersione animarum expedientissimas esse Religiosis. f. 77. & seqq. A missionibus Religiosos nullo prætextu excusari. 83.

MIRACULA.

Miracula confirmant fidem nostram. fol. 133. 143. Differentiæ quatuor inter apparentia miracula gentilium, hæreticorum & nostra vera. 134. Multa fuisse facta miracula post tempora Apostolorum, etiam nostro sæculo, exemplis docetur. 144. Quare iam non ita frequenter fiant, vt olim. 144. & seqq.

MONACHVS.

Monachi vnde dicti, & quæ eorum exercitationes, dum non omnes ita passim facer.

dotio iniiciabantur. f. 60. Eos, dum sacerdotes sunt, debere hominum salutem procurare. 61.

MVLIER.

Mulier quomodo se geret erga virum. f. 905.

MVN DVVS.

Mundi creatio. 306.

N

NECESSITAS.

Extréma necessitas salutis animarum est in toto orbe. f. 1. & seqq.

NEOPHYTVS.

Neophytis quæ vetanda, & de medijs vt in proposito perseuerent. f. 898. Alia consilia circa eorum institutionem. 900. Adherendi sunt ad elemosynas. 901. De quibusdam alijs circa eos, seruandis. 908. & seqq. Quæ iterum seruanda pro eorum profectu. 910. Fugienda est eis communicatio cum infidelibus. 912. Quomodo puniendi sint si ad vomitum redeant. 917. Sicut alij Christiani veteris fidei habeantur, & ne priuentur publicis honoribus & dignitatibus. 919.

NESTORIVS.

Eius errores f. 347. Soluuntur argumenta eius quibus duas in Christo personas falso conabatur adstruere. 450.

NESTORIANI.

Nestorianorum natio & errores. f. 353. Quinam ex eis persistant in vnione Ecclesiæ Catholicæ. 356.

O

ORATIO.

Oratio est optimum præfidiū ad conuersionem animarum. f. 161. & seqq.

ORDO.

Ordinem conferendi ritus orientalium. f. 512.

ORIENTALES.

Orientalium schismatis origo. f. 347. Quomodo sint iuuandi & instruendi. 467. & seqq. De quibus instruendi, & interrogandi sunt qui volunt conuerti. 474. Formula qua fidei professionem faciant. 477. Eorum errores. 497.

INDEX RERVM.

P

PARENTES.

Parentes quomodo se gerent erga filios. f. 904.

PATIENTIA.

Patientiæ bona & præmia. f. 890.

PAVLVS.

D. Paulus cur dixerit se plus omnibus laborasse. f. 562.

PECCATVM.

Peccatum mortale quæ damna homini inferat. 893.

PERSECVTIO.

An & quibus in persecutione fidei sit licitum fugere. f. 214.

PERSONA.

Persona creata à natura singulari, realiter distinguitur ex sententia D. Thomæ. f. 426. In quibus differat à natura. 427.

PETRVS.

S Petrus fuit supremus ac summus Pontifex. 39. Romanus Pontifex in eius locum succedit. 42.

POENITENTIA.

Pœnitentia est verè sacramentum à Christo Domino institutum. f. 454.

PONTIFEX.

Ad Pontificem pertinere conuersionem gentium. f. 42. Pontificum Romanorū cura Euangelium fuisse promulgatum. 44.

PRÆDICATOR.

Prædicator qui studet animarum conuersioni qualis debeat esse. f. 106. & seqq. Ante omnia debet sibi attendere. 168. Debet splendere castitate, & occasione fugere. 175. Debet auaritiâ carere. 176. Est ei necessaria patientia, & labor & longanimitas. 177. Debet præcellere vitæ exemplo. 187.

PRIVILEGIA.

Privilegia concessa à varijs Pontificibus, illis qui laborant in conuersione Infidelium. fol. 829.

PVRGATORIUM.

Purgatorium esse probatur omnis generis argumentis. f. 262.

R

RELIGIOSVS.

Religiosi quales fructus fecerint in con-

uersione animarum. f. 97. & seqq. Eos esse aptos prædicationi verbi Dei docetur refutatione contrariorum argumentorum. 100.

RITVS.

Qui ritus tolerari possunt in his qui exschismate vel paganismo, aut alia secta ad fidem Catholicam veniunt. f. 501.

RVT HENI.

Ruthenorum vnio cum Ecclesia Catholica. f. 231. Eadem facta tempore Clementis. VIII 321. Eorum religio qualis. 334.

S

SARRACENI.

Quomodo sit agendum cum Sarracenis, quomodo iuuandi, & quomodo eis inculcanda sint fidei nostræ mysteria. f. 727. & seqq. In quibus rebus prohibita sit Christianis cum eis communicatio. 747.

SCHISMA.

Schismatis discrimen ab hæresi. f. 280.

SCHISMATICI.

Schismaticorum pœnæ, absolutio, & reconciliatio. f. 315.

SCRIPTVRA.

Scriptura sacra tam veteris quam noui testamenti in nullo est corrupta. f. 666.

SEMINARIUM.

Seminaria instituenda pro efformandis prædicatoribus. f. 110.

SERVI.

Serui quomodo se gerent erga Dominos suos. f. 906.

SPIRITVS SANCTVS.

Spiritū sanctū procedere à Patre & Filio probatur omnis generis argumentis, & obiectiones cōtrariæ soluitur. f. 238 & seqq. Quomodo hæc processio intelligatur. 341.

SUPERBIA.

Superbia quam sit detestanda. f. 895.

T

THERESIA.

Beresia Carmelitarum Discalceatorū fundatrix, Carmeli reformationem in hæreticorum conuersionem peculiari intuitu destinauit. f. 80.

TRINITAS.

Trinitatis similitudo in creaturis. f. 740.

I N D E X R E R V M.

V

VINCENTIVS.

S. Vincentius quam flagrauerit zelo animarum f. 108.

VIR.

Viri officium erga mulierem. f. 905.

VITA.

Vita triplex, vteri in matre, nostra in mundo, & futura in caelo f. 775.

VLTIMVS FINIS.

Vltimus finis hominis non consistit in vfu ciborum aut Venereorum f. 693. Quis sit vltimus finis hominis, & in quo consistat,

ac de varijs vltimis finibus hominis. f. 763. & seqq.

VNCTIO.

Extrema vnctio est verè sacramentum. f. 456.

Z

ZELVS.

Zelum animarum commendari exemplo Christi. f. 11. & seqq. Eundè probant exempla Sanctorum. f. 15. Utilitas huius zeli. 28. & seqq. Ad omnes hunc zelum spectare, 32. Huius zeli iucunditas. 35. Quæ impedimenta hunc zelum impediant sint remouenda. 36. & seqq.

F I N I S.

S V M M A P R I V I L E G I I.

Alberti & Isabellæ Claræ Eugeniæ, Archiducû Austriae, Ducû Burgundiae, & Brabatiae, &c. priuilegio cautum est, ne quis proximo sexennio librum cui titulus, *Thesaurus sapientiae diuinae in gentium omnium salute procuranda Auctore R. P. Thomæ à Iesu Biatensi Hispano, ordinis Carmelitarum Discalceatorum Superiore*, præter voluntatem dicti Patris Thomæ à Iesu imprimat, vel alibi impressum in has Inferioris Germaniæ prouincias importet venalemue habeat: qui secus faxit confiscatione librorum & graui poena mulctabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ 16. Martij 1613.

Signat
Buschere.

ANTVERPIÆ,

Excudebat Andreas Bacx, sumptibus Viduæ
& hæredum Petri Belleri, an. 1613.